

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 136;Leibn. Marg. 136, Stück 1, [1] - -

Leibn. Marg. 136

Niedersächsische
Landesbibliothek
Hannover

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 136;Leibn. Marg. 136, Stück 1, [2] - -

Leibn.
1 J.42 5, 44a 7,
T. 2. S. 84.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 136;Leibn. Marg. 136, Stück 1, [3] - -
PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 136;Leibn. Marg. 136, Stück 1, [4] - -



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 136;Leibn. Marg. 136, Stück 1, [5] - -

Christianus Urstisius obyt 30 Martij 1588 Caferrius in Syntagma vetustatis ad hunc diem

Historici

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 136;Leibn. Marg. 136, Stück 1, [6] - -

GERMANIAE HISTORICORVM ILLVSTRIVM,

Quorum pleriq; ab Henrico IIII Imperatore vsque ad annum CHRISTI,

M. CCCC,

Et ex ijs quidem SEPTEM nunquam antea editi, gentis eius res gestas memoriæ consecrarunt,

Tomus vnus,

CHRISTIANI VRSTISII BASILIENSIS fide & studio in lucem nunc editus.

Elenchum auctorum duodecima dabit pagina: Rerum & Verborum INDICEM postremus cuiusque tomi ternio.

FRANCOFVRDI
Apud heredes Andreæ Wecheli,
M D LXXXV.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 136;Leibn. Marg. 136, Stück 1, [7] - -
PUBLIC DOMAIN

BIBLIOTHECA
REGIA
HANNOVERANA

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 136;Leibn. Marg. 136, Stück 1, [8] - -

ILLVSTRISSIMO AC GENEROSISSIMO PRINCIPI, FRIDERICO, ILLVSTRISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI, DN. LVDOVICI, COMITIS Palatini ad Rhenum, Bauariæ ducis, ac sacri Romani imperij Archidapiferi & Electoris, felicis memoriæ, filio & hæredi

CHRISTIANVS VRSTISIVS MATHEMATVM professor, salutem precatur & incolumitatem.

NATVRA mortalium ingenia, quæ non prorsus abiecta sunt & agrestia, sic formauit (FRIDERICE princeps generosissime) vt singulari quadam vetustatis admiratione & veneratione ducãtur. Hinc ea, quæ à prisci seculi hominibus, claris præsertim & illustribus profecta vel vsurpata, ad nostram vsq; ætatem perdurârunt, qualia esse possunt tabulæ & instrumenta publica, pocula, statuæ, imagines, arma, numismata & similia, thesauri loco à nonnullis auidè conquiri & congeri solita, multò pluris facimus, quàm quæ vel præsentis ævi, vel proximè exacti industria protulit & elaborauit, etsi his illa arte pretióve cedant. Cùm enim fluxa sit & caduca omnium sublunarium cõditio, ac subinde pereuntibus aliis alia succedant: hinc fit, vt res, quæ temporum omnia consumentium iniquitate superata & quasi deuicta, longo seculorum decursu, infinitos fortunæ fluctus euaserũt, animos etiam nostros iucundo quodam sensu afficiant.

Enimuerò quamuis hæc ita se habeant, omnes tamen quibus generosa in pectore mens est, veterum libros ingeniorumq; monumenta, cunctis aliis quantumuis pretiosis antiquitatis tesseris, longè semper antetulêre: nõ solùm ob id, quòd vetustatis penitiùs contemplandæ summa lux in iis accensa fulgeat, sed & omnige-

næ eruditionis ac ſapientiæ theſauros complectantur. Quæ certè res nec ſteriles ſunt, nec ad otioſam admirationem & contemplationem tantùm cõparatæ, ſed hominum bono pellendisq; ignorantiæ tenebris ſeruiunt. Breuiter, laborioſæ & calamitoſæ huic vitæ ſubſidia præbent amplißima.

Inter illos porrò ingeniorũ fœtus, HISTORIAE neutiquam poſtremum locum obtinent, quibus exactorum ſeculorum res geſtæ memorandæq;, gentium migrationes, regnorum ac rerumpublicarum ortus, incrementa, couerſiones, interitus, religionis propagatæ, conſeruatæ aut labefactatæ momenta, hominum mores, ingenia, dicta, facta, conſiliorum ſecundi & aduerſi euentus, fortunæ viciſſitudines, variaq; vitæ humanæ exempla deſcribuntur. Quæ omnia cum iudicio lecta atq; percepta, præter admirabilem delectationem, ad contemplationem operum Dei, ad temporum lucem, ad perfectæ vitæ rationem, ad virtutis imitationẽ, vitiorum fugam, moderandorum conſiliorum prudentiam, proſpiciendos rerum euentus, vſum habent incredibilem. Ad euitanda namq; detrimentoſa, & vtilia proſequenda, exempla plus verbis hominum animos commouere ſolent. Deniq; ex tam multis variisq; præteritorum temporum euentis, & ampliſſimo vitæ humanæ theatro, plura queunt documenta ſumi, quàm breuis & exiguus rerum nobis præſentium vſus ſuppeditare poſſit. Quo nomine Hiſtoria, inter alia elogia, vitæ Magiſtra à Cicerone ritè appellata eſt.

Cæterùm vt natalis ſoli dulcedo omnibus eſt congenita, præſertim in eodem educatis & enutritis: ſic earum quoq; Hiſtoriarũ lectione impenſius delectamur, quibus de gentis noſtræ primordiis, de maiorum, à quibus ortum traximus, aut in quorum ditiones, domus, poſſeßiones & munera ſucceßimus, priſcis inſtitutis, laboribus, pace & bello exantlatis, caſibus deniq; cum proſperis tum aduerſis erudimur: quippe quòd illorum ſeu laudis ſeu ignominiæ, felicitatis vel infortunij pars, in nos ſuo quodam modo redundare videatur.

Quamobrem vt iis magnas debemus gratias, qui inſcribenda Hiſtoria, ne rerum memoria ſuccedentibus ſeculorum ætatibus obliteraretur, de omni poſteritate bene ſunt meriti: ſic & illi operæpretium patriæq; debitum officium præſtitiſſe cenſentur, qui bonis eius generis libris è tenebris in lucem proferendis, obſtetricantur, neglectoſq; & ſqualentes deterſo ſitu in hominum cõſpectum atq; conſortium adducunt. Viciſſim graui vituperatione digni

ſunt,

sunt, non minùs quàm Plautinus senex, thesaurum humi defodiens, qui veterum labores, bo ni publici caussa susceptos atque peractos, inciuiliter, auarè ἀφθόνως detinent, celant, ac caco carcere premunt. Occulta sapientia, inquit Simcides, & thesaurus abditus, quæ vtilitas in vtrisque? Musarum certè fores inuidentiæ peste laborare non decet.

Quarum rerum consideratio multos ante me generis nobilitate, virtute & eruditione præstantes Germaniæ viros excitauit, vt ad amplificandam & illustrandam nostræ gentis historiam, ampliorem q̃ lucẽ antiquitati inferendã, veteres καὶ μὴ ἐκδεδομένους Germaniæ scriptores, in bibliothecis delitescentes, conquisierint, eosq̃ deinceps diuino artis typographicæ inuento multiplicatos, publici iuris effecerint. Fuitq̃ hac in re quamplurium tanta æmulatio, vt posteris non nisi peractæ messis spicilegium quoddam reliquerint: arduum quidem & difficile, neutiquam tamen negligẽdum. Etsi enim ea ducar opinione, plures eius generis auctores à tinearum iniuria vindicatos, hac tempestate in literatorum manibus versari, quàm deinceps proferri queant, vel saltẽ optimos quosq̃, nil tamen ambigendum, in latebris hinc inde aliquot luce digniss imos, supereſſe: eiusmodi sunt, Wippo, Henrici tertij sacellanus, de vita Conradi secundi: Eberhardus de inferiore Altach archidiaconus Ratisponensis, de ducibus Austriæ, Bauariæ, Sueuiæ, qui ab anno salutis 1152 annis cẽtum triginta sequentib. vixêre: Wickardus Polheimius archiepisc. Salisburgensis, de reb. Austriacis, vsq̃ ad annũ 1312, & similes. Tacebo in præsens principum, tẽplorum ac sacrorum Collegiorũ fastos. Spero aũt nobilem virum Gotfridũ Ramingiũ, in indagandis vetustis codicibus sagacissimum & diligentissimũ, aliquando hac in parte haud forc ἀσύμβολον, sed è promptuario suo aliquot orbi communicaturum.

Etsi verò diffiteri nemo queat, hos & alios mediæ ætatis scriptores, eiusmodi sermone vti, qui delicatis & politis auribus fastidiosus esse possit: vt tamen infantes laceris aut sordidis fascijs inuolutos non abijcimus, sic neque illos, quantumuis verborum cultu & ornatu destitutos, quisquam patriæ gloriæ studiosus aspernabitur. Quod igitur Cicero Finium primo de Philosopho dixit: Se eum si adferat eloquentiam, non aspernari: si non adferat haud admodum flagitare: idem nobis de historicis, qui magna superiorum seculorum barbarie laborárunt, pronunciandum. In cibis sic est, vt sordidiùs paratos reijciamus. In numis autem veteribus, vt pondus & materia potiùs, quàm sculpturæ elegantia

ſpectatur ſic in auctoribus illorum ſeculorum, bonis alioquin & caſtis, quorum virtus temporum iniquitate preſſa fuit, rerũ momenta magis, quã dictionis vel puritas, vel lenociniũ ponderãda.

Porrò quemadmodum militares copiæ, ſi periculo ingruente non ſint locorum interuallis diſiunctæ, ſed in vnum conductæ, plus habent ad depellendum hoſtem terroris & roboris: inſtrumenta etiam certo loco digeſta artificis vſui commodiùs ſeruiunt, quàm cum hinc inde diſperſa, prompta haberi nequeunt: itemq; res exiles, niſi aliis mole & quantitate magis conſpicuis iungantur, faciliùs in terram defluunt, atq; pereunt: ſic in librorum vſu docuit experientia, egregiæ commoditatis rem eſſe, ſi vel eiuſdem vel ſimilis argumenti libri vtiles, quales hiſtorici ſunt, variis & locis & temporibus in publicũ emiſſi, ac veluti palantes, vno opere clauſi haberi poſſint. Id enim in acquirendis ijs ſumptus & labores, in tractandis tædium & moleſtiam minuit: multos quinetiam vel argumenti vel molis indicio non admodum notabiles, ab interitu vindicat. Quod igitur Cicero alicubi dixit, non minùs iucundos ac illuſtres eſſe dies quibus conſeruamur, quàm illos quibus naſcimur: ita non minùs liberalis curæ eſſe iudico, libros bonos, olim quidem editos, ſed exoleſcentes quodammodo & deficientes, aliorum ſocietati cum ornatu reſtituere & ab interitu conſeruare, quàm nunquam foras emiſſos in apertum proferre.

Cùm igitur ſuperioribus annis laborioſa venatione earum rerum, quæ ad condendæ reipub. Baſilienſis hiſtoriam pertinebant, occuparer, expertus quãtum difficultatis inſit vet erũ ſcriptorum racemationi & indagationi: tandem quoſdã eius generis codices nactus, priuato meo vſui eos aſſeruare, indignũ eſſe iudicaui. Cogitanti ergo de ratione eos aliorum oculis cum fructu exponendi, quò auctores ipſi debitum honorẽ, resq; ab illis ſcriptæ æternitatem ſortirentur: vtriuſque viæ anſa occurrit, ſc. editionem eorum qui in meos caſſes incidiſſent, haud eſſe premendam, ſimulq; è rerum Germanicarum ſcriptoribus aliquot iampridẽ editos, & in rempublicam hiſtoricam admiſſos, verùm rariùs comparentes, ijſdem adiungendos, vt tyrones illi triariorum manipulo ſtipati, plus dignitatis nanciſcerentur, lectoribusq; gratiores redderentur: non ſecus quàm obſcuræ ſortis homines, ſi quando illuſtrium ac clarorum familiaritate vtuntur, eorundem fauore aliorum quoque beneuolentiam conſequi, & ad ampliorem fortunam gradum ſibi comparare ſolent.

Cæterum cùm in coagmentationis illius agone conſtitutum, quidam

quidam clarißimi viri, editis aliquot Tomis veterum ac rariùs occurrentium Germaniæ historicorum, adiunctis quibusdam nouiter repertis, ſua diligentia conatus meos præueniſſent: vtique vela mihi cõtrahenda fuere, ſic vt nouitijs quos dixi meis ac minùs claßicis, non niſi reliquos è veteranorũ cohorte, itineris comites attribuere licuerit. Atq; ideo præſenti volumine eam auctorũ claſſem, quantum fieri potuit, adornare ſtudui, qui ab Henr. quarti æuo, vſq; ad tempora, quo Rupertus Rom. rex, comes palatinus Rheni, &c. Sigiſmundi anteceſſor, imperij ſceptra accepit, trecentorum annorum decurſu, res noſtræ gentis memorabiles literarum monumentis commendârunt. Cui quidem ordini etſi plures adſcribi potuiſſent: cùm tamen eos ſuis poſſeſſoribus eripere neutiquam decuerit, contentus vſq; fui cæteros ab alijs vel derelictos, vel nõ tam plenè exhibitos, νεολέκτοις iſtis conſociare: id ſpectans, vt ſecundum temporum ſucceßionem omnes illi ſolidum corpus conſtituerent, eorumq; ordo ſingulorum argumentis lucis quidpiam conciliaret.

Quòd autem in huius libri fronte, illuſtrißime ac generoſißime Princeps LVDOVICE, tuæ Celſitudinis nomẽ, tametſi nullius meriti aditu eidem notus, apparere volui, in cauſſa eſt, quòd volumen iſtud, cuius non exigua pars à Germanici ſanguinis Principe profecta eſt, ob auctorum celebritatem, rerumq; in eo contentarum pulchritudinem & varietatem, Principi quoq; haud ingratum lectuq; non indignum fore iudicârim. Et quoniam multorum bonorum teſtimonio, ea in his partibus fama accenſa ſit, Celſitudinem tuam, quam Deus ab inclytis & piẽtißimis Principibus, in Septemuiralis dignitatis κεδοχῶ, naſci voluit, ſingulari quadam ac heroica animi indole optimi quoq; Principis expectationem de ſe concitare: arbitratus ſum, cum in hoc pulcherrimo ætatis flore, præſtantißimorum hominum ſermonibus & conſuetudine delecteris, fore, vt ſuo tempore ad legendas & conſiderandas ſummorũ Germaniæ heroum hiſtorias, priſcæq; ætatis res cognoſcendas animum eſſes applicaturus, vtpote ad rem omni quidem ordini, maximè verò viris politicis atq; Principibus, quibus orbis & populorum gubernatio à ſuperis credita, fructuoſißimam, & ad eximium illis decus conciliandum aptißimam. Illis enim cum plurimarum rerum cura incumbat, eorumq; cõſultationes id pene ſolum difficiles reddat, quòd de rerum euentis ſint incerti: equidem ad ſcopum certiùs configẽdum, in eo ſeſe exercere proderit, vt qui nam euentus ex quibus cauſſis oriri ſoleant, rectè diſpi-

cere poßint. Quod cum historiæ accõmodatißimis exemplorum picturis commonstrent: nemini dubium esse potest, eas ad prudentiam, humanarum actionum directricem, valere plurimum. Nolo iam dicere, quãtum & decoris & admirationis pariat, quantum & mortalium animos inclinet atq; moueat, si quando in arduorum negotiorum momentis pensitandis, de δυαλόγων *consiliorum aut factorum succeßibus & euentis, exempla è vetustate petita, ex ore Principis manare audiantur.*

Quare vt olim peractis ecclesiasticis liturgijs Euangeliorum codex Principibus exosculandus proponebatur, vt admonerentur, sui esse muneris, cœlestem doctrinam ex arcano Dei sinu prolatam, amplecti, fouere, atque tueri, & Christũ noui fœderis conciliatorem exosculari: sic etiam confido, Princeps generosißime, te pro eximia tua virtutis indole, morumq; suauitate, isthæc illustrium hominum monumenta, hacce palingenesia ad meliorem habitũ cultumq; reuocata, quantũuis sacris libris vsu dignitatéve nullatenus comparari queant, Germanicæ tamen gentis amore, inq; augustißimorum Cæsarum, quorum acta vita resq; præclarè gestæ (vt & inclyti tui generis maiorum aliquot) hic memorantur, honorem, & Reipublicæ literariæ fauorem, haudquaquam aspernaturum: quin potius abs me, qui erga illustriss. T. C. domum genearchicam, aliquod meæ obseruantiæ documentum dudum extare cupiui, nobiles auctores, Hermannum, Ottonem vtrunque, Radeuicum, &c. tuo nomini religiosa mentis & animi pietate sacratos, æqua mente, vultuq; placido accepturum. Idque vt clementer facere digneris, submisse rogo.

Beatus ille & solus princeps, in cuius femore scriptum est, Rex regum & dominus dominantium, *generosißimam Celsitudinem tuam, & inclytam Palatinæ stirpis domum, vnà cum illustrißimo heroe, Duce Jo. Casimiro, patruo, ac Electoratus tutore & administratore, diutißimè saluos & incolumes, pace, rerumq; succeßibus florentes, custodiat atque conseruet, ad sacrosancti nominis sui gloriam, & subditorum salutem. Basileæ, VI nonas Martij, anno filij Dei in carne patefacti, M.D.LXXXV.*

BENE-

Benevolo lectori Christianvs Vrstisivs S.

EDITI sunt annis superioribus, lector amice, Wechelianorum typis, veterum Germaniæ historicorum σωτῆρες ἑλλήνων Tomi tres, CL. virorum Reineri Reineccij polyhistoris, Ioannis Pistorij Medici, & Iusti Reuberi Iurisconsulti, quos honoris & obseruantiæ caussâ nomino, studio & opera adornati: quibus ipsi tandem (ni fallor) Wecheliani, quartum superaddiderunt, non alio certè quàm patriæ historiæ locupletandæ & illustrandæ studio. Cæteros enim scriptores, peculiaribus libris ipsorum sumptu euulgatos, hic recensere nil attinet. Ex iis editionibus facile patuit, elegantissimis illis Chalcographis id fuisse consilij, vt quantum in ipsis, auctores vniuersos, qui Germanorum res ab obliuionis incommodo vindicassent, certis voluminibus contextos, in publicum mitterent. Quorum proin laudabili instituto, ipsis præsertim quintum huncce Tomum historicorum, prioribus quatuor sociali fœdere iungendum, per literas efflagitantibus, me quoq; deesse non decuit.

Verumenimuerò susceptæ huic συλλογῇ genium feliciorem optaui sæpiùs, ac vt ea communicatis inuicem consiliis, suscipi & adornari potuisset. Sic enim illius series aptior atq; cõcinnior, corpusq;, partibus omnibus inter se ritè cohærentibus, formæ dignitate ↄ commendabilius fieri potuisset. Nunc verò quoniam suis rationibus singuli obsequuti sunt, atq; illud nobis ornamentum fortuna inuidit, mihi quoq; post insignes illos viros, via qualiscunq; ineunda fuit, qua nec alios suis defraudasse, nec crambem cum nausea recoxisse viderer. Eam itaq; temporum & Scriptorum seriem delegi, quæ à Henrico quarto exordium sumens, ad finem vsque decimi tertij seculi Christianæ ἐποχῆς protenditur, cuius rationes in præsens breuiter explicandas esse duxi.

Ac primùm quoniam Hermãnus planè recudendus videbatur, tum quòd manuscriptus Codex edito multò locupletior obtigerat, tum etiam propter Continuatorem eius nunquam foràs emissum: visum fuit Ottonis Chronicõ, quinquaginta & amplius capitibus auctum, ei præfigere. Quamuis enim hic illo sit iunior, quia tamen vterq; à mundi incunabulis Chronologiam pertexuit, quo nomine ad præcedentes Tomos referendi fuissent: conuenientius duxi, hunc Ottonis librum vnà cum Sanblasiano eius continuatore Hermanno præmittere, quàm eo deinceps perpetuam Cæsarum historiam, quæ à Bertoldo Hermanni continuatore inchoanda erat, interrumpere: vel omisso eo, auctorem hunc nobilem altero pede mutilum reddere.

Contractò subiicitur Bertoldus. Is quoniam pernicioso orbis dissidio vigente, quo Henricus quartus, à pontificibus Romanis, nouo tum & inaudito exemplo, furiis infernalibus deuotus & exauctoratus fuit: Imperatori plus æquo infensior & Pontificum partibus addictior fuisse, videri potest: idcirco eiusdem Cæsaris vitam, à quodam illius familiari, rerumq; gnaro descriptam, subiungere necesse fuit, vt ex vtriusq; comparatione rectius appareat, vter animi perturbationibus plus minúsve indulserit, aut veritatem, historiarũ animam, melius expresserit. Huic deinceps Ænobarbica historia ritè subiecta est, quòd ab Henrico V, Lothario & Corado, quorũ succinctam descriptionem libro primo complexus est, ad Friderici primi gloriosissimi Imper. res gestas progrediatur: Radeuico deinceps binis libris derelicta prosequẽte. Hos Moguntiacũ Chronicon excipit, epitomen 110 annorum continens, inprimis verò caussas luctuosissimæ vindictæ & cladis ei vrbi à Friderico primo illatæ, ob præsulis cædem, ciuium tumultu patratam: quenq; illius ecclesiæ res sub sequentibus Cæsaribus vsq; ad Fridericũ secundum, cursum tenuerint. Cuius quidem victoriosi Imp. gestis cum proximus locus deberetur, nec tamen quisquã antiquus scriptor offerretur: contentus fui ad hiatum illum complendum, monachi Paduani cõmentario, de vita, morte, rebusq; gestis præpotentis comitis Ecelini, qui vt Italos in Cæsaris, piorum communione submoti, fide retineret, ingenti cum terrore per Euganeos & Insubres arma circumtulit, & in Pontificum asseclas adeo desæuit, vt non tam hominis quàm truculentæ feræ famam opinionẽq; sibi conciliârit. Ei libello Colmariensium fastos subnexui, quòd ferè non nisi ea contineant, quæ post diuturnum interregnum, Rudolfo, Adolfo & Alberto Rom. regibus, apud Alsatas Germanosq; contigêre: quibus cum Henr. Lucelburg. successerit, Vecerio quantũuis recenti proximus locus assignandus fuit. Denicq; cum Albertus Argentinensis à Rudolfi primi ætate exorsus, insequentium temporum res gestas, vsq; ad Caroli quarti obitũ, prolixè satis memoret: illius vtiq; fuit hocce scriptorum agmen claudere ↄ, prænio κατ' ἐπιμολὴν fragmento historico, in veteribus codicibus ei præmitti solito. Diploma saltem exauctorationis Wenceslai Cæsaris, cũ id (quod sciam) extet nusquam, è Kongelshouij Chronico conuersum, corollarii loco superadieci, vt illius seculi historia integrè continuata videri possit. Tuum erit, candide lector, laborẽ hunc, bona fide & mediocri diligentia susceptum atque peractum, boni consulere, VALE.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 136;Leibn. Marg. 136, Stück 1, [15] - -
PUBLIC DOMAIN

CATALOGVS VOCVM ALIQVOT AVT BARBARARVM, AVT INCONSVETÆ SIGNIFICATIONIS, QVIBVS huius Tomi scriptores vsi sunt: adiecta earundem interpretatione.

¶ Almarium, *armarium, promptuarium.*
Almutium, *collare de villosis pellibus.*
Allodium, *fundus vel prædium, cuius nomine nec merces nec opera à possessore cuiquã debetur, maximè si sit ex patrimonio.*
Ama, *amphora 32 cantharorum. In re vinaria mensuræ genus.* Ein Ame.
Apocrisiarius, *à responsis, internuncius responsum ferens aut accipiens. Id est legatus vel procurator conficiendi negocij caussa missus.*
Attædiari, *tædio affici.*
Auriphrigiæ, *fimbriæ aureæ.*
¶ Baldicum, *aulæum pretiosum paganicis operis.*
Bandæ, *papalia insignia.*
Banerium, *signum militare.* Paner.
Bannus, *proscriptio.* Bann.
Begina, *mulier velata extra certum aliquem Ordinem religiosam vitam ducens.*
Beneficium, *pro feudo. Quæ vocis acceptio inter Fridericum Barbarossam & Pontificem magnæ dissensionis caussam præbuit.*
Beneficiatus, *feudi beneficio affectus.*
Birsare, *telo petere aut configere.* Birsen.
Bladum, *spelta, frumenti species.*
Blaueus, *coloris cyanei.* Blaw.
Briga, *tumultus, seditio non sine certamine.* Gepróg. *Hinc* Inbrigare, *tumultui aut litis se miscere.*
Bruna, *fusca.* Braun.
Bubones, *lixæ, calones, mediastini. Aliquando nebulones & furciferi.* Buben.
Burgenses, *ciues,* Bürger, *quos alibi* Ciuitatenses *vocant.*
¶ Casula, *vestis sacerdotalis inferiùs rotũda, à Missam celebraturis indui solita.* Cas suckel.
Carnifex, *lanius.*
Chartularij, *scribæ, vel chartarum regiarum seu publicarum custodes.*
Communicare, *sacram synaxin administrare.*
Contrata, *platea, compitum. Italicum.*
Curia, *congregatio solennis, Senatus.*
¶ Dalmatica, *vestis sacerdotalis, qua Diaconi super Alba, quam vocant, induebantur.*
Dextrarius, *equus grandis & cataphractus.*
Defensario nomine, *iure defensionis & aduocatiæ.*
Diffidare, *vide* Feidum.
Dictare, *carmen condere.* Dictator, *poeta:* dictamen, *carmen poeticum.* Dichten/ Dichter/ Gedicht.
Dormitorium, *cubile, cubilium locus.*
Dorsalia, *aulæa à tergo suspendi solita.*
¶ Emenda, *mulcta, delicti emendatio.*
Exfestucare, *deuestire, honorem abrogare.*
¶ Fautoria, *fauor.*
Feida, *inimicitia,* Vehd. *Hinc* Diffidare, *inimicitiam denuntiare.*
Filiaster, *gener.*
Fodrum, *propriè pabulum equorum,* Füter. *Sumitur pro annona & victu Imperatoris exercitui pendi solito: aut pro pecunia, qua annona illa redimitur. Annonius lib. 5. cap. 3.*
Forenses, *exoterici, foris existentes.*
Fratruelis, *filius fratris, quem vulgò nepotem ex fratre vocant.*
¶ Galia, *triremis,* Galeen.
Garciones, *pedissequi, viliores è gregariis militibus.*
Gens, *exercitus.*
¶ Harnascha, *lorica ferrea.* Harnisch.
¶ Incastellare, *castello aut vallo munire.*
Intimare, *edicere, annunciare.*
Inuestire, *in possessionem dignitatis, feudi, aut similis rei mittere.*
¶ Laudamentum, *conuentio re bene deliberata inita.*
Liga, *fœdus. Hinc* Colligare, *fœdus inire.*
Licentiatus, *vel dimissus, vel licentiam faciendi gradum adeptus.*
Lobium, ἕδρα, Laube.
Λογοθέτης, *magister rationum. Discussor rationum exhibitarum ab administratoribus rerum fisci.*
¶ Maltera, *chœnix, mensura frumentaria.* Malter.
Manga, *catapulta, qua pila aut grandia saxa iaciuntur.*
Mantus, *pallium sine manicis à collo descendens. Insigne quo Pontifex electus induitur.* Mantel. *Hinc* immantare, *pallio huiusmodi inuestire.*
Mansus, *latifundiũ seu prædium, in quo quis manere ac familiã alere potest. Hinc* Mansuarij *villici mansos incolentes.*
Meliores, *nobiliores, optimates, primores.*

Minista-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 136:Leibn. Marg. 136, Stück 1, [16] - -

Ministerialis, *ingenuus, liberali aliquo munere apud principem aut dynastã fungens.*

Militare, *militem facere, hoc est, equestri cingulo donare.*

Monasterium, *sæpe pro basilica & tẽplo augustiore sumitur.* Münster.

Morganitico iure, *iure doni, quod maritus vxori seu spõsæ mane diem nuptiarum insequente constituit.* Προςφθεγκτήρια *seu* ὑπόβολον, *Germanis* ein Morgengab/ *vnde isthæc vox enata.*

Mussitatio, *frementium & indignantium murmur.*

¶ Pagare, *persoluere. Italicum.*

Palæfridus, *alij* Parafredus, *equus magnus vel cataphractus. Vox Ital. & Gallica, deducta (vt videtur) à Veredis, id est publicis & cursualibus equis.*

Parlamentum, *pro colloquio aliquando sumitur.*

Pecia, *assumentũ, panniculus impexus.* Bletz. *Hinc* repeciare, *assuere.*

Placitum, *publicus conuentus litium cognoscendarum caussa institutus, vel eiusdem conuentus locus.*

Primicerius, πρωτοκήριος, *idem quod* πρωτοστάτης, *scholæ seu collegii officialium aulæ regiæ antecessor. Vt primicerius sacri cubiculi, id est, inter cubicularios primũ locum obtinens. Primicerius notariorum, primus in matricula notariorum scriptus, & ob id primas inter eos sibi vẽdicans, &c. Sic consequenter cæteri eiusdem ordinis viri, Secũdicerius, Tertiocerius, &c. appellãtur: vt* Cerius *vocis sit* ἄσημον παραπλήρωμα.

Protouestiarius, *vide* Vestiarium.

¶ Regalia, *feuda maiora à rege concessa.*

Ribaldus, *homo vanus & neq̃, furcifer. Gall.*

Risinę, *labinas hodie vocant. Sunt niues conglomeratæ, per montiũ præcipitia labentes.*

¶ Samitum, *sericum villosum.*

Saumarij, *equi clitellarii,* Saumrossz.

Scultetus, *prætor,* Schultheiß.

Soldum, *stipendium militare,* Sold. Solidarij, *milites mercede conducti.*

Sororius, *aliquando pro affine, cuius quis sororem in matrimonio habet. Sic Rudolfus Habspurgius Albertum Hohenburgensem, cuius sororem vxorem habebat, affinẽ vocat. Aliquando pro sororis filio, vt apud Radeuicum lib. 2. cap. 12.*

Strata, *via. Italicum.*

Strepa, *suber ephippiarius.*

Stuba, *hypocaustum,* Stube.

Surgotum, *panni genus, & vestis ex eo muliebris vsque ad pedes demissa,* Cursat.

¶ Talliare, *mulctare.*

Traditor, *proditor.*

¶ Valuasor, *qui summa coercitionis, non etiã nundinarum & mercatus ius habet. Hotomannus.*

Vasallus, *feudi beneficio fruens, & ob id domino seruitium debens.*

Vestiarium, βεστιάριον, *ærarium, seu locus in quẽ thesauri reconduntur. Hinc* Protouestiarius *regius thesaurarius.*

Cætera vocabula, cuiusmodi sunt, exuaginare, induciare, inthronizare, repatriare, transalpinare, *&c. faciliora sunt, quàm vt interpretatione egeant.*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 136;Leibn. Marg. 136, Stück 1, [17]

CATALOGVS ET ORDO SCRIPTORVM hocce volumine comprehensorum.

Ex iis nunc typis primum euulgatos, asteriſco ★ *notauimus.*

I. OTTONIS è Marchionibus Auſtriæ, episcopi Friſingẽſis Chronicon, à principio mundi uſq; ad tempora Friderici primi. 1146. *pag.* 1

II ★ OTTONIS DE S. BLASIO ad librum ſeptimum Chronici Friſingenſis, continuatæ hiſtoriæ appendix. 1210. 197

III ★ HERMANNI CONTRACTI, è comitib. Veringenſibus, maioris Augiæ monachi, Chronicon, in quo veteri editioni alia quædã priore & locupletior & emẽdatior è regione reſpondet. 1054. 231

IV ★ BERTOLDVS preſbyter Conſtantienſis, pœnitẽtiarius apoſtolicus, de rebus poſt Hermanni obitum geſtis, uſq; ad eius ſeculi finem. 1100. 341

V. Henrici quarti vita, paulò poſt mortem eius, à quodam familiari conſcripta, vnà cum epiſtolis. 1106. 381

VI. OTTO Friſingenſis episcopus, de rebus geſtis Friderici primi Barbaroſſæ. 1156. 403

VII. RADEVICVS, canonicus Friſingenſis, Ænobarbicæ hiſtoriæ continuator. 1160. 477

VIII. Vetuſti cuiuſdam auctoris Appendix ad Radeuicum. 1170. 558

IX. CONRADI, incertæ ſedis epiſcopi, rerum Moguntiacarum Chronicon. 1250. 567

X ★ MONACHVS S. IVSTINÆ Paduanæ, de rebus ſub Ottone IIII & Friderico II in Lõgobardia & vicina Marchia geſtis. 1270. 581

IN SECVNDO TOMO.

XI ★ DOMINICANORVM Colmarienſium faſti, cõtinentes, 1. rerum Alſaticarum annales. 2. Earundẽ vberiorẽ enarrationem. 1303. 537

XII CONRADVS VECERIVS de vita Henrici 7, vnà cum epiſtola eiuſdem Cæſaris. 1314. 63

XIII ★ Fragmentum hiſtoricum auctoris incogniti, M. Alb. Argentinenſis Chronico in manuſcriptis Codicibus præfigi ſolitum. 74

XIV ★ M. ALBERTI Argentinenſis Chronicon (cuius hactenus non niſi fragmentum extabat) integrum, à Rudolpho Cæſare, vſq; ad annum 1378. 97

XV. ★ Eiuſdem (ut videtur) M. Alberti Commentarius, de Bertoldi e Comitibus à Buchecke epiſcopi Argentinenſis rebus geſtis. 1353. 167

XVI. ★ Sententia exauctorationis & priuationis Wenceſlai Romanorum regis, lata anno 1400. 179.

OTTO-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 136:Leibn. Marg. 136, Stück 1, [18] - -

I

OTTONIS EPISCOPI FRISINGENSIS, LVPOLDI PII MARCHIONIS AVSTRIÆ F. CHRONICON, SIVE RERVM AB ORBE CONDITO AD SVA VSQVE TEMPORA GESTARUM, Libri octo: nunc denuo recogniti, & locis aliquot emendati.

ACCESSIT IN HAC EDITIONE:

Appendix vetusti cuiusdam & Germanici scriptoris, historiarum à fine libri septimi Ottonis, usque ad annum salutis M.CC.XII *continuatarum, nusquam antehac excusa.*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 136;Leibn. Marg. 136, Stück 1, [20] - -

CVm quæ à magnis viris profecta sunt, mortalium animos in sui amorem amplius conuertere soleãt: lubet equidem de Ottonis nostri, cuius industria hi octo Chronicorum, & Ænobarbicæ historiæ duo libri debentur, viri scilicet natalium splendore, dignitate & eruditione maximi, vita, quædam ex bonis auctoribus repetita, proferre.

Prognatus is fuit ex veteri & illustri marchionum Orientalium stirpe, ei Germaniæ parti imperãti, quam Austriam hodie vocare consueuimus. Patrem habuit Lupoldum, cognomento sanctum, matrem verò Agnetem, Henrici quarti imperatoris filiam, Friderico Sueuiæ duci antea nuptã, ex qua & idem Otto summos Christiani orbis reges sanguine attigit. Nam & prædicti Cæsaris quarti ex filia, quinti verò ex sorore nepos, Conradi tertij Augusti frater vterinus, Friderici denique barbarossæ patruus fuit, vt ex diagrammate Ænobarbicæ historiæ præfixo, clariùs patebit.

Etsi verò isthac generis claritate eximium illi Natura decus conciliasset, & ad insignem aliquem honoris gradum viam aperuisset: eam tamen ortus sui prærogatiuam diuinæ ac humanæ sapientiæ studiis ita illustrauit, vt non minus ingenij quàm sanguinis dotibus inclaruerit: quæ quidem res eum cursum tenuit. Susceperat marchio Lupoldus ex coniuge liberos quãplures, è quorum numero cum nonnulli ante pubertatis annos in viuis esse desiissent, è reliquis, filios tres natu maiores, moderandis paterni imperij & politicæ gubernationis habenis destinauerat: Ottonẽ vero & Conradum, qui postea ex Patauiensi Salisburgensis pontifex factus est, nempe duos è superstitibus natu minimos, ecclesiastico vitæ degendæ generi emãciparat. Atq; vt omissis cæteris de præsenti historiographo solùm verba faciamus, is literatæ pietatis præceptis à teneris imbutus, cũ magnam de se spem præbuisset, à Marchione patre, qui Neoburgi in Austria secularium Canonicorũ collegium proprijs opib. institui curarat, in cuius etiam claustro, & quidem capitulari loco, vnà cum consorte sua postea humari voluit, primus eius Collegij præpositus designatus est. Verùm eo ad vberiorẽ ingenij cultum aspirante, substituto sibi in eo munere Opoldo quodam, ærarij patrij sumptibus Lutetiã Parisiorum abijt, ad congerendas eruditionis opes in illius vrbis gymnasio annis aliquot commoratus. Vnde tandem inuisendi natalis soli desiderio, domũ reuersus, ecclesiæ suæ varias sanctorum reliquias, quibus tum tẽpla & loca Deo sacrata augustiora reddi existimabantur, amplissimi xenij loco attulit: ibique diebus aliquot in parentum & amicorum cõplexu trãsactis, in pristinum studiorum emporium regressus est. Deniq; pluribus annis ibidẽ cõfectis, cum iam patrios lares repetiturus iter arripuisset, captus amore Cistertiensis instituti, quod tum temporis nouum, illustrium ac nobilium hominum plurimi amplectebantur, ac diui Bernhardi abbatis Claræuallensis heroicis virtutibus illustrabatur, in Morimontio Burgundiæ monasterio pernoctans, cum 15 viris itineris sociis, sumpto illorum monachorum habitu, ordini nomen dedit, & exin abdicata præpositura, in eius loci abbatem (quanquã sit qui eum abbatem Paumgarteberg ensem appellet) euectus est.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 136;Leibn. Marg. 136, Stück 1, [21] - 3
PUBLIC DOMAIN

At enim cum is maiore loco dignus videretur, anno ſalutis 1138, Cõradus Cæſar fratrem ex vmbratili vita in lucem quaſi euocatum, vacãti epiſcopatui Friſingenſi præfecit: quã ille dignitatem, ſeruato ſuæ profeßionis habitu annis viginti comiter & fructuosè geßit, ſic vt nõ ſolùm epiſcopatus ſui res labantes fulciuerit & alienatas recuperârit, ſed etiã in publicis eccleſiæ cauſsis corã Regibus atq; Principibus elegãter atq; viriliter perorârit. Sanè præter eximiæ cum eloquẽtiæ tum prudẽtiæ laudẽ, id quoq; Radeuicus ſacellanus & familiaris eius, lib. 2. cap. 11. illius induſtriæ tribuit, quòd Ariſtotelicã philoſophiam in Germania primus quodãmodo excitârit: ſacrarũ deniq; literarũ & myſteriorum cœleſtis doctrinæ cognitione cum omnibus ſui temporis Germaniæ pontificibus certarit. Grauibus eũ imperij conſultationibus atq; negotijs à Conrado & Friderico Imp. prudentiæ eius multum tribuentibus adhibitum fuiſſe cõſtat. Inter ea memorabilis tranſactio fuit, anno 1156, in cõuentu Ratiſponenſi inter Hẽricum Auſtriæ marchionẽ, Ottonis germanũ fratrẽ, & Henricum Leonẽ, Henrici ſuperbi Bauariæ ducis filium, ſuper eodẽ Bauariæ ducatu inita: in qua Barbaroſſæ auſpicijs, grauißimorũ bellorũ materia ſublata eſt, Henrico marchione omni ſuo iure in Bauariã cedente, ac vicißim in illius ceßionis cõpenſationem, Principũ iudicio, Ducis titulum dignitatemq; accipiente, Auſtriæ marchionatu, cum acceßione prouinciæ Superanaßianæ (quã Auſtriaci à Bauaris eouſq; recognoſcere ſoliti fuerãt) in Ducatũ cõmutato.

Biennio poſt cum Fridericus, Inſubrum rebellione motus, exercitum in Italiam ſecũdo ducere decreuiſſet, & Ottonem expeditionis comitem expeteret, vtpote qui ante vndecim annos Conradum etiam Cæſarem cum armatis in Syriã vſq; aſſectatus fuiſſet: detrectauit militiã in præſens, inter orãtes potiùs quàm belligerantes verſari malẽs, atq; ita Imperatori, id eius ætati ac meritis haud ægrè largienti, ſe facile excuſauit. Accidit interea Ciſtertienſes Morimontij ſui ordinis conuentũ agere: quò cũ ille (qui & antea ipſorum Capitulis, vt vocant, accerſitus intereſſe conſueuerat) ipſa hyeme profectus fuiſſet: itineris lõgitudine, & vergẽtis ætatis imbecillitate in morbũ incidit, cuius vi, poſt dies aliquot, ipſa videlicet bruma, anni Chriſti 1158, inter fratrum manũ, vitã cum morte mutauit: 17 ãno, à quo extra muros Friſingẽſes, in Iſaræ & Moſæ amnium cõfluxu, Præmõſtratenſib. cœnobium, Noua cella dictum, cõdiderat.

Libros hos eius, Regum hortatu cõſcriptos, Ioan. Cuſpinianus Viennæ in monaſterio Scotorum repertos, anno 1515, Schurerij Argentinenſis typographi prælo dedit: Auſtriaca eius hiſtoria, quam olim Wolphgangum Lazium habuiſſe ferunt, etiamnum in tenebris latente.

ARGVMENTVM ET ORDO LIBRORVM *octo Chronici Ottonis.*

Primus liber protenditur vſq; ad Arbacem, regniq; Babylonici translationem factam ad Medos, initiumq; Romani nominis.

Secundus, ad ciuile bellum Romanorum, Iulio Pompeioq; auctoribus, actum, necemq; Cæſaris, ac initium natiuitatis Domini.

Tertius, ad Conſtantinum temporaq; Chriſtiani imperij, regni quoq; Romani translationem factam ad Græcos.

Quartus, ad Odoacrum regniq; inuaſionem à Rugis.

Quintus, ad Carolum regniq; mutationem ad Francos, & ad diuiſionem regni & imperii ſub nepotibus eius.

Sextus, ad Henricum quartum, ſchismaq; inter regnum & ſacerdotium, anathema promulgatum in Imperatorem, papam Gregorium VII Vrbe pulſum, ac Salerni mortuum.

Septimus, vſq; ad ſeditionem Romani populi, annumq; IX Conradi regis.

Octauus, de Antichriſto, reſurrectioneq; mortuorum, & de fine vtriuſq; ciuitatis.

DO MI-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 136;Leibn. Marg. 136, Stück 1, [22] - 4

DOMINO SVO FRIDERICO VICTORI, INCLYTO, TRIVMPHATORI, ROMANORVM IMPERATORI, AC SEMPER AVGVSTO, OTTO DEI GRATIA FRISINgensis ecclesiæ episcopus, id quod est, in eo prosperari qui dat salutem regibus.

PETIVIT *vestra imperialis maiestas à nostra paruitate, quatenus liber qui ante aliquot annos De mutatione rerum, à nobis ob nubilosa tempora conscriptus est, vestræ transmitteretur serenitati. Parui ergo libẽs vestro imperio tanto deuotiùs, quanto regiæ excellentiæ conuenientiùs esse considero, ob reipub. non solùm armis tutandæ, sed & legibus & iudicijs informandæ incrementum, antiqua regum seu imperatorum gesta vos velle cognoscere. Sic magnus ille Persarũ rex Assuerus seu Artaxerxes, quamuis ad agnitionem veræ lucis per cultum vnius Dei non peruenisset, ex nobilitate tamen animi, regiæ magnificentiæ id expedire cogitans, Annalia quæ sub ipso, vel antecessoribus suis scriptæ erant, reuolui iussit: ita gloriam hanc, ne videlicet innocens tanquam reus puniretur, nocensq; vt innoxius pœnam effugeret, adeptus est. Præterea cùm nulla inueniatur persona mundialis quæ mundi legibus non subiaceat, subiacendo coerceatur, soli reges, vtpote constituti supra leges, diuino examini reseruati, seculi legibus non cohibentur. Vnde est illud tam regis, quàm prophetæ testimonium:* Tibi soli peccaui. *Decet ergo regem non solùm animi magnanimitate nobilitatum, sed & ad cognoscendum creatorem suum diuina gratia illuminatum, regem regum, dominum dominantium Deum præmente habere, & ne in manus eius incidat, quantum potest modis omnibus præcauere. Cum enim iuxta Apostolum, omni mortali horrendum sit incidere in manus Dei viuentis: regibus tamen, qui nullum præter ipsum supra se habent quem metuant, eò erit horribiliùs, quò ipsi cæteris possunt peccare liberiùs: secundum illud viri Sapientis, vbi ait:* Audite reges, & intelligite, discite iudices finium terræ, præbete aures vestras, vos qui continetis multitudines, & placetis vobis in turbis nationum: quoniam data est à Domino potestas vobis, & virtus ab altissimo, qui interrogabit opera vestra, & cogitationem scrutabitur. Quoniam cùm essetis ministri regni illius, non rectè iudicastis, neq; custodistis legem iusticiæ, neq; secundum voluntatem Dei ambulastis, horrendè & citò apparebit vobis: quoniam iudicium durissimum in his qui præsunt, fiet. *Psal. 51.* *Sap. 6.*

Vos autem, princeps clarissime, qui re & nomine Pacificus iure appellamini, quia noctem nebulosam & pluuiosam ad delectabilia matutinæ serenitatis spectandam, cuiq; quod suum est conseruando, reduxistis, pacemq; amabilem mundo reddidistis, Deo (qui & principium) perseuerantiam largiente: huius tam amaræ sententiæ, diuina fauente clementia, iudicium non incidistis. Honesta ergo erit & vtilis excellẽtiæ vestræ historiarum cognitio, qua & virorum fortium gesta, Deiq; regna mutantis, & cui voluerit dantis, rerum mutationem pauẽtis, virtutem ac potentiam cõsiderando, sub eius metu semper degatis, ac prosperè procedendo per multa temporum curricula regnetis. Vnde nobilitas vestra cognoscat, nos hanc historiam nubilosi temporis, quod ante nos fuit, turbulentia, inductos, ex amaritudine animi scripsisse, ac ob hoc non tam rerum gestarum seriem, quàm earundem miseriam in modum tragœdiæ texuisse: & sic vnamquamq; librorum distinctionem, vsque ad Septimum & Octauum, per quos animarum quies, resurrectionisq; duplex stola significatur, in miseria terminasse. Itaq; si vestræ placuerit maiestati, gestorum vestrorum nobilissimam in posterum memoriam stylo commendare, per notarios vestræ celsitudinis digestis capitulis, mihiq; transmissis, Deo dante, vitaq; comite, ea læta, læto animo prosequi non pigritabor: nihil aliud pro munere expectans, nisi quod ecclesiæ cui deseruio, in opportunitatibus suis vestra subuenire velit imperialis clementia. De expeditione quã contra Mediolanenſium superbiam ordinastis, ob honorem Imperij, vestræq; personæ exaltationem libenter audiui, præceptumq; vestrum super hac re humilitati meæ destinatum, reuerenter suscepi. Misimus autem præsentium latores venerabilem Abbatem Rapatonem sancti Stephani, & capellanum nostrum Ragauinum, qui hanc historiam ex ore nostro subnotauit, vt de hoc verbo sub gratia vestra sufficienter respondeant.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 136;Leibn. Marg. 136, Stück 1, [23] - 5
PUBLIC DOMAIN

PRAECORDIALI AMICO SVMMIQVE INTER ORBIS PRINCIPES PRINCIPIS, NOBILI CANCELLARIO,

Renhaldo, Otto Dei gratia Frisingensis ecclesiæ episcopus, salutem & obsequium.

CVm iuxta Boetium, *in omnibus Philosophiæ disciplinis ediscendis atque tractandis, summum vitæ positum solamen existimetur: vestræ nobilitatis personam eò familiarius ac iocundius amplector, quò ipsius studio vos hactenus insudasse, in eaq. apprime eruditum esse cognosco. Eapropter non vt rudi, sed vt philosopho, de libro quem domino Imperatori transmisi, vestræ industriæ confidentius scribo: petens, ne in quibusdam ibidem positis, sinistrum, sed bonum vos interpretem experiar. Scitis enim quòd omnis doctrina in duobus consistit, in fuga & electione. Vt ergo ab ea quæ accedentibus ad Philosophiam prima est Grammatica, ordiar, ipsa est quæ secundum suam disciplinam docet eligere ea quæ conueniunt proposito, & fugere quæ impediunt propositum. Verbi gratia, certa lege dictionem dictioni secundum consimilia accidentia construere iubens, ea quæ non sunt talia, vtpote Barbarismos & solœcismos purgando, fugere docet. Sed & Logica, cuius ad syllogismorum doctrinam principaliter spectat intentio, iudicium purgans & instruens, propositionum coniugationes inutiles ad syllogizandum purgando fugit: vtiles autem instruendo eligit. Quare cum sedecim propositionum coniugationes inueniantur, in prima tantùm, iuxta Aristotelem, figuræ quatuor vtiles: decem inutiles reperiuntur. Geometer quoq. partem falsigraphi ad impossibile ducens, fugiendam, suamq. demonstrationem necessarijs probans rationibus, eligendam ostendit. Sic Chronographorum facultas habet, quæ purganda fugiat, quæ instruendo eligat: fugit enim mendacia, eligit veritatem. Itaq. non indigratur vestra discretio, nec sinistrè (vt dixi) imperialibus auribus interpretetur, si in historia nostra, contra antecessores vel parentes suos, ad obseruandam veritatem, aliqua dicta fuerint: cùm melius sit incidere in manus hominum, quàm tetræ fucatum superinducendo colorem faciei, scriptoris amittere officium.*

Præterea quoq. quo ordine currat hæc historia, breuiter exponam, vt hoc cognito, qualitas Operis facilius pateat legenti. Quatuor principalia regna, quæ inter cætera eminerent, ab exordio mundi fuisse, in finemq. eius, secundum legem totius, successiuè permansura esse, ex visione quoque Danielis percipi potest. Horum ergo principes, secundum cursum temporis enumeratos, primos Assyrios, post suppressis Chaldæis (quos inter cæteros historiographi ponere dedignantur) Medos & Persas, ad vltimum & Græcos & Romanos posui, eorumq. nomina vsq. ad præsentem Imperatorem subnotaui. De cæteris regnis incidenter tantum, & ad ostendēdam rerum mutationem disputans: de diuersis quoque religiosorum ordinibus, & Catalogo regum in Laurento, Latio, Alba, ante Vrbem conditam regnantibus, & post Vrbem conditam: item de catalogo Imperatorum seu Pontificum Romanorum, vsque ad eum qui in præsentiarum est, disserui. Sicq. in octauo de resurrectione mortuorum, fineq. vtriusque ciuitatis loquens, opus terminaui. Qualiter etiam regnum à regno supplantatum vsque ad imperium Romanorum fuerit, ostendi: hoc (quòd de ipso dicitur, quòd de lapide excisō de monte plenariè subuertendum sit) vsque in finem temporum, iuxta Methodium, expectandum æstimans. Valete.

PROOE-

PROOEMIVM
ad Singrimum.

SÆPE multumq; voluendo mecum de rerum temporalium motu, ancipitiq; statu, vario ac inordinato prouentu, ſicut eis inhærendum à ſapiente minime conſidero, ſic ab eis tranſeundum ac migrandum intuitu rationis inuenio. Sapientis enim eſt officium, non more volubilis rotæ rotari, ſed in virtutum conſtantia ad quadrati corporis modum firmari. Proinde quia temporum mutabilitas ſtare non poteſt, ab ea migrare (vt dixi) ſapientem adſtantem & permanẽtem æternitatis ciuitatem debere, quis ſani capitis negabit? Hæc eſt ciuitas Dei, Hieruſalem cœleſtis, ad quam ſuſpirant in peregrinatione poſiti filij Dei, confuſione temporalium, tanquam Babylonica captiuitate grauati. Cum enim duæ ſint ciuitates, vna temporalis, alia æterna: vna mundialis, alia cœleſtis: vna diaboli, alia Chriſti: Babyloniam hanc, Hieruſalem illam eſſe catholici prodidêre ſcriptores. Sed quia plerique gentilium, ad commendanda poſteris geſta priorum, de vna earum plura ſcripſerunt, multa documenta virtutum, vt ipſi rati ſunt: proſecutiones verò miſeriarum, noſtrorum iudicio nobis reliquerunt. Extant ſuper hoc Pompeij Trogi, Iuſtini, Cornelij, Varronis, Euſebij, Hieronymi, Oroſij, Iordanis, aliorumq; quàm plurium, tam noſtrorum, quàm illorum, quos longum eſt enumerare, monimenta præclara: in quibus non tam hiſtorias, quàm ærumnoſas mortalium calamitatũ tragœdias, prudens lector inuenire poterit. Congrua ſane, ac prouida diſpenſatione creatoris id factum credimus, vt quoniam homines vani terrenis caducisq; rebus inhærere deſiderant, ipſa ſaltem viciſſitudine ſui deterreantur, vt à creatura ad creatorem cognoſcendum, per tranſitoriæ vitæ miſeriam mittantur. Nos autem tanquam in fine temporum conſtituti, non tam in codicibus eorum, ærumnas mortalium legimus, quàm ex ipſis noſtri temporis experimentis, eas in nobis inuenimus. Vt enim de aljs taceam, regnum Romanorum, quod in Daniele propter totius orbis bello domiti ſingularem principatum, quem Græci monarchiam vocant, ferro comparatur, ex tot alternationibus, maxime diebus noſtris, ex nobiliſſimo factum eſt pene nouiſſimum. vt de Vrbe, Senatu, populoq; Romano, iuxta Poetæ dictum,

Vix magni ſtet nominis vmbra.

Ab vrbe quippe ad Græcos, à Græcis ad Francos, à Francis ad Longobardos, à Longobardis rurſum ad Theutonicos Francos deriuatum, nõ ſolum antiquitate ſenuit, ſed etiam ipſa mobilitate ſui, veluti leuis glarea, hac illacq; aquis circumiecta, ſordes multiplices, ac defectus varios contraxit. Oſtenditur igitur in ipſo capite mundi, mundi miſeria, ipſiusq; occaſus toti corpori minatur interitum.

Sed quid mirum, ſi conuertibilis eſt humana potentia, cum labilis ſit etiam mortalium ſapientia? In Ægypto enim tantam fuiſſe ſapientiam legimus, vt ſecũdum Platonem, Græcorum philoſophos pueros vocarent, & immaturos. Moyſes quoque legiſlator, cum quo Deus tãquam vicinus cum vicino loquebatur, quemq; diuina ſapientia repleuit, erudiri omni ſapientia Ægypti non erubuit. Nonne magnus ille patriarcha, pater gentium à Domino conſtitutus, Abraham, Chaldæorum diſciplinis inſtitutus, ſcientia præditus, ad vocationem Dei mores deſeruit, prudentiam non dimiſit? & tamen illa magna Babylon non ſolum ſapientia præclara, ſed & glorioſa in regnis, inclyta in ſuperbia, iuxta Eſaiæ vaticinium, ſine ſpe reparationis, Syrenarum facta eſt delubrum, domus draconum & ſtruthionum, latibulum ſerpentium. Ægyptus quoque magna ex parte inhabitabilis narratur, & inuia. Hinc tranſlatam eſſe ſcientiam ad Græcos, deinde ad Romanos, poſtremo ad Gallos & Hiſpanos, diligens inquiſitor rerum inueniet. Et notandum, quòd omnis humana potentia ſeu ſcientia ab Oriente incœpit, & in Occidente terminatur, vt per hoc rerum volubilitas ac defectus oſtendatur. quod in ſequentibus, Deo annuente, plenius oſtendemus.

Quia ergo propter has & huiuſmodi varietates mundus probatur contemnendus, neceſſarium ratus ſum ad petitionem tuam, frater chariſſime Singrime, hiſtoriã texere, per quam largiente Deo, ærumnas ciuium Babyloniæ, gloriam etiam regni Chriſti poſt hanc vitam ſperandam, in hac expectandam ac præguſtandam Hieruſalem ciuibus oſtenderem. Propoſui verò priorius conflictationes & miſerias, quantum Deus dederit, vſque ad tempus noſtrum deducere. De ſpe quoque ſequentis, quantum ex ſcripturis colligere potuero, non tacere, ſed & ciuium eius

in hac peregrinantium memoriam facere. Sequor autem in hoc Opere, præclara, potißimum Auguſtinum & Oroſium, eccleſiæ lumina: eorumq; de fontibus ea quæ ad rem propoſitum ve pertinent, haurire cogitaui. Quorum alter de glorioſæ ciuitatis Dei exortu, ſiue progreſſu, debitisq; finibus, quomodo inter mundi ciues ſemper profecerit, quiq; eius ciues, vel principes, quibus principum, ſeu ciuium ſeculi temporibus extiterint, acutißimè, diſertißimeq; diſputauit. Alter vero contra eos, qui Chriſtianis temporibus priora præferentes inaniter garriebant, de rerum humanarum variis ac miſerrimis euentibus, bellis, bellorumq; diſcriminibus, regnorum mutationibus, vtiliſſimam ab orbe condito vſque ad tempus ſuum texuit hiſtoriam. Quorum veſtigia ſequendo, ſic de vtraque dicere propoſuimus, vt tenorem hiſtoriæ non omittamus, quatenus & religioſus auditor, quid in mundanis rebus ob innumeras mutationum miſerias, abhorrendum ſit, animaduertat, ac ſtudioſus, ſeu curioſus indagator, non confuſam rerum præteritarum ſeriē inueniat. Nec iuſtè me reprehēdendum arbitror, ſi poſt tantos, tantaq; ſapiētiæ ac eloquentiæ viros, imperitus ſcribere præſumpſerim: dum & ea quæ ipſi copioſè, profuſeq; dixerunt, compendio ſtringere, & ea quæ poſt ipſorum tempora eccleſiæ Dei profutura, ſeu contraria, à ciuibus mundi huius acta ſunt, quamuis inculto ſtylo executus fuerim, nec illo me Satyrici verſu poetæ quo ait,

Scribimus indocti, doctiq; poëmata paſſim,

feriendum crediderim: dum non temeritatis, vel leuitatis, ſed charitatis, quæ ſemper imperitiam excuſare nouit, gratia, tam arduum Opus, quamuis indoctus, aggredi auſus ſum. Neque dignè me quiſquam in his, quæ iuxta temporis huius conſuetudinem, incredibilia fortè videbuntur, arguere mendacij poterit: cum nil vſque ad recentem memoriam, præter illa quæ in probatorum virorum ſcriptis reperi, pauca de multis poſuerim. Non enim propter hoc eos, ſi quidam ex ipſis apoſtolicam in ſcribendo ſeruauēre ſimplicitatem, contēnendos iudicauerim: dum ſicut nonnunquam error ſomes arguta ſit ſubtilitas, ſic ſemper veritatis amica ſancta ſit ruſticitas. De huius igitur ærumnoſa mutabilitate, de illius felici ſtabilitate locuturus, Deū qui huius turbulentam confuſionem patienter tolerat, illius iucundam tranquillitatem viſione ſui auget & glorificat, inuocemus, quatenus eius auxilio ea quæ ſibi placent, dicere poſſimus.

OTTO-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 136;Leibn. Marg. 136, Stück 1, [26] - 8

OTTONIS EPISCOPI FRISINGENSIS,

RERVM AB ORIGINE MVNDI, AD IPSIVS *vsque tempora gestarum, Liber primus.*

CAPVT I.

Diuisio orbis.

GESTARVM rerum ab Adam protoplasto, vsque ad tẽpus nostrũ, seriem executurus, primò ipsum quem habitat genus humanum orbem, sicut a maioribus accepimus, breuiter distinguamus. Tres mũdi partes esse scriptores asserunt, Asiam, Africã, Europam. Quarum primam duabus posterioribus magnitudine coæquant, quamuis quidam duas tantùm partes constituerint, Asiam videlicet, & Europam, ita vt Africam propter sui paruitatem adiunxerint Europæ. Qui Africam tertiam mundi partem dixerunt, non rationes dimensionum, sed refluxiones marium secuti sunt. Quarum prouincias, situs, regiones qui velit cognoscere, legat Orosium.

CAPVT II.

Qualiter Adam de paradiso eiectus, vtroque ciues genuerit, & quo tempore iuxta Iosephum, à paternis legibus declinare homines, & gigantes generari cæperint.

AD Orientem igitur, quantum ex scriptis Geneseos coniici potest, in terra Eden creata paradisus creditur. Vbi dum primus homo positus, verbo Dei factus inobediens, in hanc peregrinationẽ iusto Dei iudicio deiectus est, cœpit maledictionis terram excolere primùm in Asia. Generauit autem filios vtriusque ciuitatis, de quibus agere proposuimus, primos ciues: quorum prior inuidia & bonis operibus alterius incitatus, fratrem interfecit, primusq; in hac valle lachrymarum ciuitatem construxit. Occiso Abel, alius Adę filius, Seth scilicet, qui resurrectio interpretatur, nascitur: à quo postmodũ populus Dei propagatur. Ab hoc sextus magnus ciuitatis Dei ciuis Enoch fuit, qui in tantum Deo placuit, vt ab ipso translatus, ad vltima ecclesiæ tempora, in loco cũctis mortalibus incognito, viuus reseruetur. Hominum verò genus crescere cœpit, & multiplicari, donec filij Dei ad filias hominum accedẽtes, genauere gigantes. Quod quidam minus gnauiter intelligentes, præsertim cum pro filiis Dei alia trãslatio habeat angelos, malignos spiritus assumptis corporibus, quos incubos vocant, mulieribus mixtos putant. Alij filios Dei ex Seth, filios hominũ ex Cain natos autumant: ac illos ex harum cõiunctione, sicut de Salomone habes, ad obliuionem Dei prouocatos, indeq; irã eius in omnes pariter exarsisse affirmant. Et de his quidem qui ex Seth generati, vsq; ad septimam generationem iustè vixerũt, Iosephus in primo Antiquitatũ libro sic ait: *Disciplinam rerum cœlestium, & ornatum earũ primitùs inuenerunt. Et ne dilaberentur ab hominibus quæ ab eis inuenta fuerant, aut*

Locus Gen. cap. 6.

Lib. 1. cap. 2.

antequam venirẽt ad cognitionem, deperirent: cum prædixisset Adam exterminationem rerum omnium, vnã ignis virtute, alteram aquarum vi ac multitudine fore venturam: duas quidem columnas factẽtes, aliam ex lateribus, aliam verò ex lapidibus, ambabus quæ inuenerant conscripserunt: vt si constructa ex lateribus exterminaretur ab imbribus, lapidea permanens præberet hominibus scripta cognoscere: quæ tamen lapidea hactenus permanet in Syria. Et ista quidem VII generationibus permanserunt. De alijs verò sic: *Deinde animum iudicantes esse dominum, & ad virtutem semper respicientes, tempore procedente de paternis solennitatibus ad mala progressi sunt.* Et infrà: *Nam mali angeli mulieribus coeuntes, iniuriosos filios genuerunt: qui omne bonum despicientes propter confidentiam fortitudinis, similia his, qui dicti sunt à Græcis gigantes, perpetrasse traduntur.*

CAPVT III.

De diluuio iuxta Iosephum, & item de longitudine antiquorũ patrum, gentilium auctores, annorum numerus iuxta diuersas translationes, capitaq; familiarum ab Adam vsque ad Noe.

ITAQVE cum Deus crescente malicia, genus humanum delere cogitasset, Noe iusto viro, decimo ab Adam, cum vxore ac filiis, totidemq; vxoribus eorum, quæ sunt octo animæ, in arca saluatis, cæteros aquis diluuij perdidit. Huius diluuij & arcæ (quãuis quidam ex nostris ab Adam vsque ad Ninũ tempora à scriptoribus gentium prætermissa, vel ignorata fuisse putent, vt item Iosephus ait) memoriam faciũt omnes, qui historias barbaricas conscripserunt: quorum vnus Berosus taliter est effatus: *Dicitur autem & nauis eius, quæ in Armeniam venit, circa mõtem Chordicum, ad huc aliqua pars esse, & quosdam bitumen inde tollere, quo maximè homines ad expiationem vtuntur.* Meminit autem & horum Hieronymus Ægyptius, qui antiquitatem Phœniciæ noscitur descripsisse. Sed & Manaseas Damascenus in LXXXVI. Historiarum libro, ita de his dicit: *Est & super Miniadã excelsus mons in Armenia, qui Paris appellatur, in quo multos confugientes sermo est diluuii tempore liberatos, & quendã simul in arca deuectũ in montis Ocilæ summitatem, lignorumq; reliquias multo tẽpore conseruatas esse.* Item de patribus, qui tam longo ante diluuiũ vixerunt tempore, Iosephus in primo Antiquitatũ libro sic ait: *Nullus ad vitam modernam, & annorũ breuitatem, quibus nunc viuimus, vitam comparans antiquorum, putet falsa quæ de illis sunt dicta. Illi enim cùm essent religiosi, & ab ipso Deo facti, cum eis pabula opportuniora ad maius tẽpus existerent præparata, tantorũ annorum circulis ritè viuebant. Deinde propter virtutes, & gloriosas vtilitates, quas iugiter perscrutabãtur, id est Astrologiam & Geometriam, Deus eis amplius viuẽdi spacium concessit, quæ nec antè edisscere potuissent, nisi DC viuerent annis. per tot enim annorum curricula magnus annus impletur. Testes autẽ mei dicti sunt, omnes qui antiquitatem apud Græcos & barbaros conscribere maluerunt. Nam & Manethon, qui descriptionem fecit Ægyptiorum, & Berosus, qui Chaldaica deflorauit, & Mochus, & Estius: adhæc & Hieronymus Ægyptius, qui Phœnicã disposuerunt, cum dictis meis concordant. Hesiodus quoq;* & *Egatheus, & Hellanicus, & Acusilaus, & inter hos Ephorus & Nicolaus in historijs suis memoriam faciũt antiquorum annis mille viuentium.* Hæc Iosephus. Quod autem superiùs dictum est, quosdam ex nostris à scriptoribus gentium, tẽpora illa ignorata, vel stylo suppressa putasse, sic intelligi potest, quòd barbaros non dignati fuerint inter scriptores computare: vel quòd tunc primò scripta aliqua auctoritate digna arbitrarentur, cum per annorum digestionem in ordinem redacta fuerint. Fuerant autem ab Adam vsque ad diluuium iuxta septuaginta interpretes, M.M.CCLXII. iuxta Hieronymum, MDLXVI. capita familiarum decẽ, Adam, Seth, Enos, Cainan, Malalehel, Iareth, Enoch, Matusalem, Lamech, Noe.

Lib. x. cap. 3

a Elatheus.

CAPVT IIII.

Quomodo post diluuium genus humanum à filiis Noe multiplicari, quibus in terris primò dispergi cæperit. De turre quoq; Babel, & cõfusione linguarum. Auctoritas etiam de hoc Sibyllæ. Supputatio quoq; diuersa à Noe vsque ad confusionem linguarum.

TRANS-

TRANSACTO diluuio, Noe cùm vineam plantaret, vinum bibens inebriatur, & ex ebrietate nudatur. Quod vnus filiorum videns, derisit, alter operuit. Fuerunt itaque hi duo fratres, primi post diluuium ciues ciuitatum, de quibus agimus. Ab his & tertio, Sem scilicet, Cham & Iaphet, diffusis vbique filiis, nepotibusque illorum, vniuersum genus hominum propagatur. Vnde Iosephus: *Galathæ olim sunt dicti Gomoritæ, quos Gomer instituit. Magog, qui & Scythæ, Magogas à se institutos nominauit.* Medi à filio Iaphet Madeo. Ionij, Helladicique à filio Iaphet Iano. Thyras Thyrenses, quibus Græci Tracum nomen mutauerunt. Cethim autem Cethimam insulam habuit, quæ nunc Cyprus dicitur, & ab ea omnes insulæ, & maritima loca Cethim Hebraicè nuncupantur: vnde & quædam ciuitas Cypri, Cythis à Græcis nominatur. Omnibus verò erat lingua vna, & labium vnum. Superbia igitur instigante, turrim, seu ciuitatem in campo Sennaar, auctore Nemroth, qui de stirpe Cham descenderat, quæ cœlos attingeret, cogitauerunt construere. Quod Moyses noster in Genesi hoc modo prosequitur: *Filij Cham, Chus, & Chanaan. Chus genuit Nemroth. ipse cæpit potens esse in terra, & erat robustus venator coram domino. Fuit autem principium regni eius Babylon, & Arach, & Archat, & Chalanne in terra Sennaar.* Sed Dominus inspector cordium, iustusq; iudex, hanc in tenera mundi ætate emergentem contumaciam non ferens, animaduertere voluit, linguasq; eorum confudit: propter quod & turris ab hac confusione Babel nomen accepit. Hinc lxxij. linguæ per totum orbem dispersæ sunt. Hæc est illa Babylon, figurans eam, cuius sunt ciues omnes, qui ordinationi Dei superbè resistere conantur, ac per hoc confusione digni ab æterno iudice reputantur. Huius turris & confusionis (vt item in libro Antiquitatum ait Iosephus) meminit Sibylla, dicens: *Cùm omnes homines vnius vocis existerent, quidam turrim excelsam ædificauerunt, tanquam ascensuri per eam in cœlum. Dij verò immittentes ventos, euerterunt turrim, & vocem propriam vnicuique partiti sunt, & propterea vocari contigit Babylon ciuitatem.* De campo verò Sennaar in regione Babylonis meminit Estius, ita dicens: *Qui verò de sacerdotibus sunt erepti, Iouis sacra sumentes, in Sennaar Babylonis venerunt.* Fiunt autem secundum Septuaginta à diluuio vsque ad Nemroth, principatumq; Heber, vnde Hebræi, anni D.XXXI. secundum supputationem verò Hieronymi C. & vnus, quæ talis est: Sem genuit Arphaxat biennio post diluuium, Arphaxat verò xxxv. genuit Sale, Sale xxx. genuit Heber, Heber xxxiiij. genuit Phalech, cuius diebus per confusionem linguarum diuisa est terra. Septuaginta inter Sale & Arphaxat medium Chainan ponunt, eiq; CXXXV annos tribuunt. Prædictis etiam & pòst nominandis, longè plures quàm Hieronymus antequam generarent, annos supputant. Quare & in annorum ratione discrepant. Quos Lucas euangelista in genealogia sua secutus, *Qui fuit* (inquit) *Sale, qui fuit Chainan, qui fuit Arphaxat.*

Ant. lib. 1. cap. 6.

Cethim.

Gen. cap

Luc. 3.

CAPVT V.

Supputatio diuersa à confusione linguarum vsque ad Ninum & Abraham, & annalium inchoatio.

A Confusione verò linguarum vsque ad natiuitatem Abrahæ, iuxta priores fiunt D.XLI. iuxta supputationem verò posteriorum, anni CXLI. quæ talis est. Phalech XXX. anno genuit Reu, sub quo templa primum constructa, hominesq; pro diis adorati fuisse traduntur. Reu XXXIJ verò genuit Saruch, Saruch XXX genuit Nachor, Nachor XXXIIIJ genuit Thare, sub quo regna Assyriorum & Sicyoniorum, Assyriis Belo, Sicyoniis Ægialeo imperantibus, orta sunt. Thare LXX anno genuit Abraham. Fiunt ergo iuxta alios M.LXXII. anni à diluuio vsque ad Abraham. Quos Augustinus, cùm amplius quàm mille annos à diluuio vsque ad Ninum fuisse dicat, sequi videtur. Iuxta supputationem verò aliorum, minùs quàm CCC, in quibus annorum supputatio in duabus ætatibus satis cõturbatur. Hæc omnia iuxta nostros. Porrò annales gentilium ab imperio Nini incipiunt. Quos sequentes, simulq; nostros cum illis auctores conferentes, humanæ miseriæ historiam à Nino incipiamus: quam per annos ab ipso vsque ad vrbem conditam, ab vrbe verò condita vsq; ad Christum digestam, à Christo ad nos vsque, Deo adiuuante, per annos item perducamus.

CAPVT VI.

De hoc quòd Ninus primò arma extulerit, & quòd homines illo in tempore iuxta plurium auctoritates agreſtes fuerint, & quòd Ninus Niniue condiderit, & Zoroaſtrem occiderit.

Belus Nini filius. ITAQVE anno poſt diluuium, ſecũdum Septuaginta, M. XXXII, vel III, Belo mortuo, qui per LXXV annos regnum Aſſyriorum in pace tenuerat, Ninus filius eius primus (vt traditur) propagandæ dominationis libidine, genus hominum cruentare non metuens, bellorum inquietudines orbi induxit, totumq; penè Orientem imperio ſuo ſubegit: quod tantò liberiùs facere potuit, quòd homines adhuc rudes & agreſtes, nec armis tutati, nec bellis exercitati, nec rerũ bellicarũ ſcientia prædíti fuerãt. Quippe qui nullis adhuc legibus aut diſciplinis in vnũ coierãt, & (vt ait Euſeb.) ferino magis, ac beluino more oberrantes, non vrbes ad ſocietatẽ, non mores ad honeſtatẽ, non leges ad vitæ iuſtitiã tenuêre. Artiũ verò diſciplinarũq; apud eos, & philoſophiæ ne ipſum quidẽ nomen habebatur, ſed agreſtes & vagi per deſerta, nullis ſedibus, vagabãtur. Sed & *De inuent. lib. I.* Tullius in prologo Rhetoricę primæ: *Fuit quoddã tempus, cùm in agris homines beſtiarum more paſsim vagabantur, & ſibi victu ferino vitã propagabant, nec ratione animi quicquam, ſed pleraque viribus corporis adminiſtrabant. Nondum diuinæ religionis, non humani officij ratio colebatur. Nemo nuptias viderat legitimas, non certos quiſquam aſpexerat liberos, non ius æquabile quid vtilitatis haberet, acceperat. Ita propter errorem & inſcitiam cæca ac temeraria dominatrix animi cupiditas, ad ſe explendam viribus corporis abutebatur perniciosiſſimis ſatellitibus.* Sic Tullius. Erat etiam tunc regnum Sicyoniorum in Europa, quod quadrageſimoquinto anno Beli cœperat, ſed paruum: à quo doctiſſimus Marcus Varro ſcribens, velut ab antiquo tempore Romanorum hiſtoriam ordiri cœpit, eo quòd ad Athenienſes, & inde ad Romanos traductum, eorum quaſi fons & origo extiterit. Vnde eſt item illud Ciceronianum: *Imperium Græciæ fuit penes Athenienſes, Athenienſium potiti ſunt Spartiatæ, Spartiatas ſuperauerunt Thebani, Thebanos Macedones vicerunt, qui ad imperium Græciæ breui tempore adiunxerunt Aſiam bello ſubactam.* Sic ille. At his à Romanis imperium ereptum, nemo qui hiſtorias nouit, ambigere poteſt. Fuit & regnum Ægyptiorum, quod tũc cum aliis Aſiæ regnis Aſſyriis ſubiacebat. Totam enim Aſiam, excepta India, quam poſt mortem eius Semiramis haud contenta terminis, quos à viro ſolo bellatore ſuſceperat mulier, regno adiecit, Nino ſubditam legimus. De his ergo, quæ regni eius tanquam appendices fuere, neceſſe dicere non eſt. Ædificauit ergo Ninus ciuitatem maximam, quam ex nomine ſuo Ninam, ſeu Niniue vocauit: quæ adhuc in Meſopotamia poſita, mutato nomine lingua eorum *Niuiſſa* vocatur. Quod Moyſes noſter in libro Geneſeos latenter innuit. Cùm enim, vt ſuperius poſui, de Nemroth dixiſſet, quòd principium regni eius fuerit Babylon in terra Sennaar, adiunxit: *De terra illa egreſſus eſt Aſſur, & ædificauit Niniue.* Sed & Ioſephus, *Aſſur* (ait) *Ninum conſtituit ciuitatem*: quod tamen quidam ad Noe nepotem Aſſur interpretantur. Vnde apparet Babylonem fuiſſe ante Ninum, Semiramidemq; vxorem Nini, inſtauratricem eius potiùs dicendam, quàm conditricem. Ninus Zoroaſtrem magicæ artis repertorem interfecit. De quo Ariſtoteles ſcripſit, quòd vicies centum verſuum milia condiderit, cuius artem longè pòſt Democritus ampliauit.

Niniue.

Gen. 10.

CAPVT VII.

De natiuitate Abraham, & exitu eius de terra Chaldæorum, morteq; Nini.

ANNO ab imperio Nini XLII, vel XLIII, regnante apud Sicyonios Europe rege ſecundo, in Chaldęa natum aſſerunt eſſe Abram, qui multarum gentium futurus patriarcha à Domino vocatur; auctoq; nomine ab ipſo dictus eſt Abraham: præcipiturq; ei, vt non ſolùm affectu, ſed & loci mutatione ciues Babyloniæ fugiat, ac terram (quæ huius de qua agimus, ciuitatis typus eſſe dignoſcitur) magnus eius ciuis futurus, introeat. Refert Philo eum à Chaldæis, eò quòd ignẽ ritu ipſorum adorare nollet, in ignem proiectum, ſed mox ad inuocationem domini liberatum: iuxta illud, *Eduxit eum dominus*

minus de Vr Chaldæorum. Vr enim lingua eorum ignis vocatur. Sed & Ioſephus; *Meminit* (inquit) *patris noſtri Abraham Beroſus, non quidem nominans eum, ſed ita dicens: Poſt diluuium decima generatione, apud Chaldæos fuit quidam vir iuſtus & magnus, in cœleſtibus rebus expertus.* Nicolaus verò Damaſcenus in quarto Hiſtoriarum ſic ait: *Abraham is regnauit in Damaſco, veniens aduena cum exercitu de terra, quæ ſuper Babylonem dicitur Chaldæorum.* Porrò Ninus cruentam victoriam, tanquam lupus ſæuiens inter oues inermes exercens, quinquageſimo regni anno, in oppugnatione vrbis cuiuſdam ſagitta percuſſus interiit: in ipſoque veridicè impletum eſt: *Omnis qui acceperit gladium, gladio peribit.* *Ant. lib. 1. cap. 7.* *Matth. 26.*

CAPVT VIII.

De imperio Semiramidis, & inſtauratione Babylonicæ ciuitatis: traditio quoque Treuerorum, de exordio ciuitatis ſuæ: & de morte Semiramidis, ac exordio regni filii ſui Nini.

OCciso Nino, Semiramis vxor eius, mulier viro immanior, Orientis imperium rexit, Æthiopiamque & Indiam ferro domitas ſubiecit. De cuius non ſolùm crudelitate, ſed etiam execrabilis libidinis voluptate, quia multi multa dixerũt, ſupersedemus. Hæc poſt mortem mariti, xliij annis regnauit, ac medio imperij ſui tempore, vrbem potentiſſimam, nobiliſſimam, opulentiſſimamq;, ac totius Orientis caput, ex turre Babel, cocto latere ac bitumine inſtaurauit Babyloniam. Treuerenſes tradunt, quòd priuignum ſuum Trebetam poſt mortem Nini regno expulerit. Qui claſſe facta, ex Aſia in Europam profectus, id eſt per mare in Rhenum, ac inde per Moſellam in valle pulcherrima Galliæ conſedit, ibiq; florentiſſimam, opibusq; confertiſſimam, ac totius tunc caput Galliæ vrbem fundauit, quam Treuerim ex nomine ſuo appellauerit. Quæ quanta qualisq; fuerit, ex ipſa ruina ſui liquidò probari poterit. Monſtratur ibi palatium miri operis, quod inſtar Babylonici muri ex cocto latere factum, tantæ adhuc firmitatis manet, vt non ſolùm hoſtem non timeat, ſed etiam nulla operum arte frangi queat. Porta quoq; ibi oſtenditur, quæ ex incredibili lapidum magnitudine ferro iunctorum compacta, in ſuperficie ſui corpora beati Symeonis, ac venerabilis præſulis Popionis in eccleſia ab eodem põtifice facta fouere cernitur. Extant etiam ibi antiquæ nobilitatis (vt ipſi aiunt) monimentorum inſignia, è quibus noſtris ibi temporibus repertum, & in lapide ſculptum infrà poſuimus epitaphium: *Treueris.*

Nini Semiramis, quæ tanto coniuge felix
Plurima poſſedit, ſed plura prioribus addit,
Non contenta ſuis, nec totis finibus orbis,
Expulit à patrio priuignum Trebeta regno,
Inſignem profugus noſtram qui condidit vrbem.
Treueris, &c.

Semiramis dum filium ſuum Ninum, ſeu Niniam de illicito ac inceſtuoſo ſolicitare audet concubitu, ab eo (vt traditur) interficitur, eiq; ſucceſſit in regnum filius.

CAPVT IX.

De habitatione Abraham cum Loth conſobrino ſuo in terra Chanaan, & ſubuerſione Sodomorum.

ANno ab imperio Nini cxiij, anno verò ætatis ſuæ lxxv, regnante apud Aſſyrios Nino iiij, apud Sicyonios v Thelxione, cum Sara vxore ſua, Loth quoque conſobrino, de terra Chaldæorum egreſſus Abraham, habitare cœpit in terra Chanaan: Loth verò tanquam Hieruſalem ciuis, in Sodoma ciuitate peccatorum habitans, multis modis pro malis eorum operibus, tanquam granum inter paleas, tribulabatur. Volens ergo Dominus tam iuſtum à tentatione eripere, quàm fœtida iniquorum ſcelera, nouo & exquiſito vltionis genere punire, igne ac ſulphure quinque ciuitates (quod Græci πεντάπολιν vocant) deleuit: iuſtumq; ab angelo præmonitum miſericorditer in montem educens, liberauit, anno ab imperio Nini cxl. Iam tunc inter te-

nera mundi rudimenta monſtrabantur ciues Babyloniæ, mundiq; amatores, inter quos nunc premitur ac conculcatur eccleſia, in extremo iudicis examine cum auctore ſuo igne puniendos æterno, iuſtosq; ab eis ſeparatos, in cœleſtis regni habitaculum aſſumendos fore.

CAPVT X.

Quòd Abraam ſignum circumciſionis acceperit, & quorum principium tempore geminos ciues genuerit, rurſumq; quod Iſaac in typum futurorum duos genuerit.

ABRAAM verò gentiũ futurus patriarcha, primus circumciſionis ſignum, & ſpem repromiſſionis accepit, generauitq; duos filios, Iſmael & Iſaac: quorum vnus ſecundùm carnem, alter per repromiſſionem, iuxta Apoſtolum, natus eſt, imperante Aſſyriis Aſſyrio v, apud Sicyonios adhuc manente Thelxione, qui propter læta & mitia regni ſui tempora mortuus, à ſuis cultu Dei honoratur. Fuerunt autem præfati duo fratres poſt datam circumciſionem, vtriuſque ciuitatis, vnde agere cœpimus, primi ciues: poſteriorq; à priore perſecutionem in typum futurorum paſſus eſt. Et nota, quòd inter harum trium ætatum primordia, ab vno patre editos hos ciues inuenies, vt per hoc vna fide præditos, vno fonte genitos, vtroſque vno ſimul ſinu populos, longè retroactis ſeculis contentura fore monſtretur Eccleſia. Genuit autem & Iſaac geminos ex vno (vt Scriptura refert) concubitu, ſæpe dictarum ciues ciuitatum, Eſau & Iacob fratres. Hic eſt Iacob, qui dominum facie ad faciem vidit, & vocatus eſt Iſrael, à quo ſecundùm carnem carnalis, ſecundum ſpiritum ſpiritualis propagatus eſt Iſrael. Hi ſunt tres patriarchæ ſæpe nominatæ ciues & principes ciuitatis, quorum & meriti & fidei prærogatiua, dominus ſe appellari voluit Deum, dicens: *Ego ſum deus Abraam, deus Iſaac, & deus Iacob.*

Galat. 4.

Thelxion Sicyoniorũ inuinen.

Gen. 25.

Exod. 3.

CAPVT XI.

Quorum principum tempore Abraam mortuus fuerit, & ad filium, nepotemq; ſuum repromiſſio facta ſit. De legibus Græciæ datis ſub Phoroneo. De Pheio, & Io Inachi filia.

MORTVVS eſt Abraam annorum CLXXV, regnantibus apud Aſſyrios Xerxe, qui & Baleus, & apud Sicyonios Turicho, ſeu Turimacho, ſeptimis regibus: octauis quoque Armamithre apud Aſſyrios, apud Sicyonios Leucippo, apud Argiuos (quorum cum Abrahæ nepotibus ortum eſt regnum) Inacho primo regnantibus, ad Iſaac ſicut & ad patrem ſuum, facta eſt repromiſſio. Imperantibus autem Aſſyriis Belocho IX, Argiuis Phoroneo Inachi filio, apud Sicyonios adhuc permanente Leucippo, facta eſt eadem repromiſſio Iacob. Iiſdem diebus ſub Phoroneo legibus & iudiciis informata primùm fuiſſe Græcia dicitur. Phegius quoque frater eius mortuus, ab eis adoratus eſt vt deus. Io etiam Inachi filia, poſt Iſis dicta, & ab Ægyptiis pro dea maxima poſtmodum culta, iiſdem fuiſſe inuenitur temporibus. Hæc (vt alij dicunt) ex Æthiopia orta eſt, eiuſdem gentis regina, iuſtè lateq; imperauit, ac literas Ægyptias inuenit, vnde & cultum diuinum ab eis meruit.

Argiuorum regnum.

Iſis.

CAPVT XII.

De prælio inter Thelſciſces, Charathaſos, Phoroneum, Pharphaſios, & exordio habitationis Rhodi inſulæ.

CIRCA idem tempus peruicax fuiſſe prælium inter Thelſciſces & Charathaſios, aduerſus Phoroneum Argiuorum regem, & Pharphaſios ancipiti geſtum victoria fertur: tandemq; à Phoroneo victos ac profugos factos, in Rhodo inſula, quæ Ophiuſa tunc dicebatur, quam omnes humanæ habitationis exortem putabant, confediſſe Thelſciſces. Ex hinc eadem inſula, in qua Coloſſus ciuitas poſita eſt, ſatis opportuna carinis, inhabitari cœpit.

CAPVT

CAPVT XIII.

De diluuio Ogygij, & apparitione Mineruæ, & quorum principum tempore Isaac mortuus sit.

ANNO ab imperio Nini cclx, sæuum in Achaia Ogygij Eleusinæ conditoris ac regis fuit temporibus diluuium, quod & ab ipsius nomine Ogygij diluuium est appellatum. Minerua tunc ad lacum Tritonis in virginali ætate apparuisse dicitur, vnde Tritonia vocatur. Regnantibus Assyriorum x rege Baleo, Sicyoniorum ix Mesapo, Argiuorum iij. Api, mortuus est Isaac, CLXXX annorum, Iacob & Esau CXX annos habentibus.

CAPVT XIIII.

Quorum principum tempore fames in Ægypto sub Ioseph fuerit, auctoritatesq; gentilium de hoc Ioseph testimonium perhibentium.

ANNO ab imperio Nini CCXIJ, regnantibus (quos iam nominaui) Baleo Api, sub Ægyptiorum rege Diopolita, cui nomen Amasis erat, fuisse in Ægypto maximam primò vbertatem, pòst intolerabilem famem, cui Ioseph vnus de xij Iacob filiis, à fratribus venditus, sed ex Dei dispensatione toti Ægypto præpositus diuina prouisione subuenerit. Pompeius quoque, ac Iustinus eius breuiator sic refert: *Minimus ætate inter fratres Ioseph fuit, cuius excellens ingenium fratres veriti, interceptum peregrinis mercatoribus vendiderunt. A quibus deportatus in Ægyptum, cùm magicas ibi artes solerti ingenio percepisset, in breui ipsi regi percharus fuit. Namque & prodigiorum sagacissimus erat, & somniorum primus intelligentiam condidit, nihilq; diuini iuris humanique ei incognitum videbatur, adèo vt etiam agrorum sterilitatem futuram ante multos annos prospiciens, fruges congregasset: tantaq; eius experimenta fuerunt, vt non ab homine, sed à Deo responsa viderentur.* Sic Iustinus. Qualiter verò populus dei in Ægyptum descenderit, ibiq; peregrinatus fuerit, Moyses noster, quem & ipsi scientem, sapientemq; (vt postea monstrabitur) testantur, scriptum reliquit. *Iustin. lib. 36*

CAPVT XV.

De idolo Serapis vnde exordium sumpserit.

EA tempestate magnum idolum Ægyptiorum Serapis, quod Christianis temporibus sub Theodosio imperatore Ecclesiastica destructum narrat historia, Argiuorum regi Api illò nauibus transuecto, ac ibidem mortuo, ab Ægyptiis est factum. Cur autem post mortem eius non Apis, sed Serapis dictum sit, Varro huiusmodi causam reddit: Quia enim arca, in qua mortuus ponitur, quod omnes sarcophagum vocant, σῶρος dicitur Græcè, & ibi venerari eum sepultum cœperunt, priusquam templum eius esset constructum, velut *soros* & *Apis*, Sorapis primò, deinde vna litera (vt fieri assolet) commutata, Serapis dictum est. Ferunt tamen quidam, Ioseph nostro, eò quòd Ægyptios à fame liberauerit, hoc factum fuisse simulachrum. *Serapis.*

CAPVT XVI.

De Argo, vnde Argiui. Quibus diebus Iacob mortuus sit. De seminibus primò allatis in Græciam. De morte Ioseph, & natiuitate Moysi: & quorum principum tempore hoc factum fuerit. De Prometheo, & Atlante, Atlantisq; nepote Mercurio.

MORTVO Api, filius eius Argus, ex quo Argiui appellati sunt, patri successit in regnum. Huius diebus regnante apud Sicyonios Erato, apud Assyrios manente adhuc Baleo, mortuus est Iacob annorum CXLVII. Tunc etiam delatis aliunde seminibus, primò cœpit habere segetes Græcia. Et nota, quòd Græcia, quæ cæteras præcellit gentes sapientia, aliunde segetes: in se, & à se (vt ex priori patet historia) acce-

pit leges. Prius informatur iudiciis & legibus, quàm redundet panibus. Imperante Assyriis XII Aminto, Sicyoniis XI Clemineo, apud Argiuos manente adhuc Argo, Ioseph C & X annos habens, in Ægypto moritur. Post cuius mortem populus Dei in Ægypto cœpit crescere ac multiplicari, mortuisq; eis qui nouerant Ioseph, ab Ægyptiis grauiter affligi. Itaque Moyses eiusdem populi futurus liberator, natus est, regnante apud Assyrios XIIII Sapro, apud Sicyonios Orthopoli. Iisdem temporibus

Prometheus. Atlas. Prometheum, qui ob nimiam sapientiam de luto homines fecisse fingitur, Atlantem etiam fratrem eius, qui ob scientiam astronomię cœlum portare dicitur, fuisse ferunt.

Hermes Termaximus. Huius Atlantis ex Maia filia, nepos Mercurius (qui & Hermes Ægyptius, seu Trismegistus) magnus philosophus fuit, qui miræ profunditatis philosophicos libros edidit.

CAPVT XVII.

De diluuio Deucalionis, & æstu Æthiopiæ. De Baccho, qui & Liber pater, & ortu Athenarum.

ANNO ab imperio Nini CCCCXC, regnante apud Athenas à Cecrope XXX Amphitrione, vel iuxta alios sub ipso Cecrope, memorabile illud sub Deucalione diluuium fuit. Qui idcirco, quòd venientes ad se circa montem Parnasum ratibus eductos fouit & aluit, genus hominum reparasse in fabulis legitur. Ea quoque tempestate, diris morbis, pestilentiaq; mortifera æstuasse Plato refert Æthiopiam. Iisdem diebus gentem simplicem, ac nulli vnquam obnoxiam, suisq; terminis contentam, Liber pater sanguine madefecit, libidinibus polluit Indiam. Sed quia Athenarum fecimus mentionem, qualiter, & à quo condita, vel cur hoc nomen sortita fuerit, dicamus. Cùm ergo à Cecrope conderetur, vel instauraretur, apparuisse ibi vno loco oliuæ arborem, aliò erupisse aquam, Varro refert. Motus his rex prodigiis, ad Delphicum Apollinem sciscitandi gratia cum misisset, ille respondisse dicitur: oliuam Mineruam, aquam Neptunum significare, in potestateq; ciuium esse, ex cuius potissimùm nomine ciuitatem vellent vocare. Rex conuocatis vtriusque sexus populis, statutisq; ex vna parte maribus, ex alia fœminis, cùm vna persona masculos excederent fœminæ, Mineruæ dicandam hoc nomine ciuitatem iudicauerunt. Ita ciuitas vocata

Athena. est fœminino genere pluraliter Athenæ, quod singulari numero Mineruam in Græco sonat. Ob ea, dum exæstuanti mari non multò pòst ipsorum terræ vastarentur, Neptuno quasi deo maris hoc ascribentes, per hæc, ne vlterius suffragia mulierum quærerent, eum placare statuerunt. Sicq; nobilissima illa liberalium artium, philosophorumq; maximorum nutrix futura, in prima conditione sui, Iudificatione dæmonum inchoatur.

CAPVT XVIII.

Quorum principum tempore Moyses filios Israel de Ægypto eduxerit: testimoniumq; de hoc Pompeij, Iustini, Cornelij, scriptorum gentium.

ANNO ab imperio Nini CCCCXCV, regnantibus apud Assyrios Ascalthide, apud Sicyonios Maratho, apud Argiuos Triopha, Moyses vir dei, decem antea plagis percussa Ægypto, de seruitute eius liberatum eduxit Israel. quod Iustinus, seu Pompeius, atque Cornelius, vterque, sed vario modo testantur. Ait ergo Pompeius, siue

Moses. *Iustinus Lib. 36.* Iustinus ita: *Filius Ioseph Moyses fuit, quem præter scientiæ paternæ hæreditatem, etiam formæ pulchritudo commendabat. Sed Ægyptij cùm scabiem atque vitiliginem paterentur, responso moniti, eum cum ægris, ne pestis ad plures serperet, terminis Ægypti pellunt. Dux igitur exulum factus, sacra Ægyptiorum furto abstulit; quæ armis repetentes Ægyptij, domum redire tempestatibus compulsi sunt.* At verò Cornelius de eadem re sic ait: *Plurimi auctores consentiunt, orta per Ægyptum tabe, quæ corpora fœdaret, regem Bochorim adito Hammonis oraculo, remedium petentem, purgare regnum, & id genus hominum vt inuisum dis, alias in terras auehere iussum. Sic conquisitum collectumq; vulgus, postquam vastis locis relictum sit, cæteris per lachrymas torpentibus Moysen vnum exulum monuisse, ne*

quam

quam deorum hominumq́, expectarent opem, sed sibimet duci cœlesti crederent, primò cuius auxilio præsentes miserias propulissent. Itaque ambo isti quamuis ab eo multa strenuè acta, malitiosè celauerint: magno tamen illi duci Moysi nostro testimonium præbuere inuiti. Hæc idcirco de historiis ponere volui gentium, vt ostenderem, ciues Babyloniæ ad damnationis suæ cumulum veritatis assertores scisse quidem, sed erroris mendacia non deseruisse. Eo tempore sole per deuia oberrante feruor intolerabilis terras exussit. Vnde ridiculosam Phaethontis fabulam vario errore delusa gentilitas texuit. *Phaethontis fabula.*

CAPVT XIX.

De Danao, Perseo, & diuersis abominationibus gentium: Vnde de Babylone fugiendum, & ad ciues nostros transeundum sit.

ANNO ab imperio Nini DXXXV, quinquaginta parricidia inter Ægypti Danaiq́; fratrum liberos vna nocte commissa feruntur. Danaus autem tanti sceleris auctor, ad Argos cedens, & à Stenelao rege ipsorum humanè susceptus, postmodum eum infideliter regno expulit, & ipse pro eo regnauit. A quo Danaùm genus tractum puto, ab eoq́; perfidiæ scelus ad illos deriuatum esse. Vnde & illud Vergilianum: *Argiui Danaas vocitati.*

Accipe nunc Danaûm insidias, & crimine ab vno Disce omnes. Qui rursum:
Timeo Danaos, & dona ferentes.

Iisdem diebus Perseus à Græcia in Asiam nauibus transuectus, barbaras gentes domuit, easq́; de nomine suo Persas vocauit. Pudet hîc execrabiles flagitiorum recessus pandere. Tunc enim Busyris hospites suos diis suis immolantis viguit immanitas. Prognes & Philomelæ parricidium, appositumq́; marito ab vxore filium, quis non gemens audire poterit? Omitto Tantali, Pelopisq́; facta turpissima, Ganymedemq́; Trois regis filium, à Tantalo Phrygiorum rege flagitiosissimè sub nomine dei sui Iouis raptum, maximumq́; bellum inde excitatum. Quid de flagitiis Lemniadum, de OEdipo interfectore patris, matre, marito filiorum fratre, vitrico suo, de Medeę quoque veneficiis, ac crudeli amore dixerimus? Nónne tanta, tamq́; inaudita huius temporis scelera fuere, vt etiam fugisse astra ab ipsis ciuibus mundi dicantur? Quid igitur hîc aliud, quàm fugiendum esse de medio Babylonis, eiusq́; sceleratissimorum ciuium consortio, atq; ad ciues nostros transeundum asseruerim? *Persa.*

CAPVT XX.

Quot annos Moyses ductor populi Dei fuerit, & quot annorum mortuus, Iesu in formam secundi ducatum populi reliquit, & quòd non sine causa nouis & inauditis tunc mundus sceleribus inferbuit.

MOYSES ex Ægypto populo Dei educto, legem in monte Synai dedit, per quadragintaq́; annos rector eorum in deserto existens, annorum CXX, moritur, Iesuq́; filio Naue ducatum populi reliquit. Hic primus officio, nomineq́; formam gerens saluatoris, in terram promissionis, quæ huius, vnde agimus, typus est ciuitatis, populum dei inducere meruit. Non fortuitis casibus, sed Dei prouidentiæ, diuidentis inter lucem & tenebras, ascribendum reor, quòd circa tempus egressionis filiorum Israel ex Ægypto, vel iuxta alios, mansionis in terra promissionis, nouis & inauditis, vt modò retulimus, mundus inferbuit sceleribus. Vt enim rege cœli Christo nato, rex terræ turbatus legitur Herodes: sic non immeritò domino in Ægyptum descendente, populumq́; suum inde educente, diabolus turbatus, ad ausus nepharios, factaq́; sceleratissima, permissam sibi ciuitatem incitauit. Vnde & adhuc domino de Ægypto mundi huius seruos suos ad regnum suum vocante, mundum frequenter concuti ac turbari videmus. Eadem ratio est, si circa introitum populi Dei in terram promissionis, & eiectionem gentium ibi morantium, talia fuere. *Iesus.*

CAPVT XXI.

De bello Cretensium, & Athenienſium, & Minotauro: Vndeq́; fabula Centaurorum orta sit.

ANNO ab imperio Nini DCXL, fuisse bellum immane inter Cretenses & Athenienses, victoriamq; magis Cretensibus cessisse ferunt, victosq; ex Athenensibus Minotauro, aut fero homini, aut humanæ bestiæ expositos. Quam historiam non solùm ex hoc bello, sed etiam ex artificiosis factis Dædali, in fabulis notissimam, à pueriq; in scholis tritam, prosequi non oportet. Ea tempestate Lapithæ cum Thessalis decertantes, Thessalosq; discurrere in equis à longè videntes, equis mixtos putabant, & exhinc Centaurorum fabula traducta est.

Centauri.

CAPVT XXII.

De Vesore rege Ægypti, & Scythis, dominatuq; Scytharum in Asia.

ANNO ab imperio Nini DCCCXX, Vesores rex Ægypti Scythis bellum indixit. Cui Scythæ ridiculosè responderunt: frustra ditissimum regem contra pauperes bellum sumpsisse. Adiiciunt etiam, se non oportere ad ipsos venire, cùm ei vltrò occurrere parati sint. Dicta factis sequuntur. Pugna conserta est, fugienteq; Vesore, ac destituto exercitu, præda magna capta: Scythæ quoque Ægyptum populati essent, si Nili paludibus coerciti non fuissent. Inde reuertentes Asiam peruagantur, eamq; penè totam vectigalem fecerunt. Itaq; dum per XV annos ibi morarentur, mulieribus denunciantibus, prolem se à finitimis, ni redeant, recepturas, reuerti coguntur.

CAPVT XXIII.

De exordio Amazonum, & principatu earum: qualiter Ephesum, & in ea templum Dianæ condiderint: & cur Amazones dictæ sint.

Iustinus, Plinius & Scolopythus habet. Ita & Orosius.

MEDIO tempore duo regij iuuenes Plinius & Scolopetius Scythia pulsi, cum ingenti multitudine, in Ponti & Cappadociæ oris iuxta Thermodoontem amnem consedere. Vbi dum vicina quæque popularentur, insidiis finitimorum trucidantur. Horum vxores exilio simul ac viduitate permotæ, fœmineæq; fragilitatis oblitæ, maribus qui superfuerant occisis, arma sumpsere: petitisq; à vicinis connubiis

Amazones.

masculos necabant, fœminas seruabant. Ex his Amazonum genus traductum est. Quæ intantum (mirabile dictu) inualuere mulieres, vt penè toti Asiæ ac Europæ imperarent. Hæ dicuntur illo tempore Ephesum condidisse, ac Dianæ tanquam deæ belli, templum multis dehinc seculis famosum fabricasse. Porrò ex eo quòd dexteras, ne ictum sagittarum impedirent, adurebant mamillas, Amazones, quasi sine mamillis sunt dictæ.

Ephesus.

CAPVT XXIIII.

Quorum principum tempore Iesus mortuus sit, & de iudicibus qui post eum fuerunt. De Cadmo, & theologis. De regno Micenarum, ac regno Laurenti in Italia, & Carmenti nympha.

MORTVVS est autem Iesus in terra promissionis, regnantibus apud Assyrios XVIII Amintha, apud Athenienses IIII Erichthonio, apud Sicyonios XVI Corace, apud Argiuos X Danao. Exhinc cœperunt esse iudices in populo Dei vsque ad Saulem, quorum primo iudicante Othoniel, Cadmus Græcas literas inuenit. Per idem tempus fuere Theologi, qui de diis falsis canerent, Orpheus, Musæus, Linus. Regnum etiam finitum est Argiuorum, & translatum est ad Micenas, vnde fuit Agamemnon. Exortum quoque est in Italia regnum Laurentum, vbi pater Fauni, Picus Saturni filius, (qui & Sterces, eo quòd primus stercore agros fœcundari fecit, dicebatur) post patrem regnauit. Delbora fœmina prudente, ac prophetissa iudicante Israel,

Laurentum regnum.

Apollo.

Assyriis verò imperante XXIIII Lamphere, Apollo citharam condidit, ac artem medicinæ inuenit. Non multò pòst iudicante Iair in Israel, Carmentis nympha literas Latinas reperit.

CAPVT

CAPVT XXV.

De raptu Helenæ, & subuersione Troiæ, & initio gentis Romanorum, & Francorum & fundatione Patauij. De Sansone, & Hercule, & aureis seculis in Italia.

ANNO ab imperio Nini D CCCLXX, raptam fuisse Helenam, coniurationemq; factam aduersus Troiam ferunt. Hinc decennalis obsidio, famosumq; sequitur Troiæ excidium. Quod qui scire desiderat, legat Homerum, eiusq; imitatorem Vergilium. Hinc Romanorum gentem duxisse originem ab Ænea profugo, & (vt ipse adulatur) viro forti, vt verò ab alijs traditur, patriæ proditore, ac necromantico, vtpote qui etiam vxorem suam dijs suis immolauerit, scribit Vergilius. Ferunt etiam Francorum gentem ab eis traxisse principium. Dum enim Troianorum principes incertis vagabãtur sedibus, plurimi eorũ in Scythia consederunt, regemq; sibi creauerunt: ac primò dicti Sicambri, postmodum elapso tempore sub Valentiniano imperatore, cum ipsi proposito sibi libertatis præmio, vicinas imperio gentes subiecissent, à præfato principe Attica lingua Franci sunt vocati, à feritate, vel Franci à nobilitate. Lingua enim eorum Franco nobilis dicitur. Tradunt tamen quidam, à quodam Francone Troianorum principe, qui iuxta Rhenum consedit, Francos esse appellatos: monstrantq; in argumentum vrbem adhuc, quam ipsum construxisse, patrioq; nomine Troiam, fluuiumq; eius Xanthum vocasse asserũt, quæ postmodum à Sarracenis destructa, ac rursum à Christianis reædificata, Xanthis vsq; hodie vocatur. Quomodo verò in Gallias, quas modò inhabitant, venerint, suo loco ac tempore, deo adiuuante, dicemus. Hæc de origine Francorum gentis dicta hunc teneant locum. Diffusis longè lateq; per orbem Troianis, Antenor quoq; Patauij fundator extitit. Vnde Vergil. *Francorum ortus.* *Aeneid. 1.*

Antenor potuit medijs elapsus Achiuis,
Illyricos penetrare sinus, atq; intima tutus
Regna Liburnorum, & fontem superare Timaui. Et infrà:
Hic tamen ille vrbem Pataui sedesq; locauit. Et Lucanus:
Patauiq; truces.

Quarum quidam Galliæ vrbem Pictauim, nonnulli Baioariæ Patauiam, alij verò Venetiæ Paduam, Patauiũ putant, quod & verisimilius est, & sensui Vergilij accommodatius. Factum est autem hoc celeberrimum excidium, cum iam regnum Laurentum cessisset ad Latium, regnaretq; filius Fauni Latinus, iudicante Hebræos Iabdon, vel iuxta alios, viro fortissimo Samson, quem etiam ob incredibilem fortitudinem Herculem putabant. Vtrum autem ipsum verè putauerint Herculem, dicere non est meum. Fuisse autem contemporaneos, ex hoc quod circa subuersionem Troiæ extiterunt, innuitur. Hæc Romani regni principia, aureis seculis, id est sine luxu inerti, bellorùmque turbulentia sub Saturno inchoata Laurenti fuere. Verùm ab hinc ferrea successit ætas. *Patauium in Euganeis cõditum.*

CAPVT XXVI.

De ferreis seculis, inchoatis sub Ænea & Turno. De erroribus Vlyssis, & fabulosis gestis Diomedis, & item Vlyssis. Allegationes de his verisimiles secundum sanctorum scripta & exempla.

AENEAS enim in Italiam nauibus ex Phrygia transuectus, Latini regis filiam accepit, grauiq; inter ipsum & Turnum ob hoc bellorum orto discrimine, humano cruore aurea secula in ferrum commutari docuit. Quod Vergilius vtrum veraciter, vel adulationis fuco fallaciter, pulcherrimo versuum ordine prosequitur. Hæc de Troianorum profugis dicta sufficiant. Victores verò eius tanta sequuntur discrimina, vt non immeritò qui in tam miserrimo fortunæ rotatu, noxio magis succubuerint fato dubitetur. Vt enim de his qui in congressu diutino occubuerant, quos tamen Dares Phrygius ex Argiuis DCCCLXXXIII milia: ex Troianis DCLXVI milia fuisse memorat: taceamus, quanta fuere Vlyssis pericula, longorum circuituum tædia? Vnde est illud Poetæ: *Vlyss.*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 136;Leibn. Marg. 136, Stück 1, [37] - 19

Dic mihi Musa virum, captæ post tempora Troiæ
Qui mores hominum multorum vidit & vrbes.

Totum quippe penè orbem non tam peragrando, quàm oberrando pertransiens, vniuersis terræ mariſq; miſerijs participauit. Vnde id præcipuus Orator in libro de Officijs: *Quàm multa passus est Vlysses in illo errore diuturno, cum & mulieribus (si Circe & Calypso mulieres appellandæ sunt) inseruiret, & in omni sermone omnibus affabilem se esse vellet? domi verò etiam contumelias seruorum, ancillarumq; pertulit, vt ad id aliquando, quod cupiebat, perueniret. At Aiax (quo animo traditur) millies oppetere mortem, quàm illa perpeti ab alio maluisset.* Hic in Hiſpania Vlyſſibonam, quæ à noſtris nuper Sarracenis ablata eſt, & in Gallia Troiam, de qua ſuprà mentio facta eſt, primus condidiſſe dicitur. Quare & hoc quod de Francone traditur, fictitium videtur. De fabuloſis autem, & penè fidem excedentibus ærumnis eorum, quid dicam? Deniq; non ſolùm fabulæ concrepant, verumetiam plenæ ſunt hiſtoriæ, ſocios Diomedis in aues mutatos, quæ ipſo in Deum translato, circa templum eius in Inſula Diomedia, haud procul à monte Gargano ſitum volitent, aquaſq; miniſtrent. Quod iuxta Auguſtinum, in tantum Varro probare videtur, vt eaſdem aues referat ex Græcia venientes, tanquam ciues cognoſcere, alienos diris à ſe morſibus repellere. Quod vt probabilius idem Varro faciat, de famoſiſſima Circe, quæ ſocios Vlyſſis mutauit in beſtias, & de Arcadibus, qui tranſnatando ſtagnum, in lupos conuertebantur: qui ſi humana non veſcerentur carne, quòd poſt octo annos tranſmiſſo amne, rurſum reuerterentur ad humanam formam, commemorat. Exprimit etiam ex nomine quendam Demenutum de ſacrificio Arcadum guſtaſſe, & in lupum mutatum, decimo tandem anno in propriam figuram reuerſum fuiſſe. Vnde & dicit deum eorum Lycæum dictum, Græci enim lupum λύκον dicunt: Romanorum quoq; lupercos ab eis originem duxiſſe narrat. Quæ omnia vtrum deorum ſuorum amore fingant, an ita ludificatione dæmonum, ac quibuſdam abditis naturæ ſeminibus fieri poſſint, dicere non eſt præſentis operis. Auguſtinus tamen ſuis temporibus Præſtantium quendam nomine, de patre ſuo retuliſſe dicit, quòd venenum in caſeo ſumpſerit, vnde in lecto quaſi dormiens multis diebus iacuerit, euigilans autem caballum ſe factum, ac annonam ſe portaſſe retulerit. Narrat etiam idem pater, cum in Italia eſſet, ſe de quibuſdam mulieribus audiſſe, quæ in caſeo dare ſolerent viatoribus diabolica machinamenta, vnde in iumenta verti viderentur: qui dum peractis operibus ad ſe redirent, mentē ſe rationabilem habuiſſe teſtarentur. De Machario quoq; eremita ſcriptum inuenis, quòd puella ad eum, quam amici in equam à maleficis mutatam dixerunt, ducta fuit: quam ille intuens, puellam dixit ſe videre, non equam. Itaq; amicis equa viſa fuit, ſed homini dei puella apparuit. Vnde ad Deum fuſis precibus, tam puellam, quàm amicos eius à præſtigijs dæmonum liberauit. Ex his ergo ac ſimilibus apparet, dæmones quidem hominum naturam mutare non poſſe, ſed occupatis illis corporis partibus, per quas ratio operari ſolet, mentem hominis obfuſcare, cernentiumq; oculos, vt hæc putent, occultis machinamentis, ac abditis naturæ ſeminibus faſcinare. Vnde ad Galatas Paulus dicit: *O inſenſati Galatæ qui vos faſcinauit?* Dæmones quippe multa tam ex ſubtilitate naturę, quàm ex antiquitate temporis, & experientia rerum permiſſu dei ſcire ac poſſe dicuntur: vnde non ſolùm mundi ciues decipiant, ſed & ciuibus Chriſti, ſi ab ipſo non prohiberentur, noceant. Ex quo liquidò probari poteſt, quòd Balaam, qui vtiq; gentilis & ariolus fuit, tantam ex præſtigijs dæmonum efficaciam habuit, quòd etiam populo dei, ſi ab ipſo prohibitus non fuiſſet, maledicere potuiſſet. Non enim, vt quidam putant, propter hoc quod de ipſo dicitur, *Loquor domino*, dominum & Deum verum colebat: ſed cum dæmoni, quem ipſe dominum vocabat, ſe loqui putaret, dominus vt hoc quod ipſe malicioſe propoſuerat impediret, ſapienter ſe interpoſuit, vt non iuxta voluntatem ſuam populo ſuo nociua, ſed iuxta nutum domini profutura diceret. Cui ſenſui & hoc fidem facit, quod crebris eum ſacrificijs & hoſtijs à propoſito inclinare tentabat: quod de incommutabili diuinæ maieſtatis eſſentia credere vel præſumere abſurdum eſſet.

Offi. lib. 1.

Vlyſſibona. Troia.

Galat. 3.

CAPVT XXVII.

De morte Æneæ, & regno Syluij. De defectu regni Sicyoniorum, ſub Heli iudice: & qualiter

qualiter Romani & Græci morum & linguæ affinitatem habere cœperint, aliasq; gentes barbaros vocare consueuerint.

REGNANTE apud Assyrios* Autene, Sicyonijs imperante Pelasgo, Samsone iudicante Israel, Latino mortuo, tribus annis in Latio regnauit Æneas. Quo mortuo, quia non comparuit, ab eis factus est deus. Imperantibus Assyrijs XXIX Oneo, Athenien sibus Mensato IIII, Latino rege Ænea Syluio, Ænea non de Creusa, sed de Latini regis filia genito: iudice autem Hebræorum Heli, regnum Sicyoniorum, quod per DL annos, vel amplius durasse dicitur, defecit. Vnde est istud Castoris chronographi: *Exposuemus & Sicyoniorum reges ab Agialeo vsq; ad Zeusippum, qui omnes regnauerunt annis* DCCCCXLV, *& sacerdote s carnis vi, qui præfuerunt annis* XXXII: *post quos sacerdos constitutus est Cardidemus, qui impensas non sustinens, fugit: Exhinc Athenien sium respublica auctoritatem habere cœpit in Europa.* Æneas iste, eò quòd mater eius Ascanium timens in syluis latitando, eum dum adhuc puer esset absc ondit, à sylua vocatus est Syluius. Exhinc Græci & Latini, quasi in vno semine coalescentes, quandam & morum & linguæ affinitatem habere cœperunt, aliasq; gentes tanquam rationis acumine, & oris venustate minus vtentes, barbaros vocare consueuerunt. Quod enim tam ingenio quàm eloquio cæteris Græci præferantur gentibus, poeta ostendit, qui ait:

Graijs ingenium, Graijs dedit ore rotundo
Musa loqui. Et alibi:
Græcia facundum, sed malè forte genus.

Vnde & tres linguæ principales habentur, propter cultum dei, & antiquitatem: Hebraica: propter prudentiam & eloquij leporem; Græca: propter potentiam & item prudentiam; Latina.

* al. Tautane.

Finis regni Sicyonis.

Alias decc lxii.

CAPVT XXVIII.

De Samuele & Saule, Codroq; Athenien sium rege: nomina etiam iudicum à Moyse vsq; ad Samuel.

POST mortem Heli, Hebræorum iudex factus est Samuel, à quo dum regem peterent, acceperunt Saulem, regnante apud Assyrios Dercilo. Circa idem tempus Codrus rex Athenien sium Peloponen sibus hostibus, eo quòd responsum accepisset, se non prius ab Athenien sibus superandos, nisi regem eorum occidissent, mutato habitu se obiecit, ad propriamq; necem iurgijs prouocauit. Vnde Vergilius:

Et iurgia Codri. Et alibi:
Rumpantur vt ilia Codri.

Codrus.

Ed. 5.

Quem Athenienses ob hoc cultu diuino honorare decreuerunt: & exhinc magistratus, qui remp. administrarent, post reges habere cœperunt. Et hi traduntur in populo dei post patriarchas fuisse iudices, Moyses, Iesus, Othoniel, Aioth, Delbora, Gedeon, Abimelech, Thola, Iair, Iephte, Abessan, Ahialon, Iabdon, Sanson, Heli, Samuel.

Iudices Israelitici.

CAPVT XXIX.

De temporibus regum & prophetarum. De Dauid & Salomone, filioq; eius Roboam, qualiter sub eo ex peccatis patris sui Salomon regnum scissum fuerit, in breui desolandum. De virtute Heliæ & Helisæi.

EX hinc reges, & prophetarum tempora supputantur. Quorum primus reprobato Saul fuit Dauid, magnus ciuitatis Dei princeps: vtpote cui post patriarchas primò facta promissio est, quòd de eius semine Christus, huius (de qua agimus) ciuitatis auctor, foret nasciturus. Cuius filius Salomon, imperante Assyrijs Eupale, templum tam cultu dei, quàm operis structura nobilissimum, eo tempore quo in Italia Alba est c ondita, constr uxit. Qui etiam ne tam ob potentiam, quàm ob præclaram, qua omnes mortales præcellebat, sapientiam, illud semen, quod Dauid promissum, dispositum per angelos, omnes gentes possessurum erat, putaretur, à domino labi est per-

Dauid.

Salomon.

missus. Amator enim cum esset mulierum ardentissimus, quas vsque ad mille ac penè omnes alienigenas, habuisse perhibetur, ab eis vsque ad idololatriæ voraginem est tractus. Ex quo accidit, vt dum ipsi propter merita Dauid patris sui dominus parceret, de manu filij eius Roboam, imperante Assyrijs Tertiade, scinderet regnum, duasq; ei tantùm tribus, Iudam videlicet & Beniamin relinqueret. Hinc etiam illud nobilissimum regnum in seipsum diuisum, iuxta veritatis vocem desolari debuit in tantum, vt nullum ex regibus Israel, ex Iuda verò paucissimos ciues inuenias Hierusalem. Et vt auctoritatis verbis vtar, à Dauid vsque ad transmigrationem Babylonis, præter Ezechiam & Iosiam, omnes peccauerunt, nec tamen omnes alij reprobi fuerunt. Proinde vtriusq; regni peccatis exigentibus, primò Israel, pòstremò in captiuitatem ductus est & Iuda. Habuit tamen vtrunque regnum, qui peccantis populi, ac præuaricatorum regnum excessus reprehenderent, regni Christi ciues. Inter quos in regno Israel Helias & Helisæus floruere, qui eximijs vitæ meritis cœlum claudere, ac rursum aperire, mortuos suscitare, regibus imperare, ac innumera prodigiorum ac signorum miracula facere à domino meruere. Horum prior igneo curru in aera viuus transuectus, adhuc manere creditur superstes: alter verò mortuus, mortuum suscitasse inuenitur. Et ne quis paruam tunc temporis fuisse ciuitatem Dei arbitretur, audiat de Israel tantùm ad Heliam à domino dictum: *Reliqui mihi septem milia virorum*: qui in Scriptura frequenter numerus pro infinito poni solet. In Iuda verò Osee, Esaias, alijq; quàm plures, quos suo loco ponemus, non solùm prædicauerunt, sed etiam ciuitati Dei plurimùm profutura monimenta librorum reliquerunt. Sed iam ad ciues mundi reuertamur.

Helias. Helisæus.

3. Reg. 19.

CAPVT XXX.

De regibus Albanorum vsque ad Romulum, & Auentino monte.

ALBA à Syluio Ænea condita, reges Latinorum ibidem regni sedem locauerunt. Successit verò Syluio Latinus, & illi Alba, cui rursum Ægyptus, ac deinde Capis, post quem Tyberinus, à quo Tyberis, quæ prius Albula dicebatur, nomen accepit. Post Tyberinum filius eius regnauit Agrippa, deinde Aremulus, sicq; consequenter Auentinus. Qui omnes à primo Ænea Syluio, Syluij, sicut postmodum Cæsares à Cæsare sunt dicti. Auentinus autem mortuus, & in monte ex nomine suo Auentino vocato sepultus, ab eis colebatur vt Deus. Dicunt alij, ab aduentu auium hunc montem Auentinum vocari. Roma enim constructa à duobus fratribus, scilicet Romulo & Remo, historia Romana testante, de impositione vocabuli ciuitatis inter eosdem fratres lis oriebatur: & quia neuter eorum alteri cedere voluit, vt lis illa per sortem, vel per augurium terminaretur, vtriq; complacuit. Romulus ergo, quia senior, prior est egressus, & in Auentino monte septem vultures conspexit: Remus autem post eum egrediens, duodecim in eodem monte vidit. Et quia ex hinc apud posteros inoleuit vsus quærendi augurium in eodem monte, Auentinus dictus est ab aduentu auium. Vel Auentinus dicitur quasi euentinus, ab euentu futurorum, qui similiter inibi in volatu auium quærebatur. Inter hunc & Romulum duo tantùm reges fuisse dicũtur, Procas & Amulius. Cum igitur regnum Romanorum (vt ita dixerim) parturiretur, regnum illud nobilissimum ac potentissimum Babyloniorum, longo diuturnitatis senio marcescere cœpit.

Auentinus mons.

CAPVT XXXI.

De translatione regni Babylonici ad Medos.

ANNO itaq; ab imperio Nini M. CCXXXVI, à regno verò patris sui Beli M. CCCV, à conditione vel instauratione Babylonis, sub Semiramide M. CXLIIII, nouissimus ac corruptissimus apud Assyrios XXXVI regnauit Sardanapalus, qui inter scortorum greges colum habitu muliebri tractans, ab Arbato Medo præfecto suo inuenitur. Dumq; Medorum regnum aduersus eum concitatur, ipse ardenti piræ se iniecit: & sic fortissimum illud & florentissimum ad Medos deriuatur imperium.

Sardanapalus.

CAPVT

CAPVT XXXII.

Exclamatio contra Babylonem.

EXAGGERARE hoc loco mutabilium rerum miserias non est necesse. Ecce enim potentissimum illud regnum, quamuis nondum penitus destructum, mutatione tamen sui omnimodis sibi minatur interitum. Quid ergo dicemus, qui rebus transitorijs inhærere cogitamus, dum eas mutari, mutatas labi, postremò omnino deleri videmus? Quod quidem in Babylonia, Deo adiuuante, ostendemus impletum, & in vniuerso mundo proculdubio ex multis Scripturæ locis, euidentissimisq; indicijs expectamus implendum. Manſit autem ex hoc regnum Babyloniorum (propter antiquam vrbis dignitatem) solo nomine ibi, re apud Chaldæos, auctoritate penes Medos. Habuerunt enim reges ex hinc Chaldæorum viribus fortes, sed non tam claros, vt in catalogo ponantur priorum. Vnde probatur Nabuchodonosor, alioſq; à Sardanapalo vsque ad Cyrum reges, de catalogo regum non fuisse illustrium. Ex quo considerari potest, quantæ auctoritatis & potentiæ sub prioribus regnum illud constiterit, cum tanti etiam istorum tempore nominis & dignitatis fuerit. Porrò Medorum reges, ad quos Babylonici regni auctoritatem deriuatam diximus, ex hinc supputari incipiunt. Post tantam ergo huius maximi regni, minorumq; regnorum factam mutationem, & diminutionem, aliasq; alternantium temporum calamitates, primo volumini terminum demus, vt ad eas quæ Medorum, Persarum, Græcorum, & maximè Romanorum regnis factæ sunt vicissitudines, veniamus.

CAPVT XXXIII.

Nomina regum Assyriorum à Belo vsq; ad Sardanapalum.

Et hi sunt reges Assyriorum.

Belus.
Ninus.
Semiramis.
Zameis, qui & Ninias, filius Nini & Semiramidis.
Arius.
Aralius, secundùm Eusebium Analius.
Xerxes, qui & Baleus, secundùm Eusebium Balaneus.
Armamitres, vel Armatrites.
Belochus.
Baleus, vel Baleius.
Altadas.
Mamitus.
Manchaleus.
Spherus, secundùm Euseb. Iphereus.
Mammilus, secundùm Euseb. Mamytas.
Sparetus.
Achatades, secundùm Euseb. Ascades.
Amyntas, vel Amyntes.
Bellochus.
Bellepares.
Lamprides.
Sophares, secundùm Euseb. Sosares.
Lampares, vel Lamprides.
Pamiras, secundùm Euseb. Pannias.
Sosar, vel Sophar, secundùm Euseb. Sosarmus.
Mitheus, vel Mitreus.
Tautanes.
Theuteus, vel Tauteus.
Thineus, vel Oneus.
Derciles, vel Dercilus.
Eupales.
Laosthenes.
Pyritiades, vel Triciades.
Offraticus, vel secundùm Euseb. Orpha(teus.
Ophratanes.
Vacrazenes, secundùm Euseb. Acracapes.
Thonosconcolerus, qui & Sardanapalus.

LIBRI PRIMI FINIS.

OTTONIS FRISINGENSIS EPISCOPI CHRONICORVM LIBER SECVNDVS.

PROLOGVS.

SVPERIORE *libro promisisse me recolo de rerum mutatione ac miseriis scripturum. Quam quidem historiam vsque ad defectum primæ sequentisq; initium, quam Romam dico, Babyloniæ, Deo opitulante, vtcunque compleui. Has enim germanas esse ciuitates, non solùm ex historiographorum dictis, qui huius illi regnum quasi patri filium, mediis ac breuibus Medorum, seu Persarum, ac Macedonum regnis, tanquam paruuli filij tutoribus, non iure hæreditatis, sed successione temporis interuenientibus, successisse tradiderunt: sed & ex principis apostolorum epistola, qui à Roma scribens, eam Babyloniam vocat,* Salutat vos (*inquiens*) ecclesia, quæ est in Babylone, *conici potest. Denique dum præteritorum temporum calamitatum reminiscimur, instantis quodammodo pressuræ quoquo modo obliuiscimur. Modo nempe vbique terrarum, & præcipuè in prouincia nostra, quam nuper Welfo vir nobilis hostiliter inuasit, agros vastauit, bona ecclesiarum dei diripuit, clamor auditur, &, quod maius est, periculum vitæ, discrimen animarum timetur. Inter ipsum quippe & Henricum Noricum ducem, ambos lectos, ac feruentis animositatis iuuenes, cum de ducatu sit controuersia, quid aliud quàm profligatio pauperum, deuastatio ecclesiarum, iuxta illud,*

Quicquid delirant reges plectuntur Achiui,

ab vtrisque expectari potest? Iudicio ergo dei, ac orationibus ecclesiæ id relinquentes, nos cæptum Opus Deo adiuuante prosequamur. Nemo autem à nobis sententias, aut moralitates expectet. Historiam enim, in qua ciuium Babyloniæ vicissitudines ac labores, ciuiumq; Christi, inter eos progressus & profectus texantur, non disputantis more, sed differentis ordine prosequi intendimus. Nam à maioribus nostris impugnantibus hanc quæ in nobis est fidem, satis responsum esse arbitror.

Roma Babylon.

1. Pet. 5.

OTTONIS CHRONICORVM LIBER SECVNDVS.

CAPVT I.

De regibus Medorum, qui quorum regum Iudæ & Israel tempore fuerint. De Chaldæis, & Cyro. Nomina regum Medorum.

CONCESSO ad Medos Assyriorum regno, Arbatus, qui huius translationis auctor fuerat, imperium arripuit, ac per xxviij annos tenuit, regnante in Iudæa Ozia, in Israel Sella, vel Manahe. Arbato successit Sosarmus, regnante in Iudæa Achas, in Israel Phacea. Huius regni anno xv. prima olympias, quæ quinto ex hinc anno, quatuor in medio expletis, apud Helidem Græciæ vrbem agone & ludis exerceri solebat, cœpta est nominari. Sosarmus reliquit Madidum, regnante in Iudæa Achas, vel Ezechia, in Israel Oſee, vel Phacea ij. Post quem fuit Cardices, regnante in Iudæa Ezechia, in captiuitatem q; ducto Israel. Post hunc surrexit Diocles, regnante in Iudæa Manasse. Post hunc Phraortes xxij annis imperauit, regnum q; multis ac crebris bellis cruentauit, regnante in Iudæa piissimo rege Iosia. Post Diocles, qui cum esset armis expertissimus, regnum plurimùm dilatauit. Cui successit Astyages, qui inhumanus ac crudelis, Harpalo cuidam vnicum filium ac paruulum occidit, patriq; epulandum apposuit, sceleſtasq; epulas ostensis cum capite manibus, patri improperauit. Huius nepos Cyrus Persa, mox vt adoleuit, auo bellum mouit. Astyages ergo sceleris sui immemor, Harpalum exercitui præposuit. Qui ipsum dum Cyro traderet exercitum, Astyages rursum in Medos

Olympiades.

Medos cessit, exercitumq; congregauit. Quibus denuo congressis, dum Persæ fugerent, vxoribus seu matribus impudicè insultantibus, reuertuntur, victoriaq;, capto Astyage, potiuntur. Cyrus itaq; captum auum Hircanis præfecit, regnumq; Medorum finiuit, quod per CCLVIII annos mansisse inuenitur. Hæc iuxta Orosium. Hic est Cyrus, à quo postmodum destructa est Babylonia, cuius auunculus fuit Darius rex Medorum, qui in Daniele Balthasar percussisse legitur: vnde iuxta alios, regnum Medorum non bello obtinuit, sed iure hæreditatis post mortem aui sui Astyagis, eiusq; filij Darij suscepit, sicut in Daniele habes: *Rex Astyages appositus est ad patres suos, & regnauit Cyrus Persesq; eo.* Sed occurrit, quòd Darius iste qui Balthasar percussit, rursum in Daniele non Astyagis, sed Assueri filius vocatur. Potuit verò esse quòd binomius fuerit. Vnde Iosephus x libro Antiquitatum; *Darius*, ait, *Astyagis filius, qui Babyloniorum principatum destruxit cum Cyro cognato suo, qui tamen alio nomine vocabatur à Græcis.* Medio tempore Chaldæi, vnde Nabuchodonosor, suiq; successores erant, irruperunt Babylonem, ac multis malis ciuitatem Dei afflixerunt. Qui tamen Medis auctoritatem habentibus, de numero, vt supra dictum est, regum non fuere priorum. Fuerunt autem reges Medorum hi, Arbatus, Sosarmus, Madidus, Cardices, Diodes, Phraortes, Diocles, Astyages, Darius, Cyrus. Exhinc reges Persarum supputantur.

Daniel.13.

Lib.10. cap.12.

Medorum reges.

CAPVT II.

De Proca & Amulio, & ortu Remi & Romuli.

TEMPVS esse arbitror, vt ad Romanorum regni principia stylum vertamus. Cum enim Babyloniæ sub præfecto suo dehonoratæ, adhuc regnum sub principatu Medorum stetisset incolume vsq; ad Cyrum, & ab eo prorsus (vti in sequentibus patebit) est euersum, iure ipso deficiente, Romani imperij, quod illi tanquam patri filium successisse dixi, ortum narrauerim. Eo igitur tempore ad Medos cessit, cum Procas in Italia regnauit: eo illud à Cyro penitus subuersum fuit, quo à Tarquiniorum iniusta damnatione illud liberatũ, in propria auctoritate stare cœpit. Procæ successit Amulius, cuius frater Numitor, cum filiam Rheam vestalem ab eo virginem factam, stupri ream ex partu cognouisset, geminos quos pepererat exponi, & in aquam proijci iussit. Hi sunt gemini fratres Remus & Romulus, Vrbis orbis futuræ caput, fundatores & auctores. Quos ipsius Vrbis scriptores, tanquam totius orbis Marte obtenturæ principatum, Martis quoq; filios autumant, in argumentumq; quòd à lupa (vtpote Martis bestia) lactati ac nutriti contra naturam fuerint, narrant. Qui reuera an iuxta eos à lupa, an à meretrice qualibet iuxta alios, propter vitæ turpitudinem, vnde domos earum lupanaria dicimus, sic vocata, nutriti fuerint, nihil mea interest. Hoc tamen affirmo, quòd non Martis, sed cuiuslibet hominis, & secundùm quosdam veridicos scriptores, sacerdotis filij fuere.

Remus & Romulus.

CAPVT III.

De fundatione vrbis Romæ, & parricidio aui fratrisq; à Romulo facto, ac raptu Sabinarum.

ANNO ergo ab imperio Nini MCCC, post euersionem Troiæ CCCCXIIII, olympiade VI, euolutis ab Adam quatuor millibus CCCCLXXXIIII annis regnãte in Iudęa Achas, vel iuxta Augustinum, filio suo pijssimo rege Ezechia in Israel Osee, seu Phacea secundo, geminis auctoribus Remo & Romulo, auo adhuc superstite Numitore, maxima & famosissima in monte Palatino condita est Roma. Cuius mox regnum iam parricidio, auo fratreq; interfectis, Romulus infecit, quàm raptu Sabinarum, maritis parentibusq; occisis, improbis nuptijs sibi suisq; illicitè ac crudeliter confœderatarum polluit.

CAPVT IIII.

De Osee, & Esaia, prophetiaq; Sibyllæ.

CIRCA idem tempus clarissimos (quos supra nominaui) Osee & Esaiam prophetasse, prophetiamque scriptam reliquisse constat. Quorum alter non solùm dictis, sed & factis, meretrice in vxorem accepta, vocationẽ gentiũ, (vnde & ait, *Vocabo non plebem meam plebem meam*) prænũciasse cernitur: alter verò de aduentu Christi, passione, resurrectione, regnoque eius, quod est ecclesia, in hac vita dilatando, post hanc impiorum æternaliter damnata ciuitate glorificando, atque cum auctore suo Christo in æternum mansuro, tam euidenti, tam luculento ac vrbano sermone disseruit, vt non prophetiam, sed euangelij historiam texere videatur. Eo quoq; tempore nonnulli Sibyllam Erithræam vaticinatam ferunt: quam ex scripturæ suæ testimonijs ad ciuitatem dei pertinuisse, sicut & Iob, & plures alios ex gentibus, Augustinus velle videtur. Cuius rei gratia prophetiam eius manifestissimam de incarnatione domini, passione, ac secundo aduentu Christi, idem pater in libro de Ciuitate dei ponit, quam infrà annotauit:

Osea 1.

Sibylla Erythræa.

Iudicij signum, tellus sudore madescet.
E cælo rex aderiet, per secla futurus,
Scilicet in carne præsens vt iudicet orbem.
Vnde deum cernent incredulus atq; fidelis, &c.

In quorum versuum capitibus Iesus Christus θεὸς σωτὴρ, quod est Iesus Christus filius dei saluator, in Græco inueniri dicit. Refert etiam Lactantium aliud eius de Christo ponere vaticiniũ, quod tale est: *In manus iniquas & infideliũ postea veniet. Dabunt autem alapas deo manibus scelestis, & impurato ore expuent saliuas venenosas. Dabit verò ad verbera simplex, sanctumq; dorsum, & colaphos accipiens tacebit, ne quis agnoscat quò verbum, vel vnde veniat, vt inferis loquatur, & corona spinea coronetur. Ad sitim acetum, & ad cibum fel dederunt, inhospitalitatis hanc ministrabant domino mensam. Ipsa enim insipiens tuum deum non intellexisti, ludentem mortalium sensibus, sed spinis coronasti, & horridum fel miscuisti. Templi verò velum scindetur, & medio die nox erit tenebrosa nimis in tribus horis, & morte morietur, somno suscepto. Et tunc ab inferis regressus, ad lucem veniet primus, resurrectionis principio reuocatis ostenso.* Non desunt tamen qui dicunt eandem Sibyllam Troiani belli tempore vaticinatam fuisse.

Lact. lib. 4. cap. 18.

CAPVT V.

De Thalete vno de septem sapientibus, & captiuitate decem tribuum. De Phalari Siculo tyranno.

REGNANTE Romulo, post theologos, quos suprà nominaui, poetas fuisse, Thaletem Milesium vnum de septem sapientibus, quos σόφους vocabant, ferunt. Iisdem quoq; diebus, decem tribus à Chaldæis in Samaria debellatæ, ac in captiuitatem ductæ sunt, positusq; in Samaria est Chaldæorum populus, qui iuxta librum Regum, deum timebat, & idola non deserebat. Quare verò Deum timerent, causa fuit, quòd dum primò in Samariam venissent, dominus in eos leones immiserat. Quod ergo volebant, de lege recipiebant, & quod nolebant, more alienigenarum reprobabant. Hinc in Euangelio habes, quòd eis Iudæi non coutebantur. Circa hæc tempora Phalaris Siculus tyrannus, dum multis ac varijs tormentis innocentes afficeret, Perillus quidam faber ærarius volens placere principi, aptumq; sibi crudelitatis suæ munus offerre, taurum æneum fecit, cui ex latere ianuam composuit, vt dum cruciandi per eam intromissi, ignibus appositis torquerentur, non gemitum hominis, sed pecudis mugitum emittere viderentur. Quod simulacrum tyrannus gratanter suscepit, ipsumq; auctorem in eo positum propria adinuentione puniuit.

Samaritani.

CAPVT VI.

Qualiter, & à quibus vrbs Roma inchoata fuerit. De morte Esaiæ, & Samia Sibylla. De Tullo Hostilio, & Anco Martio, Romanorum regibus.

ROmulus contractis vndecunq; pastorum, prædonum ac latronum copijs, quibus etiam asylum construxit, crudeli ortu regnum, totius orbis futurum caput initiauit. Vnde Iuuenalis:

Et

Et tamen vt longè repetas, longeq; reuoluas *Iuuen. Sat. 8.*
Nomen, ab infami gentem deducis asylo.
Maiorum primus, quisquis fuit ille tuorum,
Aut pastor fuit, aut illud quod dicere nolo.

Hic & mille iuuenes de plebe electos, milites, & centum seniores, Senatores appellauit: & exhinc militaris ordo, Senatoriaq; dignitas exordiũ sumpsere. Romulo successit Numa, qui cultum, imò sacrilegium plurium deorum in Vrbem induxit, & Capitolium à fundamentis ædificauit. Huius diebus, regnante apud Hebræos impijssimo rege Manasse, à quo Esaias occisus fertur, Samia Sibylla fuisse dicitur. Successit Numæ Tullus Hostilius, qui primus ex Romanis regibus purpura & fascibus vsus fuit, & Vrbem adiecto Cęlio mõte ampliauit. Post quem Ancus Martius Auentinum montem & Ianiculum Vrbi addidit, & supra mare decimo ab Vrbe miliario, Hostiam condidit.

CAPVT VII.

De captiuitate Iudæ, sub Tarquinio Prisco Romano rege & prophetia Hieremiæ, & reliquis sex sapientibus.

REGNANTE deinde Tarquinio Prisco, qui Circum ædificauit, & numerum Senatorum auxit, cum Sedechia rege suo à Chaldæis in captiuitatem ductus est & Iuda. His diebus plurimi fuere ciues regni Christi, præcipuè prophetæ, qui populum Dei de malis eorum operibus redarguerent, malaq; ventura prædicerent: quorum alij cum peccatore populo in captiuitatem sunt ducti, alij etiam ab hostibus propriæ voluntati ac arbitrio sunt relicti. Prophetauit autem ijsdem diebus, scriptumq; vtile valde ecclesiæ Dei Opus reliquit vir dei Hieremias: in quo & præuaricatoris populi peccata, captiuitatemq; relaxandam post LXX annos posuit, ac multa de statu ecclesiæ & aduentu Christi prædixit. Fuisse tunc Pittacum Mitylineum vnum de septem sapientibus ferunt: nam alios quinq;, id est Solonem Athenienſem, Chilonem Lacedæmonium, Periandrũ Corinthium, Cleobolum Lydium, Biam Prieneum, eo quo captiuus tenebatur populus fuisse tempore, refert Eusebius. Quorum nullus tamen librorum monimenta, excepto Thalete de Physica, & Solone legibus Athenienſibus datis reliquit.

CAPVT VIII.

De philosophis, præcipuè Pythagora, Socrate, Platone, Aristotele.

POST theologos, & hos quos sapientes dixi, philosophi surrexere, qui verecundo magis philosophorum, id est amatorum sapientiæ, quàm sapientium appellari maluerunt nomine. *Philosophi.* Quorum primus Pythagoras ex malleorum ictibus diuersè concrepantibus, Musicæ septem discrimina vocum inuenit, multisq; alijs vtilis admodum & clarus extitit. Post quem Socrates, omnium philosophorum clarissima lumina, tanto perspicatiores, quanto iuniores, vtpote qui ipsos docentes se intellectu transcenderent, educauit Platonem & Aristotelem. Quorum alter de potentia, sapientia, bonitate creatoris, ac genitura mundi, creationeve hominis, tam luculenter, tam sapienter, tam vicinè veritati, disputat, vt ob hoc à quibusdam ex nostris Hieremiam in Ægypto audisse, & ab eo de fide nostra imbutus fuisse credatur: alter verò Dialecticæ libros artis vel primus edidisse, vel in melius correxisse, acutissimeque ac disertissimè inde disputasse inuenitur. Sed Platonem (qui præfati Aristotelis non solùm apud Socratem condiscipulus, sed & post mortem Socratis præceptor fuit) longè post Hieremiam fuisse ex hoc quòd circa tempus captiuitatis σόφοι, id est sapientes, qui Philosophos præcessere, fuerunt, innuitur. Vnde non inconuenienter arbitrati sunt, qui cum cum cæteris philosophis, naturali ingenio per visibilia mundi inuisibilia comprehendisse dixerunt. *Plato.* Omnia enim quæ de diuina natura, humana ratione inuestigari possunt, inuenerunt: exceptis his, in quibus summa salus consistit, quæ per gratiam Iesu Christi à mansuetis corde cognoscuntur. Vnde Augustinus: *In principio erat verbum*, & omnia quæ in profundissimo sermone Euangelista prosequitur, vsq; ad illum locum, vbi de mysterio incarnationis agere incipit, in Platone se inuenisse dicit. *Ioan. 1.*

CAPVT IX.

De Tarquinio ſuperbo, & oppreßione Lucretiæ.

EO quo in Babylonia captiuus tenebatur populus dei tempore, Romanorum reſpublica Tarquinij Superbi iniquæ dominationis premebatur potentia. Cuius
Lucretia. poſt alia facta crudelia, ſceleratiſſimum illud in caſtiſſima muliere Lucretia, à filio turpiter perpetratum, à patre nequiter diſſimulatum opus, deiectionis eius cauſa fuit iuſtiſſima. Cuius caſtitatis argumentum non paruum fuit, quòd dum tyranni violentiam euadere non poſſet, propriam ſibi manum iniecit. Vnde pulchrè quidam:

Cum foderet ferro caſtum Lucretia pectus,
Sanguinis & torrens egrederetur, ait:
Procedant teſtes, me non fauiſſe tyranno.
Sanguis apud manes, ſpiritus ante deos.

CAPVT X.

De tempore conſulum, & remotione regum, & Zelo Bruti primi conſulis, liberatione ꝙ Romanæ vrbis per Mutium Scæuolam, & Clæliam virginem.

PVLSO regno Tarquinio, Romani regium nomen abiurantes, Conſules qui reipublicæ potius conſulerent, quàm imperarent, ſibi creauere. Anno igitur poſt Vr-
Conſules Romani. bem conditam CCXLIIII, Brutus ab eis conſul conſtituitur primus, qui priorum regum malitiam imitatus, filios, vxoriſq; fratres interfecit Vitellios. Tradunt tamen alij zelo æquitatis hoc eum feciſſe, vt videlicet non rem familiarem, ſed publicam diligere videretur. Vnde & populum Romanum pro filijs adoptaſſe dicitur. Tarquinius verò Hetruſcorum regis Porſenæ auxilio, Vrbem per triennium obſedit, cepiſſetque aut rurſus eam ſuæ ditioni ſubegiſſet, niſi prædictus rex Mutij manum adurentis patientia, vel Clœliæ virginis Tyberim tranſnatantis audacia permotus, obſidionem ſoluiſſet. Mutius enim cum alijs Romanis iurauerat ſe regem interfecturum: ſed dum in caſtra veniſſet, à militibusq; captus, votum ſuum implere non poſſet, manum ſub preſentia regis in igne combuſſit: En ſcias (inquiens) quem virum effugeris. Idem trecenti iurauimus. Clœlia verò cum eſſet vna de obſidibus, clàm de caſtris lapſa, Tyberim tranſnatauit. Rex ergo, vt dixi, tam viri patientia, quam virginis audacia motus, ab Vrbe receſſit. Hæc prima ætas quaſi infantia populi Romani fuit.

CAPVT XI.

Quomodo Babylon à Cyro capta ſit, & quis eius ſitus fuerit: de morte quoque Cræſi.

INTER hæc Cyrus, quem ſupra memoraui, dum Tarquinius aut vi, aut bello premeret Vrbem, Orientis latè imperio peruagato, Babyloniam vtpote caput eius bello petit. Sed dum vnus militum æquo feruentior animo, Gangem fluuium, quem vnum quatuor fluminum Paradiſi mutato nomine dicunt, tranſnatare attentaſſet, impetus eius nõ ferens, ſubmerſus eſt. Rex in amnem amore iuuenis vlciſci ſtatuens, in CCCCLX venas deriuatum, vetularum etiam pedibus tranſmeabilem fecit. Eo
Babylon. quoq; ingenio Euphraten mediam Babyloniam interfluentem, ab alueo proprio deriuauit. Sicq; mirabile dictu, vrbem maximam ac florentiſſimam cepit MCCCC, poſt conditionem eius anno De cuius tam ſitu, quàm euerſione verba Oroſij infrà ponere volui, ait enim: *Cepit vrbem, quam vel humano opere extrui potuiſſe, vel humana virtute deſtrui poſſe, vtrunq; pene incredibile apud mortales erat.* Et infra: *Quicquid eſt opere & manu factũ, labi & conſumi vetuſtate, Babylon capta confirmat.* De ſitu quoq; eius ſic ait: *Hæc campi planicie vndiq; conſpicua: natura loci altiſſima caſtrorũ facie, mœnibus paribus per quadrũ diſpoſita. Murorũ eius vix credibilis relatu, firmitas & magnitudo, id eſt latitudo L cubitorũ, altitudo quatuor tãtùm. Cæterùm ambitus eius CCCCLXXX ſtadijs circũuenitur: murus cocto latere, atq; interfuſo bitumine cõpactus: foſſa extrinſecus latè patens, vice amnis circunfluit.*

A fronte

A fronte murorum centum portæ æreæ. Ipsa autem latitudo in consummatione pinnarum vtroq; latere habitaculis defensorum æquè dispositis, media intercapedine vicenas quadrigas capit. Domus intrinsecus quater geminæ habitationis, minaci proceritate mirabiles. Cyrus tanta vrbe capta, Crœsum quoque regem Lydiæ famosum & magnum, qui ad huius auxilium cum venisset, territus aufugerat, persequitur, victumque vita & regno priuauit.

CAPVT XII.

De prophetia Ezechiel, Daniel, Abacuk.

NOn multò ante hoc tempus prophetauerunt Ezechiel & Daniel in terra Babylon. Quorum prior de spiritali templo, quæ est ecclesia, de visione quoque quatuor animalium profundissimam & obscurissimam scripsit prophetiam. Alter verò eximiæ sapientiæ (vnde & desideriorum appellatus est vir) luculentissimam de regnorum mutatione, prophetico spiritu scripsit Apocalypsim. Ambo de temporibus Antichristi, resurrectioneque mortuorum, extremo quoque iudicio, ac permansuro in æternum Christi regno, multa nobis tam vtilia, quam spiritalia mystico ac prophetico sensu protulere. Abacuk etiam eo tempore in Iudæa, quo isti in Babylone prophetauerunt, scripsisse ex historia Danielis cognoscitur. Hic ob hoc, quòd populum Dei iniustè oppressum peregrinari ac miserè viuere, oppressores verò eius regnare & prosperari vidit, in tantam etiam contra dominum prorupit audaciam, vt ipsum aut res humanas negligere, aut non æqua lance pensare penè dixerit, vel potius eius super his patientiam admiratus, non de gubernatione, seu æquitate dubitauerit: propter quod & luctator vocatus est. Canticum quoque pulchrum valde edidit, in quo consideratione incarnationis, passionis, secundi aduentus domini, reprobationeque Iudaici populi, ac vocatione gentium, horrore se concussum innuit, dicens, Domine audiui auditum tuum, & timui.

CAPVT XIII.

De quatuor principalibus regnis, quæ Daniel in expositione somnij Nabuchodonosor vidit.

SED quia Danielem de mutatione regnorum propheticam historiam edidisse diximus, aliquid inde subterannotare operæprecium duximus. Dum ergo somnium regis Babyloniorum exponeret, *Tues*, inquit, *ô rex, caput aureum, quod vidisti. Post te surget aliud regnum minus te, post hoc rursum aliud, post illud quartum, quod quia fortissimum erit, ferro omnia comminuenti comparatur.* Dan. 2. Vide quomodo Propheta quatuor regnis nominatis, primum quidem propter nobilitatem sui auro, quartum propter potentiam, ac Marte pressum orbem, duobus medijs interuenientibus, ferrum nominauerit. Primum & quartum quæ supra memoraui, regna sunt potentissima Babyloniorum ac Romanorum: quorum vno cadente in Oriente, medijs Persarum & Græcorum interuenientibus, alterum (vt sæpe iam dixi) surrexit in Occidente, quamuis nonnulli pro Persarum regno secundo loco Africanum inter quatuor mundi principalia regna posuerint regnum, vt & sic secundùm quatuor mundi cardines, mundi quoq; quatuor regna constituant; Orienti scilicet Babylonicum, Austro Africanum, Septentrioni Macedonicum, Occidenti Romanum tribuentes. Quòd autem idem propheta prosequitur & dicit, regnum istud quod ferro comparauit, in pedibus, quæ pars, extremitas corporis humani, finem significare solet, ex parte ferreum, ex parte fictile fuisse, donec à lapide exciso de monte sine manibus, percussum funditus subrueretur, suo loco, adiuuante Deo, dicemus. Nos enim circa finem eius positi, id quod de ipso prædictum est, experimur, futurumq; in proximo quod restat, expectamus.

CAPVT XIIII.

Qualiter Tomyris regina Cyrum occiderit. Exclamatio de hoc, breuisq; epilogus de laude Cyri.

CYRVS post tot triumphos in superbiam elatus, Scythiam, cui tunc Tomyris regina præsidebat, cum exercitu ducentorum milium petit. Cumq; Araxim fluuium transisset, castra posuit, vbi callidè euocatis Scythis, tertiam partem exercitus reginæ cum filio eius interfecit. Ob quam rem Cyrum in insidias astute vocatum, mulier cum toto deleuit exercitu adeò, vt nec tantæ cladis remansisse feratur nuncius. Capite quoq; eius in vtrem humano sanguine plenum misso, sexus sui immemor, dixisse fertur, Satia te sanguine, quem sitisti. Res miranda ac miseranda, nec fatali euentui, sed Dei occultis iudicijs tribuenda. Quis hæc audiens non stupeat? cuius vel saxeum pectus factum tam miserabile ad amorem dei, contemptumq; mundi non emolliat? Ecce enim vir totius Orientis, ac ipsius triumphator Babyloniæ, quem propter eximiam virtutem Esaias longè ante Christum vocauerat, cui iuxta eundem prophetam dominus gentes subiecerat, dorsa regum verterat, portas æreas, ac vectes ferreos confregerat: hic, inquam, non solùm terris, sed & aquis formidabilis, ab infirma fragilisq; conditionis muliere decipitur, ac cum tam infiniti exercitus multitudine funditur & deletur. Quid ad hæc dicemus, qui mundo inhærere volumus, ne dicam cernere, palpare etiam quàm misera sit mortalium conditio possumus, & ipsis tamen caducis ac transitorijs, tanquam robustis ac permanentibus adhæremus? Nec duritiæ id, sed bonitati ac misericordiæ omnipotentis Dei ascribendum dixerim, qui, vt ad amorem sui, permanentemq; in cœlo ciuitatis mansionem nos vocaret, hanc inesse miseriam rebus mortalium voluit. Hic est Cyrus, qui dum à Iudæis allatum Esaiæ vidisset (hoc quod posuimus) testimonium, captiuitatem ex parte (vt Hieronymus ait) relaxauit, finitis à prima captiuitate Iudæ sub Iechonia (iuxta supputationem præfati Hieronymi in prophetiam Ezechielis) XL annis, qui à desolatione templi tricesimus erat.

Cyri clades.

CAPVT XV.

De Cambyse filio Cyri, & noua Babylonia ab ipso condita.

CYRO filius eius Cambyses successit, qui religionem, imò sacrilegia Ægyptiorum cerimoniasq; expiauit. Hunc quidam secundum Nabuchodonosor dicunt, & ea quæ in libro Iudith leguntur, sub eo facta fuisse: præcipuè cum Romanorum historia habeat, Tarquinij Superbi temporibus à Iudith castissima Holofernem interfectum: dicuntq; primum Cambysis regni, Tarquinij XVIII fuisse annum. Vnde hæ duæ castissimæ Iudith & Lucretia contemporaneæ inueniuntur. Sed occurrit quæstio, quã soluere non possunt, qui hoc tradunt, quomodo videlicet hæc Cambysi, qui VIII tantùm annis regnauit, conuenire queant, cum XII regni anno Nabuchodonosor hæc expeditio mota, in libro Iudith dicatur? Quis etiam sit ille rex Medorum Arphaxat, quem bello superatum à præfato rege, idem liber affirmat. Quibus minimè fidem accommodaremus, nisi propter Iosephum, qui in libro Antiquitatum vndecimo, maleuolum eum vocat: vbi etiam refert eum Epistolam contra Hierusalem misisse, in qua eam inimicam regibus & seditiosam contestans, ne amplius ædificetur prohibet. Sed & Augustinus in libro de Ciuitate dei, ea quæ in libro Iudith scripta sunt, dicit sub Cyro euenisse. Vbi quamuis numerus annorum non repugnet, de victoriaq; Medorum, mutato nomine tantùm regis eorum, eluceat: verisimilius tamen est ea sub filio suo Cambyse, qui inimicus illius populi à Iosepho dicitur, prouenisse, quàm sub ipso, qui captiuitatem relaxando, non solùm immanitatem, sed plurimam etiam populo Dei exhibuit humanitatem. Prædictus autem scrupulus sic solui potest, quòd tres sequentes, iuxta Iosephum, Magorum anni, quos aliæ historiæ VII tantùm mensibus imperasse dicunt, ad Cambysem referantur, & ita circa initium XII anni præfata expeditio sub Iudith facta fuerit. Cambyses nouam Babyloniam in Ægypto dicitur instaurasse, quæ olim ab Argiuorum rege Api condita, Memphis dicebatur.

CAPVT XVI.

De Magis & Dario, & plenaria liberatione Romanorum. De prophetia Aggæi, Zachariæ, Malachiæ, Esdræ. De infortunio Darij in bello Athenensium, morteq; eius.

Cambyse

CAMBYSE mortuo, dum Magi regnum eius inuaderent, Darius vnus ex illis, qui Magorum audaciam compescuit, consensu cunctorum rex creatur. Hos Magos in XI Antiquitatum libro, VII dominos nuncupatos & tribus annis regnasse dicit Iosephus: Eusebius tribus, mensibus VII. Darius autem eò quòd Deo vero votum priuatus fecerat, quatenus ad regnum ipso opitulante promotus, populum suum ad natale suum solum remitteret, captiuitatem Iudęorum ad plenum relaxauit, templumq; instaurari permisit. Tunc quoque Romani Tarquiniorum dominatione iniusta ad plenum sunt liberati. Prophetauerunt nouissimi prophetarum Aggæus, Zacharias, Malachias. Quorum vnus cùm dixisset de ecclesia: *Erit gloria domus huius posterior maior quàm prior:* Iudæi hoc de templo materiali dictum putantes, falsa spe frustrati sunt. Esdras quoque scriba, quem vnum de nominatis prophetis quidam esse volunt, vtilis valde in renouatione librorum Legis, Psalmorumq; titulis, eisdem temporibus fuisse inuenitur. Deniq; à tempore illo, id est, à Zorobabel & Iesu sacerdote magno, vsq; ad Ioannem, nec prophetas cecinisse, nec regnum floruisse, excepto Iesu filio Syrach, qui Salomonis sectans opus, librum quem Sapientiæ vocant, scripsit: & Machabęis, quorum alij patientia, alij fortitudine pro lege dei fortiter steterunt: paucos inuenies, qui dictis vel factis inter probatos ciues Hierusalem meruerint computari. Habuerunt tamen & postmodum reges, quos suo loco ponemus, sed non tam claros, vt de catalogo meruerint esse priorum. Darius primò Babylonios iugũ dominationis Persarum excutere volentes, repressit: dehinc regi Scytharum Antyro, eò quod filiam eius sibi in matrimonio copulare nollet, bellum indixit, septingentaq; milia armatorum vnius amore mulierculæ, in periculo posuit: vbi amissis LXXX milibus, contra Athenienses, (eò quòd Scythis Ionas in auxilium mississent) procinctum mouit. Athenienses ergo cum X milibus in campis Marathoniis tanto exercitui, qui fusis in Scythia tantùm LXXX milibus, de DCC milibus supererat, occurrunt, interfectisq; ex eis (mirabile dictu) CC milibus, cæteros in fugam vertunt. Post hoc cum bellum rursus instauraret Darius, in via mortuus est, successitq; ei filius eius Xerxes.

Aggæi 2.

CAPVT XVII.

Rursum de infortunio filij Darij Xerxis, primò à Leonida, pòst ab Athenienſibus victi, ad vltimum ab Artabano præfecto ſuo occiſi.

ANNO ab Vrbe condita CCLXXV, cum ob stuprum viua defossa fuisset vestalis virgo Popilia, patri in regnum succedens Xerxes, Athenienſibus bellum parat. Tædet hìc inextricabilem malorum texere cratem: tamen ad ostendendas mortaliũ miserias, summatim eã attingere volo. Tunc enim Xerxi cum innumerabili ac incredibili exercitu, vtpote qui ad mille milia armatorũ, & ad mille ducentas naues rostratas, & ad trium milium oneratarum nauium fuisse perhibetur, à Leonida Spartanorũ rege, cum pauciſſimis, id est quatuor milibus, in arctis locis Thermopylarum occurritur, triduoq; pugnatur. Itaque Leonida quarta die cum hostem vndique circunfundi cerneret, dimissis sociis, cum suis tantùm qui sexcenti fuere, memorabili illo animans eos eloquio, *Prandete, cum inferis cænaturi:* tantum audens aggredi exercitũ, tota nocte vna, sequentisq; parte diei hostes cecidit, adeò vt nõ eorum ictibus, vtpote qui in nullo se defendentes, mutuis etiam se cædebant vulneribus, sed propriis lassati laboribus, ipsi qui victores extiterant, non percussi, sed percutientes morerentur. Eo modo Leonida cum suis occubuit. Xerxes bis victus nauale rursus prælium parat: sed Athenienſium ac Græcorum non minus astu quàm virtute territus, relicto Mardonio exercitu, in scapham apud Abydum conscendens, vno tantùm comitatus cliente in Persas rediit. Mardonius commisso in Bœotia cum Græcis prælio, deletis copiis, regiisq; opibus refertis castris captis, cum paucis velut nudus de naufragio fugere compellitur. Et mirum dictu, Persarum exercitus, qui eadem die sub Monimicale duce in Asia dimicabat, tantum sociorum discrimen ipsa die meridianis horis, tanto locorum interuallo audire potuit, auditoque, desperatione correptus, & in fugam versus est. Sicq; sub hoc, duobusq; præcedentibus regibus, de illis tantùm regni visceribus decies nouies centena milia tribus bellis rapta inuenies: Græciaq; hanc victoriam cum

Prælium a Thermopylas.

morte suorum, ac discrimine maximo est adepta. Xerxes tot bellis infeliciter gestis, suisq; contemptui habitus, ab Artabano præfecto suo occiditur. Artabano item rege perfuncto, successit Xerxes, & rursum post illum Xerxes, & deinde Sogdianus, & sic consequenter Darius cognomento Nothus.

Darius Nothus.

CAPVT XVIII.

De prodigiis in vrbe Roma visis, pestilentia, intestinisq; malis inde secutis: & de L. Cincinnati rustici victoria.

ANNO post Vrbem conditam CCLXX, suspensis paruo interuallo bellis, pestilentia maxima non tam minores, quàm consulares ac militares viri consumpti sunt in Vrbe. Quam pestilentiam prodigium, ita vt cœlum ardere videretur, præcessisse fertur. Consumpti tunc fuere duo consulares viri, Ebutius & Seruilius, quæ lues superiore quarto anno Vrbem simili modo depopulata est. Hoc malum sequenti anno sequitur aliud. Serui namque contra dominos suos, ciuesq; exules, duce Herbonio viro Sabino effrenati, inuadũt, incenduntq; Capitolium. Quos cum vir fortissimus coercere vult Valerius consul, morte sua miserabiliter de seruis suis triumphauit. Anno sequenti cum Equis & Volscis malè pugnatum est. Nam Minutius consul cum eis pugnans vincitur, obsidioneq; cum exercitu frigore ac fame laborante, cingitur. Quintius ergo Cincinnatus ab aratro assumptus ad fasces, presso hoste obsidionem soluit, iugumq; boum equis imponens, actis ante se victis, rustico vt erat habitu, victor Vrbem ingressus est. Iam tunc inter illius, quæ totius orbis obtentura foret principatum, Vrbis monstrabãtur principia, quòd infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia.

Chasma ante pestem.

Quintius Cincinnatus.

CAPVT XIX.

De bellis diuersarum ciuitatum, & præcipuè de oppressione Athenienſium à regibus Persarum, morteq; Socratis, ac obitu Darij regis Persarũ, & exilio Dionysij Siculi.

ANNO ab Vrbe condita CCCXXXV, tam in Sicilia, quàm in Græcia grauia fuere bellorum discrimina: in Sicilia quidem inter Catinenses & Syracusanos, in Græcia verò inter Lacedæmonios & Thebanos, Spartanos, Athenienses, Xerxe, Dario Notho, & Artaxerxe, de quo postmodum dicetur, regibus, propter Athenienſium odium, incitantibus contra eos alias quas nominaui vrbes. Intantum verò hoc cœpit serpere malum, vt nobilissima illa ac famosissima ciuitas Athenienſium, quæ non minus ex suorum sapientia, quàm virtute floruerat, funditùs penè ita, vt etiam sedes mutare cogitarent, destructa fuerit. quod Romanæ eloquentiæ maximus auctor Tullius, in libro de Officiis hoc modo testatur: *Athenienses cum Persarum impetum nullo modo possent sustinere, statuerentq;, vt vrbe relicta, coniugibus & liberis Troezene depositis, naues conscenderent, libertatemq; Græciæ classe defenderent, Cyrsilum quendam, suadentem, vt in vrbe manerent, Xerxemq; reciperent, lapidibus obruerunt.* Quorum virtutem rursum in extremo discrimine positorum, idem commendans, *Themistocles*, inquit, *post victoriam eius belli, quod cum Persis fuit, dixit in concione se habere consilium reipub. salutare, sed id sciri non opus esse: postulauit, vt aliquem populus daret, qui cum communicaret: Datus est Aristides. Huic ille: classem Lacedæmoniorum, quæ subducta esset ad Gytheum, clam incendi posse, quo facto frangi Lacedæmoniorum vires necesse esse. Quod Aristides cum audiisset, in concionem magna expectatione venit, dixitq; perutile esse consilium, quod Themistocles afferret, sed minimè honestum. Itaque Athenienses quod honestum non esset, id ne vtile quidem putauerunt, totamq; eam rem quam ne audierant quidem, auctore Aristide repudiauerunt.* Malis ergo suis sapientissimi omnium edocti Athenienses, tandem didicere, sicut res paruæ concordia crescunt, sic maximas discordia dilabi. Ex quo apparet, sapientissimos quoq; interdum plus rerum experientiis, quàm doctorum proficere institutis. Quam historiam profusè ab aliis dictam, nos breuitatis causa succinximus. Socrates præcipuus philosophorum, his malis motus, veneno se necasse perhibetur, qui tamen nulla monimenta librorum dimisisse inuenitur. Vnde eius tale dictum adhuc vulgo traditur: Malo in cordibus hominum, quàm in pellibus mortuorũ animalium scribe-

Athenarũ destructio.

Offic. lib. 3.

scribere. Insignia hæc tempora tam expugnatione Athenarum, quàm morte Darij regis Persarum, quàm exilio Dionysij Siculi tyranni fuere. Sicilia enim primò Cyclopũ, pòst tyrannorum, vsq; in præsentem diem fuisse nutrix traditur: quorum priores carnibus hominum, posteriores cruciatibns semper pascebantur. De hoc Dionysio refert Tullius, quòd ob nimiã crudelitatem in suos, nulli fidus, à nullo quoq; boni quippiam fidens, cultros metuens tonsorios, candenti carbone sibi adurebat capillum.

Dionysius Siculus.

Sicilia Gigantum & tyrannorũ nutrix.

CAPVT XX.

Qualiter duo filij Darij pro regno contenderint, & Artaxerxes, sub quo historia Hester facta creditur, regnum mortuo fratre obtinuerit. De terræmotu, & incendio Ætnæ montis, de Atlantis ciuitate, & pestilentia Athenienſium.

DARIVS moriens duos reliquit filios, Artaxerxem & Cyrum. Qui dum pro regno contenderent, multis vtrinque profligatis, Artaxerxes grauiter vulneratus, equi velocitate liberatur: Cyrus verò ab exercitu fratris interfectus, finem certamini dedit. Itaque Artaxerxes victoriam adeptus, regnum parricidio firmauit. Hic est Artaxerxes, qui & Assuerus, sub quo Hester & Mardochæi narratur historia, quãdo omnis populus Israel mortis periculo liberatus, expletis à prima captiuitate sua, iuxta Hieronymi supputationem in Ezechielis prophetiam CCXC annis, pristinæ donatus est libertati. Ea tempestate terræmotu concussa Sicilia, Ætnaq; exæstuante, agri villæq; vastatæ sunt. Tunc etiam Atlantis ciuitas ab arida soluta, in insulam redacta est. Athenienſium reliquiæ pestilentia miserabiliter consumptæ sunt. Vide tempora omni plena miseria.

Artaxerxes idem qui Assuerus.

CAPVT XXI.

Quæ mala Galli Romanis fecerint, & quomodo ab eis accepta pecunia recesserint.

ANNO ab Vrbe condita CCCLXIIII, Senones Galli, duce Brennone, exercitum mouent contra Romam: contemptisq; legatis quos pro adipiscenda pace miserant, Clusini oppidi, quæ nunc Tuscia dicitur, obsidione relicta, ad Romanorum perniciem properant. Quibus dum Romanorum consul Fabius occurrisset, cum quanta clade suorum aufugerit, testis est Allia fluuius. Nec hic miseriæ finis fuit. Vrbem enim ingressi Galli, tam ipsam incendio flagrare, quàm senes eius in domibus sedentes, & in modum simulacrorum rigentes, ruina domus sepelire non timuerunt. Iuuenes etiam, qui mille tantùm remanserant, in Capitolium fugientes persequuntur: nec antè ab eius impugnatione cessare voluerunt, donec accepta mille talentorum auri pactione, recederent. Quibus malis attriti, sedes mutare cogitauerunt Romani.

Brennо Senonenſis.

CAPVT XXII.

Excidium Lacedæmoniorum, & reformatio Athenienſium sub Cononе per Artaxerxem regem. De victoria Romanorum, & specu quem Martius Curtius miles inaudito modo clausit. Victoria de Gallis.

HIs diebus Artaxerxes rex Persarum discedere ab armis, & quiescere totam Græciam iubet, adiiciens, violatorem pacis armis petendum. Quod eo faciliùs facere potuit, quo omnes tot bellorum variis euentibus defatigati, & tædio affecti, quietis remedio respirare cupiebant. Lacedæmonij enim vtpote homines, & Græci inquietissimi ac cupidissimi, & de hoc quòd Athenienses antè bello presserant, in superbiam elati, totum bello perturbare tentabant Orientem. Quorum Artaxerxes rex insolentiam refrenare volens, Cononi Athenienſi, qui apud eum exulabat, committens exercitum, ipsum cõtra Lacedæmonios, cũ Persarum copiis misit. Porrò Lacedæmonij ab Hermione Ægypti rege petito & accepto auxilio, sociorũq; vndecunq; contractis copiis, bellum parant, Agesilaumq; pede claudum, sed manu fortem, ducem sibi creant. Igitur Conon & Agesilaus probatæ fortitudinis viri, congressi acerrimè cum vtriusque exercitus sanguine, diutissimè pugnarunt, inuictiq; ab alterutro ambo fatigati

discesserunt. Conon rursum Persarum instructus copiis, Lacedæmoniorum agros villasq; populabatur. Et ne multis morer, variis ac plurimis ancipiti victoria vtrobique gestis bellis, bellorumq; discriminibus ad hoc tandem florentissima illa, gloriæq; auidissima deducta est Lacedæmoniorum ciuitas, vt tota deleta iuuentute, vix in ea c inuenirentur senes. Conon Athenas reuersus cum maximo gaudio suorum, ipse pro desolatione vrbis tristis suscipitur. Itaq; Lacedæmoniorum prædis à Lacedæmoniis vrbem exinanitam repleuit, & quæ antè à Persis fuerat cõcremata, à Persis rursum, ipso rogante, est reformata. Non multo pòst elapso tempore, Romani, qui à Volscis, Phaliscis, Equis, Sutrionibus per LXX annos multis malis attriti fuerant, tandem ciuitatibus eorum captis, sub Camillo duce finem imposuere certamini. Prænestinos, qui vsque ad portas Vrbis sæpe venerant, Tito Quintio duce, iuxta flumen Alliam pugna vicerunt. Circa idem tempus pestilentia rursus Roma consumitur, quam sequenti anno ingens prodigium sequitur. Impendens quippe specus, terraq; dehiscens in medio foro apparuit, viuiq; hominis diis consultis præcipitium expectauit. Satisfecit monstroso specui M. Curtius miles, qui dum armatus illò se præcipitasset, morte sua horrendam voraginem clausit. Romæ tunc scenici ludi ad placandos deos, suadentibus pontificibus, sunt instituti. Ea tempestate Galli rursum Romam delere cupientes, cum ingenti exercitu ad quartum ab Vrbe lapidem cõsederunt. Quibus Titus Quintius cum Romanorum exercitu occurrens, victos fugatosq; barbaros in patriam redire cõpulit. Qui rursum instauratis copiis reuertentes, à Romanis denuò vincuntur.

M. Curtius.

CAPVT XXIII.

Quòd Carthaginenses & Romani nuntiis fœdus firmârunt, & saxea grando veris terram lapidibus percusserit. De Artaxerxe, qui & Ochus, quomodo Iudæos incluserit.

ANNO ab Vrbe condita CCCCII, legati Carthaginensium, quæ vrbs, totius Africæ caput, longè lateq; imperauit, Romam veniunt, fœdusq; inter se ciuitates hæ duæ firmauerunt. Tunc etiam nox debito longiùs protracta fuit, & saxea grando veris terram Romæ percussit lapidibus. Iisdem diebus Artaxerxes, qui & Ochus, Sidone, Ægypto, Syria regno subiectis, plurimos ex Iudæis in Hircania iuxta mare Caspium habitare coegit, qui iam in multum populum creuisse dicuntur, ac inde diebus Antichristi erupturi creduntur.

Captiuitas X. tribuum Israel.

CAPVT XXIIII.

Initium regni Græcorum: quomodo Philippus ingenio & virtute ciuitates Græciæ sibi subiecerit, & Alexandrum filium instruxerit, ipseq; ad vltimum quem finem habuerit.

TEMPVS esse puto, vt ad Græcorum tempora veniamus. Ea ergo tempestate Philippus Amyntæ filius, Alexandri magni pater, Macedonum regnum per XXV annos tenuit. Hic apud Epaminondam Thebanorum regem strenuissimum, ac summæ philosophiæ virum nutritus, intantum fortitudinis ac sapientiæ virtute profecit, vt Græcorum ciuitates, quæ dominandi libidine singulæ imperare cogitauerant, omnes suo adunaret ac subiiceret imperio. Inferioribus enim contra superiores suadens certamina, omnibus ad inuicem callidè incitatis, omnium ad vltimum efficitur princeps & dominus. Ita florentissimum ac libertate propria vsum Græciæ corpus libertate priuauit, Byzantiumq; vrbem resistentem sibi obsidione cinxit. Hæc vrbs à Pausania Spartanorum rege condita, à Constantino postmodum gloria opibusq; aucta, & à nomine suo Constantinopolis dicta, totius modò Orientis caput dinoscitur. Exhaustis in obsidione copiis, Pyraticam aggreditur, centumq; LXX nauium spolia rapuit, & militibus suis dedit. Obsidione dimissa, ad Scythas cum Alexandro filio suo prædandi causa properauit. Quibus astu magis quàm virtute superatis, plurimos ex eis captiuauit, auro argentoq; non repertis, pecorum tantùm prædam innumerabilem diripuit. Post hæc Athenienses bellum indicit. Qui pulsatis per legatos vniuersis Græciæ ciuitatibus, Lacedæmonios etiã ac Thebanos orant, vt communibus viribus cõmunem omniũ hostem propellerent. Sed frustra cõtra impetum fluminis conantur.

Philippus Macedo.

Constantinopolis.

nantur. Nam ab ipso non solùm victi, sed & seruituti cum aliis Græciæ ciuitatibus mãcipati, sub coronaq; venditi, captis aliis, profligatis aliis, fuere. Hic etiam Alexandrum filium suum, beneuolentiam Macedonum largitione sectantem, in epistola redarguit, dicens: *Quod te malum rationis in istam spem induxit, vt eos tibi fideles putares fore, quos pecunia corrupisses? An tu id agis, vt Macedones non te regem suum, sed ministrum & præbitorem putent?* Is quamuis rebus gestis & gloria superari à filio videretur, facilitate tamen & humanitate filio superior fuisse perhibetur à Tullio: vnde & ait: *Itaq; alter semper magnus, alter sæpe turpissimus.* Vt rectè præcipere videantur, qui monent, vt quanto superiores sumus, tanto nos submissius geramus. Fertur de ipso, quòd falsorum deorum maximus persecutor fuerit, arasq; eorum ac templa destruxerit. Dumq; à suis sæpe requireretur, quis sapienti ac viro forti finis potissimùm esset eligendus, dixisse fertur: Is qui pacatis sedatisq; omnibus erga se bellorum seditionumq; motibus, cum præcipuæ auctoritatis & nominis esset, subitò vitam ferro finiret. Quod ipsi contigisse (nec falsos deos, quos persecutus fuerat, impedire potuisse) aiunt. Dum enim Alexandro vxoris suæ Olympiadis fratri filiam suam copularet, nuptiasq; magnificè celebraret, inter duos Alexandros, generum scilicet & filium, à Pausania nobili Macedonum iuuene dolo necatur.

CAPVT XXV.

Principatus Alexandri magni, finis regni Persarum, innumerosorumq; regum, & mirabilia quæ fecit & vidit Alexander. finis ipsius: & exclamatio de his contra rotatum rerum.

ANNO ab Vrbe condita CCCCXXVI, mortuo Philippo, in regnum successit Alexander. Hic est magnus Alexander, à quo cœpit, & in quo desiit Græcorum monarchia. De quo traditur, quòd non Philippi, sed cuiusdam magi Ægyptiorum regis Nectanabi filius fuerit. Alexander suscepto regno, virtutem animi intra se non ferens, terminisq; à patre, quamuis viro bellico ac fortissimo relictis, non contentus, imperiũ dilatare cogitat. Itaq; compositis ac ordinatis rebus in Græcia, assumptis secũ paucis, id est, XXXII milibus peditum, VII milibus equitum & quingentis, nauibus CLXXX, tam parua manu vtrum audacius fuerit, quòd totum Orientẽ est aggressus, an mirabilius, quòd vincere potuit, incertũ habeo. Dariũ igitur regem Persarũ, Arsani filiũ, qui quartusdecimus à Cyro totius Orientis monarchiã tenebat, hac potissimũ causa aggredi voluit, quòd à patre suo Philippo tributũ requisierat. Cui cũ Darius, missa prius legatione superba, in qua se regem regum, ac consanguineum deorum, Alexandrum verò famulum suum vocat, cum exercitu sexcentorũ milium occurrisset, Alexandri non minus arte, quàm virtute superatur. Darius rursum instaurato exercitu bellũ parat. In qua pugna non solùm vincitur, sed & mater eius, & soror, eademq; vxor cũ paruulis filiis capiũtur. Ob quam rem fractus animo Darius, Alexandro pro redimendis captiuis mediam partem regni tradere voluit, sed nequaquã valuit obtinere. Alexander Persarum potitus victoria, Parmenionem ad inuadendam classem eorũ cum copiis mittit. Ipse verò cum exercitu in Syriã tendit, ibiq; reges vltrò sibi occurrẽtes, ac suæ se ditioni subiicientes, quosdam in gratiam recepit, quosdam mutauit, alios verò perdidit. Tyrum etiã nobilissimam & locupletem, fiducia Carthaginensium sibi resistentem cepit vrbem. Inde Ciliciam, Rhodum ac Ægyptum peragrans, omnes in ditionem accepit. Tunc etiam Alexandriam in Ægypto condidit. Inde Hierusalem veniens, à Iudæis cum magno susciputur honore, templumq; ingressus, hostias Deo vero obtulit, ac summum sacerdotem summa veneratione (iuxta Iosephum) coluit: mirantibusq; cunctis summi dei, qui sibi orbem subiugaret, eum esse sacerdotem, cuius reuelatione ipsum cognosceret, asseruit. Darius rursum spe pacis amissa, pugnam inire molitur. Anceps tunc diu victoria stetit, Dario sæpe iam victo, ni vincat, mori parato, Alexandro verò ex priori victoria amplius ad pugnam animato: tandem cedere dum coguntur Persæ, Darius mori optans, à suis bello eximitur. Sicq; Persarum imperij hoc vltimo bello vires cecidisse feruntur, vt post hoc nobile illud ac potentissimum regnum patienter iugũ seruitutis portaret. His tribus bellis quindecies centena milia

Alexander Magnus.

Darius Macedo armis victus.

Finis monarchiæ Persarum.

Perſarum cecidiſſe feruntur. Et hi ſunt reges Perſarum: Cyrus, Cambyſes, Magi, Darius, Xerxes, Artabanus, Artaxerxes, qui & Longimanus, Xerxes, Sogdianus, Darius Nothus, Artaxerxes, qui & Mnemon, vel Aſſuerus Darij & Pariſatidis filius, Artaxerxes, qui & Ochus, Arſes filius eius, Darius Arſani filius: qui omnes CCXX vel amplius annis Orienti imperauerunt. Exhinc imperium ſupputatur Græcorum, ſeu Macedonum.

Res Græcorum.

Alexander XXXIIII diebus prædam percenſuit, Perſipolimq; vrbem caput Perſici regni victor inuadit. Darium bello egreſſum, præſidioq; fugæ confidentem, ob gratiam Alexandri, fraudulenter ſui vinctum, multiſq; confoſſum vulneribus, & extremum ſpiritum trahentem in via relinquunt. Quem Alexander inuentum, in ſepulchrum patrum ſuorum inferri miſericordia motus iuſſit. Fertur etiam hoc memorabile de ipſo. Dum enim ſcire vellet, qui domini ſui traditores extiterint, ſub Sacramento pollicitus eſt, quòd quicunq; ſe interfectorem Darij profiteretur, ipſe eum excelſum faceret, ac notabilem. Apparuerunt ergo, ac prodiderunt ſe viri ſcelerati, quos ille ſtatim in patibulo excelſo affigi præcepit: ſicq; iuxta quod pollicitus erat, excelſos fecerat eos in cruce, ac omni æuo de perfidia ſua notabiles. Inter hæc Alexander, Alexandri magni auunculus, Epirotarum rex, dum Alexandrum æmulari cupit, à Brutis, Lucaniſq; interficitur. Igitur Alexander magnus poſt mortem Darij, Hircanos & Mandros imperio adiecit, Amazonumque reginam Aleſtram procaciter venientem ad ſe cum muneribus, ob ſuſcipiendam prolem excepit. Longum eſt enumerare gentes ac regna: totum enim Orientem à Scythia vſque ad finem terræ, ſuæ ſubiugauit poteſtati. Probat hoc India citerior, quæ quamuis in Oceano, vltimoque Oriente poſita, orbem claudat, hominibusque imperuia, ſolis beſtiis ac ſerpentibus videatur habitabilis: Alexandro tamen facta eſt ſubdita & penetrabilis. Ibi ſaxum miræ altitudinis & aſperitatis, vbi multi populi confluxerant, Herculi inexpugnabile, vt

Porus rex Indiæ.

ipſum etiam virtute ſupergredi videretur, cepit & expugnauit. Ibi Porum regem Indorum opulentiſſimum, ac miræ magnitudinis & fortitudinis virum, ſingulari congreſſu vicit, & in ſignum victoriæ regno reſtituit, ipſumque ad videndum terræ vltima loca, ducem habuit. De cuius domo aurea, vinea quoque argentea & aurea, racemiſque ex gemmis preciosis, qui ſcire vult, legat epiſtolam Alexandri ad Ariſtotelem philoſophum præceptorem ſuum: in qua pericula eius quæ paſſus eſt, de ſimulacriſq; Solis & Lunæ, quæ ei mortem prædixerant, & multa quæ tam mirabilia ſunt, vt etiam incredibilia videantur, diligens inquiſitor rerum inueniet.

Alexander totius Orientis potitus victoria, dum Romam quoque cum vniuerſo Occidente ſibi ſubiugare parat, ab India reuertitur in Babylonem, vbi exterarum gentium ex toto penè orbe, ac vltimo Occidente, id eſt, ab Hiſpanis, Gallis, Germania, Africa, ac fermè omni Italia legati ſibi occurrunt, vt inde veniſſe cerneres legationem, quò vix tam paruo tempore crederes etiam rumorem peruenisſe. Et mirum dictu, tantus timor totum inuaſerat orbem, vt cum per XII. tantùm imperaſſet annos, in ſummo Oriente conſtituto, vltimi Occidentis populi timore conterriti, legatos

Alexander M. toxico perit.

mitterent, pacemq; requirerent. Alexander ergo in Babylone poſitus, die, tempore ac loco, ſibi à ſimulacris Solis & Lunæ in India præfixis, miniſtri inſidiis veneno interiit.

O mortalium conditio, ô mentes miſeras & cæcas. Nónne iſte eſt Alexander, qui Perſarum nobile ac ſuperbum imperium deſtruxit, & ad Macedones tranſtulit? Nunquid non ipſe eſt, quem totus orbis tremens, etiam non viſum expectare non auſus, vltrò ſe ſeruituti dedit? & tamen talis tantuſq; vnius potus poculo, vnius miniſtri inſidiis extinguitur, vnius morte totus mundus concutitur. Regni Macedonum monarchia, quæ ab ipſo cœpit, ipſo mortuo cum ipſo finitur. Nos verò hoc ipſum non attendimus, qui mundum diligimus, qui ipſi tanquam æternæ rei ac permanenti inhærere volumus. Cadimus cum cadente, labimur cum labente, voluimur cum rotante, poſtremò perimus cum pereunte. Ciuitas autem Chriſti fundata ſupra firmam petram, malis ac tempeſtatibus mundi non concutitur, immobiliſq; atq; inconcuſſa manens, æternaliter regnare, æternaliter coronari meretur.

CAPVT

CAPVT XXVI.

De socijs Alexandri, quomodo orbem diuiserint, & Olympiam matrem Alexandri cũ filio suo Hercule occiderint, ipsiq; mutuis vulneribus corruerint: & de Machabæis.

IGITVR Alexandro mortuo, qui per XII annos orbẽ sibi ferro subiugauerat, principes eius coadunatum ab ipso imperij corpus, singuli singulas sortiti prouincias, veluti prædam nobilem à magno sibi leone præparatam, membratim per XIIII annos auidi discerpsere catuli, Orientisq; imperium diu post hoc in sua ditione tenuerunt. Hinc Ptolemęus Ægyptum, Antipater Græciam, Seleucus, à quo Seleucia, Antiochiam pariter & Syriam & Babyloniam, Cassander Lyciam & Pamphiliam, Antigonus maiorem Phrygiam, alijq; singulas occupauere prouincias: ac iuxta librum Machabæorum, diademata sibi imposuerunt. Dumq; prouincias & regna diuiderẽt, tantum adinuicem contraxerunt odium, vt ad vltimum omnes mutuis caderent vulneribus. Vt enim liberius debacchari possent, matrem Alexandri Olympiam vnà cum filio suo Hercule, XIIII annos habente, Cassander & Antigonus interemerunt. Fuerunt aliquanto pòst tẽpore fortissimi, quos suprà nominaui, ciues Christi Machabæi, quorum alij pro testamento dei, primi antiquæ legis martyres, ab Antiocho rege martyrio cõsummantur, vnde & soli ex antiquis patribus ab ecclesia inter martyres colũtur: alij verò Iudas & fratres eius, viriliter pugnãdo, ac armis patriam defendando, post innumerabilem inimicorum stragem, ipsi quoq; bello ceciderunt.

Res Græcorũ diuersæ.

CAPVT XXVII.

Quòd Roma post Alexandrum, tanquam amisso pædagogo, crescere cœperit.

SED iam ad Romanum imperium stylum vertamus, nempe (vt sæpe iam dixi) regnum Romanorum regno Babyloniorum tanquam patri successit filius. Dum ergo in primęua, velut in infantia, maneret conditione, duo quæ modò nominauimus regna, Persarum videlicet & Græcorum, quasi tutores & pædagogi huius fuerunt. His itaq; cadentibus, & velut moriẽtibus, regnum Romanorum, quod iam ad robustam peruenerat ætatem, vtpote magisterij iugo excusso liberum, per se cœpit regnare, dominiumq; suum iure hæreditatis recognoscere.

NB.

CAPVT XXVIII.

Reciprocatio, id est, qualiter Roma sub Alexandro, & vicinis gentibus dehonorata, fœdus non seruauerit, sed sub Papyrio Cos. bellum instauraverit.

ANNO ab vrbe condita CCCCXXVI, eo scilicet quo Philippo successit Alexander, quasi adhuc viuẽte pædagogo, Roma admodum est dehonorata. Nam cùm Samnites bello pressissent, pluresque ex eis, id est, XX milia cecidissent, Samnites damno suorum correpti, euocatos in angustias locorum Romanos intantum oppresserunt, vt in potestate haberent, an occiderent, an potius captos in seruitutem redigerent. Vsque ad id enim tempus occidi poterant, capi non poterant Romani. Turpiter ergo capti, & vestibus armisq; nudati, obsides quoq; dare coacti, ignominiosè domũ sunt reuersi. Et, vt ait Orosius, hodie Romani aut omnino non essent, aut Samnio dominante seruirent, si fidem fœderis, quam sibi seruari à subiectis volunt, ipsi subiecti Samnitibus seruassent. Sequenti anno Romani fœdus rumpunt, rursumq; cum Samnitibus, Papyrio consule duce, bellum instaurant. Quem tantæ virtutis ac strenuitatis fuisse ferunt, vt eum etiam Alexandro magno, si veniisset, opponere cogitassent.

Romani à Samnitibus victi.

CAPVT XXIX.

Quòd Roma post mortem Alexandri, tanquam in propria auctoritate stans, ingenio & arte vsa, hostes deuicerit, sed statim pestilentia afflicta fuerit.

ANNO ab vrbe condita CCCCL, cùm Alexandro mortuo, regnoq; suo à sociis suis in seipso diuiso, ac per hoc desolato, regnum Romanorum, iam tanquam pæda-

gogo defuncto in propria auctoritate ac libertate ſtare cœpiſſet, Quinto Decio, M. Fabio Maximo quater conſulibus, quatuor fortiſſimæ gentes, Hetruſci, Vmbri, Samnites, Galli aduerſus ipſum conſpirauerunt, Romani, vtpote qui (vt ſuprà dixi) ad robuſtam ætatem peruenerant, conſilio arteq; vſi, hoſtem diuidere conantur. Itaq; Hetruſcos & Vmbros, dum incendio agrorum ſuorum reuerti faciunt, ipſi cum Samnitibus & Gallis pugnam ineunt, grauiſſimeq; vtrobiuis pugnantes, Decius cum VII milibus legionis ſuæ occubuit. Fabius verò occiſis L milibus aduerſariæ partis, victor extitit. Reuertẽtibus autẽ de victoria Romanis, peſtilentia magna vrbem inuaſit, ſicq; in luctum verſum eſt gaudium.

CAPVT XXX.

De varijs euentibus Romanorum, & diuerſis calamitatibus eorum.

Bella Romanorum cum Samnitibus

ANNO ſequenti denuo à Samnitibus vincuntur Romani, ſed Papyrius cõſul contra eos miſſus, victor extitit. Proximo de hinc anno Fabius Gurges cum eis pugnans vincitur, in Vrbemq; fugatur. Quem cum Senatus ob hanc ignominiam ſubmouere à Conſulatu decerneret, pater eius Fabius Maximus vltro ſe obtulit, ac conſerto cum hoſtibus prælio, capto duce eorum Pontio, multisq; cæſis milibus, triumphans bellum Samniticum, quod per LIX annos cum multo vtriuſque vrbis ſanguine protractum fuerat, finiuit. Rurſum tamen rediuiuum bellum excitare cogitantes, cum Lucanis, Brutijs, Hetruſcis, Gallis, Samnites cõtra Romanos cõueniunt: vbi cum vtriuſque partis ſtrage fortiſſimè pugnatum eſt, Gallis more ſuo viriliter pugnando, crudeliter Romanos cædentibus.

Inuolui multorum diſcrimina bellorum, rerumq; mutationes tam miſeras texui, quàm multiplices. Verùm quia tranſcurſis Babyloniorum, Medorum, Perſarũ, Græcorum geſtis, ad Romanorum tandem hiſtoriam venimus: ea quæ ab ipſis vel fortiter, vel aliter geſta ſunt, quia à multis largè diſerteq; ſunt edita, nos breuitatis cauſa compendio ſtringamus. Hoc tantùm lectorem notare volo, Romam penè nunquam fuiſſe ſine bellis externis, vel ſine clandeſtinis malis, ſeu peſtilentijs internis. Vnde Oroſius atrocitatem peſtilentiæ, quæ quadam vice apud Romam conflagrauit, ſignificans quanta eſſet: *Cenſus*, inquit, *indictus eſt, qui non quantum hominum deperiſſet, ſed quantum ſuperfuiſſet inquireret.* Idem paulò poſt: *Ecce continuatim quæ & quanta numerauimus accidiſſe annis ſingulis. Plurimi anni ſunt, inter quos certè raro aut penè nullo nihil non triſte geſtum. Et hoc cum ijdem ſcriptores, propoſito ſibi magis laudandi negocio, cauerent, numeroſitatem miſeriarum, ne eoſdem, quibus hæc, & de quibus ſcribebantur, offenderent, auditoresq; ſuos exemplis præteritorum terrere potius, quàm inſtruere viderentur. Porrò autem nos in vltimo temporum poſiti, mala Romanorum ſcire non poſſumus, niſi per eos qui laudauere Romanos.* Ex quo intelligi datur, quanta illa fuerint, quæ ſtudio propter honorem repreſſa ſunt, cum tanta inueniuntur, quæ tenuiter inter laudes emanare potuerunt.

Pyrrhus.

Nondum Samnitico bello ad plenum expleto, maximumillud & famoſiſſimum Pyrrhi ſequitur bellũ, qui ex genere magni Achillis originem ducens, Epirotarũ regnum tenebat. Occaſio autem huius belli Tarentini fuere.

CAPVT XXXI.

De Tarentinis, de bello inter Pyrrhũ & Romanos geſtum, teſtimoniumq; ipſorum Romanorum: de nobilitate Pyrrhi, & quòd Tarentini poſt mortem eius Carthaginienſium auxilium quærebant.

Bellum Romanorũ contra Tarentinos & Pyrrhum.

ANNO ab Vrbe condita CCCC LXIIII, Tarentini claſſem Romanorum præteruntem ex ſpectaculo theatri hoſtiliter inuadentes, quibuſdam per fugam lapſis, alios cepere, alios interfecere. Quod Romani prius legatione miſſa quererentur, ac non proficerent, fines eorum cum Æmilio duce igne feroq; vaſtantes, hoſtiliter inuadunt. Tarentini, vtpote ex Lacedæmonijs geniti, Pyrrhum Epirotarum regem legatione pulſant, eiusq; auxilium impetrant. Qui dum ad bellum cõtra Romanos proficiſcitur,

ficiscitur, consulto mendacissimo ac vanissimo Delphico Apolline, dubiũ ab eo, more suo, accepit responsum: ait enim:

Aio te Aeacida Romanos vincere posse.

Igitur Pyrrhus Romaniq; Leuino cõsule, dum non pro temporalis rei commodo, sed pro gloria libertateq; tuenda pugnam apud Heracleam Campanię vrbem, fluuiumq; Lyrim cõserunt, acerrimè diutissimeq; per quinquaginta (vt aiunt) dies mori vtrobiq; magis quàm cedere optantes, dimicauere. Romani tandem maximè elephantũ, quos tunc primùm viderant, terrore consternati, in fugam versi dicuntur. Cæsa feruntur ex eis peditum XIIII milia octingẽti septuaginta: capti decies mille. Ex equitibus verò cæsi CCLVI, capti DCCCII, amissa signa XXII. Quantũ etiam detrimẽtum suorum vincendo acceperit Pyrrhus, ipsemet postmodum manifestauit. Dum enim Tarentum reuertitur, ibiq; Ioui titulum figit, dixisse fertur:

Qui inuicti ante fuere viri pater optime Olympi,
Hos ego iam pugna vici, victusq; ab eis sum.

Dumq; increparetur à suis, cur se victum diceret, qui vicisset, respondit: Næ ego si iterum hoc modo vicero, sine vllo milite Epirum reuertar. Romanis fugientibus aliud discrimen oritur. Nam pabulatores eorum à grandine percussi, alij mortui, alij semiui inueniuntur. Secundò in Apulię finibus bellum instaurant, diuq; pugnantibus Pyrrhus vincitur, ex Romanis v milia, de exercitu Pyrrhi XX milia ceciderunt: ipse quoq; Pyrrhus grauiter in brachio sauciatus fuit. Tertio inter eos bello apud Lucaniam gesto, cum multo vtriusq; exercitus detrimento, Pyrrhus tandem vincitur, sicq; quinto demum anno ab Italia fugere compellitur. Tanta autem virtute ac nobilitate bellum hoc gessisse fertur, vt plurimùm etiam ab ipsis commendetur Romanis. Potest hoc perpendi in præclara eiusdem sententia de reddendis captiuis: ait enim:

Nec mi aurum posco, nec mi precium dederitis,
Nec cauponantes bellum, sed belligerantes
Ferro: non auro vitam cernamus vtrique.
Vos nescitis, an me regnare hera quidue ferat sors,
Virtute experiamur, & hoc simul accipe dictum:
Quorum virtuti belli fortuna pepercit,
Horundem me libertati parcere certum est.
Dono ducite, doq; volentibus cum magnis dijs.

Hæc ab antiquo scriptore edita, Tullius etiam ad argumentum virtutis suæ in libro de Officijs ponit. Rursum idem de eodem: *Cum enim rex Pyrrhus populo Rom. bellum vltrò intulisset, cumq; de imperio certamen esset cum rege generoso ac potente, perfuga venit ab eo in castra Fabricij, eiq; est pollicitus, si præmium sibi proposuisset, se, ceu clam in castra Rom. venisset, sic clàm in Pyrrhi castra rediturum, & eum veneno necaturum. Hũc Fabricius reducẽdum curauit ad Pyrrhum, idq; eius factum laudatum à Senatu est.* Pyrrhus multis postmodũ gloriosè gestis bellis in Græcia, tandem apud Argos Achaiæ vrbem, saxo ictus occubuit. Quo mortuo Tarentini Carthaginensium auxilium flagitant, & accipiunt. *Offic. lib. 3.* *Pyrrhi interitus.*

CAPVT XXXII.

De Carthaginẽsibus, & qualiter fœdus cum Romanis initum, propter Tarẽtinos rumpũt

SED quia Carthaginis mentionem fecimus, de ipsa dicere aliqua non incongruum ducimus. Hæc vrbs ab Elissa condita ante Romam per septuaginta duos annos, à Tyro duxisse originem inuenitur. Totius verò Africæ caput, reges potentissimos habuit, qui vsque adeò imperium dilatauerant, vt etiam inter quatuor principalia regna à quibusdam poneretur. Qualiter autem vrbs hæc gloriosa in regnis, opulentissimaq; labi cœperit, paucis aperiam. Ait Pompeius, seu Iustinus hoc modo: *Carthaginenses vernaculum atque inteſtinum malum, semper inter se habuere discordiam. Qua infeliciter exagitante, nulla vnquam tempora vel foris prospera, vel domi quieta duxerunt. Sed cum inter cætera mala, etiam pestilentia laborarent, homicidijs pro remedijs vsi sunt. Quippe homines, vt victimas immolabant, ætatemq; impuberem, quæ etiam hostium misericordiã prouocaret, aris immolabãt. Itaq; auersis dijs, vt ipsi dicũt,* vt verò nos dicere possumus, deo vero *Carthago.* *Iustinus lib. 18.*

huiusmodi sacrilegijs offenso, *tam in Sicilia, quàm in Sardinia infeliciter pugnauere*: multisq; alijs euẽtibus miseris Cyri, Darij, Philippi, Alexandri temporibus vsque ad tempus, vnde nunc agimus, sunt attriti. Igitur dum Tarentinos adiuuare parant, à Roma fidei firmatiq; fœderis monentur: quod ruptum insuper periurio cumulare non timent. Hæc occasio malorum belliq; maximi fuit. Exhinc Africanum, quo nunquam maius Romani perpessi sunt, bellum, tam famosum, quàm magnitudine ac diuturnitate sui insigne, tam multis ac varijs malorum euentibus est perpetratum, vt solum ad mortalium ærumnarum mutabilitates sufficere valeat comprobandas. Quod quia alij satis luculenter per ordinem executi sunt, nos breuitatis causa, præsertim cum non curiositatis gratia, sed ad ostẽdendas caducarum rerũ calamitates scribamus, historiam stringere volumus. Nõ enim, vt exemplo illorum qui fortiter se egisse arbitrati sunt, alios ad bella accendamus, sed vt in bellis varijsq; alternantium rerum casibus mutabilium miserias ostendamus, bellorum, ac rerum nutantium seriem teximus.

CAPVT XXXIII.

Exordium belli Punici: de occisione Cornelij consulis fraude Hannibalis, & victoria Romanorum.

IGITVR anno ab Vrbe condita CCCCLXXXIII, Romani per Appiũ Claudium, ipso & Quinto Fabio consulibus, Africanum bellum adorsi, Hieronem Syracusanorum regem Pœnis familiaritate coniunctum, primò debellare parant. Quem dum sine graui negocio superassent, pacem petentem cum pecuniæ pactione susceperunt. Post Agrigentum Siciliæ vrbem, vbi Pœnorum copiæ & præsidia vnà cum Hannibale imperatore eorum erant, obsidione clauserunt. Ad summam verò paupertatem redacto imperatore, ciuitas tandem capitur, paucisq; cum rege per fugam elapsis, reliqui sub corona venduntur. Deinde Pœnis, Cneo Cornelio Asina, Caio Duillio consulibus, nauale prælio parantibus, à præfatis consulibus cum classe Romanorum obuiatur: vocatoq; ab Hannibale Cornelio Asina ad colloquium pacis, sed fraude Punica necato, Duillius nauale cum eis prælium commisit, ac pluribus occisis, seu captis milibus, victor extitit. Qui rursus bellum instaurantes, à Scipione, L. Cornelio ipso, & C. Aquilo Floro consulibus, sub Hannone rege suo multis deletis, in fugam vertũtur.

Agrigẽtum Sicilia.

CAPVT XXXIIII.

De Regulo consule, & serpente quem occidit: de victoria eius, & ad vltimũ quomodo occisis multis victus & captus fuerit: qualiter Romã missus captiuos reddi dissuasit, & it a rediens necatus sit. Testimonium Tully de virtute eius & patientia: & de fine primi belli Punici, ac victoria Romanorum, Ianoq; clauso.

ITAQVE post hoc regulus bellum Punicum sortitus, iuxta flumen Bragada castrametatus est: vbi & serpens miræ magnitudinis, vtpote cuius coriũ CXX pedum fuit, multos de exercitu deuorans, non minus arte quàm virtute Reguli necatur, coriumq; eius pro miraculo Romam defertur. Regulus cum tribus imperatoribus, id est cum duobus Asdrubalibus ex Africa, & tertio Hamilcare accito ex Sicilia, manum conseruit, cæsisq; ex eis XVII milibus, captis V milibus, cum XVII elephantibus, reliquos in fugam vertit, oppidaque LXXXII in deditionem accepit. Qua de re Carthaginenses tot infortunijs fracti, ac re familiari exinaniti, pacem petunt: sed cum duras conditiones pacis audissent, malentes in libertate mori, quàm seruituti addicti malè ac miserè viuere, accito sibi sociorum auxilio, id est, Hispanorum ac Gallorum, Xantippoq; Lacedæmoniorum rege precio conducto, rursus bellum innouant. Atrocissimè tunc vtrobique pugnantes, Romani vincuntur, sicq; decimo demum anno victoria nobili Carthaginenses potiuntur. Cæsa sunt ibi Romanorum XXX milia, captus cum D viris Regulus, ac in catenis positus: nã in prioribus longè plures ac innumerabiles ex Carthaginensibus corruêre. Xantippus victoria adepta, rerum mutationes timẽs, in Græciam reuertitur; Romani clade eorum comperta, sub Æmilio Paulo, Lucioq; Metello con-

Reguli Romani consulis virtus.

Romanorũ clades.

cm 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 20 21 22 23 24
GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 136;Leibn. Marg. 136, Stück 1, [58] - 40
PUBLIC DOMAIN

lo consulibus, denuò Pœnis bellum indicũt. Itaq; ne multis morer, tam nauali, quam terrestri prælio, innumeris vtrobique profligatis submersisq;, Carthaginenses rursum pacem petere coguntur. Ad quod dum Regulum captiuum inter alios mitterent, nec impetrarent, resectis palbebris, vigilando eum necauerũt. Quam historiam ad exemplum contemnendæ mortis pro virtute & æquitate, Tullius in libro de Officijs ponit hoc modo: *Marcus Regulus cum consul iterum in Africa ex insidijs captus esset, duce Xantippo Lacedæmonio, imperatore autem patre Hannibalis Hamilcare, iuratus missus est ad Senatum, vt nisi essent redditi Pœnis captiui nobiles quidam, rediret ipse Carthaginem. Is cum Romam venisset, vtilitatis speciem videbat, sed eam (vt res declarat) falsam iudicauit, quæ erat talis: Manere in patria, esse domi suæ cum vxore, cum liberis, quam calamitatem accepisset in bello communem fortunæ bellicæ iudicare, tenere consularis dignitatis gradum, quis hæc neget esse vtilia? Qui censes, magnitudo animi & fortitudo negat. Num locupletiores quæris autores? Harum enim est virtutum nil extimescere, omnia humana despicere.* Et infrà: *In Senatum venit, mandata exposuit: sententiam ne diceret, recusauit: quamdiu iureiurando hostium teneretur, non se esse senatorem. Reddi captiuos negauit esse vtile: illos enim adolescentes esse, & bonos duces, se iam confectum senectute. Cuius cum valuisset auctoritas, captiui retenti sunt. Ipse Carthaginem rediit: neq; eum charitas patriæ retinuit, nec suorum. Neque verò tunc ignorabat se ad crudelissimum hostem, & ad exquisita supplicia proficisci, sed iusiurandum conseruandum putabat. Itaq; tum cum ibi vigilando necabatur, erat in meliori causa, quàm si domi senex, captiuus, periurius, & consularis remansisset.* Item alibi: *Nec vero ego M. Regulum æruminosum, nec infelicem, nec miserum vnquam esse putaui. Non enim magnitudo animi eius cruciabatur à Pœnis, non grauitas, non fides, non constantia, non vlla virtus, non denig; animus ipse, qui tot virtutum præsidio munitus, tantoq; conatu, comitatuq; virtutis septus, cum corpus eius caperetur, capi certè ipse non potuit.* Offic. lib. 3.

Vides quòd in omnibus his verbis, ad exemplũ patientiæ, contemptúm ve mortis ac doloris incitamur. Quid est enim aliud dicere fortitudinis esse, nil extimescere, omnia despicere Regulum, nec charitatem patriæ, nec suorum, nec proprij corporis supplicia reuocare à promisso: quàm contemptus præsentium, abrenuntiatio parentum, possessionum, ac postremo suiipsius abnegatio? Quam trinam abrenũtiationem in scriptura sacra frequenter inuenimus. Proinde si mors etiam iuxta gentes, qui Deum ignorabant, contemnenda cognoscitur: nos qui iam ad agnitionem veritatis vocati sumus, quomodo de ignorantia excusabimur? At dicet aliquis, mortem iuxta philosophos pro virtute contemnendam, mundum verò cum concupiscentiis eius (iuxta Euangelium) pro amore cœlestis patriæ aspernandum non fore? Quid hoc stultius? quid ineptius? quid dementius? Quasi non omnis mũdialis voluptas morte claudatur, finiatur, extinguatur. Vnde est illud Sapientis: *Muscæ morientes perdunt suauitatem vnguenti.* Restat igitur, vt nos qui in ecclesia esse cernimur, exemplo gentium, secundum quod Propheta ait: *Erubesce Sidon, ait mare*: de malis operibus erubescamus, ac de amore præsentium ad æternorum desiderium conuersi rapiamur. Sed hæc hactenus. Eccles. 10. Iesa. 23.

Regulo Attilio, Luctatioq; consulibus, Romani post hęc tot malis attriuere Carthaginenses, vt tum demum pace proposita sibi à Romanis, conditionem acciperẽt. Conditio autem talis fuit, vt per XX annos trium milium talentorum singulis annis pondus pro expensis darent, Siciliaq; ac Sardinia, quas tunc occupauerant, decederent. Facta est hæc pactio XXIII, ex quo bellum Punicũ cœpit, anno. Vbi quot regum, consulum, senatorumve ordines perierint, quantæ vtriusque populi strages fuerint, enumerare nemo posset. Iani tunc porta, secundò à Numa, clausa est. Finis primi belli Punici.

CAPVT XXXV.

De inundatione Tyberis, & incendio vrbis: de Gallis transalpinis, & bello Punico secundo inchoato.

ANNO ab vrbe condita DVII victoriæ huius lætitiam ingens præuenit mœror. Vrbs enim tam inundatione Tyberis, quàm incendio consumitur, domorumq; ac hominum misera strage vastatur. Iisdem diebus cum transalpinis Gallis Ro-

mani pugnantes, primò victi, secundò vicerunt. Tunc etiam Carthaginenses pacem violant. Hinc iam bellum supputatur Punicum secundum.

CAPVT XXXVI.

De morte Hamilcaris, & quomodo filius eius Hannibal diuersis prælijs Romanos deuicit, intãtum vt etiam sedes mutare cogitauerint: quomodo etiam ab Vrbe tempestatibus pulsus est. De morte duorum Scipionum, & captione Capuæ.

Hannibalis res gestæ.

IGITVR nobilem Carthaginensium vrbem vrgebat, quòd quæ antea imperare terris insulisq; tributa exigere consueuerat, iam Romanorum imperio subiacere, iam ipsis tributa dare cogeretur. Ea propter Hamilcar dux Carthaginensium, dum Romanis bellum machinatur, ab Hispanis vita priuatur. Hannibal verò, qui Hamilcari patri ad aras contra Romanos iurauerat, vltionem omni nisu intentat. Occasione ergo nacta, Hispaniæ vrbem, ac Romanis amicam Saguntum obsidione cingit, spretisq;, ac iniuriosissimè affectis Romanorum legatis, ipsam ciuitatem octauo mense cepit & expugnauit. Inde ad ipsorum excidium per Gallias profectus, viam per Pyreneas Alpes primus igne ac ferro aperuit, Gallosq; Alpinos resistentes vicit. Transcensis Alpibus, P. Cornelio Scipione & P. Sempronio Longo consulibus, apud Ticinum bellum committitur. Itaq; Scipione vulnerato, ac per Scipionem filium, qui postmodum Africanus dictus est, morte exempto, omnis penè Romanorum deletur exercitus. Rursumq; congredi parant, ac vincũtur. Tertiò dum item bellum instaurant, Romani in fugam vertuntur. Sauciatus ibi Hannibal, pòst in Hetruriam primo Vere transiens, ex nimietate frigoris oculũ in Apennino perdidit. Quid multa? His, alijsq; tam virtute quàm arte Hannibalis bellis, & præcipuè cum apud Cannas pugnasset, & cæsis captisq; penè omnibus, ac maximè consularibus viris (vnde tres modij annulorum à manibus nobilium interfectorũ tracti, in signum victoriæ Carthaginem missi dicuntur) His, inquam, tantum attriti malis Romani fuere, vt in vltima desperatione capti, vrbem quoq; deserere ac prouinciam mutare cogitassent. Nec dubium, iuxta Orosiũ, quin vel omnes seruituti subiecti, vel ad internecionem cæsi fuissent, si Hannibal post tot victorias ad Vrbem capiendam processisset. Hannibal verò improuidè circa Tarẽti fines in Apulia moratus, multos ex calore ac fœtore terræ perdidit. Igitur Sempronio Gracco, Quinto fabio Maximo consulibus, Claudius ex prætore proconsul factus, Hannibalis exercitũ plus natura locorum quàm viribus Romanorũ sauciatum, primus vicit, ac cæteris spem vincendi Hannibalem dedit. Inter hæc Scipiones Asdrubalem Pœnorum imperatorem exercitum in Italia parantem, graui bello pressérunt. Cneo Fuluio, & Sulpitio consulibus, Hannibal de Campania castra mouens, Vrbem aggredi tentat. Vbi dum trepidi tam viri, quàm mulieres ad mœnia confugerent, Vrbemq; defensare pararent, Hannibal bis grandine, tempestatibusq; ab impugnatione Vrbis arcetur. Dixisse tunc ex religione fertur Hannibalem, potiundæ sibi Romæ quandoq; voluntatem, quandoque non esse facultatem. Quod quidem Romani dijs suis, Vrbem defensantibus, ascribebant: nos verò occultis ac profundis iudicijs Dei, sine cuius nutu nec folium in terram cadit, attribuere possumus, qui hanc vrbem inter tot pericula & discrimina seruare, ac paulatim proficere, in totiusq; orbis dominium crescere voluit. Cuius rei rationem, quantum humana fragilitas metiri potest, in sequentibus, cum ad Augusti Cæsaris principatum ventum fuerit, Deo largiente, reddemus. Hoc decimo anno, ex quo in Italiam venit Hannibal, factũ est. Interea duo Scipiones à fratre Asdrubalis in Hispania necãtur. Ea tempestate à Quinto Fuluio consule Capua vrbe Campaniæ capta, principes eius veneno se interfecerunt.

Cladis Romanorum ad Cannas.

CAPVT XXXVII.

Qualiter Scipio proconsul factus Pœnos deuicerit: Hannibal Marcellũ & Crispinum consules occiderit: & ad vltimum amisso fratre Asdrubale ad Brutios cesserit.

Scipio Africanus.

ITAQVE occisis Scipionibus, dum cuncti metu consternarentur, esset́q; inopia maxima ærarij, Scipio admodum adolescens, M. Claudio & Valerio Liuiano consulibus

bus,patrem patruumq; vlturus se obtulit.Proconsulare ergo sortitus officiū, XXIIII habens annos,Pyrenæum cum exercitu transcendit, captaq; ibidem noua Carthagine,stipendia largè ex præda vrbis ampliauit.Magonem Hannibalis fratrem,cum alijs captiuis Romam misit:Asdrubalem Pœnorum regem vicit, octogintaq; ciuitates aut destruxit,aut in deditionem accepit.Considerari hoc loco potest, cum quanta non solùm fortitudine, sed & prudentia Romani orbem terræ suum fecerint.Dum enim Hannibali Afrorum viribus in Italia moranti, decertare non valerent, regnum eius tanquam exhaustum milite, & infirmum hostiliter inuadunt ac deuastant, vt per id hostem ad propria saltem redire compellant.Ex quo liquidò apparet, iuxta viri prudentis sententiam,ingenio bellū plurimùm valere.Inter hæc Hannibal in Italia Marcellum consulem cum exercitu deleuit, Crispinum in insidias callidè euocatum,pari modo necauit.Claudio Nerone,&.M.Liuio Salinatore consulibus,Asdrubal Hannibalis frater,à Pœnis in auxilium fratri missus,Romanorum præuenitur insidijs.Transcenso quippe Pyrenæo, Romanum militem obuium habuit, cum quibus manum cōserens,cum toto penè exercitu interemptus est. Captiui Romanorum,qui ad quatuor milia ibi erant, relaxantur. Ceciderunt in eo prælio de Romanis VIII milia,ex Afris verò LVIII milia, capta verò quinque milia quadringenti & quatuor.Caput Asdrubalis fratri Hannibali ante castra proiectū est. Quo viso strageq; suorum comperta,Hannibal decimotertio in Italiam venerat anno,cessit ad Brutios,&sic sequens annus inter ipsum & Romanos vtrisq; fatigatis,sine inquietudine bellorū ductus est.

CAPVT XXXVIII.

De victoria Scipionis,itemq; de victoria Hannibalis, redituq; eius in patriam.De vltima pugna Romanorum & Pœnorum.quomodo Scipio rediens in comitatu Terentium habens, triumpho susceptus sit, bellumq; Punicum secundum terminatum.

INTEREA Scipio tota Hispania peruagata,à Pyrenæo vsq; ad Oceanum Romanorum prouinciam fecit.Hannibal verò (mirabile dictu) non solùm belli, sed & morborum malis toto penè exhausto exercitu,Sempronium cōsulem cum Romanorum exercitu pugnantem secum vicit, atque ad vrbem fugere compulit. Igitur iam penè tota Africa,ferro igneq; à Scipione consumpta,Hannibal reuocatur à suis:sicq; interfectis omnibus qui eum sequi nollēt,Italicis militibus flens reliquit Italiam. Qui dum ad Africanum propinquaret littus, speculatorem malum ascendere præcepit, à quo sibi responsum ferunt, sepulchrum se dirutum videre. Hannibal Carthaginem veniens,Scipionis colloquium petiuit. Vbi dum se duo clarissimi bellatores mutuò colloquentes mirātur,pacis infecto negotio ab inuicem discesserunt,rursusq; bellum consertum est,quod cum magno vtriusq; principis ingenio,virtuteq; confectum,Romanis tandem plenam victoriam dedit. Cæsa sunt ibi Carthaginensium XX milia,elephanti LXXX interfecti vel capti.Hannibal Carthaginēsibus suadens residuam spem in pace ponendam,cum quatuor militibus Adrumentum clam elapsus confugit. Ergo Carthaginensibus pax per Scipionem consensu senatus conceditur, C. Cornelio Lentulo, P. Elio Pœto consulibus. Naues Carthaginensium plusquam D in altum ductę,in conspectu vrbis cremantur.Scipio verò ex deuicta Africa,Africanus dictus, cum triumpho ingrediens Vrbem suscipitur. Quem Terentius Comicus ob signum concessæ libertatis,pileatus triumphantem comitatur. Hîc Punicum bellum secundum XVIII anno finitur,anno ab vrbe condita,DXLVI.

Hannibal in Africam rediens.

CAPVT XXXIX.

De prodigiis quæ hæc mala præcesserunt: de excidio Tarenti:de victoria Macedonum & Lacedæmoniorum.

PRÆCESSERVNT hoc bellum dira prodigia,i.sol minor parmæ visus in cœlo.Solem pugnasse cum luna:lunas duas simul ortas:duo scuta sanguinē sudasse, cruentas spicas in corbes cecidisse, refert Orosius. Tarentum quoque, vnde tam Pyrrhi,

Tarenti destructio.

quàm Carthaginenſium cœpit bellũm, nobilis ac opulenta Campaniæ vrbs ijſdem diebus deſtructa eſt. Ex hinc Romani ciuitatum quas nominaui, præda, auro, gẽmis, argento, rebuſq; precioſis ditari cœpẽrunt. Nam in prioribus bellis pecora tantùm, aliasq; exiguas res rapuerant. Poſt Africanum, bellum Macedonicum ſequitur, quo cum multo Romanorum detrimento, tandẽ victis hoſtibus terminato, Q Flaminius conſul, pacem Philippo dedit, Lacedæmonios pugnando vicit, ab eisq; nobiliſſimos obſides Demetrium Philippi filium, & Armenem Nabidis filium acceptos, ante currum duxit. Romanorum captiui, qui ſub Hannibale venditi fuerant, abraſis capitibus ob ſignum abolitæ ſeruitutis, reuertuntur.

Lacedæmonij ſuccumbũt.

CAPVT XL.

De barbaris victis à Romanis, & ſubacto Philippo rege, qualiter Antiochus, ad quem Hannibal confugerat, victus, pacem petierit. De morte Hannibalis & Scipionis, laudesq; Tullij & Senecæ in Scipionem.

EA tempeſtate Lucius Fuluius Inſubres, Boios, & Cenomannos, qui vſque Cremonam proceſſerant, eamq; ſimul cum Placentia vaſtabant, grauiſſimo bello ſuperauit. Flaminius proconſul Philippum regem cum Thracis, Macedonibus, Illyricis contra ſe venientem, multis ex Macedonibus cæſis milibus, ſubegit. Hannibal ad Antiochum regem Syriæ veniens, cum eum apud Epheſum inueniſſet, contra Romanos incitauit. Sed fruſtra: iam enim intantum ſtatus reipublicæ profecerat, vt nec tanti regis aduerſum Romanos valeret, vel proficeret niſus. Claſſi quippe Antiochi præpoſitus Hannibal, à Scipione nauali prælio ſuperatur, & ſic pax ab Antiocho poſtulatur, & impetratur. Porrò Hannibal non multo pòſt ad Pruſiam regem Bithyniæ fugiens, dum à Romanis repoſcitur, veneno ſumpto vitam finiuit. Sicq; Romani Macedonibus, ſeu Græcis, qui toti penè Aſiæ ab Alexandro, & deinceps principabantur, imperium paulatim eripere tentarũt, donec funditùs ſub Octauiano Cęſare in ſuam illud deditionem transfuderunt. Quæ cum ad id tempus ventum fuerit, pleniùs Deo largiente, dicentur. Iiſdem diebus Scipio Africanus, vir inter ſuos omni laude dignus, ab ingratis ciuibus Vrbe pulſus, apud Linternum oppidum morbo conſumptus, diem obijt, & ſepulchro ſuo inſcribi fecit, *Ingrata patria nec oſſa mea habebis.* De quo Tullius in tertij Officiorum libri prologo ſic ait: *Scipionem, Marce fili, eum qui primus Africanus appellatus eſt, dicere ſolitum ſcripſit Cato (qui fuit ferè eius æqualis) nunquã ſe minus otioſum eſſe, quàm cum otioſus: nec minus ſolum, quàm cum ſolus eſſet. Magnifica verò vox, & magno viro ac ſapiente digna: quæ declarat, illum & in ocio de negocijs cogitare, & inſolitudine ſecum loqui ſolitum: vt neque ceſſaret vnquam, & interdum colloquio alterius non egeret. Itaque duæ res quæ languorem afferunt cæteris, illum acuebant, Ocium & Solitudo.* Cuius item virtutem & admirabilem patientiam L. Seneca non tam philoſophus, quàm Chriſtianus dicendus, in epiſtolis ad Lucilium commendans, ait: *In ipſa Scipionis Africani villa iacens hæc tibi ſcribo, ad oratis manibus eius, & ara, quam ſepulchrum eſſe tanti viri ſuſpicor. Animum quippe eius in cœlum, ex quo erat, rediiſſe perſuadeo mihi: non quia magnos exercitus duxit, hoſtes enim & Cambyſes furioſus, ac furore feliciter vſus habuit: ſed ob egregiam eius moderationem, pietatemq;, quam magis in illo admirabilem iudico, cum reliquit patriam, quàm cum defendit. Aut Scipio Romæ deeſſe debebat, aut Roma libertati. Nihil,* inquit, *volo derogare legibus, nihil inſtitutis, æquum inter omnes ciues ius ſit, vtere ſine me beneficio meo patria: cauſa tibi libertatis fui. Tuus ſemper ero, & argumentum ex eo, ſi plus quàm tibi expedit, creui. Quid ni ego admirer hanc magnitudinem animi, qua in exilium voluntarium ſeceſſit, & ciuitatem exonerauit? Eo perducta res erat, vt aut libertas Scipioni, aut Scipio libertati faceret iniuriam. Neutrum fas erat: itaque locum dedit legibus, & ſe Linternum recepit, tam ſuum exilium reipublicæ imputaturus, quam Hannibali.*

Hannibalis Pœni interitus.

Mors Scipionis Africani.

CAPVT XLI.

De ſitu Carthaginis, tertio q; Punico bello, euerſione quoque ipſius: quomodo Scipio regnum Numidiæ partitus ſit.

IGITVR

IGITVR Romani victis tam Græcis, quàm Syriis, Hiſpanis etiam ac Africanis, Carthaginem tanquam Romanæ vrbis æmulam, vltima ſorte delere decreuerunt. Cuius ſitus (vt ait Oroſius) talis eſſe dicitur. Triginta milibus paſſuum, muri amplexu, toto penè mari cingebatur, abſque faucibus, quæ tribus milibus paſſuum aperiebantur. Is locus murum XXX pedes latum habuit ſaxo quadrato, in altitudine cubitorum XL. Arx cui Byrſæ nomen, paulo amplius quàm duo milia paſſuum tenebat. Ex vna parte murus communis erat vrbis & Byrſæ, imminens mari, quod mare ſtagnum vocabãt: quoniam obiectu protentæ linguæ tranquillatur. Hinc bellum Africanum cœpit tertium, L. Cenſorino, & M. Manlio conſulibus, quinquageſimo vel amplius, poſt ſecundum bellum anno. Scipio ergo minor, qui tũc tribunus militum fuerat, vna cum conſulibus Romanum exercitum in Africã ducens, iuxta Vticam caſtrametatus eſt, euocatiſq; Carthaginenſibus ad ſe, arma ſimul & naues dare præcepit. Quod dum ſine mora facerent, ac vt ab vrbe per x milia paſſuum à mari recederent, iuſſi eſſent, reuerſi, pœnitentia ducti, ciuitatem defenſare parant, & duos Aſdrubales duces creãtes, arma fruſtra reparare tentabant, æriſq; inopiam, auri argentiq; metallo ſupplebant. Romani Carthaginem acriter impugnare cœperunt. Qui ad vltimam ſortem deducti, primùm Aſdrubalem ſuſpicionis occaſione necauerunt, & ad vltimum Romanis omnes in deditionem venerunt. Itaque Carthago funditus à Romanis, lapidibus mutatibus in puluerem comminutis, diruitur: ipſaq; cremata miſerum humanarum rerum ſpectaculum relinquens: decem & ſeptem diebus continuis arſiſſe perhibetur, omniſque multitudo captiuorum, exceptis paucis principibus, venditur. Regina, Aſdrubalis vxor, malorum intuitu, fœmineo furore cum duobus filiis igni ſe dedit. Sicq; vltimæ reginæ ac primæ, Didonis ſcilicet, ſors & exitus ſimilis fuit. Factum eſt autem huius potentiſſimæ vrbis excidium, anno ab conditione eius pluſquam DCC, anno verò ab vrbe condita DCIII, Cn. Cornelio Lentulo, L. Mummio conſulibus. Et ita bellum Punicum tertium quarto, ex quo cœperat, anno, terminatur. Cuius occaſionem penitus ſe ignorare Oroſius teſtatur. Inter hæc Scipio, Maſiniſſa mortuo, inter filios ſuos regnum Numidiæ partitur.

Situs Carthaginis.

Poſtremum bellum Punicum.

CAPVT XLII.

Supputatio diuerſa, quo tempore Machabæi fuerint.

CIRCA idem tempus fuiſſe Simonem vltimum ex Machabæis Hebræorum ducem, tam ex ſupputatione regni Græcorum, quàm ex conſulatu præfati Lucij, cõiici datur. Cùm enim CLXXII anno regni Græcorum, clypeus aureus Romam à Simone miſſus inuenitur, reſcriptumq; fuiſſe à Lucio conſule Ptolemæo regi Ægyptiorum, idem liber teſtatur, ante deſtructam Carthaginem, quæ CLXXVII Græcorum regni anno facta eſt, quarto anno amicitiæ fœdus inter Simonem magnũ ſacerdotẽ, ac Romanos initum, prudens lector inueniet. Et vt apertiora quæ diximus fiant, anno CCCCXXVII ab vrbe condita, Alexander, qui primus in Machabæorũ hiſtoria regnaſſe dicitur in Græcia, Philippo in regnum ſucceſſit. Anno verò ab vrbe DCIII, Carthaginem deletam inuenies. Supputantur ergo à primo regno Græcorum, id eſt, ex quo Alexander regnare cœpit, vſq; ad deſtructam Carthaginem anni CLXXVII: legatum verò, à Lucio Ptolemæo rege Ægyptiorum pro Iudæis miſſum, CLXXIIII anno reperies, ante deſtructam Carthaginem anno 4. Verùm ſi à ſexto regni Alexandri anno, id eſt, ex quo occiſo Dario Medos & Perſas ſubegit, Græcorum regnũ, quod tunc auctoritatem habere cœpit, ſupputare incipis, biennio poſt deſtructam Carthaginem, tertiumq; Punicum bellum finitum, hanc legationem, vel potiùs præceptum ad potentiſſimos Orientis reges Ptolemæum & Antiochum datum inuenies. Nec mirum, ſi tantæ vrbis, vtpote quæ non ſolum Africam, ſed & Sardiniam, Siciliam, ac penè Hiſpanias ſibi ſubiecerat, potiti victoria, iam etiam Orientis Romani didicerant imperare regibus. Si autem non ab Alexandro, ſed à ſucceſſore ſuo in Syria Seleuco, regni Græcorum ſupputatio inchoatur, anno 20 poſt deletam Carthaginem, pro Simone, & populo Iudæorum hæc legatio Romanis facta cognoſcitur: Iudasq; & Ionathas ante deſtructam Carthaginem fuiſſe creduntur. Sicq; non incongruè optimi le-

Machabæi & Scipiones contemporanei.

gis Dei zelatores Machabæi, & inclyti Romanæ vrbis, ac paternarum legum defensores Scipiones, contemporanei inueniũtur. Quòd enim à Seleuco regni Græcorum supputatio iuxta Machabæos incipiat, Hieronymus in Daniele velle videtur, vbi ait: *Post mortem Iaddi sacerdotis, qui sub Alexandro templo præfuit, suscepit pontificatum Onias, quo tempore Seleucus subiugata Babylone, diadema totius Asiæ capiti suo imposuit, anno* XII *mortis Alexandri. Ex qua ætate scriptura Machabæorũ regnum Græcorum enumerat.* Appone ergo priori supputationi VI Alexandri annos, quibus post mortem Darij toti Asiæ imperauit, & hos XII Seleuci, & reperies XVIII: quibus si biennium (quo prior supputatio excidium Carthaginis excessit) addatur, XX annorum (vt dictum est) numerum supplebis. Vtrum verò sic, vel sic fuerit, post victoriam Pyrrhi, & triumphum Africani belli secundi, Romanos primò claros apparuisse, primò in exteras regiones imperium dilatasse innuitur.

CAPVT XLIII.

Subuersio Corinthi, excidium Numantiæ, & excursus breuis.

Corinthi excidium.

EVERSA Carthagine, ijsdem quos numeraui consulibus, Corinthus veluti omnium opificum officina, inter omnes Macedoniæ Achaiæq; vrbes opulentissima, ferro igneq; à Romanis deletur, & sic duarum nobilissimarum vrbium triste ac miserabile vno anno orbi illuxit incendium. Hinc mixtis ex incendio diuersorum metallorum generibus, Corinthium æs, seu Corinthia vasa nomen & exordium susceperunt. Tantam victoriam subsequens clades obnubilauit. In Hispania siquidem non multo pòst cum Numantinis, Mancino consule malè pugnatum est, fœdusq; turpius pro redimendo milite, sicut prius à Pompeio initum est. Senatu ergo decernẽte fœdus rumpitur, Mancinusq; auctor fœderis Numantinis vinctus mittitur. Scipio verò Africanus consensu omnium consul creatus, ad expugnandam Numantiam exercitum ducit. Itaque tam virtute, quàm prudentia ducis, Numantini dum se superari viderent, mori potius, quàm seruire parati, barbara prius potione inebriati, in castra Romanorum ruunt: fugatisq; proculdubio hostes, si Scipio non affuisset. Vltima demum desperatione fracti, seipsos cum vniuersa supellectile, ne quem ibi in homine, seu qualibet possessione triumphum Roma videret, igni dare, quàm Romanis seruire maluerunt. Sufficiunt ad comprobandũ mortalium mutabilitatem mala quæ posuimus, multisq; de ciuibus mundi dictis, ad ciues Christi, ac Christiana tempora festinandum arbitramur. Meminisse enim lectorem volumus, nos ad ostendẽdas rerum mutabilium miserias, conflictationes seculi ponere ex promisso debere, quatenus earum consideratione, ad regni Christi quietem, permanentemq; sine fine felicitatem transeundum rationis intuitu ducamur.

Numãtinorum interitum.

CAPVT XLIIII.

De Iugurtino bello, & variis euentibus Romanorum cum Cimbris, Gallis, Germanis De inteſtinis malis ſub Sylla & Catilina, Macedonicoq;. De Aſia minore Romanis tradita.

ROMANI quamuis iam penè totius orbis potirentur dominio, tamen nondum ad plenum subiugatis gentibus bella habuere exterius, intestinis verò malis abundabant interius. Hinc Iugurtinum bellum sub Metello Marioq; terminatum. Hinc Cimbricum ac Teuthonicum, Gallorum, Germanorum bellum acerrimum tam miserabiliter ac immaniter est actum, vt in vno à prædictis gentibus bello LXXX. milia Romanorum, & XL milia calonum & lixarum, C. Manlio consule, & Quinto Cepione proconsule, cum duobus filiis consulis fusa inuenies. Cum quanto verò detrimento eorum quinto consulatu Marij deuicti fuerint, dicere necesse non est, cum victorum tanta damna præcesserint. Sequitur hoc malum maxima ex intestino bello Romanorum clades, Sylla, Caio, Marioq; autoribus: quo per X annos protracto, CI. Romanorum milia cæsa fuisse inueniuntur. Ex hinc Romanorum rempubl. non solùm imminutam, sed penè amissam, testis est Tullius sic in lib. Officiorum 2. *Veruntamen quamdiu imperiũ P. R. beneficiis tenebatur, non iniuriis bella, aut pro socijs, aut de imperio gerebantur:*

bantur, exitus erant bellorum aut mites, aut necessarij. Regum, populorum, nationum, portus erat & refugium Senatus. Nostri autem magistratus, imperatoresq; ex vna hac re maximam laudem capere studebant, si prouincias, si socios æquitate & fide defendissent. Itaque illud patrocinium orbis terræ verius quàm imperium poterat nominari. Sensim hanc consuetudinem & disciplinam iam antea minuebamus: post Syllæ verò victoriam penitùs amisimus. Desitum est enim videri quicquam in socios iniquum, cum extitisset etiam in ciues tanta crudelitas. Ergo in illo secuta est honestam causam non honesta victoria. Est enim ausus dicere hasta posita, cum bona in foro venderet, & bonorum virorum, & locupletum, & certè ciuium prædam suam se vendere. Et infrà: *Ad exemplum amissi imperij, reportari in triumpho Massyliam vidimus, & ex ea vrbe triumphari, sine qua nunquam nostri imperatores ex transalpinis bellis triumpharunt.* Et post pauca: *Nec verò vnquam bellorum ciuilium semen & causa deerit, dum homines perditi, hastam illam cruentam & meminerint, & sperabunt.* Ex quo apparet, Romanos quidem creuisse in diuitiis & potentia, sed decreuisse, ex quo auaritiam sequi cœperunt, in veritate & iusticia. Vnde est rursum illud Tullij: *Vtinam*, inquit C. Pontius, *Samnis ad illa tempora me fortuna seruasset, & tunc essem natus, quando Romani dona accipere cœpissent, non essem passus diutius eos imperare. Næ illi quidem multa secula expectanda fuerunt: modo enim hoc malum hanc rempublicam inuasit. Sylla iste tabulas proscriptionis instituit, occisisq; pluribus consularibus viris, C. etiam Marium effossis oculis, membrisq; truncatis vita priuauit.* De quo Tullius in Paradoxis: *C. Marium vidimus, qui mihi secundis in rebus vnus ex fortunatis hominibus, in aduersis vnus ex summis viris videbatur, quo beatius esse mortali nihil potest. C. verò Marius ob hanc causam viso capite socij, desperatione captus, seruo iugulum præbuit.* Deinceps Catilinarium ciuile sequitur bellum, quod Sallustius prudenter ac luculenter satis, sicut etiam Iugurtinum, executus est. Macedonicum quoque iisdem diebus grauissimum fuisse inuenitur. Tunc etiam Attalus rex Asiæ moriens, regnum cum testamento Romanis reliquit.

Regnum Asiæ ad Romanos.

CAPVT XLV.

Difficile bellum habitum cum Mithridate, & tandem victo illo terminatum: quomodo prædictus rex, tam ob hoc malum, quàm ob filium eum deponere molientem, terminum vitæ fecerit.

INTER hæc quæ diximus mala, Mithridatici belli clades, omnibus prioribus (excepto Africano) maior, per XL, vel iuxta alios, per XXX annos extenditur, anno ab vrbe condita DCLX, quo etiam ciuile bellum cœperat, inardescere cœpit, Cicerone & Antonio consulibus terminata. Et vt ait Lucanus:

Barbarico tandem vix consummata veneno est.

Mithridates enim Ponti, Armeniæq; rex, dum Bithyniæ regem Nicomedem, amicum Romani populi, regno priuare conatur, à Senatu ne faciat monetur: minis etiam, si nõ faceret, appositis. Proinde motus Mithridates non solùm regno Nicomedem expulit, verùm etiam Cappadociam alio rege, Ariobarzane scilicet inde electo, igne, ferroq; vastauit. Præterea Ephesum veniens, omnes ciues Romanos dato edicto necari præcepit. Inde Archelaum ducẽ suum in Græciã mittens, tam Athenas, quàm totam Græciam in deditionẽ accepit. Cõtra quem Sylla cum exercitu missus, Archeleo c milia interfecit, vrbemq; Athenienſium diu obsessam ad vltimum recepit. Mithridates strage suorum comperta, exercitum LXXXIII milium militum electorum Archelao in exilium mittit, ex quibus L milia cœsa feruntur fuisse. Tertiò rursus Archelaus cũ Sylla congressus, vincitur, ibiq; vniuersę copię eius fundũtur. His aliisq; innumerabilibus, quæ longũ est enumerare, malis, ad hoc tandem potẽtissimus ille, qui penè totũ Orientem sibi subiugauerat, peruenit rex, vt qui antea non solùm gentibus, sed & regibus imperando, venenum tantùm timeret, non gladium, ac naturam suam multis firmasset antidotis: ad hoc, inquam, tam bellorum infortuniis, quàm filij sui regno eum deponere molientis, molestia deductus est, vt veneno se necare vellet: sed medicinis antea firmata natura non posset. Occisis itaq; vxoribus ac filiabus suis, dum nullo veneni genere ipse (vt dixi) perire posset, militi iugulũ præbuit, sicq; LXXII ętatis annos habens, vita decessit, nobisq; miseræ mortaliũ conditionis exempla reliquit.

Mithridatis res gestæ & interitus.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 136;Leibn. Marg. 136, Stück 1, [65] - 47
PUBLIC DOMAIN

Fertur de ipso, quòd à filio suo dum regno pelleretur, ipse ex altissimo muro prospiciens, exorabat filium, sed non est auditus. Quoniam, inquit, Pharnaces mori iubet, dij si estis patrij precor, vt quandoq; ipse hanc vocem, à liberis suis audiat. Sicq; dij si estis patrij dicens, eos veros esse deos dubitauit.

CAPVT XLVI.

Quòd Romani Pompeium in Orientem miserunt, qui deuicto toto Oriente, templum quoq; domini polluit, captoq; & vincto Aristobolo, fratri eius sacerdotiũ tradidit.

IGITVR Mithridatico terminato bello, malisq; tam socialibus quàm ciuilibus sopitis, factioneq; Catilinæ ad plenum abolita, Romani se intra se cohibere non valentes, nec terminis suis, quos iam habere cœperant contenti, totum orbem in prouinciam redigere cupiunt. Cuius rei gratia Pompeius clarissimus eorum dux, exercitum gubernandum in Asiam suscepit, totumq; Orientem penè Romanorum imperio in breui subiecit, regibus aliis mutatis, aliis subactis. Inter alia Oriẽtis regna, Hierusalem veniens, capta ciuitate, templum quo soli populo Dei immolare licuit, oblatis hostiis polluit, regemque eorum Aristobolum vinctum Romam misit, & Hircano fratri suo summum sacerdotium tradidit. Quoniam autem Iudæorum mentionem fecimus, in quibus tunc tantùm (iuxta prophetam) exceptis paucis, qualis fuit Iob, notus fuisse Deus traditur, qualiter post prophetas & relaxatam captiuitatem vsque ad id tempus ciuitas Dei fuerit, paucis aperiam.

Pompeius magnus.

CAPVT XLVII.

Qualiter, & sub quibus principibus seculi Israel à transmigratione Babylonis vsq; ad id tempus sese habuerit: & de Herode alienigena.

POST mortem Alexandri, cùm principes eius diuersas sortirentur prouincias, Ptolemæo Lagi filio sorte deuenit Ægyptus. Is multos ex Iudæis captiuauit. Cui successit Ptolemæus Philadelphus, qui non solùm religionis intuitu captiuos relaxauit, verùm & templo regalibus muneribus donato, libros legis ab Eleazaro sacerdote poposcit. Quos dum accepisset, ac in bibliotheca nobili deposuisset, interpretes eorum, qui eos de Hebræo in Græcum transferrent sermonem, requisiuit. Huic de singulis tribubus dati sunt presbyteri vsq; ad LXX, qui in vtraq; lingua periti, spiritu sancto dictante, singuli singulis cellis, vniformem, ciuitati Dei vtilem valde ediderunt interpretationem. Hieronymus tamen in vna domo Alexandriæ refert eos conferendo simul interpretatos fuisse. Post hoc à Ptolemæo, qui & Epiphanius, Alexandriæ rege capti, deinde ab Antiocho multis malis sunt attriti, ac ad idololatriam coacti. Cui fortissimus Iudas vir, cum fratribus suis fortissimè restitit. Successit Iudæ Ionathas, cui Simon, ac post ipsum filij eius. Quia ergo omnes canonicæ in Machabæis terminantur historiæ, qualiter post hoc gentis Hebræorum regnum, vsque ad Christum steterit, ex historiis tantùm eorum cognosci datur. Non enim, vt ipsi perfidè argumẽtantur, vnctio in captiuitate Babylonica defecit, sed secundum eorum historiographos, populus ille post illud tempus non solùm summos sacerdotes, sed etiam reges habuit. Quorum primus post Simonem, eiusq; filius Aristobolus fuit. Cui Alexander & ipse rex, & sacerdos successit. Cui ob nimiam quam in suos exercuit crudelitatem, dum qualiter eis conciliari posset requisiuit, responsum est: si moreretur. Post hunc vxor eius regnauit Alexandra, cuius filij fuerũt Hircanus & Aristobolus. Ex quibus dum regnaret Aristobolus, Pompeius Romanorum princeps ab Hircano vocatur, captoque ab ipso (vt suprà dixi) Aristobolo, & in vinculis posito, Hircanus fratri subrogatur. Sicq; velint nolint, ex propriis Iudæi conuincuntur testimoniis, Herode primò alienigena regnante, natoq; Christo, illam impletam fuisse prophetiam, qua dicitur: *Non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de femore eius, donec veniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentiũ.* Qui verò his diebus ciues Christi fuerint, non facilè perpendi potest. Iam enim prophetæ siluerant, eratq; (iuxta quod scriptum est) medium silentium, ac profundissima nox: venturũq; in proximo à regalibus sedibus omnipotentis sermonem: hoc

LXX. interpretes Bibliorum.

Status Iudæorum post tempora Machabæorum.

Gen. 49.

hoc ipsum silentium, ac cæcitas noctis præsagiebat. Sicut enim appropinquante luce claritatis, nox amplius densatur, cunctisq; sopore depressis, silentio omnia tenentur: sic apparituro in carne Dei Verbo, cunctumq; suo mundum ortu irradiaturo, non solùm malorum turbines ciuitatum mundi obnubilando tegebant, verùm ipsam ciuitatem dei tenebræ operiebant, silentium tenebat, vt venientem in carne lucem tantò ardentiùs homines conspicerent, quantò eam tenebris antè depressi, malis fessi, auidiùs præstolati fuissent. Extitisse tamen & tunc ciues Christi, quamuis propter silentium scriptorum quidam taceantur, ex hoc præcipuè intelligi datur, quòd VII milia virorum, quæ sub Helia fuerunt, vsque ad finem mundi non defutura ciuitati dei credimus. At Hircanus Herodem Antipatris filium alienigenam, ad regni negocia administranda assumpsit. Qui iniqui & perfidi tyronis officium exequens, Hircano vita & regno exempto, regnum inuasit, ac permissione Romanorum tandem obtinuit. Hic etiam vt regno liberius potiretur, non solùm regiam, sed & sacerdotalem vnctionem aboleuit, vestemq; sacram solis sacerdotibus gestare licitam, ad vsus suos prophanè ac sacrilegè redegit, vt meritò vnctione tam regali quàm sacerdotali cessante, sanctus sanctorum inuisibili oleo in verum regem & sacerdotem vngendus, in breui venturus cognosceretur. De cuius adhuc nequitia, & multifaria qua erga Romanum imperium vsus est versutia, qui scire vult, legat Iosephum.

CAPVT XLVIII.

De victoria Iulij Cæsaris, & quomodo à ciuibus non susceptus, in ipsos arma conuerterit, & ærarium confregerit.

ANNO ab Vrbe condita DCXCIII, reuerso ab Oriente Pompeio, ac propter multas victorias cum ingenti triumpho suscepto, ipso & L. Bibulo consulibus; C. Iulius Cæsar, ad Occidentem Gallias cisalpinam & transalpinam, ac Illyricum domiturus, à Senatu mittitur. Is itaque fortissimas orbis gentes cum multo Romanorum sanguine in prouinciam redegit, transitoq; Rheno Germanos omnium ferocissimos ac bellicosissimos, acri ac periculoso non solùm bello, sed & muneribus, multaq; prudentia deuicit. Quorum virtutes ac fortitudinem qui scire desiderat, ipsius historiam à Suetonio scriptam legat. Meminit etiam horum fortitudinis, & tantum imperterrite, vt mortem quoque vix timeat, Iosephus seu Egesippus in oratione Agrippæ, ex horum comparatione Iudæos ad subiectionem Romani imperij hortantis. Porrò cum in domandis huiusmodi gentibus vltra statutum terminum, id est, quinquennium, moram faceret, Iulio Romam reuertenti, à Senatu, consilio Pompeij, & auctoritate Marcelli Consulis, debitus ei triumphus, ac denuo consulatus negatur. Quæ res belli maximi, & non solùm ciuilis, sed & intestini mali causa fuit. Cæsar enim hæc audiens, Rauennam se contulit, ac inde Ariminum proficiscens, & lachrymabiliter sociis iniurias suas exponens, ad Vrbem cum exercitu properauit: diffugientibusq; primò in Brundusium, pòst in Dyrrachium Græciæ vrbem, trepidis cum Pompeio ciuibus, victor Vrbem ingressus est, fractisq; foribus ex ærario VII milia, CLXXXV auri pondus, argenti verò prope DCCCC.M. protulit. Inde reuersus ad legiones, quas in Arimino reliquerat, Alpes transit, ibiq; tam Gallis, quàm Germanis, quos paulo antè subiecerat, magnificè donatis, contumelias sibi à ciuibus irrogatas deplorat, auxiliumq; poscit, & impetrat. Soli ex Gallis Massilienses, qui & Phocenses, eò quòd de Graiis in Gallias venerint, auxilium Cæsari ferre negabant. Vnde & graui & laborioso conflictu deuicti sunt. Eo quoque tempore Petreius & L. Afranius acerba siti ad deditionem Cæsaris coguntur.

CAPVT XLIX.

De occisione Crassi, & incendio Vrbis: de intestina pugna Romanorum, victoria quoq; Cæsaris, & morte eius.

ANNO ab Vrbe condita DCLXXXXVII, Crassus in consulatu collega Pompeij in Asiam destinatus, auaritiæ facibus æstuans, Hierosolymam pro templi diuitiis, *Crassi gra/ fationes & mors.*

quas Pompeius intactas reliquerat,adiit,easq; diripuit. Inde per Mesopotamiam iter agens,dum rursum malè castigata auiditate, auro Parthico nimiùm inhiat, ab eis ignominiosè cum multo exercitus detrimento occiditur. Anno abhinc III, inusitato incendio,vtpote XIIII vicis, cum vico Iugario consumptis, Vrbs conflagrauit. Sequitur hæc mala maximis dissensionibus ac molitionibus paratum ciuile bellũ. Nam Cæsare cum Gallorum & Germanorum viribus veniente,Pompeius patriam defensare volens,gentes & reges,quos in Oriente subegerat,in auxilium per filium ascisc. Principes Romanorum,Senatusq; cum Lentulo consule, Pompeium magnum, in Græcia morantem,circa tempus,quo consules mutari solebant, adeunt, semotoq; à consulatu Lentulo, omnium fauore magnum ducem exercitus creant. Cæsar verò hybernis tempestatibus non territus,inuito milite,periculosè mari se cõmittens, proficiscitur in Epirum,ibiq; haud longè à Magno castrametatus est. Vbi dum à paupere Amycla (ad hoc vt Antonio occurreret) infidis procellis, impatiens moræ, se credit: ventis obortis naufragiũ penè passus,ad suos redire compellitur. Igitur ex omni parte mundi vires contractę,multoq; Romanorum sanguine gentes deuictæ,ipsorum modò vocatione congredi coguntur. Iam enim intantum Reip. profecerat status, vt vlterius non posset. Et cum extrinsecus corrumpi non valeret (iuxta Poetam) in seipsam ruere debuit. Itaq; LXXXVIII cohortibus ex vtraq; parte triplici ordine compositis, in campis Pharsalicis vterque conuenit exercitus. Videres lachrymabilem ac miserabilem pugnam, ciues totius orbis dominos in se diuisos, cum totius orbis viribus adinuicem pugnare,& (vt ita dixerim) vnius matris filios, propriis manibus se volentes euiscerare. Dum ergo dubia diu sorte se vterq; cæderet exercitus, Pompeius tandem atrocitate Iuliani militis cũ suis fugere cogitur,& sic Cæsari victoria cessit. Cæsa sunt in eo prælio XV M. Pompeianorum, XXXIII centuriones. Pompeius fuga elapsus, nauim onerariam conscendit,ac per Cyprum in Ægyptum nauigans,mox vt litus attigit,iussu Ptolomæi ob gratiam Cęsaris,interimitur. Pompeij vxor cum filiis fugit: cęterùm occisis multis classis direpta est. Cæsi sunt Pompeius Bithinius ibi,apud Pelusium verò Lentulus vir consularis.

Pugna Pharsalica.

CAPVT L.

Quomodo Cæsar in Ægyptios arma conuerterit, Cleopatræ q; regnum dederit, & dehinc Romam veniens, rursum fautores Pompeij persecutus fuerit. De morte Catonis. Quòd Cæsar Monarchiam obtinuerit, Tulliumq;, ac per eius interuentum M. Marcellum in gratiam susceperit, ipseq; ad vltimum consscio Senatu occisus sit.

CÆSAR compositis omnibus Alexandriam venit, ibiq; oblato sibi cum armilla Pompeij capite fleuit: dumq; insidias præsensisset, in Ægyptios arma conuertit. Quibus victis, Cleopatræ regnum Alexandrinum tradidit. Nam Ptolomæus nauali prælio cum victus fuisset,& in scapham conscendisset, multis irruentibus mersus, & ad litus actus, indicio loricæ aureæ cognitus fuerat. Post hæc Cæsar Romam veniens, à ciuibusq; Dictator & Consul vocatus, in Africam bellum transtulit, & apud Thapsum cum Iuba & Scipione manum conserens, plurimam Romanorum & Barbarorum stragem fecit. Iuba militi iugulum præbuit. Scipio semetipsum interfecit. Cato rigidus veneno hausto, Vticæ se occidit. Cæsar adhuc Pompeij nepotes, Pompeiamq; filiam eius necari iussit. Dehinc Vrbem cum quatuor triumphis ingreditur, ac pòst in Hispaniam contra Pompeianos milites proficiscens, ibi cum ipsis atrox bellum gessit. Quibus cum multo sudore deuictis, ad Vrbem regressus, quarto ex quo id ciuile bellum cœperat anno, totam Vrbem potenter tenuit, ac vacantibus omnibus quæ in Vrbe erant dignitatibus, Cæsar fuit omnia solus in Vrbe. Receptus est tunc ab eo in gratiam M. Tullius Cicero, per eiusq; interuentum M. Marcellus, pro quo disertam & luculentam orationem edidit, quæ sic incipit: *Diuturni silentij P. C. quo eram his temporibus vsus.* In qua super omnes virtutes Cæsaris, quibus diuersas nationes domuit, fuisse dicit: quòd domito animo M. Marcellum, antea inimicum, in gratiam susceperit. Ait enim: *Animum vincere, iracundiam cohibere, victoriam temperare, aduersarium nobilitate, ingenio, virtute præstantem, non modo extollere iacentem, sed etiã amplificare eius pristinam*

Cæsar Roma monarcha factus.

priſtinam dignitatem: hæc qui facit, non ego eum cum ſummis viris comparo, ſed ſimilimum Deo iudico. In ſummo ergo ſtatu Cæſar poſitus, dum contra maiorum exempla Rempub. inſtaurare cogitat, conſcio Senatu, Bruto & Caſſio auctoribus in curia necatur. Quam quidem hiſtoriam, à nobis compendio ſtrictam, pulchro ac luculento verſuum ordine Lucanus proſequitur.

CAPVT LI.

Exclamatio contra rerum mutabilitates.

EXCLAMARE hîc contra mutabilium rerum miſerias cogimur. Ecce enim Romanæ Reipub. ſtatus, cum quanto non ſolùm hoſtium, ſed & ciuium detrimento profecerit, videmus. Alterna quippe mutatione ad inſtar maris, quod nunc ſucciduis attollitur incrementis, nunc naturali damno ac defectu ſubducitur, Romanorum reſpub. nunc gentes, & regna bello premendo, ſubiiciendo, ad cœlos attolli videbatur: nunc rurſum ab eis preſſa, vel peſtilentiis ac morbis deſolata, ad abyſſum vſque mergi putabatur: quodq; his maius eſt, omnibus benè ordinatis ac compoſitis, inteſtino ac ciuili malo in ſeipſam ruens, miſerabiliter euiſcerabatur. Hæc omnia nutantium rerum mala (vt ita dixerim) quotidianæ mortalium mortes, ad veram ac permanentem æternitatis vitam nos mittere deberent. Verùm, vt ſuprà diximus, huiuſmodi aliisq; ciuitate mundi attrita malis, quaſi poſt denſæ noctis tenebras, lucis veræ ortus appropinquabat. Itaq; decurſis tam Medorum, quàm Perſarum, & Græcorum, ac Romanorum alternantium malorum caſibus, quia iam ad eius ortum, qui verè pacificus, omnia quæ in cœlo, & quæ in terra ſunt pacificauit Chriſtus Ieſus, appropinquamus, huic ſecundo Operi finem demus, quatenus ad eam quæ ſub Auguſto ex natiuitatis Chriſti aduentu, toti mundo reddita eſt, pacem dicendam feſtinemus.

LIBRI SECVNDI FINIS.

OTTONIS FRISINGENSIS EPISCOPI CHRONICORVM LIBER TERTIVS.

PROLOGVS.

SPONSIONIS meæ non immemor, dilecte frater N. de duabus ciuitatibus vsq; ad Octauiani Cæsaris tempora, qualicunque deductam historiam eloquio, præsertim cum ad Christiana tempora iam venerimus, donante Deo tanto libentiùs, quanto de ciuitate Dei ob nascituram fidem vberiùs dicere potero, complere non dubitauerim. Prioribus enim de ciuibus Christi pauca, multa verò de mundi ciuibus dicendi materiam habui: quia à primo homine ad Christum totus penè orbis, exceptis de Israelitico populo paucis, errore deceptus, vanis superstitionibus deditus, dæmonum ludicris captus, mundi illecebris irretitus, sub principe mundi diabolo militasse inuenitur. At vbi venit plenitudo temporis, misit deus filium suum in terras, qui vt homines per inuia ac deuia more pecudum oberrantes, ad viam reduceret, viam se, hominem assumendo, hominibus præbuit: & vt à falsitatis errore exorbitantes ad rationis lumen reuocaret, veritatem se ostendit: vt vero
Ioan.10. deficientes reficeret, vitam se veram exhibuit: Ego sum (inquiens) via, veritas & vita. Ac si diceret: Erratis, ad me venite, qui sum via. quam viam vt intrepide ambuletis, audite quod sum veritas. Si verò viaticum non habetis, sentite quòd sum vita. Multi enim viam quærunt, sed dum non inueniunt veram, errant potius, quàm rectò tramite incedant. Multi rursum viam, quæ vera videtur, incedunt, sed vitam non consequuntur. De quibus arbitror dictum;
Prouer.14. Ioan.10. Sunt viæ quæ videntur hominibus rectæ, nouissima verò earum ducunt ad interitum. Saluator autem in mundum veniens dicit: Ego sum via, veritas & vita: id est, per me tantum salubriter itur, ad me veraciter peruenitur, in me vitaliter permanetur. Sed in prima
Gal.4. fronte non inconuenienter quæri potest, cur in fine temporum, quem plenitudinem Paulus vocat, saluator omnium nasci voluerit? cur vniuersitatem gentium tamdiu, tot retroactis seculis
Quamobrē Deus viam salutis gentibus nō patefecerit. Rom.11. in errore perfidiæ perire permiserit? Cuius rei rationem, profundissimis ac iustissimis iudiciorum dei thesauris repositam, quis corruptibili mortalium carne circundatus inuestigare audeat? cum Apostolus dicat: O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius? &c. Quid ergo faciemus? Si comprehendere non possumus, nunquid tacebimus? Et quis obloquentibus respondebit, impugnantesq; arcebit? Postremò destruere eam quæ in nobis est fidem volentes, ratione ac virtute verborum confutabit. Comprehendere itaque occulta consilia Dei non possumus, & tamen plurimam de his rationem reddere cogimur. Quid? rationem reddemus de his, quæ comprehendere non possumus? Rationes reddere possumus, sed humanas, cum tamen rationes comprehendere non possumus diuinas. Sicq; fit, vt cum de diuinis causis loquimur, cognatis de his sermonibus carentes, verbis nostris, qui homines sumus, vtamur: tantoq; de Deo loquendo humanis vtimur verbis confidentiùs, quò ipsum figmentum nostrum cognoscere non dubitamus. Quis enim melius cognoscit, quàm qui creauit? Inde est, quòd cum Deus dicatur ineffabilis, fari nos tamen multa in sua laude velit. Cum ergo dicatur ineffabilis, secundum quendam modum videtur esse effabilis. Quæ (vt ait Augustinus) pugna verborum silendo melius, ac credendo, quàm disputando soluitur: vel silentio cauenda potiùs, quàm voce pacanda est. Et
Rom.9. alius: Quod ineffabile est, ratione taciturnitatis adoretur. Igitur si Dens, iuxta Apostolum, in multa patientia sustinuit vasa iræ apta in interitum: si diuitias bonitatis suæ volens ostendere ecclesiæ suæ diutissimè in propriæ libertatis arbitrio, ciuitatem mundi permisit temporaliter florere: culpandus non est, tam quòd eam propriæ voluntati deseruit, quàm quòd electis suis, istius comparatione castigatis, diuitias bonitatis suæ ostendit. Non enim si homines permittit facere, quod ipsi tamen facere volunt, ab eis iustè est arguendus: sicut e contrà ab eis quibus gratuitam gratiam offerens, à talibus quæ contra salutem suam facere volunt arcendo ac prohibendo, ne quæ proponunt perficiant, plurimum est laudandus ac diligendus. Nec iniustè facere dici potest si gratiam ex iustitia non largitur. sicut misericorditer

corditer tantum facere credendus est, cum eam gratuitè quibus vult impertit. Itaque si tot retroacta secula non ad peccata impellendo, sed quod suum erat non largiendo, ad hoc vt superuenientibus seculis exemplo priorum, quid fugiendum esset, vnde gratias saluatori suo referrent, ostenderet: si, inquam, eos ad hoc voluntati suæ deseruit, vt & ipsi, quid sine eo possent, cognoscerent, & redempti, quid ex gratia saluatoris haberent, addiscerent: sicut ab illis iustè non potuit culpari, sic his maximam materiam dedit, vnde iure debeat amari. Est præterea ratio, quare hoc potißimùm tempore, sexta videlicet ætate, ac vnito ad Romanorum imperium mundo, vniuersoq; sub Augusto Cæsare descripto, Christus nasci voluit. Cum enim pro primi parentis, qui paradisi delicias postponens, ex proprij arbitrij voluntate, hanc terram maledictionis inhabitare maluit, culpa abolenda incarnari voluit, sexta id ætate potißimùm fieri conueniens fuit, quia & ipsum sexta die creauit. Nec in primæua hominum ætate id facere debuit. Homines enim ex transgressoribus nati parentibus, vitiataq; per inobedientiam natura, proniores & accliuiores ad malum facti, nec dum ratione vtentes, ferino magis ac beluino more (obliterato in eis naturali bono) oberrantes, non socialiter viuere, non legibus informari, non virtutibus adornari, non rationis vi, ad cognoscendam veritatem illuminari didicerant. Extant hinc fabulæ turpißimæ, facta turpiora, historiæ immanißimæ, opera immaniora, de quibus omnibus in superioribus satis me dixisse arbitror. Cum ergo hoc modo homines rationis immunes, veritatis non capaces, iustitiæ ac legum inexpertes essent, legem legum, ac altißima à Christo vitæ præcepta danda, quomodo caperent, quomodo intelligerent, quomodo animaduerterent? Itaque data est primò lex, quæ infirmis auditoribus conueniret, & quæ teneram mundi ætatem non solido cibo, sed lacte aleret. Deinde paulatim crescente ac proficiente, tam ex societate simul commanentium hominum, quàm ex collatione eorundem ad leges condendas sapientia, philosophorumq; mediante doctrina, cum (vt dixi) iam totus mundus tam virtute Romanorum inclinatus, quàm sapientia philosophorum informatus esset, fuissentq; hominum ingenia ad altiora vitæ præcepta capessenda habilia, Saluatorem omnium in carne apparere, nouasq; mundo leges condere decuit.

Cur sexta mundi ætate Christus nasci voluerit.

Hoc iam quod suprà distuli, soluendum puto: quare vnius Vrbis imperio totum orbem subiici, vnius Vrbis legibus totum orbem informari Dominus orbis voluerit. Primò, vt dixi, vt ad maiora intelligenda promptiores ac capaciores essent mentes hominum. Secundo, vt his modis vnitis, vnitas commendaretur fidei, quatenus vnius Vrbis terrore, ad vnum hominem colendum, homines vniuersi constricti, vnam quoque fidem tenendam, cælestemq; in ea non hominem tantùm, sed auctorem omnium colendum ac adorandum Deum addiscerent. Hinc toti mundo in eius aduentu census indicitur, vt ille videlicet venisse doceretur, qui omnes ad se venientes, in æterna patria ciues ascriberet. Hinc in eius ortu, per totum orbis circulum mundus attritus malis, ipsisq; suis seditionibus fatigatus, sponte quiescere, ac Romanorum principi seruire potiùs, quàm rebellare voluit: vt ipsum in carne venisse daretur intelligi, qui sub terrenorum mole onerum depressis ac fatigatis, clementer diceret; Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. Pax idcirco tunc mundo noua reddita fuit, vt noui regis ministri liberiùs orbem terræ peragrare, salutiferaq; vitæ præcepta seminare possent. Non ergo fortuitis casibus, nec falsorum deorum cultui, sed Deo vero formanti lucem, & creanti tenebras, ascribendum reor, quod ad tantum fastigium principatusq; monarchiam, ex humili ac paupere statu, Romanorum respublica creuit. Quare autem illi populo, vel illi Vrbi hanc potius, quàm aliis gratiam contulerit, discutere non possumus, nisi fortè ex principis apostolorum meritis, quem ibi sessurum præuidit, super quem ecclesiam suam etiam se fundaturum promisit, factum dicam: vt videlicet locus, qui propter principis apostolorum cathedram, super vniuersam principaturus foret ecclesiam, gentium quoque, vnde fideles congregandi erant, antè perficeret monarchiam. Pulchrè igitur eadem Vrbs antea fuit caput mundi, quæ postmodum futura fuit caput ecclesiæ. Si quis verò contentiosus est, audiat in potestate figuli esse, aliud vas in honorem, aliud facere in contumeliam. Audiat in potestate iudicis esse, quem velit humiliare, & quem velit exaltare. Denique, si dominus, vtpote iudex, discretorq; rerum, calicem in manu habens, primò Babylonem inebriando à Medis humiliauit, Mediq; à Persis, Persis rursum à Græcis, Græcis postremùm à Romanis humiliatis, Romam quoque humiliandam ad tempus exaltare voluit. Si hæc æqua lance pensans, omnia mortalium varietate nectit, nunquid argui à factura sua factor poterit? Sub potenti itaque manu Domini regna mu-

Roma Dei consilio orbis domina.

Matth. 11.

tantis,ac pro voluntate ſua cui voluerit miſerentis, humiliemur: ipſiusq; miſericordiæ, ſi quid ſumus,qui per nos nihil ſumus,ipſius gratiæ quicquid dicimus, qui per nos nihil ſcimus, aſcribentes,cœptum Opus proſequamur.

OTTONIS CHRONICORVM LIBER TERTIVS.

CAPVT I.

Qualiter Octauianus primò dolorem de auunculi morte diſſimulans, poſtmodum eius interfectores tractauerit. De iudiciis eius Romæ factis. De plurimis victoriis eius contra Antonium & Cleopatram, & quem finem Antonius & Cleopatra ſortiti ſint.

ANNO ab Vrbe condita DCCX, interfecto C. Iulio Cæſare, Octauianus, qui teſtamento nomen & hæreditatem auunculi acceperat, primò dolorem de morte eius diſſimulans, cum Antonio, qui Brutum & Caſſium ob vindictam Cæſaris apud Mutinam obſidione cinxit, à Senatu hoſte pronunciato, certamen iniit, eumq; fugauit. Quo poſtmodum in gratiam recepto, ſimul cum ipſo ciuile bellum parat: multiſq; commiſſis prælijs, Pompeium tandem Cn. Pompeij filium interfecit, Brutum quoque & Caſſium, ad hoc vt mortem ſibiipſis inferrent, coegit. Inde poſt multos triumphos Romam veniens, XXM. militum exauctorauit, XXXM. ſeruorum dominis reſtituit, VIM. quorum domini non extabant, patibulo affixit. Antonius verò repudiata ſorore Cæſaris Octauia, in Ægyptum ſe tranſtulit, ibiq; copulata ſibi in vxorem Ægypti regina Cleopatra, Cæſari rebellare attentauit. Cæſar domitis ſubiectisq; ſibi omnibus, contra Antonium quoque nauale bellum parans, à Brunduſio in Epirum proficiſcitur. Congreſſi itaque acerrimè, diuq;, id eſt, à quinta hora diei vſque ad ſeptimam, cum vtriuſque exercitus detrimento, ancipiti pugnarunt victoria. Sequens pars diei cũ ſequenti nocte in victoriam Cæſaris ceſſit. Prior ex bello cum ſuis fugit Cleopatra, quam fugientem inſequitur Antonius. Cæſa fuiſſe ibi de exercitu Antonij XII milia feruntur, vulnerata VIM. Cæſar tunc imperator dictus, IIII cum M. Licinio conſul fuit. Antonius nauali prælio victus, terreſtre parans, congreſſũ habito, denuò vincitur. Dumq; rurſum Kalendis Sextilibus ad ſtruendam claſſem deſcendit, omnibus ad Cæſarem confugientibus, in vrbem Alexandriam ſuis deſtitutus, ſe recepit. Vbi dum imminere ſibi cerneret Cæſarem, gladio ſe interfecit. Cleopatra autem appoſitis ad mammillas ſerpentibus, mortua fuiſſe perhibetur.

CAPVT II.

Excurſus, quomodo Græci ab Alexandro vſq; ad id tempus Orienti imperauerint, & vnde patriarchales ſedes eſſe cœperint. Numerus Græcorum regum, copiaq; Romæ ex Alexandriæ ſubactione accreſcens.

CÆSAR ergo opulentiſſima omnium potitus vrbe Alexandria, regnum finiuit Græcorum. In hac enim vrbe ab Alexandro in Ægypto condita, reges Græcorum vſque ad id tempus regnaſſe inueniuntur. Vnde & quidam monarchiam Græcorũ vſq; ad Cęſarem extendunt. Nam poſt mortem Alexandri magni, dum commilitones eius Aſiam ab eo ſubiectam partirentur, in quatuor mundi partibus, quatuor emerſerunt regna. Inter quæ duo fuere principalia: ad Auſtrum, Ægypti, cuius metropolis fuit Alexandria: ad Orientem ſeu Aquilonem, Syriæ & Meſopotamiæ, cuius caput erat Antiochia: quam Seleucus magnus (de quo ſuprà dictum eſt) à nomine patris ſui Antiochi dicitur inſtauraſſe, ſedemq; regni loco Babylonis ibi collocaſſe. Nam

Græcorum monarchia vſq; ad Cæſarem.

antea

antea Reblata (vt volunt quidam) vocabatur, eratq; tunc iuxta prophetam, caput Syriæ Damascus. In his ergo ciuitatibus reges potentissimi Ptolemæi & Antiochi habitabant, dominandiq; libidine in alterutrum sæuientes, Orientis imperium vicissim rapiebant: auctoritas tamen maior ad vltimum Ptolemæis cessit. Quæ omnia non solùm gentium historijs, sed & ex visione Danielis, vbi de regnis Austri & Aquilonis loquitur, & expositione Hieronymi in eundem prophetam, meliùs cognoscuntur. Vnde duæ hæ ciuitates, cùm processu temporis ecclesia à primitiuis patribus secundùm distributionem gentium ordinaretur, tanquam post Romanam vrbem dignissimæ, ad ipsius instar vrbis, solæ patriarchales sedes habere meruere. Constantinopolitana siquidem & Hierosolymitana postmodum crescente ecclesia, altera ob imperii sedem, altera ob sanctum sepulchrum, & antiquum illud ac toti orbi venerabile domini templum, patriarchales sedes permissione patrum sortitæ sunt. Vnde de Hierosolymitana ecclesia in Nicæna synodo legimus: *Episcopus Heliæ ab omnibus honoretur, saluo iure sui metropolitani.* Quod quidam ad Cæsaream Palestinæ interpretantur, eo quòd Hierusalem à Tito & Vespasiano destructa, metropolis Palestinæ facta fuerat Cæsarea: sicq; consequentur iure ecclesiastico eiusdem prouinciæ metropolis remansit. Vbi enim sub principibus gentium flamines erant, ibi postmodum à nostris locati sunt episcopi. Vbi illi archiflamines, nos archiepiscopos: vbi illi protoflamines, nos primates seu patriarchas habere cœpimus, omnes quidem vnius ordinis, sed pro differentia ciuitatum diuersæ dignitatis. Alij præfatum capitulum, saluo iure metropolitani legunt, & sic interpretantur: Postquam dictum fuit, *episcopus Heliæ*, id est, Hierusalem, *ab omnibus honoretur*, ne videretur ab omnibus tanquam summus, id est, Romanus pontifex honorandus, adiunctum est, *saluo iure metropolitani*: hoc est, sic dicimus eum honorandum, non sicut summum pontificem, sed sicut metropolitanum. Vtrum verò sic vel sic sit, constat eum tamen nondum fuisse patriarcham. Sed hæc hactenus.

Sedes patriarchales.

Gentilium flaminibus episcopus successere.

Diximus secundum quosdam Græcorum monarchiam vsq; ad Cæsarem extendi, verisimilius tamen videtur Græcos monarchiam quidem post mortem Alexandri perdidisse, reges verò præclaros Orienti imperantes habuisse. Vnde & Daniel de regno Alexandri loquens ait: *Diuidetur in quatuor ventos cæli, sed non in posteros eius, neq; secundùm potentiam illius, qua dominatus est.* Et rursum de Antiocho legitur, quòd in obsidione Alexandriæ legatum Romanorum acceperit: qui eum dum ambulantem in harena inuenisset, & ab impugnatione vrbis reuocasset, frustratus, baculum, quem fortè gerebat, terram in circuitu eius gyrabat, dicens: Hæc dicit Senatus, populusq; Romanus, vt antequam de isto circulo exeas, ab Vrbe recedas. Quo audito perculsus rex, mox obsidionem soluit. Ex his & alijs intelligimus, Romanos, etiam antequam reges haberent, summorum tamen regum habuisse imperium. Quare ergo Græcis monarchiam attribuimus? Nisi quòd & Roma nondum ad vnam personam imperium contraxerat, & quòd ciuitas nostra in Iudæa manens, vsque ad Cæsaris tempora, sub illorum imperio degebat. Nam & Nabuchodonosor regem regum Propheta vocat, qui tamen illo in tempore regni auctoritatem Medis habentibus, rex regum non erat: nisi quòd eum tam ex dignitate vrbis, quam inuaserat, quàm ex supplicatione populi Dei, quem captiuum tenebat, hoc nomine dignum iudicabat. Fuerunt autem ab Alexandro vsq; ad Cleopatram reges omnes Ptolemæi dicti XI. Tantam verò copiam pecuniarum Cæsar apud Alexandriam inuenit, vt ex hoc duplicia Romæ venalium statuerentur pretia.

Dan. 11.

CAPVT III.

Qualiter finito regno Græcorum, deuictaq; Alexandria cum tota Asia Cæsar Augustus dictus fuit.

ANNO ab Vrbe condita DCCXXXV Cæsar, Alexandrinorum potius victoria, totaq; subiugata Asia, ciuilibus etiam ad plenum sedatis malis, ipso & L. Apuleio quinquies consulibus, VIII Idus Ianua. ab Oriente victor rediens, Vrbem triplici triumpho ingreditur, Ianiq; portas claudens, Augusti nomine ab omnibus consalutatur. Quod nomen cunctis vsque ad id tempus inauditum seculis, apicem declarans

Augusti nomen.

Imperij, ſolis Romanorum debetur regibus. Hic tertiò ab Vrbe condita, primò ſub Numa, ſecundò poſt Carthaginenſe primum bellum, Ianum clauſum inuenies. Auguſtus, qui per XII annos cum his quos nominaui conſulibus rempub. rexerat, ex hac die, & deinceps ſolus imperabat. Sicq; plurium poteſtates in vnius ceſſere principatum: quem Græci monarchiam vocant. Ex hoc Romani poſt conſules, reges habere cœperunt, qui ob hoc, quòd totius orbis tenuere monarchiam, imperatores & Auguſti ſunt dicti.

CAPVT IIII.

De victoria eius in Hiſpania, Ianoq; clauſo, quomodo per Claudium Druſum diuerſas prouincias ſubegerit. De amiſſis legionibus in Germania à Varo.

CÆSAR poſt hoc apertis Iani portis, Cantabris & Aſturibus fortiſſimis Hiſpaniæ gentibus, bellum indixit, ac per quinquennium graui & laborioſo conflictu ſubactis, victor ad Vrbem rediens, ſecundò Ianum clauſit. Dehinc per Claudium Druſum Galliam & Rhetiam in prouinciam redegit: Noricos, Illyricos, Pannonios, Dalmatas, Mæſios, Dacos, Thraces, per duces ſuos vel ſubegit, vel maximorum fluuiorum Rheni & Danubij obiectu ſecluſit. Hic Druſus Moguntiam in Gallia, & Auguſtam in Rhetia, quæ antea Vindelica dicebatur, ex nomine Auguſti vocatam, fundaſſe, vel inſtauraſſe dicitur. Monſtratur adhuc monumentum eius Moguntiæ in modum pyræ. Ea tempeſtate cum tribus legionibus Varus Romano more ſuperbè & auarè erga ſubditos ſe gerens, à Germanis deletur. Quam militis Romani cladem intantum ægrè tuliſſe fertur Auguſtus, vt ſæpiſſimè caput parieti collideret, ac per vim doloris diceret: Quintili Vare redde legiones. Grauiſſimum & atrociſſimum hoc Romanorum & Germanorum bellum, & poſt Africanum maximum, tribus annis cum XV legionibus geſtum ſcribit Suetonius. Vnde notari poteſt, quanti roboris prædicta gens Germanorum fuerit, quæ in ſumma auctoritate Romani imperij, tantam ſtragem Romani militis dederit. Tradunt Auguſtenſes hanc cædem ibi factam, oſtenduntq; in argumentum collem ex oſſibus mortuorum compactum, quem in vulgari *Perleich*, eò quòd legio ibi perierit, vſq; hodie vocant, vicumq; ex nomine Vari appellatum monſtrant.

Moguntia.

Auguſta Vindelicorum.

Quintilij Vare clades.

CAPVT V.

Qualiter Auguſto in Hiſpania morante, totus Oriens ſubiectionem vltrò obtulerit, Parthuſq; pacem poſtulans, ſigna quæ Craſſo ablata erant, remiſerit, totoq; orbe deſcripto, Ianus clauſus ſit. De humilitate Auguſti.

INTER hæc Auguſto apud Tarraconem citerioris Hiſpaniæ vrbem morante, legati Indorum & Scytharum cum muneribus pacem poſtulantes veniunt. Et ſicut quondam Alexandro in Babylone poſito, ſummi Occidentis nationes: ſic & nunc Cæſari à ſummo Oriente gentes ad vltimum Occidentem ſupplices, ſubiectionemq; promittentes, vltrò occurrunt: Parthi etiam tranſmiſſis ſignis, quæ occiſo Craſſo Romanis abſtulerant, obſidibusq; datis pacem poſtulant. Et ſic toto orbe Romanis ſubiecto & deſcripto, tertiò ab Auguſto Ianus clauditur, ac per XII annos clauſus manſit. Ipſe verò Auguſtus, quamuis iam totius orbis eſſet dominus, nunquam tamen ſerio, vel ioco dominum paſſus eſt ſe vocari. Vbi profectò ſuperbiæ noſtræ obuiatur, qui hoc ſummopere Chriſtiani & ſacerdotes expoſcimus, quòd rationis intuitu etiam gentes declinarunt.

CAPVT VI.

Quòd Iudæis ſicut cæteris gentibus, ſub Cyrino cenſus indictus ſit, & de Iuda Galilæo.

EO tempore dum Iudæis, ſicut cæteris gentibus, cenſus ab Auguſto, Cyrino præſide, indicitur, Iudas Galilæus, qui in Actibus apoſtolorum memoratur, fuiſſe inuenitur. De quo in hiſtoria Iudaici belli ſecunda Ioſephus ſic ait: *Quo tempore vir Galilæus, Iudas nomine, ad diſceſſionem cogebat, peßimum fore eis perſuadens, ſi acquieſcerent ſoluere tributa Romanis, & poſt deum, mortalem ſuſcipere dominatum.* De Cyrino verò ſic ait: *Cyrinus vir vnus ex conſenſu curiæ per ſingulos magiſtratus vſque ad gradum conſulatus*

ascendens, cæterùm quoque honorabilis cum paucis in Syriam venit, à Cæsare ius dare gentibus missus.

CAPVT VII.

De incarnatione Domini, & quomodo ea quæ sub Augusto facta sunt, regno Christi conueniant. Inchoatio annalium ab incarnatione domini.

ITAQVE iam sedatis omnium seditionum motibus, pace inaudita seculis reddita, totoq; mundo ad Romanorum censum descripto, anno imperij Cæsaris Augusti XLII, anno verò ab Vrbe condita DCCLII, olympiade CXCIII, reuolutis ab Adam v milibus quingẽtis annis, regnante in Iudæa Herode, filio Antipatris, alienigena, iuxta hebdomadas Danielis LXX Iesus Christus filius Dei, secundum carnem filius Dauid, ex Maria virgine in Bethlehem Iudæ nascitur. Qui vt lux mundi paxq; vera monstraretur, eadem qua natus est nocte pastoribus cum magna luce angelus gaudium nati prædicans apparet. Cui multitudo cœlestis exercitus consonans, *Gloriam in excelsis* deo decantat, pacemq; in terra hominibus bonæ voluntatis venisse denunciat. Et nota, quòd, sicut suprà dixi, Romanorum ac Babyloniorum regna similem ortum progressumq; in pluribus habuerunt. Regnante enim apud illos primo rege Nino, XLIII regni eius anno, Abraam, ad quem primò de Christo facta promissio, natus est. Regnante rursum primò apud Romanos Cæsare Augusto, XLII item regni eius anno, promissus Abraæ, cunctisq; desideratus gentibus, nascitur Christus. Notandum præterea, quòd Augusti regnum, regni Christi, qui eius temporibus est natus, in pluribus fuit prænuntium. Ille enim VIII Idus Ianuar. ab Oriente rediens, regibusq; sibi subiugatis, ac ciuilibus sedatis motibus, cum triplici triumpho in Vrbe suscipitur, Augustusq; vocatur. iste natus, humiliterq; in carne latens, similiter eadem die, id est, VIII Idus Ianuar. quam nos Epiphaniam dicimus, stella duce, ab Oriente trinis adoratur muneribus, apparensq; qui antè latuerat Augustus, ac rex regum declaratur. Quod quidem tunc præfigurabatur, sed iam completum esse, Christum scilicet non solùm in cœlis regnare, sed & in terris regibus omnibus imperare, luce clarius cernitur. Vnde pulchrè ea, qua hoc præfiguratum esse diximus die, in laudem eius canit ecclesia: *Ecce aduenit dominator dominus, & regnum in manu eius, & potestas, & imperium.* Et in Offertorio: *Et adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes seruient ei.* Per hoc enim quòd dominator dominus vocatur, Augusti ei nomen attribuitur: per hoc verò quòd imperium & regnum in manu eius dicitur, imperatoria ei dignitas ascribitur: per hoc autem quòd reges eum adorare, omnesq; gentes seruire asserunt, monarchiæ apex, id est, singularis super totum mundum principatus, eius esse decernitur. Illis diebus largus olei riuulus in transtyberina Vrbis regione fluxisse inuenitur, vt nasciturus in carne, qui super omnes reges oleo lætitiæ & exultationis spiritu sancto vngendus foret, monstraretur. De pace verò & descriptione orbis rationem me in prologo reddidisse recolo, vbi & hoc adijciendum puto, quòd Dei filius in carne veniens, Romanæ ciuitatis ciuis ascribi voluit. Cum enim ciuitas illa in perfidia posita, proculdubio ciuitas fuerit mũdi, quare ei ciuitatis dei princeps & auctor natus ascribi voluit? Nisi quòd per hoc ostendebat, se adhuc venisse, vt de ciuitate mundi miro & ineffabili modo faceret ciuitatem suam. Vt apertiùs loquar: inter Iudæos natus, gentibus ascribitur, vt per hoc transferendam gratiam ex illo populo ad gentes, manifestè daret intelligi. Igitur nouo homine, qui veterem euacuauit nato, annalibus quoq; à Nino ad Vrbem conditam, ac inde vsq; ad id tempus productis, terminum demus, ab eiusq; ortu annales nostros ordiamur.

Comparatio regni Chaldæi & Romani.

CAPVT VIII.

Quàm crudele piaculum Herodes in coæuos Christi exercuerit, & quem vitæ ob hoc exitum iuxta Iosephum sortitus fuerit: & de Archelao.

ANNO ab incarnatione domini III Herodes Iudęorum rex, à Magis Christum natum audiens, immanissimum scelus perpetrauit. Timens enim, cum esset alienigena, de semine Dauid natum esse puerum, qui iure hæreditatis regnum requireret

Herodis immanitas mortisque.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 136;Leibn. Marg. 136, Stück 1, [75] - 57
PUBLIC DOMAIN

patris, callidè loco ac tempore perſcrutato, circa Bethleem à bimatu & infra pueros occidi præcepit, nutricio Chriſti antè per angelum præmonito, pueroq; in Ægyptum tranſlato. Quod ſcelus dominus aduertens, diriſſima & indecora eum morborum clade in extremis flagellauit. Vnde Ioſephus in XVII Antiquitatum libro de ipſo ſic ait: *Herodem porrò amarior indies morbus vrgebat, ſupplicia deo commiſſi ſceleris expetente. Lento namq; igne extrinſecus in ſuperficie vrebatur, intrinſecus verò vaſtum condebatur incendium. Auiditas quoq; inexplebilis ſemper inerat cibi, nec tamen ſatietas vnquam rabidis incitata faucibus, valebat implere ingluuiem. Inteſtina interius vlceribus tabida putreſcebant.* Et poſt pauca: *Sed & verenda ipſa putredine corrupta ſcatebant vermibus, ſpiritus quoq; incredibilis, erecta tentigo.* Et infra: *Dicebatur igitur ab his, quibus inerat diuinandi peritia, diuinitùs has pœnas ob impietatem eius, & multa crudeliter geſta depoſci.* Refert etiam, quòd vbi deſperare ſalutem cœpit, ex ſingulis vicis atque caſtellis nobiles ac primarios viros ad ſe vocatos in vincula poſuerit. Acceſſitaq; ad ſe ſorore ſua Salome, atque eius viro Alexandro. Noui inquit, Iudæos de meo interitu gauiſuros, ſed potero habere lugentes, & exequias honorabiles ex plangentium multitudine, ſi volueritis vos meis parere præceptis. Statim ergo vt exhalauero ſpiritum, omnes quos in cuſtodia habeo interficite, vt omnis Iudæa, & omnis domus defleat obitum meum. Et non multo pòſt cum vitæ exitum adeſſe ſentiret, ad incidendum malum petiuit cultrum, quo accepto, in ſeipſum ictum vibrauit. Proſequitur etiam idem ſcriptor, quòd antequam moreretur, poſt duos quos antè necauerat, tertium quoq; filium interfecit. Et ita tam maximis doloribus corporis, quàm flagitioſiſſimis parricidij piaculis, infeliciſſimè vitam finiuit. Quod illi proculdubio ob ſacrilegium in Chriſtum, eiusq; coæuos crudele commiſſum, piaculum euenisſe creditur. Mortuo Herode, Archelaus filius eius ſucceſsit in regnum.

Ioſeph. Ant. li. 17. cap. 8.

CAPVT IX.

De fame in vrbe Roma, & aperto Iano, pro Dacorum & Athenienſium ſeditione.

ANNO ab incarnatione domini VI maxima fames in vrbe Roma fuit, quæ intantum inualuiſſe uicitur, vt Laniſtarum familias, & peregrinos, ſeruos quoſq; abſq; medicis & præceptoribus ab Vrbe expelli Auguſtus præceperit. Ea tempeſtate Auguſto iam ſene, Iani portæ, quæ ex longo ocio rubiginem contraxerant, propter Athenienſium & Dacorum ſeditionem aperiuntur, nec ante Veſpaſianum clauſæ fuerunt. Nulla tamen, quamuis in procinctu miles eſſet, poſt longa tempora bella ſonuerunt. Quod profectò ob noui regis nouum ortum euenisſe credendum eſt, vt tantæ ſeditiones ſine bellorum cladibus terminarentur. Hucuſq; Cornelius Tacitus.

CAPVT X.

De morte Auguſti, & regno Tyberij, & triumpho de Germanis per Germanicum Druſi filium: de adulterio callidè à quodam perpetrato, & à Cæſare quomodo vindicatum ſit.

ANNO ab incarnatione domini XV Auguſtus LVIII imperij ſui anno, viuendi finem fecit, eiq; Tyberius priuignus in regnum ſucceſſit. Hic moderatiſſimè rempub. gubernans, nec ciues intus iniuriauit, nec foris bellorum tempeſtates mouit. Quarto verò imperij anno, id eſt, ab incarnatione domini XIX Germanicus Druſi filius, Caligulæ pater, de Germanis triumphauit. Intantum autem tunc temporis humanus fuiſſe fertur Tyberius, vt dum augenda tributa præſides ſuaderent, reſponderit: Boni paſtoris eſſe pecus tondere, non deglubere. His diebus ſceleratus quidam Mundus nomine, callidiſſimè quandam matronam caſtam Paulinam decepit. Cum enim ſæpe de adulterio eam attentaret, nec proficeret, ſacerdotes templi precio conduxit, vt quempiam deorum cum illa commiſceri velle denunciarent. Refert marito mulier, maritus laudat. Sicq; in templum nocte veniens mulier, deum illum præſtolabatur. Veniẽs ergo Mundus, voto potitur ſub nomine dei. Poſt hoc improperat mulieri, quod fecerat. Illa rurſum marito refert. Quod ſcelus dum Cæſar à marito comperiſſet, debita animaduerſione templũ quidem ſubuertit, ſacerdotes in crucem egit, iuueni

Tyberius Cæſar.

iuueni verò tanquam amoris magnitudine decepto, inani ductus misericordia pepercit, ac Vrbe cedere persuasit. Hæc idcircò ponere volui, vt ostenderem, Tyberium quidem mansuetum fuisse, sed in iudicijs suis contra peccantes remissum: quod penè omnium mansuetorum iudicum est vitium.

CAPVT XL

De prædicatione & baptismo Ioannis, & post, ipsius domini. De morte Ioannis, testimonium de hoc Iosephi, & item testimonium eius de domino.

ANNO ab incarnatione domini XXX, anno verò Tyberij Cæsaris XV, cum iam in Iudæa quatuor principes, quos Græci Tetrarchas vocant, Archelao mortuo præsiderent, Ioannes in deserto baptismum pœnitentiæ prædicare cœpit.: ad cuius baptismum dominus quoq; aquas sanctificaturus, baptizandus venit: & exhinc prædicare, & miracula facere cœpit. Elegit ergo principes ciuitatis suæ XII, quos vocauit Apostolos, inter quos pro bono ciuitatis, vnum constituit principem Petrum. Post quos secundi ordinis viros LXXII posuit discipulos. Breui posthac interiecto tempore maximus ille ciuitatis dei ciuis Ioannes, vtpote cui ipsa veritas testimonium dans, *Inter natos* (inquit) *mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista*. Herodem de incestuoso arguit connubio: ob quam causam ab eo in carcerem ponitur, dieq; natalis sui, quod in Euangelio plenius habes, eductus, flagitiosè inter epulas necatur Idipsum Iosephus refert, bellumque maximum inde ortum inter Herodem & Aretham regem Arabiæ, ignominiam filiæ vindicantis, in quo Herodis exercitum extinctum memorat. Ait ergo Iosephus hoc modo: *Quibusdam autem Iudæorum videbatur idcò periisse Herodis exercitum, quòd in eum satis iustè vltio diuina commota sit, pro vindicta Ioannis, qui vocabatur Baptista. Hunc enim Herodes occidit, virum valde bonum, qui præcipiebat Iudæis virtuti operam dare, iusticiam colere, in Deum seruare pietatem, & per baptismum in vnũ coire: tum demum enim baptismũ acceptabilem fore, si non solùm ad abluenda peccata, verùm etiam ad castimoniam corporis sumatur, atq; ad animæ iusticiam, purificationemq; seruetur, omniumq; pariter virtutum velut signaculum, & custodia quædam fidelis habeatur. Quæ cum ab eo præcepta huiusce modi docerentur, atq; ad audiendum eum perplurima multitudo concurreret, veritus Herodes, ne fortè doctrinæ eius persuasione populi à suo regno discederent (videbat enim quòd præceptis eius ac monitis obedire in omnibus parata esset plebs) melius credidit priusquam noui aliquid fieret, præuenire hominem nece, quàm postmodum turbatis rebus seram pœnitudinem gerere. Ex sola hac suspicione Herodis vinctus in castellum Macherunta abducitur Ioannes, ibiq; obtruncatur.* Hæc de Ioanne. De saluatore verò sic ait: *Fuit ijsdem temporibus Iesus sapiens vir, si tamen virum eum nominare fas est: erat enim mirabilium operum effector, & doctor omnium eorum hominum, qui libenter quæ vera sunt audiunt, & multos quidem Iudæorum, multos etiam ex gentibus sibi adiunxit. Christus hic erat. Hunc accusatione primorum nostræ gentis virorum, cum Pilatus in crucem agendum decreuisset, non tamen deseruerunt hi, qui ab initio eum dilexerant. Apparuit enim eis tertia die iterum viuus, secundum quod diuinitus inspirati prophetæ, vel hæc, vel alia de eo innumera miracula futura esse prædixerant. Sed & in hodiernum diem Christianorum, qui ab ipso sunt nuncupati, & nomen perseuerat, & genus.* Hoc idcirco de religione nostra doctissimi viri, sed Iudæi testimonium ponere volui, vt ostenderem Iudæos de aduentu Christi non ignorare, sed ad damnationis augmentum inuidia excæcatos, credere nolle.

Ioannes baptista.

Matth. 11.

Ant. lib. 18. cap. 7.

Iosephi de de Christo testimonij, lib eodem cap. 4.

CAPVT XII.

De passione domini, quòd Tyberius auditis miraculis domini, de eo Romæ decreuerit, & quomodo Senatum reclamantẽ sibi tractauerit, & quæ mala Iudæis fecerit. De passione Stephani, & malis Iudæorum.

ANNO ab incarnatione sua XXXIIII regnante adhuc Tyberio, in Hierosolymis verò præsidente Pontio Pilato, dominus ad passionem venire dignatus fuit, ac in loco Caluariæ extra portam in Parasceue à Iudæis gentibus traditus, sexta hora crucifigi. Tenebræ ab eadem hora vsq; ad horam qua expirauit nonam, non solùm in Iudæa, sed & per totum mundum factæ sunt. Et sicut scriptum est:

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 136:Leibn. Marg. 136, Stück 1, [77] - 59
PUBLIC DOMAIN

Impiaq; æternam timuerunt ſecula noctem.

Quas tenebras non ex eclipſi ſolis, ſed ex miraculo accidiſſe, XIIII luna, quæ tunc fuit, etiam ipſis infidelibus probauit. Terræmotus quoq; tunc factus, quaſdam ciuitates Aſiæ diruit, quæ propter hoc etiam à tributo libertati datæ à Tyberio fuerunt. Dixiſſe tunc ferunt vnum ex philoſophis, quem Dionyſium Areopagitam putant: Deus naturæ patitur. Poſt reſurrectionem ergo, & aſcenſionem Domini Pilatus de conuerſatione miraculisq; eius, paſſione quoq; ac reſurrectione Tyberio Cæſari ſcripſit. *Romani Chriſtum tenuant.* Quo audito Tyberius colendum eum inter deos eſſe decernens, ad Senatum retulit. Senatus autem, eò quòd prius ad eos cauſa delata non fuiſſet, edictum Cæſaris recipere recuſauit, quinimò exterminandos ab Vrbe huius nominis ſectatores cenſuit. Ob quam cauſam Auguſtus ex manſuetiſſimo principe factus eſt ſæuiſſima beſtia, plurimosq; ſenatorum ac nobilium perdi præcepit. Sicq; factum eſt, vt dum regem Chriſtum recipere nollent, regem Cæſarem vltorem ſuſtinerent. Nutu tamen dei id factum creditur, ne fides Chriſti ab homine infideli teſtimonium, & à terreno principe auctoritatem accepiſſe videretur. Eodem anno magnus princeps ciuitatis dei Stephanus, ab his qui & dominum occiderunt, lapidatur. Tyberius Iudæos perſecutores Chriſti, in prouincias grauioris cœli religauit, in vrbeq; manentes ſubmouit, & perpetuæ ſeruituti addixit. Initia dolorum hæc. Qualibus enim malis, ſecundùm prophetiam domini, eò quòd non cognouiſſent tempus viſitationis ſuæ, poſtmodum à Romanis attriti ſint, cum ad id tempus ventum fuerit, dicemus.

CAPVT XIII.

De morte Tyberij & ſubrogatione C. Caligulæ: quomodo Caius Iudæos perſecutus fuerit, legationemq; eorum per Philonem factam ſpernens, templum prophanauerit. De fine Pilati: de victoria Cæſaris, & de pluribus abominationibus eius, morteq; ipſius.

ANNO ab incarnatione domini XXXIX Tyberius XXIII imperij ſui anno veneno perijt. *C. Caligula.* Cui C. Caligula tertius ab Auguſto in regnum ſucceſſit, vir omnium ante ſe ſceleratiſſimus, & qui verè Romanis blaſphemantibus, ac Iudæis perſequentibus vltor adhibitus videretur. Huius diebus cum in Alexandria plurimis malis opprimerentur Iudæi, *Philo Iudæus.* Philo Iudæus primus inter primos philoſophorum, ab eis ad depromendam querimoniam ad Cæſarem mittitur. Hic eſt Philo, qui inter multa præclara opera, librum in quo plurimùm Chriſtianos commendat, compoſuit. Librum quoq; Sapientiæ, qui ſic incipit: *Diligite iuſticiam*, quia Græcam redolet eloquentiam, à quibuſdam ediditſe creditur. In cuius rei argumentum quædam ibi poſita de Chriſto, non prophetarum, ſed hiſtoriographorum more, non futura prophetantium, ſed præterita narrantium inuenies, vt eſt illud: *Dixerunt impij, Opprimamus virum iuſtum iniuſtè.* *Sap. 2.* Et infra: *Promittit ſe ſcientiam dei habere, filium Dei ſe nominat.* Et item: *Morte turpiſſima condemnemus eum.* Hunc Philonem in tantum fuiſſe ſectatum Platonem refert Hieronymus, vt in prouerbio apud Græcos de ipſo diceretur, ἢ Πλάτων φιλωνίζ, ἢ Φίλων πλατωνίζ: id eſt, aut Philo eſt Platonis, aut Plato Philonis. Cum ergo ad Cæſarem legatione fungeretur Iudæorum, non ſolùm ſpernitur ab eo ob illius populi odium, ſed & vt templum prophanetur, ipſeq; ibi vt deus colatur, ab Auguſto præcipitur. *Pilati interitus.* Pilatus quoq; tantis à Cæſare malis atteritur, vt ſuo ſe gladio interfeciſſe dicatur. Vide iuſtiſſima ac occultiſſima Dei iudicia de inimicis ſuis: per flagitioſiſsimum hominem ſe vlciſcitur, ipſeq; immobilis manens, cum labore ac furore ciuium mundi, de hoſtibus triumphat. Sunt etiam nonnulli, qui eum apud Viennam vrbem Galliæ in exilium truſum, ac poſt in Rhodanũ merſum dicant. Vnde hodie naues ibi periclitari ab incolis affirmantur. Iiſdem diebus Cæſar Germaniam, Galliamq; percurrens, in Britanniam tendit: vbi dum Bellinum Britannorum regis filium in deditionem accepiſſet, Romam reuertitur. Sed non minor eius in ſuos crudelitas, quàm in hoſtes fuit. Sorores enim ſuas, quas primò ſtuprò polluit, poſtmodum exilio damnauit. His & alijs multis tam flagitioſè, quàm crudeliter commiſsis ſceleribus, à protectoribus ſuis quarto imperij ſui anno interficitur. Inuenti ſunt poſt mortem eius duo libelli, quorum

quorum vnus Pugio, alius Gladius dicebatur, in quibus lectissimorum Romanorum nomina morti destinatorum, scripta fuisse dicuntur. Arca quoq; varijs venenis plena apud eum inuenta est, quæ in mare fusa plurimos etiam piscium interfecerunt. Haud dubium, quin propter germinantia Christianorum tempora, tam immanem tyrannum ab hac luce dominus subtraxerit: qui si vixisset, quantam populi stragem facturus fuerat, ex morte piscium intelligi datur. *Iulij Cæsaris cruenta mors.*

CAPVT XIIII.

De Tyberio Claudio, quòd fames sub ipso in Iudæa fuerit: quòd Iacobus occisus, Petrus inuinculatus eodem tempore sit: de morte Herodis iunioris, & Theoda.

ANNO ab incarnatione domini XLIII, occiso Caio, Claudius IIII ab Augusto imperium suscepit. Huius diebus famem fuisse in Iudæa, quam Agabus ante prædixerat, Lucas refert, addens fratribus ibidem manentibus eleemosynas ex Antiochia, per Paulum & Barnabam missas. Ioseph quoque Helenam reginam Adiabenorum, necessitatibus pauperum ijsdem diebus plurima largitam memorat. Adiungit etiam Lucas, quòd in illo tempore, quod sine dubio sub Claudio fuisse Eusebius confirmat, Herodes Iacobum occiderit, Petrum in vinculis ab angelo liberatum posuerit. Hoc scelus regis perpetratum vltio diuina animaduertit. quod Lucas hoc modo prosequitur: *Cùm* (inquit) *in Cæsaream descendisset Herodes, & in die solenni præclara veste & regia indutus, pro tribunali consedisset, ac de sublimi concionaretur ad populum: cumque populus acclamaret ei, Voces dei, & non hominis, statim percussit eum angelus domini, eò quòd non dederit gloriam Deo, & scatens vermibus expirauit.* A Iosepho quoque idem, sed prolixiùs dictum inuenies, ijsdem diebus fuisse Theodam, de quo Lucas Gamalielem inducit loquentem, hoc modo: *Surrexit Theodas quidam, dicens se esse magnum quendam, qui destructus est, & omnes qui sequebantur eum dissoluti sunt*, Iosephus similiter affirmat. *Actor. 11.* *Ibidem 12.* *Actor. 5.*

CAPVT XV.

De diuisione apostolorum in omnes gentes. De Petro & Simone mago. De Marco euangelista, & discipulis Petri ab eo missis. De victoria Claudij ac seditione Iudaici populi. De expulsione eorundem, de Vrbe, & seditione Romani populi, occisione senatorum & mutatum. De morte Claudij.

CVM igitur ciuitas Christi, & imperium, quod penè in Iudæa tantùm ante natiuitatem eius fuit, dilatandum in omnes gentes foret, apostoli, vtpote principes & architecti huius ciuitatis, in omnem terram verbum vitæ prædicaturi exeunt, in finesq; orbis terræ disperguntur. Hinc Petrus aliorum princeps, totius orbis dominam sortitur Romam. Paulus, qui alios sapientia præcellebat, omnium prudentissimam, totiusq; philosophiæ fontem adijt Græciam. Ioannes Asiam, Andreas Achaiam, Matthæus Æthiopiam, Thomas & Bartholomæus vtrasq; Indias, Simon & Thaddæus Ægyptum & Mesopotamiam: ac ad vltimum Persidem & Scythiam, Philippus Hieapolim. Iacobus in Iudæa permanens, Hierosolymorum rexit ecclesiam. Nam alter Iacobus ab Herode decollatus erat, qui tamen prius (vt dicitur) Hispanis prædicauerat, vbi & adhuc sepulchrum eius clarum habetur. Hi non armis, sed longè efficacius dei verbo orbem aggressi, non alieno, sed proprio sanguine, multò quàm Romani clariùs, de vniuerso mundo triumpharunt. Petrus itaq; Romam veniens, Simonem hæresiarcham omnium in magica arte peritissimum, ac spurcissim, vrbem subuertentem inuenit. Iste dudum à Philippo in Samaria baptizatus, dum gratiam miraculorum ab apostolis oblata pecunia peteret, & non impetraret, conuersus retrò post Sathanam, apostatauit, seq; ex multis dæmonum præstigijs miracula faciendo, deum asserere non erubuit. Petrus verò in vrbe Roma salutifera vitæ verba docere cœpit, & quod ore docuit, signorum efficacia confirmauit. Exhinc Romæ cœperunt esse Christiani. His diebus Marcus, qui primus Alexandrinam rexit ecclesiam, ex ore Petri Euangelium in Italia Latino scripsit eloquio. Nam Matthæus suum antea in Iudæa He- *Simonis magi improbitas.* *Euangelium Marci.*

braico sermone scripserat. Reliqui duo, Lucas, scilicet, & Ioannes, sua postmodum Græca lingua ediderunt. Petrus exhinc cathedram Romæ suscipiens, ciuitatémque dei viuis ex lapidibus verbo & exemplo construere studens, nobilissimas orbis vrbes ciuibus Christi, ac sacerdotibus illustrauit. Nempe beatam Apollinarem Rauennam, Metim Clementem, ad florentissimam verò Galliæ vrbem Treuerim, tres simul proceres Valerium, Eucharium ac Maternum destinauit. Qui dum Alpes transissent, Maternus in via moritur: quo facto perculsi socij Romam reuertuntur. Beatus itaq; Petrus Apostolus pastoralem virgam, vt traditur, per eos ad suscitandum eum misit. Qui venientes ad locum sepulchri, XXXIII dies inuenerunt eum in monumento iacentem: attamen viri dei fide & operibus bonis pleni, sub obedientia magistri, admota virga, socium à morte suscitauerunt. Qui (vt fertur) post Eucharium & Valerium per tot annos Treuerensem & Agrippinensem rexit ecclesiam, quot dies antea in sepulchro iacuerat. Ostenditur autem adhuc eadem virga in argumentum rei quam diximus, Treueri ac Agrippinæ, ita quòd superiorem eius partem Treuerenses, inferiorem Colonienses habeant. Ea tempestate Claudius Britannos, eò quòd transfugas non reddidissent, exercitu petit, ac sine sanguine vel prælio, mirum dictu, ferocissimam gentem in deditionem accepit. Orcadas etiam in vltimo positas Oceano insulas, imperio adiecit, sextoq; mense, ex quo proficisci cœperat, in Vrbem redijt. Anno imperij eius VII tanta seditio in festiuitate Paschæ Hierosolymis orta est, vt de his qui constipatione populi in foribus templi opprimerentur, XXX M. Iudæorum inuenta sint. Anno imperij eius IX, Iudæos Vrbe trudi præcepit, quòd non solùm Iosephus, sed & Suetonius refert: *Claudius* (inquit) *Iudæos impulsore Christo, assiduè tumultuantes Roma expulit.* Sequenti anno tanta fames in Vrbe fuit, vt Imperator in medio foro ignominiosè fragmentis panum proiectis, in palatium fugiens, concitatæ plebis furorem euaserit. Non multo pòst elapso tempore, XXXV senatores, & CCC equites paruis de causis interfecit, ipse vero XIIII imperij sui anno veneno interijt.

S. Maternus.

Orcades insulæ.

CAPVT XVI.

De flagitiosa vita Neronis, & persecutione in nostros. De Ægyptio falso propheta. De morte Iacobi apostoli, scriptisq; apostolorum.

Nero Cæsar. ANNO ab incarnatione Domini LVII, Nero quintus ab Augusto, imperium suscepit, vir omnium flagitiosissimus, vtpote qui C. Caligulam auunculum suum nequitia transcenderet. Tantæ quippe petulantiæ fuit, vt assumpto varij vestitus dedecore, tam Græciæ, quàm Italiæ vrbes, & theatra perlustraret, ipsosq; histriones ineptijs suis vinceret. Luxuriæ verò tam effrenatæ, vt retibus aureis piscatus fuisse, in comitatu quoq; nunquam minus quàm mille carrucas habuisse dicatur. Hic etiam ex nimia lasciuia Vrbem incendi præcepit. Quæ dum sex dies septemq; noctes iugiter arderet, ipse in altissima Mecenatiana turre stans, pulchritudine flammæ delectatus, Iliadam tragico decantabat habitu. De libidinibus eius dicere abhorreo, quippe qui nec matre, nec sorore abstinens, contra naturam quoq; peccare non abhorruit. Quid eo sceleratius, qui magistro suo Senecæ à morte non pepercit? Hic enim vita & scientia clarus, philosophiæ studium coluit, frequentesq; ad Paulum apostolum literas mittens, & ab eo rescripta suscipiens, Christianis religionis amicum se ostendit. Vnde & à Hieronymo in libro illustrium virorum, inter ciues nostros ponitur. Præterea pluribus occisis senatoribus, in matrem, in fratres, sorores ac vxores parricida & incestuosus extitit. Auaritiæ verò tam inexplebilis erat, vt post innumerabilem pecuniæ thesaurum, quem negociatoribus vi rapuerat, centies centena milia sestertiorum singulis annis à senatu sibi dari instituerit. His flagitiosissimis factis impietatem in deum adiecit. Primus enim persecutionem in Christianos mouit: quod non sine consilio dei factum credimus, vt videlicet ciuitas sua talem hostem primò haberet, quem ob flagitiorum suorum scelera, ciuitas etiam mundi abhorreret, cui nihil præter honestatem inhonestum videbatur. Anno imperij eius primo, post Marcum euangelistam Anianus sacerdotium sumpsit Alexandriæ. Per idem tempus grauiter Iudæos afflixit Ægyptius quidam falsus propheta, qui in breui magica arte fidem prophetæ fecerat, adeò

Seneca.

Primaper secutio Christianorum.

adeò vt collectis sibi xxx milibus virorum, montem Oliueti occupasset, paratus inde vrbem irruere, & tyrannidi suæ subiugare. Felix autem congressione cum ipso facta, eum in fugam vertit, alijsq; peremptis, siue captis, cœpta facilè restinxit. Vnde in Actibus apostolorum Felix ad Paulum dicit: *Nonne tu es Ægyptius, qui ante hos dies concitaueras populum?* Post Felicem Festus Iudæis à Nerone præponitur, apud quem dum Pauli causa ventilatur, Iudæis insistentibus, Paulus Cæsarem appellans, vt Actus apostolorum referunt, Romam vinctus mittitur, ac eò veniens, verbum vitæ incessanter prædicauit. Hucusq; Lucas librum Actuum apostolorum perduxit. Iudæi postquam frustratas insidias, quas Paulo intenderant, vident, in Iacobum fratrem domini, qui dicebatur Iustus, Hierosolymorum episcopum, immanitatem nequitiæ suæ vertunt, eumq; fidem Christi abnegare expetunt. Statuunt itaq; eum scribæ & pharisæi super pinnam templi, & voce magna clamantes ad eum dicunt, Virorum iustissime, cui omnes obtemperare debemus, quoniam populus errat post Iesum, qui crucifixus est, enuncia nobis quod sit ostium Iesu. At ille dum libera voce, intrepidaq; mente Christum confitetur sedere in cœlo à dextris summæ virtutis Dei, de pinna templi præcipitatur, illæsusq; manens, fullonis vecte (aut pertica) percussus, martyrio consummatur. Is tantæ sanctitatis ac iustitiæ fuisse ab ipsis quoque Iudæis credebatur, vt ob eius necem Iosephus ciuitatem à Romanis postmodum destructam esse velit. Hic ciuitatem dei non solùm factis informauit, sed & vnam de VII epistolis, quæ Canonicæ dicuntur, vtilem valde, & sale sapientiæ conditam scripsit epistolam. Aliorum enim apostolorum scripta, præter Petri & Pauli, Ioannis & Iudæ epistolas, Ioannis quoque & Matthæi euangelia, in Canone non habentur. Iacobo successit Cleophæ filius, qui in euangelio memoratur Simon, quem consobrinum domini iuxta carnem fuisse Egesippus memorat.

Act. 21.

Act. 9. 11.

Iacobi fratris Domini martyrium.

CAPVT XVII.

De passione Petri & Pauli, & imminutione Romani imperij, & morte Neronis.

IGitur dum Nero Christianus persequendo, ciuitatem dei destruere molitur, beatissimos apostolorum principes Petrum & Paulum, Petrum in cruce pedibus sursum versis, Paulum gladio plecti præcipiens, vtrosque beato coronauit martyrio. Quod sequenti anno Vrbs misera sensit: nam in tantum pestilentia eam inuasit, vt xxx milia funerum supputarentur. Sub eadem persecutione occiduntur Processus & Martinianus, alijq; plurimi. Petro Romæ successit Linus, Antiochiæ Euodius. Iisdem diebus cum maxima ciuium ac sociorum clade, duo oppida in Britannia capiuntur. Eodem tempore Romani milites, pluribus in Oriente amissis prouincijs, sub iugum Parthorum ignominiosè venerunt. Tres ciuitates in Asia, id est, Laodicia, Hierapolis, Colossa terræmotu conciderunt. Et nota, quòd apostolis in Vrbe martyrio coronatis, secularis illius vrbis dignitas minui cœpit.

Petri & Pauli apostolorum martyrium.

Terræmotus Asiaticus.

Nero vt audiuit in Hispania Galbam ab exercitu Imperatorem factum, animo concidens, cum perturbare remp. molitur, à Senatu hostis pronunciatur. Videns itaque maliciam suam ad effectum se perducere non posse, fugiens ad quartum ab Vrbe lapidem, XIIII imperij suo anno se interfecit, in ipsoq; familia Cæsarum defecit. Non defuerunt tamen, qui dicerẽt hoc quod in Apostolo legitur: *Et nunc quid detineat scitis, vt reueletur in suo tempore:* & illud, *Qui tenet nunc, teneat, donec de medio fiat:* de Nerone (sub quo Paulus scripsit) dictum fuisse: arbitrantur, neq; Neronem non mortuum, sed humanis rebus viuum subtractum, vsq; ad vltimum tempus, in ea qua tunc fuit ætate apparaturum, ipsumq; fore Antichristum. Sed iam ad historiæ seriem reuertamur.

2. Thess. 2.

CAPVT XVIII.

De ciuilibus malis in vrbe, & captiuitate Iosephi, imperioq; Vespasiani.

GAlba sextus ab Augusto, morte Neronis comperta, Romam venit: vbi dum nobilem quendam Pisonem sibi in filium adoptaret, ab Ottone vterq; septimo imperij sui mense necatur. Itaq; dum Romæ Otto vsurpat Imperium, Vitellius in Germania idem arripere conatur. Vespasianus in Syria, qui contra Iudæos à Nerone mis-

sus, multis eos malis attriuerat, Iosephumq; fortissimum ac prudentissimum sacerdotem eorum in vinculis tenebat, ab exercitu Neronis audita morte, Imperator creatur. Quod nimirum malũ ciuile, & nobilissimi imperij distractionem, ob piaculum in apostolorum principes commissum Roma meruit. Iosephus iste Matathiæ filius, tantæ non solùm inter Iudæos, verum etiam apud Romanos postmodum auctoritatis fuit, vt statua ei in Vrbe donata, libri quoq; eius bibliothecæ traderentur. Extant eius opera in XX libris Antiquitatum, historia de Iudæorum cum Romanis bello, libri VII. Liber quoq; Machabæorum secundus ab eodem esse compositus à quibusdam dicitur. Alia verò eius etiam opera præclara Eusebius ponit. Otto contra Vitellium bellum parat. Vbi dum primò circa Alpes, secundò iuxta Placentiam, tertiò iuxta locum, qui Castoris dicitur, victor extitisset, quartò cum suos apud Bebryacum vinci videret, tertio ex quo imperare cœperat mense, seipsum interfecit. Vitellius Romam veniens, regnum vsurpat: multisq; ibi crudeliter ac nequiter actis, vt audiuit de Vespasiano, primò quidem imperium deponere cogitat, sed pòst à socijs confortatus, Sabinum Vespasiani fratrem in Capitolium cum suis fugauit, ibiq; omnes flamma ac ruina in vnum tumulum dedit. Vespasianus ergo, qui post mortem Neronis hortatu principum, & præcipuè Iosephi (qui cum in vinculis poneretur, constantissimè se ab eodem, sed imperatore, soluendum dixerat) imperium susceperit, relictoq; ad obsidionem Hierosolymorum filio suo Tito, per Alexandriam Romam tendit. Porrò inter hæc Vitellius à suis capitur, turpiterq; tam per viam sacram, quàm per forum ductus, vnco trahitur, & in Tyberim mersus, communi quoq; caruit sepultura. Aduersus Senatum etiam interea à militibus eius multa crudeliter peracta fuerant. Cognita morte Vitellij, Vespasianus Alexandriæ substitit.

CAPVT XIX.

De excidio Hierosolymorum, & captiuitate Iudaici populi, auctoritates de hoc Iosephi: quòd Titus & Vespasianus ob hoc Imperatores dicti, Romæ cum triumpho susceptisint. De Iano clauso, & incremento Romani imperij. De terræmotu, & pestilentia. De morte vtrorumq;, & amphitheatro.

IGITVR dum Iudæi post XL à passione Domini annos, quos in spacium pœnitentiæ acceperant, de commisso in Saluatorem scelere pœnitere nollent, imò in Stephano, & in duobus Iacobis occisis, peccatum peccato apposuissent, vltio diuina, quæ à domino eis prædicta fuerat, iam in populum impium exardescere debuit. Prænonitis autem diuino responso ciuibus Christi, vt de vrbe sacrilega, populoq; impijssimo, tanquam Loth de Sodomis, trans Iordanem in oppidum Pella nomine, transirent, vrbs infidelis à Tito obsidione in ipsa paschali festiuitate, cunctis vndecunque populis ad festum confluentibus, cingitur, tandemq; cum multo Romanorum sanguine expugnatur. Verùm à templo, quod sacerdotum ac principum multitudo tuebatur, Titus arcetur. Quod dum magno labore suorum caperet, tanquam ecclesia Dei germinante abolitum, cum ipsa vrbe funditùs deleuit, ac iuxta prophetiam domini, lapidem super lapidem ibi non reliquit, transactis à prima conditione sui M. C. annis. Sexcenta tunc milia Iudæorum interfecta fuisse, referunt Cornelius & Suetonius. Verùm qui miserrimum omnium Iudæorum exitium ad plenum scire desiderat, ipsorum historiographum Iosephum legat, qui in ipsa paschali festiuitate, tanquam vno carcere conclusos, tricies centena milia hominum in vrbe fuisse commemorat. Ex quibus tam fame, quàm ferro & igne, vndecies centena milia, exceptis illis qui in vrbibus, aut castellis alijs perierant, in hac tantùm perijsse, idem scriptor narrat. Ait ergo inter cætera: *Arbitror enim, quòd etiamsi aduersus impios ciues Romanorum paulisper arma cessassent, aut hiatu terræ, aut aquæ diluuio, aut Sodomitanis ignibus, aut fulminibus cœlitùs tortis, supplicium ciuitas deprehendisset, quæ multo infaustiorem illis qui hæc perpessi sunt, & nequiorem virorum præsentem hanc pertulisset ætatem, pro quibus & omnis gens pariter mereretur extingui,* Reliqui Iudæorum, qui vsq; ad Dcccc M. fuisse dicuntur, per totum orbem vsq; in præsentem diem dispersi sunt. Titus post tam magnificum triumphum, Imperator ab exercitu appellatur. Vespasianus dehinc cum Tito filio Vrbem ingreditur, vbi cum maximo tripudio, inauditoq; triumpho, vno

Hierosolymorum excidium.

curru

curru cum filio ſedens, actis ante ſe captis, & bibliotheca Iudæorum, ſuſcipitur. Iuſto id iudicio dei factum creditur, vt qui in patrem & filium peccauerunt deum, ab hominibus patre & filio plecterentur. Itaq; Imperatores omnibus bellorum motibus ſedatis, ſexto Iani ab Vrbe condita portas clauſerunt.

His diebus Romanorum reſpub. plurimùm eſt aucta. Achaia enim, Lycia, Rhodus, Byzantium, Samothracia, Cilicia, Comagena in prouincias redactæ, Romanis legibus ac iudicijs paruere. Nono imperij eorum anno ciuitates Cypri terræmotu corruerunt, vrbsq; peſtilentia conſumitur. Eodem, vel iuxta alios x anno, Veſpaſianus profluuio ventris in villa propria iuxta Sabinos moritur: cuius filius Titus, ſegregatis à numero principum Ottone & Vitellio, octauus ab Auguſto ſuccedit, vir omnium ante ſe principum moderatiſſimus, in tantum vt Deliciæ hominum vocaretur. Diem enim in qua nil boni feciſſet, perdidiſſe ſe dicere ſolebat. Huius diebus bella non fuere, Roma verò in pluribus ſui partibus per ſe conflagrauit incendio. Is amphitheatrum Romæ ædificans, quinq; milibus ferarum dedicauit. Anno imperij 11, cum omnium planctu in eadem qua & pater villa moritur. Eodem anno Linum, x11 annis in ſacerdotio tranſactis, vrbis Romæ epiſcopatum tradidiſſe Anacleto, refert Euſebius.

Cypri terræmotus.

Titus Imp.

CAPVT XX.

De perſecutione Domitiani in ſuos & noſtros. De Clemente ſucceſſore Petri, quòd tunc Domitianus Ioannem apoſtolum in exilium miſerit.

ANNO ab incarnatione domini LXXXIII, Domitianus Tito fratri, nonus ab Auguſto, ſucceſſit, qui non ſolùm crudeliter in ſuos, quoſdam interficiendo, quoſdam in exilium mittendo, ſæuire cœpit: ſed etiam plurimùm ei reip. damnum, exercitum incautè Germanis & Dacis exponendo, intulit. Hic etiam in tantam prorupit veſaniam, vt ſe deum & dominum appellari ac coli fecerit. Secundus quoq; poſt Neronem perſecutionem in Chriſtianos mouit. Anno imperij eius quarto Annianus, qui XXII annis Alexandriæ eccleſiam Dei rexerat, moritur, cui ſucceſſit Abilius. Anacletus quoq;, qui iuxta Euſebium in vrbe Roma XII annis ſacerdotio functus erat, vita decedit, ſedemq; Clementi reliquit. Alij verò hunc Cletum dicunt, & Anacletum poſt Clementem ponunt. Hic eſt Clemens, cuius tanquam coadiutoris ſui Paulus meminit, vbi ait: *Cum Clemente, & cæteris adiutoribus meis.* Hic eſt magnus ciuitatis dei princeps, ſapientia præditus, intantum vt à Iudæis & gentibus diligeretur, tractabilis, non ſolùm verbis & factis eccleſiam dei informauit, verumetiam monimenta librorum ciuitati dei profutura reliquit. Extant eius inter cætera opera, quam ex perſona Romanæ eccleſiæ dictauit, ad Corinthios epiſtola, quæ intantum ei, quam ad Hebræos Paulus conſcripſit, conſimilis eſſe cernitur, vt propter hoc illa, quam nominaui, epiſtola, non Pauli, ſed ſua à pluribus putetur. Huic Clementi Petrus ſibi à domino traditam ligandi ac ſoluendi poteſtatem tradidit, eumq; ſacerdotio ſibi ſubrogauit. Quare verò inter eum & Petrum duo medij inueniantur, ab alijs ſatis dictu manifeſtum eſſe putamus. Domitianus dum ciuitatem dei perſequi intentat, Ioannem apoſtolum, cæteris martyrio coronatis, ſolum ex apoſtolis ſuperſtitem, in Pathmos inſulam relegari præcepit, vbi Apocalypſim diuina reuelatione compoſuit. Ex Dauid quoq; ſtirpe genitos exquiri præcepit. Quos dum aſcitos pauperes cognouiſſet, requiſitosq; de regno Chriſti, dum illud cœleſte, non terrenum audiſſet, liberos abire permiſit. Sed & perſecutionem, quam aduerſus eccleſias agitari iuſſerat, datis rurſum compeſcit edictis. Ipſe verò XV imperij ſui anno in palatio necatus, dedecoroſè ſepelitur. Cui in regnum ſucceſſit Nerua, anno ab incarnatione Domini XCIX. Hic reuocari exules præcepit, vnde & Ioannes à Pathmo ad Epheſum redire permiſſus eſt.

Domitianus.

Secunda Chriſtianorum perſecutio.

Clemens Roman. epiſcopus.

Nerua.

CAPVT XXI.

De Traiano, victorijſq; eius, ac perſecutione in noſtros. De domo aurea Neronis, & ſeditione Romanorum. De ſacerdotibus Chriſti, qui eo tempore erant. De obitu Ioannis apoſtoli, & hæreſibus quæ tunc pullulabant.

Traianus. ANNO ab incarnatione Domini CX, imperij ſui primo, Nerua moritur, regnauitq; pro eo Traianus, XI ab Auguſto, quem ipſe viuens in filium & hæredem regni adoptauerat. Hic apud vrbem Galliæ Aprippinam, regni gubernacula ſuſcepit: tranſitoq; Rheno, Germaniam in priſtinum ſtatum reduxit, ac multas trans Danubium gentes ſubegit. In Oriente quoque regiones trans Euphratem ac Babylonem ſubiugauit. Hinc eſt illud exemplum, Traiano bellante victi ſunt Parthi. Is tertius à Nerone Chriſtianos perſecutus, relatu ac monitu Plinij iudicis mitior eſt factus. Huius diebus domus aurea Neronis fulmine concrematur. Iudæi etiam tunc multis ſeditionibus turbauerunt Orientem. Eo tempore apud Antiochiam poſt Enodium tertius poſt Petrum, regebat eccleſiam Ignatius: Romæ Euariſtus, qui Clementi IX annis regenti eccleſiam, ſucceſſerat: Hieroſolymis poſt Simeonem, Iuſtus, Smyrneorum cathedram Polycarpus, Hierapolim Papias, ambo Ioannis diſcipuli, gubernabant. Quorum Papias quinq; libros, qui appellantur verborum dominicorum, ſcripſiſſe dicitur. Ioannes poſt multa virtutum ſuarum inſignia, apud Epheſum ſolus ex apoſtolis ſine effuſione ſanguinis, in pace migrauit ad Deum. Ea tempeſtate Menander poſt Simeonem ſurrexit hæreticus. Cherinti hæreſis, qui terrenum futurum eſſe Chriſti regnum, & eorum quæ ſub ventre ſunt incitamenta, cibis, potibus, nuptijs prædicabat explenda, pullulabat. Fuerunt etiam Hebiones, id eſt, pauperes, pro pauperitate intelligentiæ vocati, Chriſtum ſolum hominem putantes. Sed & Nicolaitarum hæreſis tunc efferbuit, qui ſine vlla reuerentia & pudore, promiſcuos & illicitos concubitus licere affirmabant Iſti Nicolaum vnum de VII illis, qui cum Stephano diaconi ſunt conſtituti, auctorem ſe huius rei habere iactant, eò quòd vxorem ſuam, quam pulchram valde habuit, in medium produxerit. Excuſat verò hunc Clemens Alexandrinus, dicens inter cætera: *Mihi compertum eſt, Nicolaum nullam prorſus agnouiſſe mulierem, præter eam, quam in matrimonium acceperat, eiusq; liberi caſta virginitate, & ſanctitate incorrupti corporis, vſq; ad vltimam ſenectutem durarunt.* Quæ cum ita ſe habeant, conſtat illud, quòd in medium apoſtolorum pro zelotypiæ ſuſpicione produxerit vxorem, ex contemptu vitij, vel libidinis geſtum, quòd per hoc continentem ſe oſtenderet eius rei, quam nimiè putabatur expetere. Increpabatur enim ab apoſtolis, quòd nimis tenerè illam diligeret. Sic Clemens XII Traiani anno, poſt Cerdonem Primus, quartus ab apoſtolis, Alexandrinam, Romanam verò poſt Euariſtum Alexander gubernauit eccleſiam. Poſt Ignatium Heros Antiochenæ præſidebat eccleſiæ.

Tertia Chriſtianorum perſecutio.

Cerinthus. Ebion.

Nicolaus hæreticus.

CAPVT XXII.

De manſuetudine & operibus Adriani Ælij, ſacerdotibusq;, qui tunc clari habebantur.

ANNO ab incarnatione domini CXVIII, Traianus XIX imperij ſui anno, profluuio ventris apud Seleuciam Iſauriæ, vt dicitur, vrbem moritur, eiq; conſobrinæ ſuæ filius, XII ab Auguſto, in regnum ſucceſſit Adrianus Ælius. Hic à Quadrato apoſtolorum diſcipulo, & Ariſtide Athenienſi, viro & fide & ſapientia pleno, commonitus, præcepit, ne ſine obiectu criminis Chriſtiani punirentur. Is etiam rempub. iuſtiſſimè gubernans, pater patriæ appellatus eſt, & vxor eius, Auguſta. Idem Sauromatas bello preſſit, Iudæos tumultuantes, ac in Palæſtinam redire conantes, coercuit, præcipiens, vt vltrà licentiam introeundi Hieruſalem non haberent, Chriſtianos verò ibi habitare permiſit. Anno imperij eius XIII, Alexander Romanæ vrbis pontifex decedit, eiq; Sixtus ſucceſſit. Alexandriæ quoq; Primo mortuo, ſubrogatur Iuſtus. Sanè Hieroſolymorum ciuitas, expulſis ab Ælio Adriano Iudæis, plurimùm ab imperatore reparata, ex nomine eius Ælia dicta, à gentibus inhabitabatur. Poſt XV ergo ſacerdotes, quos ciuitas dei ex circumciſionis pariete à Iacobo apoſtolo, vſque ad id tempus habuit, iam ex alio pariete credentium pontifices habere cœpit, quorum primus ſo Marcus fuit, Sixto iam mortuo, ac Theleſphoro Romanam eccleſiam gubernante, poſt Iuſtum quoq; Eumene Alexandrinam eccleſiam regente.

Adrianus Ælius.

CAPVT XXIII.

De hæreſibus, & ciuibus Chriſti illis reſiſtentibus, & exemplar epiſtolæ Adriani pro Chriſtianis.

Igitur

IGITVR dum ciuitas dei, quæ est ecclesia, longè lateq; per orbem terræ diffunderetur, antiquus hostis subtiliùs eam persequi molitur: & qui prius eam exterius persecutionibus oppugnauerat, nunc intestino bello, hoc est hæreticorum veneno, callidè inficere attentat. Post Menãdrum ergo duo flagitiosissimi, Saturninus Antiochenus, & Basilides Alexandrinus, surrexerunt hæretici. Quorum Basilides sectatores suos ad morem Pythagoricum, quinquennio silere, fidemq; Christi persecutionis tempore negandam asseruit. Carpocratem quoque hæreticum tunc fuisse Irenæus scribit. Porrò ciuitas Christi supra firmam petram fundata, nec foris tempestatibus, nec intus seditionibus quassari valens, non solùm sacerdotes, qui eam verbo & exemplo informarent, præclaros habuit, sed & summa sapientia præditis viris illustribus, qui eam non solùm dictis, sed scriptis à prauorum impugnationibus defenderent, non caruit. Inter quos Egesippus clarissimus habebatur, qui apostolicæ prædicationis traditionem, simplici sermone quinque libris conscripsit. Sed & historiam Iudaici belli à Machabęis, vsque ad excidium Hierosolymorum, luculenter ac prudenter contexuit. Iustinus etiam, tam nostra quàm philosophorum scientia plenus, ad Antonium apologeticum pro nostra religione scribens, horum meminit. Scribit etiam de Adriano Cæsare, quòd pro Christianis huiusmodi literas miserit: *Accepi literas ad me scriptas à decessore tuo Sereno Granio clarissimo viro: & non placet mihi relationem silentio præterire, ne & noxij perturbentur, & calumniatoribus latrocinandi tribuatur occasio. Itaque si euidenter prouinciales huic petitioni suæ adesse valent, aduersum Christianos, vt pro tribunali eos in aliquo arguant, hoc eis exequi non prohibeo: precibus autem in hoc solis & acclamationibus vti eis non permitto. Etenim multo æquius est, si quis volet accusare te cognoscere de obiectis. Si quis ergo accusat & probat aduersus leges quicquam agere memoratos homines, pro merito peccatorum etiam supplicia statues Illud meherculè magnopere curabis, vt si quis calumniæ gratia quenquam horum postulauerit reum, in hunc pro sui nequitia suppliciis sæuioribus vindices.*

Saturninus & Basilides hæretici.

Egesippus historicus.

CAPVT XXIIII.

De principatu Antonini cognomento Pij, hæresibusq; sub eo ortis. De sacerdotibus & doctoribus Christi contra hæreses. Epistola etiam Imperatoris pro nostris.

ANNO ab incarnatione domini CXXXIX, Adrianus XXI principatus sui anno, diem obiit. Cui Antoninus cognomento Pius, XIII ab Augusto, in regnum successit, qui adeò tranquillè rempub. gubernauit, vt pater patriæ ex hoc appellatus sit. Huius diebus Hermes librum pastoris conscripsit. Anno imperij eius primo, Thelesphorus XI annis sacerdotio functus, vita decedit: cui Higinus substituitur. Huius diebus Valentinus & Cerdon, quem postea Martion secutus est, hæresiarchæ fuere. Cerdonis dogma fuit: quòd is qui in lege & in prophetis prædicatus est Deus, non esset ipse pater domini nostri Iesu Christi: quia ille quidem notus esset, hic autem ignotus: ille iustus, hic autẽ bonus. Eo tempore Iustinus philosophus, cuius suprà mentionem fecimus, de Neapoli Palæstinæ nobili prosapia oriundus, inter cætera præclara opera, Apologeticum Imperatori de fide nostra scripsit, eumq; benignum Christianis fecit. Vnde pro his, qui in Asia patiebantur iniuriam, tale scriptum promulgauit:

Antoninus Pius.

Cerdo hæreticus.

Iustinus philosophus.

Pro Christianis edictum Imperiale.

Imperator Cæsar Marcus Aurelius Antoninus Augustus Armenicus, pontifex maximus, tribunitiæ potestatis quindecies, consul tertiò, vniuersis simul plebibus Asiæ salutem.

Ego quidem non ambigo etiam ipsis diis curæ esse, ne quis noxius lateat: multò enim magis ipsis conuenit punire eos, qui sibi immolare nolunt, quàm nobis. Et post pauca: Vos autem cęteros quidem deos negligitis, cultum verò immortalis dei, quem Christiani colunt, expellitis: sed paternam ego secutus sententiam, pari moderatione statuo, quòd si quis perstitit huiuscemodi hominibus absque vllo crimine mouere negocia, ille quidem qui delatus pro hoc nomine fuerit, absoluatur, etiamsi perhibetur id esse, quod ei obiicitur Christianus. Is autem qui crimẽ obtendit, reus pœnæ ipsius quam obiecit existat. Higino succesit Pius. Post Neumenem Alexandriæ Marcus sedit. Pius Aniceto sedem reliquit. Marcus Celadionem sibi substituit. Aniceti diebus

refert se Egesippus, quem suprà nominaui, Romam venisse, & vsque ad Eleutherij tempora ibi fuisse.

CAPVT XXV.

De imperio Antonini Veri, cum Aurelio Commodo, bellisq; eorum. De ciuibus nostris, grauiq; persecutione, & quomodo per Christianos Imperator Germanos deuicerit.

M. Antoninus Verus. ANTONINVS ad XII ab Vrbe lapidem, XXII imperij sui anno, diem vltimum clausit. Post quem XIIII ab Augusto, M. Antoninus Verus, cum Aurelio Commodo fratre, regni gubernacula suscepit, anno Domini CLXII. Hi Vologesum Parthorum regem, Armeniam, Cappadociã, Syriamq; vastantem, graui bello pressẽrũt. Horũ diebus cũ multi ciues Christi vbiq; terrarum pro fide fortiter dimicarent, Polycarpus Smyrneorum episcopus, & apostolorũ discipulus, glorioßissimo pro domino martyrio coronatur. Fertur de ipso, quòd ad exemplum magistri sui Ioannis, qui apud Ephesum, cũ balneas lauãdi gratia intrasset, & vidisset ibi Cherintũ, exiliit, Fugiamus, inquiens, ne balnea ipsa corruant, in quibus Cherintus lauat, veritatis inimicus: sic, inquam, Polycarpus Martioni occurrens, interrogatusq; ab ipso si eum agnosceret, respondit: Agnosco primogenitum satanæ. Cum Polycarpo pluribus martyrio coronatis, Metrodorus quidam, de Martionis hæresi presbyter, ignibus est traditus.

Polycarpus.

His diebus Aniceto Romæ successit Sother, Alexandriæ verò Celadion Agrippinus substitutus erat. Antiochiæ post Hieronem Cornelio substituto, eodemq; defuncto, sextus ab apostolis Theophilus sedebat. Hic ciuitatem dei non solùm factis, sed & scriptis informans, vtilia librorum monimenta reliquit. Per idem tempus præclari ciuitatis dei principes fuere, Dionysius Corinthiorum, Melito Sardensium, Apollinaris Hieropolitanorum episcopi. Ex quibus Dionysius multis ecclesiæ scripturis vtilibus relictis, de Dionysio quoque Areopagita refert, quòd Athenienßium episcopus â Paulo fuerit ordinatus. Reliqui verò duo inter alia scripturarum suarum insignia apologeticum de fide nostra Imperatori scripserunt librum. Antonini (qui quartus à Nerone persecutionem in Christianos mouit) XVII anno Sothere mortuo, Eleutherius successit.

Quarta persequutio Christianorum.

Ea tempestate grauissima apud Gallias persecutio, Christi ciuitatẽ vrgebat. Ferebat hoc malum potissimùm apud nobilissimas Galliarum vrbes, Lugdunũ & Viennam. Verùm multis hac tempestate martyrio coronatis, Photinus quoq; Lugdunenßium episcopus, senio ac moribus grauis, glorioßa pro domino passione consummatur. Cui successit Irenæus Polycarpi discipulus, quorum suprà mentionem feci, vtilis admodum ciuitati Dei non solùm prædicatione, sed & scripturarum executione. Extant de his temporibus epistolæ à Galliarum martyribus Christianis in Asiam missæ, quas in historia Eusebij, quam Eccleßiasticam vocant, inuenire poteris. Eo tempore apud castrum Diuionense Benignus Polycarpi discipulus, in Gallias missus, martyrio coronatur. Grauissimæ pestilentiæ in plurimis Romanorum tunc fuere prouinciis.

Irenæus episcopus.

Iisdem etiam diebus dum Imperator contra Germanorũ fortissimam gentem, manum conserere parat, exercitu plurimùm siti fatigato, ac tam ex hostium multitudine, quàm fortitudine pauore perculso, Christianorum qui in procinctu erant precibus, & Romanis ad subsidium, subitò largus imber profunditur, & barbari, qui iam exitialiter imminebant, crebris fulminibus deterrentur. Sicq; sanctorum precibus hostibus fugatis, Romani non suis, sed Dei virtutibus, victoria potiuntur. Feruntur Imperatoris literæ ad plerosq; missæ, testantes victoriam sibi Christianorum precibus collatam fuisse.

CAPVT XXVI.

De principatu Commodi, obscœnitateq; eius, & hæresibus. De incendio, fulmine, & igne Romæ facto.

M. Antonius Commodus. ANNO ab incarnatione Domini CLXXXI, Antonius XIX imperij sui anno, in Pannonia moritur, eiq; filius suus M. A. Commodus, XV ab Augusto, successit. Hic luxuriæ & obscœnitati deditus, plurimos ex senatoribus interfecit. Commodus

iste

iſte per omnia reipub. incommodus fuit, niſi quòd contra Germanos bellum feliciter geſſit.

Per idem tempus innumeræ hæreſes pullulabant, inter quas Encratitarum, Tacianum quendam auctorem habens, magis peſtiferà fuit. Hi ab animalibus abſtinendum prædicabant, ingrati exiſtentes deo, qui hæc humanis vſibus procreauit. Sed & nuptias refutantes, accuſabant illum, qui ab initio maſculum & fœminam ad reſtaurationem humani generis fecit. Sanè Clemens, cuius ſuprà mentionem feci, ſcribens aduerſum eos, inter cætera dicit: *An & apoſtolos improbant? Petrus etenim & Philippus & vxores habuerunt, & filias virgines etiam nuptui dederunt. Sed & Paulum apoſtolum non tædet in quadam epiſtola ſua mentionem, vel ſalutationem facere comparis ſuæ, quam ſe ideo negat circunducere, vt ad prædicationem Euangelij expeditior fiat.* *Encratitarũ hæreſes.*

Ea tempeſtate Capitolium Romæ fulmine percutitur, ac bibliotheca, magna maiorum cura compoſita, concrematur. Aliud quoque incendium Romæ exortum, ædem Veſtæ, ac palatium, plurimaſq; Vrbis partes conſumpſit. His diebus Eleutherius diem obiit, Victoriq; ſedem reliquit.

CAPVT XXVII.

De morte Commodi, & ſubſtitutione Helij, qui & Pertinax, rurſumq; de morte illius.

COMMODVS poſt multa vitæ ſuæ flagitia, in domo Veſtiliani, XIII imperij ſui anno ſtrangulatus eſſe dicitur: regnauitq; poſt eum Ælius ſenex, XVI ab Auguſto, ex hoc quòd ad regnum electus, pertinaciter reſtitit, Pertinax dictus: quem quinto quàm regnare cœperat menſe, Iulianus iuriſperitus in palatio occidit. Qui dum regnum inuadere molitur, iuxta pontem Miluium ſeptimo ex quo imperium vſurpauerat menſe, à Seuero vita priuatur. *Ælius Pertinax.*

CAPVT XXVIII.

De principatu Seueri, & perſecutione eius in noſtros, belloq; contra gentes. De patribus & ſacerdotibus, qui illo tempore pro domo dei ſtabant, & de controuerſia quæ inter Romanum pontificem, & orientales epiſcopos de die Paſchæ fuit. De Iuda, & Origene. De victoria Seueri.

ANNO domini CXCV, Seuerus natione Afer, qui ex eo quòd Imperatorem vltus erat, Pertinax eſt dictus, XVII ab Auguſto, rerum ſummam obtinuit. Hic natura ferox, quintam poſt Neronem perſecutionem in Chriſtianos mouit, Iudæos quoque & Samaritas, Parthos, Arabas, Adiabenos bello preſſit, Peſcenninumq; ex Ægypto ac Syria tyrannidem affectantem, interfecit. His diebus cum perſecutio vbiq; terrarum ferueret in Chriſti ciues, apud Alexandriam poſt multos alios pater Origenis Leonides martyrij palmam accepit, Origene adhuc puero, martyrium tamen plurimũ affectante. Hoc in tempore fuerunt non ſolùm martyres, qui ciues Chriſti exemplo ſuo ad patientiam animarent, ſed & doctores & ſcriptores diſertiſſimi viri, qui eos docendo ac ſcribendo ad ſapientiam informarent. Ex quibus poſt Iulianum apud Alexandriam Demetrius ſubſtitutus: apud Antiochiam octauus ab apoſtolis Serapion epiſcopus ordinatus: apud Cæſaream Palæſtinæ Theophilus: in Hieroſolymis Narciſſus, eccleſias procurabant. Multi quoq; in aliis locis egregij ſacerdotes fuere, Victore adhuc Romanæ eccleſiæ cathedram gubernante. *Seuerus Pertinax.* *Quinta perſequutio.*

Quibus præſidentibus in eccleſia, in prouinciis Aſiæ quæſtio oritur de die Paſchæ, cõfirmantibus quibuſdã quacunq; die ſeptimanæ XIIII luna veniſſet, ſolui debere ieiuniũ, cum talis conſuetudo non vſpiã in eccleſia obſeruaretur. Ob quam cauſam cõuentus epiſcoporũ, & concilia, tam per ſingulas prouincias, quàm in vrbe Romana, cui Victor præfuit, conuocantur: cõmuniq; decreto confirmatur, ne liceat aliquando niſi in die dominica Paſchæ celebrare myſterium. Sed epiſcopi regionis Aſię conſuetudinem à veteribus ſibi traditã confirmabant, in quibus Polycrates, quia maiorem videbatur habere auctoritatem, Victori Romanę vrbis epiſcopo ſcribens, inter cætera ait: *Nos igitur intemeratũ Paſchæ colimus diem, neq; addentes, neq; auferentes aliquid.* *Controuerſia de ſolennitate Paſchatis.*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 136;Leibn. Marg. 136, Stück 1, [87] - 69
PUBLIC DOMAIN

Etenim magna quædam luminaria apud Asiam dormierunt, ſummi & electi viri, in quibus eſt Philippus euangeliſta, & duæ filiæ eius, nec non & Ioannes, qui ſupra pectus Domini recubuit, Polycarpus quoque, aliiq; ſancti, qui expectant aduentum domini de cœlis, vt reſurgant à mortuis: iſti ergo omnes diem Paſchæ in XIIII *die menſis obſeruarunt, ſecundùm Euangelium. Sed & ego omnium veſtrum minimus Polycrates, ſecundum traditionem eorum patrum, qui* VII *fuerunt ante me per ordinem epiſcopi, obſeruo hunc diem, vt conueniret cum illo, quo fermentum Iudæorum populus aufert. Vnde fratres chariſſimi,* LXV *annos ætatis gerens in nomine Domini, multorum quoq; epiſcoporum per orbem terræ notitiam habens, & ſanctis ſcripturis intendens, non perturbabor ex his quæ ad terrorem proferuntur: quia & maiores mei dixerunt: Oportet magis obtemperare Deo, quàm hominibus, certi quòd non inaniter canos attuli-* 10
Victor. 5. *mus, ſed in diſciplina Chriſti ſemper conuerſati ſumus.* Sed ad hoc Victor conſtantius agēs, totius Aſiæ eccleſias cum vicinis prouinciis à cōmunione abſcindere nititur. Sed non omnibus hoc placebat epiſcopis, quin potius e contrariò ſcribentes ei iubebāt, vt magis quæ pacis ſunt ageret, & concordiæ ſtuderet. Extant etiam ipſorum literæ, quibus aſperiùs obiurgant Victorem, velut inutiliter eccleſiæ commodis conſulentem.

Eodem tempore Iudas de ſeptimanis Danielis prudenter diſſeruit. Origenes
Origenes. quoque apud Clementem doctiſſimum Alexandriæ presbyterum, qui & ipſe vtiles compoſuit libros, tunc erudiebatur. Itaque poſtquam Origenes ad iuuenilem peruenit ætatem, non ſolùm Alexandriæ docendi officium à Demetrio epiſcopo aſſumpſit, ſed & vbiq; verbum dei prædicare cœpit. Dumq; indifferenter ſam mulieribus, 20
quàm viris prædicat, lubricæ ætatis incentiua metuens, zelum dei, ſed non ſecundùm ſcientiam habens, manum ſibi iniiciens, ſemet caſtrat, illud euāgelicum, quia ſunt eunuchi, qui ſeipſos caſtrauerunt propter regnum dei, etiam ad literam complendū credens. Hic eſt Origenes, qui à Seueri diebus, vſq; ad Galli ſecūdi tempora durans, multa de diuinis ſcripturis vtilia compoſuit, ſed nimiùm humanis viribus confidendo, ac mundanis rationibus incautè innitendo, labori & religioni ſuæ omnimodæ hęſitationem induxit, benè dicta erroribus (vt quidam aſſerunt) permiſcens. Vnde de ipſo habes quòd vbi benè, nemo melius: vbi malè, nemo deterius.

Seuerus Iuliano Peſcenioq; interfectis, aduerſus Albinum Iuliani ſocium, in
30 Galliis bellum machinantem, exercitum parat: quod cum multo vtriuſq; partis ſanguine occiſo, demum apud Lugdunum Albino terminatur. Poſt hoc Britannis bellū indicit: quos cum magna difficultate cum ſubiugaſſet, partem inſulæ vallo cinxit.

CAPVT XXIX.

De morte Seueri, ſubſtitutioneq; Caracallæ, & item de morte illius.

Caſar Caracalla. SEVERVS Antoninus apud Eboracum oppidum, XV imperij ſui anno, diem vltimum clauſit. Cui Aurelius Antoninus Baſſianus, qui & Caracalla, XVIII ab Auguſto ſucceſſit. Anno ab incarnatione domini CCXIII, Victore mortuo, Zepherinus ſucceſſit. Caracalla verò patre aſperior, libidineq; intemperantiſſimus fuit, vtpote qui 40
Macrinus. nouercam ſuam in vxorem duxit. Is dum contra Parthos bellum molitur, inter Edeſſam & Carras ab hoſtibus interficitur. Quo mortuo, Macer Opilius, ſeu Macrinus præfectus prætorij XIX ab Auguſto regnum inuaſit, primoq; imperij ſui anno, militari tumultu vita priuatur.

CAPVT XXX.

De imperio Marci Aurelij, vitaq; eius, & de Romanis pontificibus, morteq; Aurelij.

M. Aurelius Caſar. ANNO ab incarnatione domini CCXXI, Marcus Aurelius ſacerdos Heliogabali templi, XX ab Auguſto, imperium ſortitur. Hic flagitioſam vitam duxiſſe fer- 50
tur. Huius diebus Zepherino mortuo, Calixtus Romanam eccleſiam gubernandam ſuſcepit. Aurelius IIII imperij ſui anno, à tumultu militari cum matre necatur.

CAPVT

CAPVT XXXI.

De principatu Aurelij Alexandri, & victoria eius. De martyribus qui sub eo passi sunt, & Romanis pontificibus, morteq; Aurelij.

ANNO ab incarnatione domini CCXXV, Aurelius Alexander XXI ab Augusto, voluntate omnium Imperator creatur. Hic ex Christiana muliere Mammea natus, iustè rempub gubernauit, Xerxem quoq; regem Persarum maximo bello deuicit. Vlpiani etiam consilio reipub. moderatissimum se exhibuit. Passi tamen sunt sub eo Gordianus & Epimachus, Palmatius quoq; consul cum vxore & filiis, aliiq; promiscui sexus XLII decollati. Simplicius etiam senator, quem Calixtus Papa baptizauerat, cum multis aliis passus est. Huius diebus Calixto Romæ successit Vrbanus. Vrbano modicùm durante, Pontianus ecclesiam Romanam gubernandam suscepit. Alexander XIII imperij sui anno, tumultu militari apud Moguntiam occiditur.

Cæsar Aurelius Alexander.

CAPVT XXXII.

De imperio Maximi, persecutioneq; eius in nostros, morteq; etiam ipsius.

ANNO ab incarnatione domini CCXXXVIII, Iulius Maximus, seu Maximinus, natione Trax, XXII ab Augusto, sine Senatus voluntate ab exercitu, eo quòd bellum in Germania prosperè gesserat, rex creatur. Hic propter odium prædecessoris sui Alexandri, ex Christiana matre nati, sextus à Nerone ciuitatem dei persequitur. His diebus feruente tribulatione persecutionis, Origenes necessarium & egregium de martyrio librum conscripsit. Maximus verò tertio imperij sui anno à Pupieno Aquileiæ interficitur. Pupienus autem & frater eius Albinus, dum regnum vsurpare contendunt, in palatio vita priuantur.

Maximinus Cæsar.

Sexta persecutio fidelium Christi.

CAPVT XXXIII.

De principatu Gordiani, Romanisq; pontificibus, & scriptoribus ecclesiasticis, sine quoque Gordiani.

ANNO ab incarnatione domini CCXLI, Gordianus post Maximum, XXIII ab Augusto, imperator creatur. Pontiano quoque defuncto Antherus successit. Quo mortuo, Fabianus (vt traditur) per columbam cœlitùs elapsam, & super caput eius manentem, episcopatu dignus iudicatur: quod tamen alij super Zepherinum gestum tradunt. Tunc etiam apud Antiochiam episcopo Zebenno defuncto, Babylas ecclesiæ suscepit principatum. Apud Alexandriam verò Demetrio successit Heraclas. Eo tempore extiterunt multi, qui ciuitatem dei scripturarum suarum documentis illustrarent, è quibus Africanus vir inter scriptores ecclesiasticos nobilis, multa monimenta librorum reliquit. Gordianus admodum puer Parthis bellum indicit. Quos dum diuersis præliis sæpe prosperè gestis oppressisset, ipse suorum fraude, VI imperij sui anno, super Eufratem interficitur.

Gordianus Cæsar.

CAPVT XXXIIII.

De imperio Philippi Christiani, & humilitate ipsius.

ANNO ab incarnatione Domini CCXLVII, Iulius Philippus, XXIIII ab Augusto, cum filio suo Philippo regnum sortitur. Hic primus Imperator Christianus fuit. Anno imperij eius III, millesimus ab Vrbe condita impletur annus, cum omnium gaudio magnificis ludis ab Imperatore celebratur. De hoc fertur, quòd dum in vigilia Paschæ ecclesiasticis vellet interesse sacramentis, ab episcopo loci non prius est admissus, quàm inter pœnitentes, culpas quæ de eo ferebantur, ablueret. Quod ipsum cum magna humilitate suscepisse dicunt.

Cæsar Philippus.

CAPVT XXXV.

De morte Philippi, & successione Decij, persecutioneq; eius in nostros.

Decius. ANNO imperij eius VI, tumultu militari ac Decij fraude cum filio suo necatur, regnauitq; pro eo Decius, XXV ab Augusto, anno ab incarnatione Domini CCLIII. Hic ob odium Philippi, immanissimam in ciuitatem dei septimam à Nerone persecutionem mouit: qua Fabiano Romano pontifice martyrio coronato, Cornelius cathedram suscepit. Hierosolymis quoque magnus ciuitatis Dei princeps Alexander martyrio coronatur. Heraclæ quoque apud Alexandriam paulò suprà successerat Dionysius in episcopatu.

VII persecutio.

CAPVT XXXVI.

De occisione Decij, & imperio Galli & Volusiani, ac morte Origenis.

Gallus & Volusianus. DECIVS imperij sui anno III cum filio suo inter Barbaros interficitur. Cui Gallus cum filio Volusiano, XXVI ab Augusto, in regnũ succedit. Huius diebus septuagesimo ætatis suæ anno Origenes moritur.

CAPVT XXXVII.

De quæstione inter Cornelium & Cyprianum. De Romanis potificibus, aliisq; sacerdotibus. De passione Laurentij, & pestilentia in urbe Romana.

TVNC etiam inter Cyprianum Carthaginensem episcopum, & Cornelium Romanum pontificem, ambos eximiæ sanctitatis ac sapientiæ viros, scrupulosa oritur quæstio: Cypriano cum Africanis episcopis asserente, hæreticos, qui ad ecclesiæ vnionem redeunt, rebaptizandos fore. Cornelio verò cum sacerdotibus per Italiam constitutis confirmante, sola eos manus impositione purgandos, sacramentumq; baptismi nulla ratione iterandum. Scripsit autem Cyprianus eximiæ sapientiæ, ac affluentissimæ eloquentiæ de fide nostra libros. Romæ Cornelio martyrio coronato, sedem suscepit Lucius. Quo VIII tantùm mensibus sedente, successit Stephanus. Huius diebus nobilissimus inter episcopos, Alexandrinorum ecclesiam regebat Dionysius: qui inter cætera eximiæ virtutis suæ documenta, de abiecta Nouati præsumptione, paceq; ecclesiæ dei reddita, Stephano Romano pontifici scripsit, dicens inter cætera: *Scito autem frater omnes ecclesias in Oriente, quæ prius conturbabantur, nunc rediisse in concordiam, & omnes sibi vnanimiter cohærere, gaudentes & exultantes de pace, quæ vltra spem ecclesiæ reddita est.*

Laurentius martyr. Huius diebus, vel prioris Decij tempore, dum vbiq; terrarum ciues Christi ad exquisita tormentorum genera exquiruntur, beatus Laurentius iuxta quosdam Romæ in craticula martyrio coronatur. Sed sub Galieno & Valeriano proximis post hunc regibus, Sixtus, cuius diaconus Laurentius fuit, martyrio consummatus inuenitur. Potest autem fieri, quòd omnes hi reges Decij sint vocati, vel ordo pontificum vitio scriptorum transmutatus. Hac tempestate in vniuersis Romanorum prouinciis pestilentia extenditur.

CAPVT XXXVIII.

De morte Galli & Volusiani, & sacerdotio Sixti.

GALLVS & Volusianus dum contra Æmilianum ciuile bellum parant, secundo imperij sui anno interficiũtur. Æmilianus verò tertio, ex quo inuaserat imperiũ, mense vita priuatur. Stephano etiam mortuo, Sixtus Romæ sacerdotium sumpsit.

CAPVT XXXIX.

De principatu Valeriani & Galieni, persecutioneq; in nostros, & passione Sixti. De captiuitate Valeriani, & inundatione diuersarum gentium contra Romanum imperium, & intestinis malis. De morte Galieni & sacerdotibus Christi, Maneq; hæretico, vnde Manichæi.

ANNO

ANNO ab incarnatione domini CCLIX, post Augustum loco XXVII, Valerianus in Rhetia, Galienus à Senatu Romæ Cæsares creantur. Hi octauam à Nerone persecutionem in ciuitatem dei mouerunt. His diebus glorioso martyrio duo præclara ciuitatis dei lumina, Sixtus Romæ, Carthagine Cyprianus consumuntur. Sixto succesſit Dionysius. Valerianus autem à Persarum rege Sàpore captus, & luminibus orbatus, ignominiosè in Persarum seruitute consenuit. Hoc enim apud eum sortitus est officium, vt ipso equum ascendente, incuruatus regem, non manu, sed dorso leuaret. Galienus tam misero socij permotus exemplo, Christianis mitior est factus, & datis decretis, instituit, vt quo quisq; putet more, exoret quod diuinum est.

Valerianus & Galienus Cæsares.

VIII persequutio.

Libertas religionis sancita.

Huius diebus Alpibus transcensis, Rhetia, Italiaq; vastatis, Rauennam vsq; perueniunt Alemani, qui per Gallias euntes, Italiam populantur. Gothi Græciam, Macedoniam, Pontum, Asiam peruagantur. Quadi & Sarmatæ Pannonias armati ingrediuntur. Vlteriorum Germanorum inundatione Hispania deletur. Parthi Mesopotamia Syriaq; potiuntur. Super hæc mala dum graui pestilentia, & plaga terribili totus orbis premeretur, Romanorum respub. non solùm foris ab hostibus atteritur, sed & intus ciuili malo laceratur. Nempe Genuus dum Imperium inuadere molitur, apud Smyrnam occiditur. Posthumius etiam, qui in Galliis cum multo tamẽ reipub. commodo imperium vsurpauerat, decimo anno à militari tumultu vita priuatur. Æmilianus pro simili causa Moguntiæ necatur. Marius, qui in Galliis post Posthumium regnum inuaserat, interficitur. Cui cum rursum Victorinus succedere parat, vita eximitur. Cum hæc aguntur in Galliis, in Oriente Odenatus agresti collecta manu, Persas repressit, Mesopotamiamq; recepit, & vsq; ad Ctesiphontem cum rusticis Syriæ victor venit. Galienus deserta repub. ac Mediolani manens, voluptatiq; deditus, interfectus est. Dionysio succesſit Felix Antiochiæ, post Dionysium Thimeus, post Thimeum Cyrillus: Cyrillo succesſit Dorotheus, huic Anatholius.

Ea tempestate Manes quidam genere Perses, moribus & vita barbarus, execrabilem hæresim docuit. Nunc enim Christum sese credi volebat, nunc ipsum se esse paracletum prædicabat: & elatus in insaniam, ad similitudinem Christi XII discipulos eligens, ad prædicãdum mittebat impia dogmata, à prioribus hæreticis mutuata. Hius sectatores Manichæi vsq; hodie vocantur.

Manes hæreticus.

CAPVT XL.

De principatu Claudij, triumphoq; eius, ac morte.

ANNO ab incarnatione domini CCLXXIIII, Claudius XXVIII ab Augusto, voluntate Senatus Imperator creatur. Hic Gothos, qui per XV annos Illyricum & Macedoniam peruagati fuerant, bello pressit, ac incredibili strage deleuit. Ob quam causam clypeus ei aureus in curia, & statua equestris aurea à Senatu decernitur. Anno autem imperij sui II, morbo correptus, apud Syrmium diem obiit. Cui Quintillus frater suus ab exercitu substitutus, XVII imperij sui die vitam finiuit.

Claudius Cæsar.

CAPVT XLI.

De imperio Aureliani, plurimisq; triumphis eius, ac de vrbe Roma, quam ampliauit, de illaq; quam ex nomine suo in Gallia condidit. De persecutione in nostros, morteq; ipsius.

ANNO ab incarnatione domini CCLXXVI, XXIX ab Augusto regnauit Aurelianus. Hic dum esset vir bellicosus, procinctum ad Danubium mouit, ibiq; Gothos multis ac grauibus præliis pressit, Romanisq; imperij terminos restaurauit. Inde ad Orientem digressus, Zenobiam, quæ occiso marito suo Odenato Syriam vsurpabat, in potestatem redegit. In Gallia quoque Tetricum seditiones proprij exercitus compescere non valentem, sine graui labore superauit: sicq; tam Orientis, quàm Aquilonis victor, triumphans Vrbem ingreditur: quam etiam postmodum firmiori murorum ambitu decorauit. In Gallia quoque super fluuium Ligerim, pulcherrimam vrbem condidit, quam ex nomine suo Aurelianim vocauit. Is nonus à Nerone ciuitatem dei,

Aurelianus

Aurelia Gallia vrbs.

IX persecutio. erga quam tamen in principio benignior extiterat, afflixit: ante cuius oculos fulmen, cum maximo omnium pauore corruit,& ipse non multo pòst tempore,anno imperij sui sexto occiditur.

CAPVT XLII.

De imperio Taciti,morteq; eius.

Annius Tacitus. ANNO ab incarnatione Domini CCLXXXI, Tacitus XXX ab Augusto,Imperator factus,sexto mense in Ponto necatur. Post quem dum Florianus partem regni inuaderet, tertio mense, ex quo id vsurpauerat, apud Tharsum vita priuatur.

CAPVT XLIII.

De imperio Probi,victoria eius,ac morte.

Probus. ANNO ab incarnatione Domini CCLXXXI, XXXI ab Augusto Probus regnũ adeptus,barbaros qui Gallias occupauerant,per multa & fortia bella deuicit: deinde ciuilibus bellis Saturninum in Oriente,Proculum & Bonosum apud Agrippinam pressit: ipse verò apud Syrmium in turre ferrata à militibus interficitur, anno imperij sui VII.

CAPVT XLIIII.

De principatu Cari,bellisq; eius quæ in Oriente gessit, & de morte ipsius.

Cæs. Carus. ANNO ab incarnatione Domini CCLXXXVIII, Carus Narbonensis, XXXII ab Augusto,Imperium sortitur. Qui assumptis sibi in regnum duobus filiis Carino & Numeriano,bellum cum Parthis gessit, duasq; ibi nobilissimas vrbes Choten & Ctesiphontem oppugnauit.Ipse verò super Tygrim fulmine percussus, imperij sui anno II diem vltimum clausit. Numerianus quoque filius eius à socero suo Apro vita priuatur.

CAPVT XLV.

De principatu Diocletiani & victoriis eius,qualiter Maximianum socium imperij legit,& Christianos super omnes qui ante eum fuerint,afflixit. De triumpho Constantini,& quomodo Diocletianus & Maximianus Imperium reliquerint.

Diocletianus. ANNO ab incarnatione Domini CCXC, Diocletianus, XXXIII ab Augusto,Imperator ab exercitu creatur. Hic in principio dignitatis suæ, Aprum interfectorem Numeriani,propria manu interfecit. Charinum verò flagitiosè viuentem, quem pater Cæsarem in Dalmatiam miserat, graui ac laborioso bello deuicit. Post hoc cum Amandus & Helianus rustica manu seditiosos tumultus in Gallias mouerent, Maximianum Herculeum Cæsarem constituit,ac in Gallias misit,qui imperitorum hominum agrestem manùm facilè virtute ac ordine militari deuicit. Carausius quidam, ignobilis genere, manu verò ac consilio non ignobilis, dum Maximiano suspectus haberetur,Britanniam inuadens,purpuram assumpsit.

Ea tempestate in Ægypto Achilleus rebellat, Africã Quingentiani impugnant, Narseus Persarum rex Orientem deuastat. His ergo malis motus Diocletianus, Maximianum Herculeum ex Cęsare promouit in Augustum,Constantium verò & Maximinum Galerium Cæsares fecit. Hic est Constantius, qui ex Theodora priuigna Herculei Maximiani VI filios, Constantinumq; ex Helena concubina habuit. Hanc Helenam ex pago Treuerorum oriundam dicunt: vnde eandem ecclesiam plurimùm eam decorasse tradunt. Carausius verò VII,quo purpuram vsurpauerat, anno ab Alecto socio suo fraudulenter occiditur. Ipse etiam tertio dehinc anno ab Asclepiodoto præfecto necatur.Imperatores ergo decimam à Nerone in ecclesia dei persecutionem mouent,quæ omnibus superioribus ex antiqui hostis versutia, modicum iam tempus habentis,ac propter hoc amplius incandescentis, tam grauissima, quam nouissi-

Imp. Maximianus.

Helena Augusta.

Decima persecutio Christianorum.

nouissima inuenitur. Per decem enim annos protracta, proscriptionibus fidelium, cędibus martyrum, incendiis ecclesiarum indesinenter agebatur. Vnde quot milia sanctorum his diebus ciuitas Dei, non secundùm illorum opinionem perdiderit, sed iuxta rei veritatem æternaliter victuros in sinu suo collegerit, nemo enumerare posset. Ciuitas enim Christi huiusmodi tunsionibus & pressionibus expolitur, & tanquam aurum in fornace probatur, vt quomodo viuis ex lapidibus constat, non nisi probatos ac politos recipiat.

His diebus dum Augustus contra suprafatos tyrannos Amandum & Elianum bellum parat, Mauricius cum legione Christiana Romam ad Marcellum Papam, qui *Mauricius martyr.* Caio successerat, venit, acceptaq; ab eo benedictione, cum Imperatore contra inimicos imperij contendit. Qui dum transcensis alpibus, apud Octodorum consedissent, comperto quòd Christiani essent, Mauricius tanquam primicerius, & cōductor aliorum, ad idololatriam vocatur. Sed fortissimus athleta Christi ac signifer, qui regi impio ac sacrilego, ad debellandos hostes regni iustè paruerat, contraria regi cœlorum præcipienti, obedire recusat. In quo monemur regibus quidem de iustitia subditos nos esse debere: si quæ verò contra Deum, & salutem animæ præcipiunt, vt cum Petro sciamus dicere: *Obedire oportet Deo magis quàm hominibus.* Mauricius ergo cum sociis suis, qui sex M. D CLXVI fuisse dicuntur, apud Agaunum super Rhodanum situm oppidum, martyrio coronantur. Elapsi sunt de collegio illo plures, quos insequentes Romani, IX in oppido Galliæ Bunna occiderunt: Gereonem verò cum sociis suis CCCXXX, in suburbio Coloniæ Agrippinæ vrbis interfecerunt. Victorem etiam cum CCCLX in vrbe Troia, quæ nunc Xantis dicitur, interemerunt. Nec offendi debet lector, si quis sanctos fugisse martyrium audit, cùm Petro dictum fuerit: *Alius te cinget, & ducet quò non vis.* Sancti enim dum carnem suam odio habere non possunt, vitam diligunt, sed ei cœlestem vitam & amorem præponunt. Nec inconueniens puto credendum, si dixerimus dominum ad hoc martyres suos fugere voluisse, ne vni loco, vel vni patriæ tantus relinqueretur thesaurus, quin potius per diuersa loca & prouincias diuideretur.

NB. *Actor. 5.* *Gereon.* *Ioan. 21.*

Eodem tempore beatus Vitus ætate puer, vtpote septennis, vt dicitur, sed moris moribus, à patre suo Hila, qui ex ordine patriciorum fuisse memoratur, primò flagellatur, & pòst à Diocletiano diuersis tormentorum generibus martyrio coronatur. Affra quoque cum matre sua Hilaria, ac puellis, Digna, & Eunomia, & Eutropia, aliisq; compluribus, à Caio iudice ignibus tradita, apud Vindelicam Augustam palmam martyrij accepit. Hæc primò peccatrix, postmodum à Narcisso episcopo conuersa & baptizata, per ignem examinata, & perennis gloriæ corona donata, fiduciam impetrandæ gratiæ peccatoribus à domino magnam dedit.

S. Vitus. *S. Afra.*

Sed iam ad ciues mundi reuertamur. Constantius Alemanis bellum indicit, à quibus primò victus, postea cum incredibili barbarorum strage, LXX milibus occisis, victor extitit. Porrò Maximianus Augustus Quingentianos in Africa bello pressit. Diocletianus autem Achilleum in Alexandria obsidione cinxit: captaq; post VIII menses, ac diruta vrbe, & Ægypto tota proscripta, ipsum interfecit. Maximianuus autem dum Narseum regem Persarum aggredi parat, inter Galienicum & Carras congressu facto vincitur, victusq; ad Diocletianum fugit. Ob quam causam indignatione motus Augustus, Maximianum ante vehiculum per aliquot milia passuum purpuratum currere turpiter permisit. Qua de re inflammatus Maximianus, collectis vndecunq; copiis, in hostem ruit: victoq; ac fugato Narseo, vxoribus etiam ac sororibus, ac liberis captis, cum magna præda ad Augustum in Mesopotamiam veniens, cum maximo honore susciputur. Igitur Diocletianus & Maximianus dum multis malis ecclesiam Dei attriuissent, & crudeli animaduersione statum ciuitatis Christi perturbassent, vltrix dei dextera, quæ castigari paucis ciues suos permiserat, in tantam eos amentiam & permutationem tradidit, vt vterq; eorum, Maximianus tamen vel inuitus, sed comparis amore fractus, imperium deponeret, priuatumq; habitum & plebeium Diocletianus in Nicomedia, Maximianus Mediolani, XX imperij Diocletiani anno, assumeret.

His diebus Marcellino substituitur Marcellus, cui successit Eusebius, post quem Melchiades Romanam ecclesiam gubernandam susscepit.

CAPVT XLVI.

Qualiter Galerius & Constantius regnum diuiserint, Constantiusq; moriens Constantinum Imperatorem in Gallia reliquerit.

Galerium & Constantium Cæsares.

RELICTO Imperio ab Augustis, Galerius & Constantius, qui ab ipsis electi Cæsares erant, Imperium diuidunt. Galerius Maximianus Illyricum, Asiam, Orientem obtinuit. Constantio Italia, Africa, Gallia sorte deuenit. Sed Constantius vir suauissimus, Gallia ac Hispania contentus, Galerio cæteras terras reliquit. Hic Constantius multa clementia erga homines, erga Deum verò religione maxima vtebatur, cultoresq; dei veneratione habuit & honori. Galerius ergo duos Cæsares fecit, Maximianum in Oriente, Seuerum in Italia, ipse verò Illyricum retinuit. Constantius autem in Britannia moriens, Constantinum Helenæ filium Imperatorem in Gallia reliquit.

CAPVT XLVII.

Terminus tertij libri, & recapitulatio persecutionum.

IGITVR quia finitis persecutionibus, quasi post noctis tenebras lux desiderabilis Ecclesiæ Dei, sub Constantino principe pax illuxit: iam tot malorũ turbinibus fessi tertio iam Operi finem demus, vt ad ea quibus Dominus ciuitatem suam deprèssam & humiliatam exaltare voluit, tempora veniamus. Decem enim persecutiones à Nerone vsq; ad id tempus inuenies. Decem etiam plagis ciuitatem mundi, sub principibus, qui eas quas diximus persecutiones mouerunt, percussam maiores nostri tradiderunt, & scriptum reliquerunt: quæ omnia diligens inquisitor rerum inuenire poterit. Sicut ergo x plagis percussa Ægyptus, populum Dei liberum abire concessit: sic ciuitas mundi in x persecutionibus x plagis percussa, populum Dei, id est, Ecclesiam quiescere permisit. Sicut etiam Pharao insequendo populum Dei ad mare rubrum (quæ xi persecutio fuit) cum exercitu suo funditùs est deletus: sic ciuitas mundi, quæ modò multis modis diuina vltione percussa est, & percutitur, cum capite suo Antichristo vndecimam, id est, nouissimam ac omnium periculosissimam persecutionem mouebit: ibiq; percusso Antichristo funditùs delebitur. Ciuitas autem Christi exaltata exaltabitur, ac in æternum cum ipso regnatura feliciter consummabitur.

LIBRI TERTII FINIS.

OTTO-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 136:Leibn. Marg. 136, Stück 1, [94] - 76

OTTONIS FRISINGENSIS
EPISCOPI CHRONICORVM
LIBER QVARTVS.

PROLOGVS.

NVLLVM *iam esse sapientum puto, qui Dei facta non consideret, considerata non stupeat, ac per visibilia ad inuisibilia non mittatur. Dominus enim qui ciuitatem suam ante constitutionem mundi præordinatam, ad tempus latere voluit, tempore quo decuit exaltare disposuit. Vnde ipsam tempore humiliationis suæ, tempus ei exaltationis per prophetam prædicendo, blandè consolatur*: Dilata, *inquit*, tentoria tua, & pelles tabernaculorum tuorum extende: longos fac funiculos tuos. *Et rursum:* Pro eo quòd fuisti abiecta, ponam te in superbiam seculorum. *Cum ergo dominus multis tentationibus ac persecutionibus attritam vellet exaltare ecclesiam, personam potissimùm per quam id habilius facere posset, elegit. Proinde Romanorum Imperatorem, ad quem tunc vniuersus respiciebat orbis, ad id faciendum ordinauit: eig, non solùm fidem, qua ab errorum tenebris discedendo, ad veram lucem cognoscendam veniret: sed & dilectionem, qua ciuitatem suam multis honoribus exaltaret, multis facultatibus ac possessionibus locupletaret, dedit. Et vt cognoscamus non fortuitis casibus, sed Dei profundissimis ac iustissimus iudiciis id factum, vide pridie latitantem, ac quemlibet infimæ conditionis virum fugientem, breui tantæ auctoritatis fieri, vt regibus imperet, de regibus iudicet. Vide tantæ à seculo venerationis haberi, vt veniant curui, vestigiag, pedum eius in solio sedentis adorent orbis domini.*

Esa. 54.

Esa. 60.

Sed grauis hic oritur quæstio, magnag de regni ac sacerdotij iustitia dissensio. Quidam enim religionis obtentu, alij verò secularis dignitatis, qua regni auctoritas imminuta cernitur, intuitu hanc gloriam honoremg temporalem sacerdotibus Christi, quibus cœlestis regni gloria promittitur, non licere autumant, multag huius rei argumenta monstrant. Duæ, inquiunt, personæ à Deo in ecclesia sunt constitutæ: sacerdotalis, & regalis. Quarum vna Christi tractare debet sacramenta, ac ecclesiastica spirituali gladio exercere iudicia: altera gladium materialem contra hostes ecclesiæ, pauperes, ecclesiasg Dei ab incursione malorum defensando, sceleratos puniendo, ad secularia iudicia exercenda portat. Hi sunt duo gladij, qui in passione domini leguntur, sed vno tantùm Petrus vsus inuenitur. Sicut ergo ad spiritualem gladium, spirituales quoque possessiones pertinent, id est, decimæ, primitiæ, oblationes fidelium, & alia huiusmodi: sic materiali omnes terrenæ dignitates, Ducatus, Comitatus, & eiusmodi subiacent. Hæc verò Deus ordinatè & non confusè, id est, non in vna persona simul, sed separatim in duabus, quas nominaui, in ecclesia sua esse voluit. Proinde sicut illi personæ, quæ gladium materialem portat, attingere ea quæ spiritualia sunt non licet: sic & isti vsurpare ea quæ huius sunt, non conuenit. Inducunt etiam ad hoc confirmandum multa testimonia scripturarum, ipsiusg domini ac sanctorum exempla, vt illud Euangelicum: Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ dei Deo. *Idg sicut dominus prædicauit verbis, ita factis declarauit, quando cui tributum, tributum recognoscens, pro se & Petro tributum dedit. Paulus etiam cui honorem, honorem attribuendum intelligens, omnemg potestatem à Deo esse considerans, in causa positus, non Petrum, qui Romæ tunc cathedræ præfuit, sed hominem flagitiosissimum & impiissimum ex Dei voluntate super orbem terræ regem constitutum, Neronem appellauit. Hæc de honore regum. Quòd verò omnis possessio eorum gratia sit, ex Augustino probant, qui ait*: Quo iure possides villas? diuino, an humano? diuino: Domini est terra, & plenitudo eius. Humano, hoc à regibus. Hinc dicimus: Hæc terra mea, hic fundus meus. Item si dicis, Quid mihi & regi? Dic quid tibi, & possessioni? *Quibus hoc modo respondetur, quòd mundiali dignitate quæ regalia dicuntur, dominus ecclesiam suam honorare voluit: ex Dei enim ordinatione id factum, ratio quam suprà reddidimus, declarat. Denique credendum non est, Christum ecclesiam suam sponsam suam, corpus suum, cui in arrham spiritum suum dedisse creditur, spiritu erroris decipi permisisse, cui (vt dixi) spiritum veritatis contulerat. Præterea probatæ sanctitatis viri inueniuntur, qui hæc habuisse, qui cum his regnum dei acquisisse creduntur. His ergo aliisg modis, quos longum est exequi probatur, & Constantinum ecclesiæ iustè*

Num ecclesiastici temporaliter dominari liceat.

NB.

Luc. 22.

Luc. 20.

Psal. 23.

regalia contuliſſe,& eccleſiam licitè ſuſcepiſſe. Dum enim ab eis quærimus, quo iure id reges habeant? respondere ſolent, ex electione populi, & ordinatione Dei. Si ergo Deus ordinando, quòd regibus prædictus honor impenderetur, iniuſtè non fecit, quanto magis & id ordinando, vt ab illa perſona ad eccleſiaſticam traduceretur, iniuſtus dicendus non eſt? Denique ſi ad hoc quod ipſe ordinauerat, tam hic, quàm ibi voluntati ſuæ electionem populi, & inſuper hic traditionem principis concordare voluit: nec ipſum iniuſtè diſpoſuiſſe, nec principem malè tradidiſſe, nec Eccleſiam illicitè ſuſcepiſſe credendum eſt. Si dicis priori perſonæ licuiſſe, quod iſtam ex ſanctitate officij habere nec decet, nec expedit: ad hoc, fateor, aliud refugium neſcio, niſi quòd ſanctos apoſtolicæ fidei ac meriti viros, Sylueſtrum, Gregorium, Vlricum, Bonifacium, Lampertum, Gothardum, alioſq; complures ea cognoſcimus habuiſſe. Ego enim, vt de meo ſenſu loquar, vtrum Deo magis placeat hæc eccleſiæ ſuæ, quæ nunc cernitur, exaltatio, quàm prior humiliatio, prorſus ignorare me profiteor. Videtur quidem ſtatus ille fuiſſe melior, iſte felicior. Aſſentior tamen Romanæ ſanctæ eccleſiæ, quam ſupra firmam petram ædificatam non dubito: credendaq; quæ credit, licitè poſſidenda quæ poſſidet, credo. Quòd enim nullo errore decipi poſſit, ex hoc probari poteſt: Et portæ inferi non prævalebunt aduerſus eam. *Quòd autem fides in æternum maneat, ex hoc intelligi datur, quòd Petro dictum eſt*: Ego pro te rogaui Petre, vt non deficiat fides tua. *Quòd verò omnis controuerſiæ ipſius auctoritate & exemplo ſoluatur ſcrupulus, in hoc rurſum latenter innuitur, quod Petro dicitur*: Duc in altum, & laxate retia veſtra in capturam. *Hæc de ſacerdotij regnique iuſtitia dicta ſufficiant. Cæterum ſi quis ſubtilius ac profundius inde ratiocinari vult, à nobis minimè præiudicium patietur.*

Matth. 16. *NB.* *Luc. 22.* *Luc. 5.*

OTTONIS CHRONICORVM LIBER QVARTVS.

CAPVT I.

De occiſione Maximiani, & morte Galerij tyranni, de Maximini, Licinij, & præcipuè Maxentij Maximiani filij. Quomodo Conſtantinus iuxta viſionem ſibi monſtratam, Maxentio merſo, vrbem ingreſſus, crucem in triumphali loco poni fecerit, ipſeq; à Syluestro baptizatus fuerit.

Conſtantinus.

IGITVR anno ab incarnatione domini CCCXI, Cõſtantinus XXXIIII ab Auguſto, patri ſucceſſit in regnum, religioſi patris hæres religioſior. Inter hæc Prætoriani milites Maxentium Herculei filium Auguſtum creauerunt. Contra quem Seuerus Cæſar à Galerio Auguſto miſſus Rauennam, fugatur, ibiq; interficitur. Herculeus autem Maximianus, vt audiuit Conſtantinum in Galliis creatum Imperatorem, priuatum habitũ deponens, Conſtantinum dolo circumuenire cogitat. Verùm dum ad hæc in Gallias veniſſet, à filia ſua Conſtantini vxore proditus, & in fugam verſus, in Maſſilia occiditur. Porrò *Licinius.* Galerius Seuero occiſo, Licinium Imperatorem fecit. Dum ergo perſecutionem in Chriſti ciuitatem per decem annos crudeliter mouiſſet, Galerius à domino vindicta percuſſus cœleſti, pœnas ſoluit. In tantum enim, diſſolutis introrſum vitalibus, horrorem venit, vt vermes eructaret. Cumq; deſperatus à medicis, diuinam id vltionẽ eſſe cognouiſſet, à perſecutione ceſſauit. Ipſe verò vim doloris non ſuſtinens, diem obiit. Conſtantino autem, vt ſuprà dixi, à patre in Galliis Imperatore conſtituto, Maximinus & Licinius crudelitatis in noſtros, & libidinis nullum habentes modum, ad imperium aſpirabant. Maxentius quoque Romæ multis malis ciues premebat. Deniq; inter cætera eius facinora hoc de ipſo dicitur: quòd ſenatorum, & maximè nobilium matronas publicè abſtrahi, & ad libidinem ſuam, ipſis patribus metu oppreſſis tacentibus & gementibus, deduci præciperet. Senatores etiam, vel qui in curia clariores eſſe

esse videbantur, falsa criminum obiectione, proscribi fecit. Addebat his malis magicæ artis nephanda præstigia, vt videlicet mulieribus prægnantibus occisis, viscera perscrutarentur, ac præcantationibus dæmoniaca arte compositis, futura prædicerent. Itaq; dum contra sceleratissimum tyrannum Constantinus Imperator religiosus, fautorq; Christianæ fidei, bellum parat, multisq; modis anxius, ad cœlos sæpius oculos attollit, nocte sopore depressus, ad Orientis partem signum crucis igneo fulgore in cœlo coruscare videt. Perquirens autem quid esset, angelos sibi dicentes audit: Constantine ἐν τούτῳ νίκησεις: quod est, In hoc vinces. Manè expergefactus, mi- *Constantini conuersio.*
lites Christianos ad se vocat: cognitoq; de hoc quòd Christianæ fidei signaculum esset, lætus ac securus de visione, frontem signo crucis munit, Christianumq; se futurum, si prospera successerint, promittit. Erat autem multa serenissimo principi anxietas, quòd tyrannum non sine magna effusione sanguinis ciuium, superare posset. Dominus ergo tam deuotioni principis satisfacere, quàm afflictioni Ecclesiæ subuenire volens, ipsum tyrannum miro modo, sine periculo tam Augusti quàm Romani populi perdidit. Naues enim iuxta pontem Miluium in modum muscipulæ colligauerat, vt per hoc ignarum huius rei militem venientem deciperet. Iam Augustus appropinquabat, iam signa cominus volabant: & ecce tyrannus nutu dei dæmoniaco raptus spiritu, in machinamenta quæ hostibus parauerat (iuxta quod scriptum est: *Et incidit in foueam, quam fecit*) nullo comitatus socio, solus iuxta desiderium principis, absq; vtriusq; exercitus discrimine, perijt. Igitur dum Constantinus desiderata victoria potitus, Vrbem ingressus fuisset, cum magno tripudio à ciuibus suscipitur. Cumq; ei ad morem triumphus pararetur, ipse non sibi, sed Christo victoriam attribuendam prædicauit. Crucem etiam, cuius virtute hostis deuictus erat, in triumphali loco poni fecit, & adorari. *Psal. 7. Prou. 26.*

Melchiade mortuo, Syluester successerat. Ab hoc iuxta traditionem Romanorum, in ecclesia quæ sancti Ioannis dicitur, baptizatur. Hæc autem conuersionis eius causa fuit. Proinde quæ in beati Syluestri vita de lepra & conuersione leguntur, apocrypha videntur. Refert tamen Tripartita historia, eum in Nicomedia circa finem vitæ suæ baptizatum esse.

CAPVT II.

Quomodo ipse & Licinius pro Ecclesia scripserint, Maximinus quoq; idem falsò fecerit: sed postmodum in certamine victus, rursum pro Christianis scribens Maximinus obierit. Define Licinij sororij Constantini, Crispi etiam & Licinij nepotum, de eius morte.

CONSTANTINVS Christianus factus, pacem ecclesijs reddidit, cui etiam ad hoc Licinius consensum præbuit. Ambo itaque Imperatores datis legibus, Christum, qui rempub. à tyranno liberauerat, Deum colendum statuunt: initoq; consilio Maximino de hoc, qui imperium Orientis tenebat, scribunt. Quo comperto, Maximinus ne amplius Christiani persecutionem pro fide patiantur, scripto præcepit. Reddit etiam causam, quia quantò magis inhiberi videantur, tantò magis crescant: idcirco nullum ad deorum cultum, nisi propria ad id voluntate ducatur, cogendum affirmat. Hæc Maximinus cum præ timore Augustorum faceret, ex propria id auctoritate se facere fingebat: ipse verò omnium intemperantissimus, moderatissimis principibus non solùm æquari voluit, sed & præferri, breui quoque interiecto tempore fœdere rupto, Licinio bellum inferre parat. Ergo multis tam vrbibus quàm prouincijs profligatis, dæmonum fretus auxilio & vsus instinctu, tandem ad bellum progreditur, pugnamq; aggreditur. Vbi dum fundi cernit exercitum, detractis Imperij insignibus, calonumq; se turbis immiscens, ignominiosè (vt dignus erat) è prælio fugit. Inde reuersus ad propria, primò quidem sacerdotes suos tanquam deceptores interfecit, pòst cum diris simis morbis se à Deo percussum videret, grauissimamq; mortem imminere cerneret, sera pœnitentia ductus, deum Christianorum confessus, pro ipsis scripsit hoc modo:

Imperator Cæsar, Galerius, Maximinus, Germanicus, Sarmaticus, pius, felix, inuictus, Augustus:

Maximini edictum pro Christianis.

Indesinenter causam prouincialium nostrorum gerentes, vtilitatibus eorum consulentes, quæ ad commune & publicum bonum spectant, nunquam desinimus prouidere. Vnde cognitum esse omnibus hominibus non dubito, manifestéq; compertum ex eo fomite, quòd iussum fuerat à diuis principibus Diocletiano & Maximiano parentibus nostris, inhibere conuentus Christianorum, plurimas direptiones & prædas ab officialibus factas. *Et infrà*: Igitur vt in posterum omnis metus, vel ambiguitas auferatur, huius edicti nostri lege sancimus, vt cunctis innotescat, licere his qui Christianorum sectam, religionemq; venerantur, hac nostræ indulgentiæ largitate, vt vnusquisque quemadmodum vult, & prout animo libet, religioni huic, solennitatiq; deseruiat. Sed & orationum domus, id est, dominica sua, vt instaurent pro voluntate permittimus. Sanè quo in omnibus cumulatior habeatur hæc nostra largitio, etiam illud hac lege sancimus, vt si qua domus, agri, vel quælibet præda ex Christianorum bonis, ante hac parentum nostrorum præceptis ad fisci ius fuerant sociata, si qua etiam ab aliquo expetita sunt, vel si qua distracta, aut dono in aliquem collata, hæc omnia in antiquum ius Christianorum præcipimus reuocari, dominisq; proprijs vniuersa restitui.

Hanc mutationem dexteræ excelsi, quis non miretur? quòd homo impijssimus, qui tabulis æneis velut in æternum mansuris, nostros proscripserat, tam subitò manu dei tactus, pro ipsis scriberet inuitus. Post hæc Maximinus grauissimis morborum malis consumptus, amissis primò luminibus, viuendi finem fecit. Licinius verò, qui antea Constantino erga ciuitatem dei benignum præbuerat auxilium, instinctu dæmonum in furorem versus, à palatio trusos Christianos persequi intentat. Contra quem Constantinus procinctum mouet, victumq; in Pannonia primò, ac pòst apud Cibalas, postremò crebris terra mariq; bellis assurgentem, ad deditionem coegit. Sed Herculei Maximiani veritus factum, priuatum occidit. Constantinum verò & Crispum filios, Constantium & Licinium sororis suæ ex præfato Licinio filios, Cæsares fecit. Ex quibus postmodum, quo zelo nescio, Crispum & Licinium interemit.

CAPVT III.

De monarchia Constantini, & pace ecclesijs reddita, imperioq; iuxta Romanos ecclesia tradito, & sede regni Byzantium translata, & de hoc allegationes plurimorum.

ITAQVE cum iam socijs regno perfunctis, Constantinus solus regnaret, regnicq; teneret monarchiam, pax desiderata diu, tribulatæ ad plenum redditur ecclesiæ: &

Psal. 36.

iuxta quod dicitur: *Vidi impium superexaltatum & eleuatum, & transiui, & ecce non erat*, viris impijs, & persecutoribus à terra sublatis, iustisq; de angustia liberatis, velut nube detersa, lætus dies vbiq; terrarum ciuitati dei coruscare cœpit. Videres tunc vbiq;, & vndecunq; latentes populos ad populos concurrere, & tanquam vnius capitis membra, in vnum corpus adunatos sociari. Cerneres etiam luctu verso in gaudium, festiuitates ac dedicationes ecclesiarum in singulis vrbibus, castellis, vicis, cum maximo nostrorum tripudio celebrari. Christianus enim Imperator hoc ex deuotione fidei, cum summa alacritate fieri volebat. Tunc prima edicta dabantur, vt ecclesiæ ædificarentur: tunc primò catholicis hominibus permittebatur, vt ecclesiæ eorum prædijs ditarentur: &, vt Romanorum habet historia, non solùm his serenissimus Imperator assensum præbebat, sed & alijs exempla dans, caput omnium intantum Romanam exaltauit ecclesiam, vt beato Syluestro eiusdem vrbis pontifici, insignibus regni traditis, ipse se Byzantium transferret, ibiq; sedem regni constitueret. Ex hinc Romana ecclesia occidentalia regna, tanquam sui iuris à Constantino sibi tradita affirmat, in argumentumq;, tributum (exceptis duobus Francorum regnis) vsq; hodie exigere non dubitat. Verùm Imperij fautores, Constantinum non regnum Romanis pontificibus hoc modo tradidisse, sed ipsos tanquam summi dei sacerdotes, ob Domini reuerentiam in patres assumpsisse, ab eisq; se & successores suos benedicendos, & patroci-

Rom. ecclesia in regna Occidentis.

NB.

trocinio orationum fulciendos contendunt: atque ad hoc probandum, quòd ipſe Conſtantinus, regno inter filios diuiſo, alij Occidentem, alij Orientem tradiderit, & ſic per ſucceſſiones Theodoſio quoq;, & alijs non ſolùm hæreticis, ſed religioſis principibus cum Occidente Roma ſorte deuenerit, inducunt. Aiunt enim nunquam tam religioſum principem, quod priuş eccleſiæ tradiderat, filijs reliquiſſe: vel tam catholicum Imperatorem, vtpote Theodoſium, quod ſuum non erat, ſed eſſet eccleſiæ, vſurpaſſe. Quæ omnia diffinire, præſentis negocij non eſt.

CAPVT IIII.

Breuis epilogus ab Adam vſq; ad id temporis: de exaltatione ciuitatis dei.

INTVERI tandem libet, quàm miro & ineffabili modo ciuitas Chriſti inter ciues mundi progreſſa, paulatim creſcendo ad tantum faſtigium profecerit. Vt enim altius repetam, primo homine creato, à delicijs paradiſi lapſo, in hac valle lachrymarum veſtigium cognoſcendæ veritatis miſericors deus reliquit. Ab hoc dum hominum genus traduceretur, quibuſdam in cognitione veritatis manentibus, plurimis autem exorbitantibus, reſeruatis ciuibus ſuis, reliquos aquis diluuij perdidit. Dum ergo rurſum ab his genus hominum propagatur, obliterata paulatim in eis cognitione veritatis, error creſcere cœpit intantum, vt circa tempora decimi à Noe Abrahæ, excepto ipſo vxoreq; ſua, paucos inuenias ciues Hieruſalem. Ab ipſo quoq; vtriuſq; ciuitatis ciues, à filio etiam ſuo Iſaac duos, quos dixi, populos ortos inuenies. A tertio verò Iacob, qui & Iſrael, natos inuenies XII, principes populi dei, qui ab ipſo vocatus eſt Iſrael. Hic in Ægyptum deſcendens, cum inter ciues mundi diu peregrinaretur, ac in ipſa peregrinatione ſua in multum creuiſſet populum, prodigijs & ſignis ad terram patrum ſuorum, accepta in itinere tanquam viatico lege, inducitur: multisq; bonis ibi temporalibus acceptis, quamuis proceſſu temporum reges potentiſſimos haberet; nunquam tamen monarchiam regni obtinuit. Cum verò Dominus ciuitatem ſuam dilatare vellet, & ab illo populo in omnes gentes diffundi, peccatis ſuis exigentibus, regnum debilitari, ac ipſum captiuari populum permiſit: ipſe verò in gentibus, quas ad fidem ſuam vocaturus erat, regnum Romanorum, quod cæteris dominaretur, conſtituit. Quod dum ad optimum ſtatum, ſummumq; Imperij apicem profeciſſet, Chriſtum filium ſuum carnem ſuſcipere voluit: qui cum iuxta Euangelium, in propria veniſſet, & à ſuis non receptus, quinimò ab eis contumelioſè tractatus, & cruci etiam affixus fuiſſet, iuſto iudicio aſſumptis de illo populo electis, cæteri excæcantur, ac datis inducijs, cum non reſipiſcerent, miſerabiliter captiuati, in omnes gentes diſperguntur. Dominus ergo ciuitatem ſuam ab illo populo ad gentes transferens, primo humiliari, contemni, multis malis atteri (iuxta quod ſcriptum eſt: *Flagellat omnem filium quem recipit*) voluit. Sed quia flagella dum modum excedunt, tanquam medicina vltra modum ſumpta, animum potiùs frangunt, quàm emendent, deſolatam & humiliatam, vt ſuprà dixi, tempore quo decuit, exaltauit eccleſiam. Vt etiam ſecurior de regni cœleſtis promiſſione fieret, regnum ei temporale regnorum omnium maximum tradidit: ſicq;, vt dixi, paulatim ciuitas dei creſcens, ad ſummum apicem atq; monarchiam profecit. Et notandum, quòd ante incarnationem ſuam, ciuitas dei ad plenum honorata non fuit: poſtmodum verò cum aſſumptam carnem ad cœlos attolleret, & quaſi accepto regno iuxta parabolam, regnum ſuum, id eſt Eccleſiam, ad ſummum faſtigium, quo altius nihil in terra, prouexit: vt per hoc ciuibus mundi ſe non ſolùm Deum cœli, ſed & dominum orbis oſtenderet, ciuesq; ſuos patriæ dulcedinem ex peregrinationis proſperitate, doceret appetendam.

Ioan. 1.

Heb. 12.

Nec mouere debet, quòd ſuprà mutationes & miſerias rerum, nunc verò proſperitates earum, viam nobis ad patriam eſſe diximus. Sicut enim tam varietas eius, quam proſperitas ſtultum amplius prouocant ad amorem ſuum: ſic vtraque ſapientem ea contemplatione, qua diximus, à ſe abſtractum, ad amorem patriæ inflammat. Vnde puto ſapientem in libro qui Eccleſiaſtes, id eſt, concionator vocatur, tam calamitatibus quam proſperitatibus mortalium inductis, de vtriſq; concionari, vt vtriuſque conſideratione ſtatus ad contemptum mundi, amoremq; patriæ ſe

allici luce clarius ostenderet. Vnde cum de vtraq; satis, abundeq; concionaretur
Eccles. 12. parte, illo ad quem omnia tendunt fine, litem decidit. *Finem*, inquit, *loquendi pariter omnes audiamus. Deum*, inquit, *time, & mandata eius obserua: hoc est omnis homo.* Et vt cognoscas, quòd vna, eademq; res stultum ad voraginem vitiorum trahit, sapientem ad cœlestis vitæ desiderium mittit, audi prophetiam: *Quia delectasti me*, ait, *domine in factura tua, & in operibus manuum tuarum exultabo.* Subiungitq;: *Vir insipiens*
Psalm. 92. *non cognoscet, & stultus non intelliget hæc.* Ac si diceret: Factura tua, quæ cur, vel ad quid facta sit, à stulto non cognita, illum ad pernitiosum sui amorem inordinatè trahit, me ad te cognoscendum, qui illam pulchram & delectabilem ipse pulcherrimus & suauissimus fecisti, accendit. Ciuitas igitur Christi, penè omnia sibi, excepta immortalitate, promissa, in præsenti iam accepisse cernitur. Deniq; vt per ea quæ iam impleta vides, cætera quoq; quæ promittuntur, sine dubio cognoscas, vide crucem Christi, ignominiam eius, supplicium eius, totiq; orbi antè solo nomine horribilem, iam in tantam profeciisse gloriam, vt à regibus adoretur, omnibusq; penè hominibus factum sit venerabile, ac amabile. Cerne quòd iam reges inde insignia sua decorari gloriantur, vnde ante sceleratis & flagitiosis supplicia impendebantur. Si ergo deus sic honorauit supplicium suum, quomodo honorabit corpus suum, sanctos suos, imaginem suam? Argumentum igitur futuræ beatitudinis sapientis animo, prosperitates sunt præsentis tranquillitatis. Sed iam ad historiæ seriem reuertamur.

CAPVT V.

De exaltatione vrbis Constantinopolitanæ, de Arriana hæresi, & Nicæno concilio. De Paulo & Antonio, primis eremitis, & inuentione sanctæ crucis. De conuersione Indorum & Hyberorum, & morte Constantini.

Constantinopolis imp. sedes. CONSTANTINVS, vt dixi, sedem regni Byzantium transtulit, eamq; omnium penè vrbium diuitijs locupletatam, ex nomine suo Constantinopolim vocauit: quæ exhinc, & ob hoc regia vrbs, vel Neoroma vocata, patriarchalemq; sedem sortita, secundum locum post Romanam ecclesiam, quem prius Alexandrina habuerat, obtinuit. Ex hoc regnum Romanorum ad Græcos transiatum inuenitur, mansitq; propter antiquam Vrbis dignitatem solo nomine ibi, re hîc, sicut Babyloniorum. Vide regno Christi crescente, regno mundi paulatim imminui. Igitur dum ciuitas Christi multis modis proficeret, pacemq; exterius ab hostibus haberet, hostis humani generis diabolus, intus eam lacessere attentat. Dum itaq; Petro persecutionis tempore martyrio coronato, Achilles Alexandrinam sedem gubernandam suscepisset, hoc in pace ecclesiæ defuncto, eandem Alexander regebat ecclesiam. Huius diebus
Arrius hæreticus. omnium spurcissimus presbyter Arrius, nephandissimam hæresim de inæqualitate Trinitatis condidit. Contra quem celeberrimum illud Nicænum congregatur concilium, damnatoq; ibi cum fautoribus suis Arrio, fides catholica in præsentia principis roboratur.

Paulus & Antonius eremitæ. Fuerunt his diebus clarissimi regni Christi principes, Paulus & Antonius primi eremitæ, quorum prior persecutionem Decij fugiens, ac in desertis latitare cupiens, necessitatem vertit in voluntatem, ibiq; continentissimè viuens, plenus dierum moritur, animaq; eius inter choros prophetarum & apostolorum deducta cernitur ab Antonio. Alter verò & ipse sanctissimæ & arctissimæ vitæ, multis ad arctioris vitæ zelum prouocatis, in pace quieuit.

Inuentio S. Crucis. Circa idem tempus Helena Constantini mater, crucem domini Hierosolymis inuenit, mediaq; parte eius ibi relicta, alteram ad vrbem regiam transportauit. Vnum quoq; sacrorum clauorum fabricari fecit, ac inde filio suo Augusto frenum compegit. Prophetiam ibi impletam esse volunt, qua dicitur: *Et erit quod in freno est, sanctum domino.*
Zach. 14.

Eodem tempore vlterior India occasione duorum puerorum, quorum vnus Edisius, alter Frumenticius vocabatur, verbi dei semina accepit: vbi & postmodum
Ecclesiæ propagatio. Frumenticius episcopus ordinatus, multis virtutibus claruit. Gens quoq; Hyberorum, quæ sub axe Pontico iacet, mulieris captiuæ occasione, fidem recepit. Quæ qui

plenius

plenius scire desiderat, in Ecclesiastica Hieronymi historia inueniet. Constantinus ferocissimam gentem Gothorum in Sarmatarum regione deleuit. Dalmatium verò fratruelem suum, Galli & Iuliani fratrem, Cæsarem fecit. Ipse autem cum in Persas ire proponit, in via publica iuxta Nicomediam, repub. benè ordinata, ac filijs suis tradita, xxx imperij sui anno moritur.

CAPVT VI.

De principatu filiorum Constantini, qualiter Constantius in Arrianam hæresim inciderit: de morte Arrij, & sacerdotio Athanasij.

ANNO ab incarnatione domini CCCXLI, Constantino successit cum duobus fratribus Constante ac Constantino Constantius filius suus, XXXV ab Augusto. *Constantius Imp.* Hic à quodam presbytero, Arrij discipulo deceptus, in Arrianam hæresim incidit. Causa autem erroris hæc fuit. Soror patris sui Augusti moriens, prædictum presbyterum fratri cum summa diligentia commendauerat. Cum ergo & ipse in suburbana villa Nicomediæ moriens, inter filios regnum partitur, Constantius, cui regnum Orientis sorte deuenit, fortè aberat: cui testamentum pater per Arrianum illum misit, obtestans eum ne alij traderet. Presbyter cum testamento regnum tradens Constantio, intantum familiaris efficitur principi, vt facilè veneno pernicioſissimi dogmatis imbutum, eum ad suam sectam traheret. Eusebius Nicomediæ episcopus, eodemq; veneno infectus, Arrium, qui ob perfidiæ suæ virus ab Alexandro episcopo venerabili, Alexandria pulsus erat, reuocari, conciliumq; congregari suadet: & sic iussu principis tàm Alexander quàm Arrius ad audientiam Constantinopolim vocantur. Itaq; tota nocte vir dei Alexander in oratione iacens, causam ecclesiæ domino commendabat. Manè facto Eusebius Arrium ad ecclesiam vocat: qui dum in itinere humanæ necessitatis causa, ad secessum declinaret, iusto dei iudicio, blasphemiæ, ac fœtidæ mentis pœnas soluens, in fœtido ac turpi loco euiscératus moritur. *Arrij interitus.* Fautores sui pudore ac confusione pleni, diffugiunt. Imperatorem verò rem gestam celando, per eunuchos contra catholicæ fidei doctores amplius accendunt. Non multis pòst diebus Alexandro mortuo, Athanasius substituitur. Hic feruentis ingenij, & in ecclesiasticis negocijs vigilantissimus, non solùm contra hæreticorum versutias solertissimus fuit, sed & contra Imperatorum potentiam fortissimus extitit agonista. *Athanasius.* Cuius virtutes, agones & labores qui scire vult, legat Tripartitam historiam, siue Ecclesiasticam, à beato Hieronymo scriptam.

CAPVT VII.

De morte Constantini, ac laboribus Athanasij.

CONSTANTINVS dum Constantem fratrem suum bello insectatur, non longè ab Aquileia iuxta Alsam fluuium, à ducibus eius occiditur. Constantius occiso Constantino, solus Orientem, Constante Occidentem habente, tenuit. Nam Dalmatius Cæsar, patruelis eorum, à militibus antè occisus fuerat. Igitur hæretici verentes, ne fortè, si Athanasius adeundi principem locum haberet, catholica eum imbueret fide, circumuento prius Augusto, Athanasium sceleratum & flagitiosum mentiuntur: ostenduntq; in argumentum cuiusdam Arsenij brachium, quod ab ipso magicæ artis gratia, præcisum dicebant. *Arrianorum improbitas.* Quod idcirco fecerunt, quia præfatus Arsenius ab Athanasio certis de causis de Ecclesia pulsus, vbi esset ignorabatur. Itaq; iussu Imperatoris apud Tyrum congregatur concilium, positoq; in causa Athanasio, producitur Arsenius. Qui dum vtrasq; manus haberet, calumniatorum apparuit mendacium. In eodem etiam concilio meretrix, quę se ab eo corruptam fateretur, inducitur. Sacerdos Christi Timotheum presbyterum suum monet, vt pro se loquatur. Ille verò dum quæreret ab ea, si ipse scelus hoc perpetrauerit, Tu tu, inquit, in illo loco hoc fecisti. Tum omnes ridiculosus pudor habere cœpit, nec propterea persecutio principis in Athanasium cessauit: quinimò post multa pericula, ad fratris Imperium in *Athanasij exilium.*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 136;Leibn. Marg. 136, Stück 1, [101] - 83
PUBLIC DOMAIN

Occidentem eum fugere compulit. A quo humanè ſuſceptus, honorificè habitus, ac poſtmodum in cathedram ſuam potenter remiſſus eſt. Ibidem manens in eccleſia Treuerorum ſub Maximino eiuſdem eccleſiæ epiſcopo, *Quicunq; vult*, à quibuſdam dicitur edidiſſe.

CAPVT VIII.

De expulſione Liberij Romani pontificis, de Victorino & Donato, de alijs præclaris ſacerdotibus, & perſecutionis immanitate.

EO tempore Liberius Romanus pontifex, habita prius cum Imperatore diſceptatione, in qua Conſtantius eum tanquam ſuæ ciuitatis epiſcopum, primò commonendum, pòſt obiurgandum putauit, in exilium truditur, Felixq; diaconus ſuus, ab hæreticis ei ſubrogatur. Inter hunc Liberium & Sylueſtrum medius ſedit Iulius. Iiſdem diebus Victorinus rhetor, & Donatus grammaticus Romæ clari habentur. Floruerunt tunc ciuitatis Dei principes, Paulinus Treuerenſis, qui Maximino ſucceſſerat, Dionyſius Mediolanenſis, Euſebius Vercellenſis, Hilarius Pictauenſis, epiſcopi. Qui omnes ob fidei catholicæ teſtimonium, in exilium miſſi feruntur. Ex quibus Hilarius non ſolùm verbo & exemplo eccleſiam Dei informauit, ſed etiam multa ſcripturarum monimenta, Gallicanam ſubtilitatem & eloquentiam redolentia, reliquit. Pulſo de ſede propria Athanaſio, Georgius procaciter epiſcopatum ſibi vendicabat. Antiochena & Hieroſolymitana eccleſia his malis plurimùm laborabant. Non ſolùm autem ille, ſed vbique terrarum diffuſa ciuitas Chriſti, his inteſtinis malis angebatur.

Clari huius ætatis Epiſcopi.

CAPVT IX.

De morte Conſtantis, & vltione ſuper hoc fratris ſui Conſtantij. De Iuliani apoſtaſia, & morte Conſtantij.

CONSTANS autem aduerſus Saporem Perſarum regem, qui Meſopotamiam inuaſerat, vario euentu nouem geſſit prælia. Nouiſſimè dum indiſcretè pugnam adoriri cogitat, nocte victus aufugit, ac poſtmodum in oppido Helena, iuxta Hiſpaniam, dolo Magnentij occiſus eſt. Magnentius apud Auguſtodunum imperium inuaſit. In Illyrico Veteranionem quendam ſenem Imperatorem milites creant. Nepotianus Conſtantini ſororis filius, Imperium vſurpans, à Magnentianis militibus opprimitur. Igitur dum Conſtantius fratrem vlciſci ſtatuit, Veteranionem quidem primò purpuram deponere compellit, & pòſt Magnentio bellum indicit. Pugna horribilis cum maximo Romanorum detrimento committitur. Magnentius tamen victus, non multo pòſt apud Lugdunum ſeipſum interfecit. Decentius etiam frater eius, quem ipſe in Gallijs Cæſarem fecerat, laqueo ſe apud Senonas ſuſpendit. Conſtantius verò Gallum patruelem ſuum Cæſarem factum, tyrannicè agentem, occidit. Pòſt hoc Iulianum fratrem Galli, Cæſarem legit, ac in Gallias miſit. Hic primò clericus ab Auguſtis factus, ac lector ordinatus, à peruerſis hominibus deceptus, militiæ cingulum ſumpſerat. Iulianus oppreſſas ab hoſte Gallias, fuſis Alemannis, ac Germanis Rheno flumine ſeiunctis, in priorem ſtatum reſtituit. Dumq; his elatus ſucceſſibus, in templum quoddam veniret, corona ſubitò ſuper caput eius cecidit. Quo viſo, milites Imperium ſibi à dijs hoc omine affirmant auguratum. Qua veſania, prioriq; proſperitate deceptus Iulianus, Auguſti nomen vſurpat, fidemq; Chriſti abdicat. Inter hæc Conſtantius aduerſus Parthos procinctum mouerat: ſed Iuliani fraude comperta, dum ad ciuile bellum reuertitur, anno imperij ſui XXIIII in via moritur.

Magnentius.

Iulianus.

CAPVT X.

De perſecutione aſtuta Iuliani, & ciuibus Chriſti, qui ei viriliter reſtiterunt: & ad vltimum, quomodo, & vbi percuſſus fuerit Iulianus.

ANNO ab incarnatione domini CCCLXIIII, Iulianus Conſtantio mortuo, XXXVI ab Auguſto, imperium aſſumpſit. Hic primò velut anteceſſoris ſui facta arguens, epiſco-

episcopos ab exilio reuocari iubet, pòst verò ecclesiam Dei arte potius, quàm vi persequi intendat. Deniq; tanquam religionis consideratione remouẽdos eos à ludis, & à sacramento militię arcendos, postremò ab omni possessione terrena, vtpote quibus lex propria dicat: *Nisi quis renunciauerit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus*, cohibendos decreuit. Templa verò paganorum aperiri iussit: fastigia imperialia, vtpote cocos, eunuchos, tonsores, publicum cursum caballorum & mularum, tanquam philosophus amputauit, lectioniq; nocte vigilans & scribens, die scripta in Senatu recitans, operam dedit. Vnde & philosophos super omnes amplexatus fuit, solusq; Imperator post Iulium Cæsarem philosophiæ studium coluit. Scriptis verò suis non solùm antecessores suos Imperatores, sed etiam Christianos lacerauit. Vnde de ipso Socrates in Tripartita historia sic ait: *Vt cocos atq; tonsores expelleret, opus philosophi, non tamen Imperatoris egit: vt autem detraheret atq; laceraret, neq; philosophi neque Imperatoris fuit.*

Ea tempestate præclari ciuitatis dei ciues fuere, Miletus Antiochenus, Marinus Calcedonensis, Basilius Cæsarienſis, Gregorius Nazanzenus episcopi: quorum vnus Marinus prouectus ætate & moribus, oculisq; imbecillis, Iuliano in vrbe regia Fortunæ sacrificanti, in faciem restitit, eumq; impium, & sine deo, apostatamq;, vt Gozomenus in Tripartita refert historia, vocare non metuit. Cui dum Iulianus tanquam philosophicæ patientiæ, nihil aliud quàm cæcitatem imperasset, dicens: Neq; Galilæus Deus tuus te curare potest, respondisse fertur: Ego Deo meo pro cæcitate gratias ago, quia hoc ideo est gestum, ne te videam pietate nudatum. Basilius verò & Gregorius ex philosophica & eremetica vita ad culmen sacerdotij assumpti, non solùm huic tyranno, & Valenti hæretico, auctoritate pontificali restitere, sed & scripturarum suarum monimenta vtilia admodum & profutura ecclesiæ dei reliquere. Iulianus ex subtiltiate ingenij philosophos sectare volens, in tantam super se leuatur vesaniam, vt iuxta Pythagoram, spiritum in se Alexandri requieuisse diceret, ipseq; ad instar eius, totum orbem sibi subiugare pararet. Huius rei gratia, dum aduersus Persas procinctum moueret, à quodam in insidias vocatur. Vbi dum ex sterilitate locorum miles deficeret, ipse telo in incertum misso, post annũ & menses VII, ex quo imperare cœperat, ex quo verò Cæsar ordinatus fuerat, anno VII, ætatis XXXI, ictus interiit. Fertur de ipso, quòd cum iaculum contra se venire videret, ex diuina id animaduersione fieri cognoscens, non ad pœnitentiam motus, sed ad obstinationem deuolutus, ore blasphemo diceret: Vicisti Galilæe. Hoc enim nomine Christum vocare solitus erat. Sic ergo dominus ciuitatem suam ab impijssimo tyranno, qui Christianorum sanguinem dijs suis vouerat, ad plenum liberauit. Legitur in vita beati Basilij, ex precibus eiusdem sancti viri, eo quòd Cæsaream Cappadociæ, cui præsidebat, in reditu fundituis delere decreuerat, hoc telum à beato Mercurio martyre cælitùs missum: in argumentumq; huius rei ferrũ, quod iuxta eiusdem martyris tumbam iacebat, cruentum manè dicitur fuisse inuentum. Quia verò Porphyrius & Calixtus, & cæteri fautores eius sapientiã pietatemq; Iuliani prædicant, qualia post mortem eius simulacra magicæ artis gratia instituta, inuenta fuerint, breuiter aperiam. Ait ergo Socrates in Tripartita hoc modo: *Cumq; mortuus fuisset, & impio pius successisset in imperium, ingredientes in templum, viderunt mulierem à capillis appensam, extensas habentem manus, cuius vterum aperuerat, vt Persarum victoriam in iecore eius inspiceret. Hoc scelus in Carris inuẽtum est. Verùm in Antiochia plurimas arcas in palatio aiunt fuisse repertas, humanis capitibus plenas, & innumera in puteis demersa corpora mortuorum.* In qua ciuitate comperta nece eius, non solùm in ecclesijs nostros, sed & in theatris paganos exultãtes resultasse præfatus scriptor commemorat, & clamasse: Maxime fatue, vbi sunt nunc tua vaticinia? vicit Deus, & Christus eius.

Iuliani interitus.

CAPVT XI.

De principatu Iouiniani Christianissimi & orthodoxia illius, & ad vltimũ quomodo, vel vbi obierit.

Iouinianus.

ANNO ab incarnatione domini CCCCLXVI, Iuliano mortuo ac in summo discrimine posito milite, Iouinianus natione Pannonius, vir Christianissimus, votis o-

mnium petitur. Qui dum se gentilibus, eò quòd Christianus esset, imperare non posse diceret, & ipsi se Christianos affirmabant, Iouinianus ergo XXXVII ab Augusto Imperator creatur. Hic pro exercitus periculo cum Sapore rege Persarum fœdus Romanis quidem inglorium, sed tempori congruũ iniens, tradito quodam oppido cum superiori parte Mesopotamiæ, militem redemit. Cumq; esset catholicus, episcopos à Constantio in exilium trusos, ad proprias sedes reuocauit, templa deorum claudi fecit, ac sacerdotes eorum fugauit. Athanasiũ verò catholicæ fidei defensorem, vt eum de fide imbueret, scripto rogauit. Cui ille assumptis probatioribus episcopis, rescripsit in hunc modum:

Pijssimo atque clementissimo victori Augusto Iouiniano, Athanasius & reliqui episcopi conuenientes ex persona omnium episcoporum Ægyptiorum, Thebaidis, & Libyæ

Decet Deo amabilem principem, discendi habere voluntatem desideriumq; cœlestium. Sic enim verè & cor habes in manu dei, & imperium in pace multis annorum curriculis gubernabis. Volente igitur à nobis tua discere pietate catholicæ ecclesiæ fidem, gratias ob hoc domino referentes, curauimus vt prolatam ab omnibus patribus in Nicæa tuæ pietati insinuaremus fidem. Hanc enim quidam repudiant: nobis equidem frequenter insidiati sunt, eò quòd Arrianæ non consentiremus insaniæ. Arrius enim quidam, eiusq; sectatores irrupere, & impietatem aduersus eam introducere tentauerunt, dicentes, ex non extantibus, & creaturam atque facturam, conuertibilemq; esse filium dei: plurimosq; per talia seduxerunt, ita vt etiam qui aliquid esse videbantur, blasphemia huiusmodi traherentur. *Et post pauca*: Necessariò considerantes læsionẽ, quæ huiusmodi causa contra populum generatur, offerre tuæ pietati confessionem concilij Nicæni curauimus. Est autem Hæc Nicæni concilij fides: Credimus in vnum deũ patrem omnipotentem, &c. Eos autem qui dicunt, Erat quando non erat: & antequam nasceretur, non erat: & quia ex non extantibus factus est, aut ex altera subsistentia, vel substantia, dicentes esse aut creatũ, aut conuertibilem, aut mutabilem filium dei, hos anathematizat sancta, catholica & apostolica ecclesia.

Quas literas Imperator legens, gratanter suscepit, fidemq; catholicam datis roborauit edictis. Legem etiam qua sacrarum virginum non solùm raptores & violatores, sed & impudici inspectores capite plecterentur, promulgauit. Verùm Athanasius ad Imperatorem Antiochiæ morãtem venit, eumq; familiari vsus colloquio, de fide catholica informauit. Ipse autem Christianissimus princeps ab Antiochia Tharsum Ciliciæ venit, ibiq; antecessoris sui Iuliani corpus honorificè sepeliẽs, Consul vocatus est. Inde ad Illyricum digrediens, ac per Galatiam iter agens, in domo quadam nuper calce illita, dum prunæ ponerentur, ex calore prunarum, & nidore parietum suffocatus, immatura morte, XXXIII ætatis suæ anno, Imperij verò VIII mense, regno simul & vita perfunctus obijt.

CAPVT XII.

De Imperio Valentiniani, eiusq; industria sub Iuliano, fratre suo Valente.

Valentinianus.

ANNO ab incarnatione domini CCCLXVII, Valentinianus itẽ Pannonius, ac mediocri stirpe ortus, sed animi ac corporis magnitudine valẽs, & vrbanus, XXXVIII ab Augusto, cõsensu militum in Nicæa assumpsit Imperium. Is dum sub Iuliano Augusto millenarius, ac circa palatiũ constitutus esset, ipso, quodam die Fortunæ templum ingrediente, ministrisq; templi introeuntes gentili ritu purificare volentibus, dum Imperatorem præcederet, guttam fortè aspersionis in chlamyde habuit. Quod ægrè ferens tanquam eiusmodi non purgatus, sed pollutus expiationibus, ministrum templi verè fortis & strenui militis officium gerẽs, pugno percussit. Ob quam causam à Iuliano à militia trusus, custodiæq; mancipatus, post eius mortem iuxta promissum domini, cẽtuplum recipiens, pro militia Imperium est adeptus. Hic Valẽtem fratrem suum Imperij socium legit: Procopium etiam tyrannum cum complicibus suis occidit. His diebus terræmotus maximus pelagus quoque excussit, quod plurimas insulas & vrbes inuoluit.

De

CAPVT XIII.

De filio eius Gratiano, Ambrosio, synodoq; Illyrica.

ANNO Imperij sui IIII, Gratianum filium suum Imperatorem fecit. Tunc apud Atrebates vera lana, pluuijs mixta descendisse dicitur. Valentinianus Auxentio Mediolanensium episcopo defuncto, concilium conuocat episcoporum, habitoq; exhortationis verbo, eos pontificem eligere suadet. Cumq; clamore oborto, alij hūc, alij illum peterent, Ambrosius tandem præses & catechumenus ab omnibus exposci- tur. Videns ergo princeps vota omnium in eum concurrere, baptismi gratiam primum consecutum, sacerdotem eum ordinari præcepit. Sic Ambrosius, qui non solùm factis, sed & dictis & scriptis plurimùm ecclesiam dei postmodum fœcundauit, baptismi simul & sacerdotij dona suscepit. Verùm Imperator in Illyrico synodum congregauit, ibiq; Nicæno cōcilio cōfirmato, ipse cū socijs regni Augustis, scripsit hoc modo:

Gratianus.

S. Ambrosius.

Imperatores maximi, pij, victores, Augusti, Valentinianus, Valens, & Gratianus, episcopis diœceseos Asiæ, Phrygiæ, Carophrygiæ, Pacatianæ, in domino salutem:

Tanto concilio in Illyrico celebrato, & subtiliter habita quæstione de salutari verbo, ostenderunt ter beati pontifices, trinitatem consubstantialem patris, & filij &, spiritus sancti, quam nequaquā declinantes, iusta mysteria religionis magni reges exercent. Hanc ergo prædicari decreuit nostra quoque potentia, ita tamē vt non dicant aliqui, Sequimur religionem Imperatoris, hanc patriam gubernantis, & non illi potius obedientes, qui nobis salutis mandata cōtradidit. Euangelium namque Christi nostri sic ait: *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt dei, deo.* *Matth. 22.*

CAPVT XIIII.

De morte Athanasii, patribusq; Ægypti, & episcopatu Moysi, & errore Valentis, victoriaq; Valentiniani, & morte eius.

HIS diebus Damaso post Liberium in vrbe Roma sedente, Athanasius post multos agones, XLVI sui pontificatus anno beato fine quieuit, Petrumq; tentationū suarū sibi socium substituit. Quem Lucius Arrianus sedē inuadens, Roma fugauit.

Per idem tempus florebat Ægyptus multis sanctorum milibus, ex Antonii discipulis in eremo philosophātibus. Ex quibus duo Macarii, Isidorus, Pambos, Moyses, Beniamin, Scaron, Helias, & Paulus, Hilarion, Pachomius, Ioannes, & alij quàm plures, signis & prodigijs apostolicis cęteris mortalibus eminebant. Quorum virtutes, vitamq; continentissimam, ac humanam fragilitatem, transcendentesq; labores quiscire cupit, legat Hieronymum, & eā quæ Tripartita vocatur. Ex quibus Moyses dum ad episcopatum traheretur, Lucioq; tanquam Alexandrinorum præsuli consecrandus offerretur, publicè hæreticum eum nominans, pollutas & cruentas manus, quibus sanctos & orthodoxos pro fide catholica in exilium miserat, sibi imponi abnuit, & ab episcopis qui exulabant, sacerdotium suscepit.

Interea Valens Imperator, qui primò catholicus fuerat, amore vxoris tanquam Euæ suæ illectus, fraudeq; Eudoxij Constantinopolitani episcopi Arriani circumuentus, ab eo baptizatus, in Arrianam hæresim incidit, atque ad infelicitatis suæ cumulum, miserrimo iureiurando ad seruandum impietatis dogma se obligauit. At Valentinianus fortissimam gentem Saxonum, Francorum terminum inuadentem, bello pressit. Burgundiones etiam qui quōdam à Druso Tyberio subacta interiori Germania, inde progressi Gallias occupauere, graui prælio deuicit. Ipse verò dum cōtra Sarmatas, qui Pannonias occupauerant, bellum parat, anno imperij sui XI, apud Brictionem oppidum moritur.

Valens Aug. Hæresi Arriana pollitur.

Burgundiones.

CAPVT XV.

De principatu Valentis cum filijs Valentiniani, persecutioneq; eius, & victoria Gratiani.

ANno ab incarnatione domini cccLxxxIII Valens xxxIx ab Augusto, Orientis imperium rexit, Gratiano & Valentiniano, Valentiniani filijs regnum Occidentis gubernantibus. Hic Arrianorum (vt suprà dixi) errore deceptus, legem dedit, vt monachi ad militiam cogerentur. Vnde multi in Ægypto milites Christi, dum terreno regi militare recusant, martyrio coronantur. Inter hęc necromantię arte, quis post eũ regnaturus foret, perscrutatur: monstratisq; sibi quatuor literis ϛ.ε.ο.δ. omnes quos has literas in capite nominũ habere comperit, necari fecit. Ex quo factum est, vt Theodosium comitem, Theodosij, qui pòst Imperio præfuit, patrem, quamuis ab eo contra Sirmium missus, tam ipsum Sirmiũ, quàm ab ipso Maurorum gentes in seditione concitatas delesset, occidi præceperit. Qui prius apud Carthaginem baptismi consecutus gratiam, percussori sponte iugulum præbuit. Interea Gratianus Christi fretus auxilio, apud Argentariam Galliæ oppidum, cum paruo Romani militis detrimento, plus quàm xxx Alemanorum milia fudit.

CAPVT XVI.

De Gothis, & Hunis: qualiter Gothi à Valente Arriani effecti, ipsum postmodum cremauerunt.

CIRCA idem tempus controuersia in regno Gothorum, inter Fridegernum & Athalaricum orta, Fridegernum debilioris causæ gratia, Romanorum auxilium postulare compulit. Qui dum ad Valentem venisset, accepto ab eo milite, Athalaricum in fugam vertit. Volens autẽ beneficia recompensari principi, eius pernicioſum dogma amplexatus est. Et hinc Gothi Arriani effecti sunt. Gulfilas Gothorum episcopus literas tunc Gothicas inuenit, in quas cum diuinas scripturas vertisset, ac in regno Athalarici prædicare cœpisset, Athalaricus, eò q; paganus esset, multos ex eis supplicijs affecit, quos Arriani pro martyrib. venerantur. Non multo pòst Gothis iam inter se pacatis, Hunorum gens horribilis, tanquam ex incubis & meretricib. vt Iordanis refert, originem trahens, ducatu ceruæ de Mæotidis paludibus egressa, fortissimam gentem Gothorũ, cũ rege suo Hermanarico, intantum terruit, vt præfatus rex, qui multas antè nationes domuerat, tam huius gentis horrore, quàm inflicto sibi à quodẽ suo milite vulnere fraudulenter, c & x annorum mortuus sit. Ostrogothorum hunc regem fuisse describit Iordanis. Duo enim regna Gothos habuisse, quorũ aliud Wisigothorum, aliud Ostrogothorum, præfatus scriptor, qui & ipse Gothus erat, commemorat.

Gothi Arrianismum amplectuntur.

Post mortem Hermanarici, fracti animo Gothi, rursus ad Valẽtem mittunt, locum habitationis petunt. Quibus Valens in Thracijs habitare concessit. Porrò dum ex odio & inuidia vicinorum incredibili fame laborarẽt, vocati à quodam duce dolo ad conuiuium, insidias primò præcauentes, ipsos qui eos inuitauerant, sternunt: pòst tota terra igne & ferro depopulata, vbiq; diffunduntur. Contra quos Valens ab Antiochia procinctum mouens, sera pœnitentia ductus, Catholicos ab exilio reuocari iubet episcopos, ipse tamen à perfidia sua propter iusiurandum non recessit. Pugna in Thracia conseritur, vbi dum Romanus fugatur exercitus, imperator sagitta sauciatus, in cuiusdam villulæ casa fugiens, latitare voluit. Quem insequentes Gothi, anno imperij sui xv, post mortem verò fratris sui IIII, cum casa pariter incendunt. Iusto dei iudicio id factum creditur, vt qui eos veram fidem petentes, igne perfidiæ accẽderat: ipse ab eis igne materiali accensus, communi quoq; careret sepultura.

Valens crematus.

CAPVT XVII.

De Imperio Gratiani & Valentiniani post mortẽ patrui, & Theodosij à Gratiano in regnum assumpti. De secunda synodo habita sub Damaso. De morte Athalarici, occisione Valentis & electione Valentiniani.

ANno ab incarnatione domini cccLxxxIIII, Gratianus xL ab Augusto imperium quod cum Valente antè habuerat, cum Valentiniano fratre obtinuit, Qui reip. subuenire volens, Theodosiũ natione Hispanum, fortem ac religiosum militem, apud Syrmium purpura indutum, Imperatorem Oriẽtis fecit. Huius diebus synodus

Theodosius.

secunda

secūda CL episcoporum, sub Damaso Papa, aduersus Macedonium & Sabelliū, quorum prior spiritum sanctum per filium factum dicebat, alter verò sine personarum discretione, eūdem patrē quem & filium esse asserebat, in vrbe regia congregatur: damnatisq; & anathematizatis simul cum Arriana hęresi hæresibus, fides confirmatur catholica. Theodosius verò tam virtute, quàm prudētia, Gothorum gentes deuicit, fœdereq; cum Athalarico rege eorū inito, ipsum ad se Constantinopolim vocauit. Quò cum venisset Athalaricus, diem vltimum clausit. Gothorum verò gentes virtutem & mansuetudinem principis videntes, Romanorum se subdidere imperio. Theodosius Archadium filium suum socium imperij legit. Inter hæc Maximus arrepto per tyrannidem in Britannia imperio, Gratianum sexto post mortem Valentis imperij sui anno in Gallijs interfecit, fratremq; suum Valētinianum Italia expulit. Qui ad Theodosium fugiens, ab eo paternè excipitur.

CAPVT XVIII.

De imperio Theodosij, paceq; ecclesiæ, ac sacerdotibus Christi. De triumphis & humilitate, ac de morte.

ANNO ab incarnatione domini CCCLXXXVIII, Gratiano interfecto, Theodosius XLI ab Augusto, Romanū imperium solus obtinuit His diebus ciuitas Christi, sopitis tam forēsibus, quàm ciuilibus malis, plenum gaudium, pacemq; perfectam habere cœpit. Floruerunt autē tunc illustres viri moribus, vita, ac scientia graues, Martinus Turonorum episcopus, Ambrosius Mediolanensium antistes, Seuerinus Colonienſis præsul, Hieronymus presbyter: Augustinus quoq; catechumenus ab Ambrosio tūc baptizatus inuenitur. Itaq; Christianissimus Imperator Augustum vlturus occisum, restituturus verò exulantem, aduersum Maximum, in deo magis quàm in homine confidens, procinctū mouet. Quem in Aquileiensium finibus aggressus, interemit. Quo viso Andragathius comes, qui eius fautor erat, semet mergendo necauit. Peracta victoria, Theodosius cum Honorio filio suo paruulo Romam venit, ibiq; ordinata benè rep. & Valentinano Occidētis Imperio relicto, Constantinopolim redijt. Porrò Valentinianus dum ad Gallias reuertitur, fraude Arbogasti, ac Eugenij laqueo, vt à quibusdam dicitur, suspenditur, Eugeniusque ab Arbogasto Imperator creatur. Quidam tamen dicunt, eū proprijs manibus, ex dolore hoc genus sibi mortis intulisse.

Hic est Valentinianus, qui ab Ambrosio catechumenus factus, antequam gratiam baptismi perciperet, morte huiusmodi præuentus est. Qua de re prædictus episcopus epistolam lugubrem dictauit, quæ sic incipit: *Ventrem meum doleo.* In qua ab eodem inuenitur dictum: *Quia quem in Christo regeneraturus erā, amisit: ipse verò gratiam quam popposcit, non amisit.* Ex qua auctoritate quidā nostri temporis Theologi diuinant, post promulgatam sententiā Euangelij, qua dicitur: *Nisi quis renatus fuerit*, &c. aliquos *Ioann. 3.* sine sacramento baptismi, vel effusione sanguinis ob testimonium passionis Christi, vel attestatione dominica saluari posse: sic ratiocinantes, quòd non alligauit Deus sacramentis potentiam suam: non benè considerantes quid, secundùm quid loquantur auctores, quid opinando, quid asserendo, quid ex magnitudine doloris semet consolando. Quod tametsi verum sit, dei potentiam regulis ecclesiasticis, vel sacramentis non cohiberi: mihi tamen qui Christiana regula stringor, necessarium erit credere, præter hoc neminem posse saluari. Quare quamuis deo tanquam omnipotenti, Iudæum, vel gentilem, vel non baptizatum, sine effusione sanguinis, vt dictum est, vel attestatione propria, possibile sit saluari: mihi tamen hoc credere erit impossibile, & ita diuina potentia in talibus, non sibi, sed mihi alligatur. Et mirum, si hoc pietate ducti dicunt, quare non eadem pietate hoc de paruulis sentiant. Quod si obijciunt, quòd isti tanquam adulti credere possunt, quòd non illi: audiant quòd illi solo originali delicto obligati tenentur, quòd non isti. Restat ergo vt nos cum illis, ac illi nobiscum diuinam admiremur in talibus, non discutiamus potentiam: exclamantes cum Apostolo: *O altitudo:* & cum Propheta: *Iudicia tua abyssus multa.* Sed hæc hactenus. *Rom. 11, Psal. 36.*

Morte Valentiniani comperta, Theodosius dum cōtra tyrannos exercitum parat, ad Ioannē Ægypti monachū, Eutropium eunuchum misit, euentumq; rei à viro

requisiuit. Cui ille prophetico (vt erat) plenus spiritu, plenam de tyrannis promisit victoriam. Igitur religiosus Imperator, fide potius quàm milite armatus, exercitum contra tyrannos mouet: præmissisq; Gothis, quorum x milia ab Arbogasto fusa dicuntur, & ipse cum alijs iter peragit. Dum ergo in Alpibus conuenissent, tyranniq; meliorem pugnandi facultatem in eminentiori loco haberent: Augustus totam noctem lachrymis & orationibus peruigilem ducens, Deo se committebat. Manè facto pugna conseritur, victisq; tyrannis, Eugenius captus interficitur, Arbogastes verò propria manu sibi iniecta, viuendi finem fecit. Quam victoriam meritis pijssimi Imperatoris, ac orationibus ecclesię à domino impetratam, imber cœlitùs missus, vētoq; in ora hostium impulsus probauit. Quod etiam quidam ex paganis poeta, ex virtute dei factum considerans, in laudem principis huiusmodi prosecutus est: 10

O nimiùm dilecte Deo, cui fundit ab astris
Æolus armatas hyemes, tibi militat æther,
Et coniurati veniunt ad classica venti.

Theodosius itaque omnibus benè compositis ac ordinatis, x I post mortem Valentis Imperij sui anno, apud Mediolanum beato fine quieuit. Hucusque Hieronymus ecclesiasticam perduxit historiam. Hic est Theodosius, qui dum ex humana fragilitate Thessalonicenses effrenatè, & sine sententia puniuisset, ab Ambrosio ecclesiæ liminibus arcetur. Quod ipse humiliter ferēs, tamdiu à communione se abstinuit, donec lachrymis, ac bonis operibus pœnitentia peracta, à præfato pōtifice reconciliaretur. Ob tam præclarum factum, sacerdos iste in prædicta ciuitate inter omnes Latinorū confessores vsq; hodie maximæ habetur venerationi. 20

CAPVT XIX.

De principatu Honorij & Archadij. De Dirimachio monacho, Ioanne etiam Chrysostomo, ac Theophilo & Epiphanio, transitu etiam Martini & Ambrosij.

Honorius & Arcadius.

ANno domini CCCXCIX, Honorius Occidentis, Archadius Orientis, XLII ab Augusto loco, post mortē patris, Imperiū sortiuntur, Damaso adhuc Romæ, Theophilo Alexādriæ, Hierosolymis Ioāne, Flauiano Antiochiæ, Nectario Constātinopoli sedentibus. His diebus Dirimachius quidam monachus, ab Oriente Romā veniens, cum gladiatorum ludum, vel potius insaniā religionis intuitu sedare vellet, à circunstātibus lapidibus obrutus ac necatus est. Quo comperto, Honorius eum quidē inter martyres numerandum censuit, nephandū verò spectaculum huiusmodi de causa amputauit. Non multo pòst Nectario mortuo, Theophilus Alexandrinorum pontifex, cum alijs episcopis ab Imperatore ad ordinandum regiæ vrbis episcopum euocatur. Qui dum Isidorum presbyterum suum præfatę sedi pręponere cogitasset, Ioannes Antiochenus ab omnibus petitur, ac contra volūtatem Theophili electus, ab ipso tandem ordinatur: Vnde Theophilus ad depositionem eius semper laborabat. Iste Ioannes, qui & Chrysostomus tanquā aurei oris, propter eloquentiam vocatus, primò à Miletio Antiochensiū præsule, in eadē ecclesia diaconus ordinatus, post eius mortem ad eremum se transferens, ibiq; per trienniū deo vacans, ab Euagrio presbyter ordinatus fuerat. Fuit autē potēs in opere & sermone, ad corrigēdos mores vtilis, nimium verò seueritate & zelo dei improuidus, nimiaq; libertate oris in tantū vt à nescientib. arrogans putaretur, & profusus. Vnde postquā ad episcopatū venit, clericis suis, quorum mores corrigere nitebatur, intātum odiosus est factus, vt cōspiratione inita, plurimis cōtra eū derogationibus vsi, furiosum eū dicerēt & procacē, ac tanquā sine testimonio degentē. Cui rei facere fidem videbatur, quòd nullū secū comedere patiebatur, quod tamē ob nimiā abstinentiā, qua sæpe caput & stomachū dolebat, fecisse traditur. Porrò à populo propter sermones quos faciebat, plurimū amabatur. Qui quales fuerint, ex libris eius, qui vsq; hodie manēt in ecclesia, cōijci potest. Accessit ad inuidiæ suæ cumulū, quod non solū clericis asper fuit, sed etiam ipsos primores æquitatis zelo redarguere non dubitauit. Vnde factum est, vt Eutropium quēdam eunuchum & Consulem, Principiq; familiarem, cuius consilio lex data, vt ad ecclesiam confugientes inde traherentur, fuerat, cum & ipse non multo post iram principis fugiens, sub altari iaceret, publicè in ambone redargueret, ac contra eum increpatoriam ederet homiliam. 30 40 50

Io. Chrysostomus & eius seueritas.

Igitur

Igitur occasione nacta, Theophilus Ioannem tanquam à suis destitutum omnimodè deponere moliebatur. Vnde non solũ proprias aduersus eum oues armauit, sed etiam episcopos, vicinos quidem colloquijs, remotos autem scriptis contra eum incitauit. Ex quo cõtigit, vt Epiphaniũ Salamine Cypri episcopũ, virum quidem sanctissimum, sed tanquam in eremo educatum, simpliciorem conueniret, & occasione librorum Origenis, eũ ad depositionẽ Ioannis sibi adsciscret. Itaque præfatus sacerdos damnationẽ Origenis portans, ad vrbẽ regiam venit, Ioannemq; causa Theophili declinans, in propria habitauit mãsione. Cumq; ad eum Ioannes mitteret, rogaretq; vt ad se veniens, secũ inter alios episcopos maneret, Epiphanius respondit, nec se cum eo manere, nec secũ orare velle, nisi in libros Origenis damnationẽ subscriberet. Quod differẽte Ioanne, inimici eius Epiphanio suadent, vt in apostolorũ ecclesiam altera die collectione facta veniat, Origenis libros damnet, Ioannem tanquam Origenis defensorem coram populo infamet. Quo comperto, Ioannes Epiphanio hæc verba mandauit: Contra regulas multa egisti ô Epiphani: primùm quidem, quia ordinationem fecisti in ecclesia sub meo iure constituta: deinde quia me non iubente, in eis auctoritate propria sacra celebrasti: rursus quia inuitatus excusasti, & nunc denuo in te ipse confidis. Quapropter obserua, ne turbatio nascatur in populo, & huius rei periculum ipse suscipias. Quo audito, Epiphanius recessit, Ioanniq́ue (vt quidam aiunt) remandauit: Spero quòd non morieris episcopus. Ad quod ille respõdisse fertur: Spero te ad tuam patriã nõ redire. Vtrunq; impletum est. Nam & Epiphanius in via mortuus fuit, & Ioannes post paululum depositus. Post hoc Ioannes ad correctionem Eudoxiæ Augustæ, eò quòd Epiphanium cõtra eũ armasset, more suo sermonẽ ad populum cunctarum mulierũ vituperatione plenum edidit. Quod illa grauiter ferens, marito suo conquesta fuit. Igitur Theophilus quasi iam Ioannẽ non solũ suis, sed & principibus odibilem factum, deponere cogitans, episcopos in suburbio Calcedonẽsi conuocat, accusatores producit, eumq; tanquam responsurũ ad ea quæ sibi obijciebantur, ad audientiam vocat. Verum Ioãnes vniuersalẽ synodum ad hoc fieri proclamabat. At ille dum iterum atq; iterum cum cæteris episcopis eum euocaret, ipse verò in sua sententia perduraret, velut inobedientem episcopatu eum deponendum decernunt: populus verò seditionem mouens, reclamabat. Porrò principe eorum sententiam confirmante, Ioannes depositus, in exilium deportatur. Quod multi etiam ex his, qui eum odio habuerant, videntes, misericordia moti, Ioannem calumniã pati dicebant, præsertim cùm cunctis iam clarescceret eum inuidia Theophili damnatum esse. Innocentius tunc, Siricio & Anastasio sacerdotio perfunctis, in vrbe Roma sedebat. Ioannes propter terræmotum, qui in eius depositione inusitatius ciuitati accidit, postmodum à principe & populo reuocatus, rursum Augustam latenter mordebat. Dumq; illa rursum insidias pararet, famosissimã illam edidit homiliam, quæ sic incipit: *Rursusq́, Herodias vesanit, rursusq́, turbatur, denuo saltat, denuo caput Ioannis in mensario cupit accipere.* Qua de re mãgis exardescẽs Eudoxia, denuo eum deponi, & in exilium trudi fecit. Quod Innocentius audiens improbauit, ac clero ne alium eligerent, scripto demandauit. Verùm inter hæc Ioannes moriens, finẽ controuersiæ imposuit. Sed & Theophilus non multò pòst vita decedens, Cyrillo sedem reliquit. Theophilus iste quamuis in causa Ioannis reprehẽsibilis fuerat, tamen contra Arrianos & Anthropomorphitanos, quorum hæresis nuper exorta deum lineamentis corporeis circumscriptum dicebat, fortis athleta extitit. Hæc hæresis intantum simpliciores monachos & eremitas Ægypti infecerat, vt Alexandriam venientes, pro assertione veræ fidei, seditionem contra Theophilum excitarent: & nisi maturato præfatus pontifex consilio dixisset: Video vos sicut vultum dei, concitatæ plebis furorem non euasisset. Circa idem tempus Honorio & Archadio regnãtibus, beatissimus præsul Martinus & Ambrosius ciuitati dei vtilissimi sacerdotes, migrauerunt ad dominum. Sed iam ad historiæ seriem reuertamur.

Chrysostomus in exilium actus.

CAPVT XX.

De rebellione Gothorum, & perfidia Rufini & Gildonis, euentuq́, Mazazel, & morte Archadij.

IGITVR Gothi post mortem Theodosij, dum à filijs solita munera non acciperent, consilio Rufini patricij, regem sibi creãtes, à curia recedunt. Rufinus verò postmo-

dum detectus, ante portas vrbis Constantinopolitanæ decollatur, caputq; eius cum manu dextera ad ludibrium in vrbe circunfertur. Gildo etiam Africæ comes, cœpit nouis ausibus à Romanorũ prouincia Africam decidere. Contra quem Mazazel frater eius, cui ipse duos filios occiderat, cum exercitu mittitur. Mazazel ergo plus dei, quàm militis virtute hostem deuicit, fusisque cum parua manu, id est, cum v milibus, LXX milibus, tyrannum fugauit: qui etiam non multis pòst diebus strangulatus interijt. Porrò Mazazel rerum prosperitate (vt assolet) elatus, ecclesias dei persequi cœpit. Vnde iusto dei iudicio, qui antea ipsum confitendo exaltatus erat, nunc ipsum contemnẽdo humiliari debuit. Non multo enim pòst mortuus est. Archadius etiã Imperator, vir mitis & quietus, XIIII imperij post mortem patris anno, vitam finiuit, Orientisque imperium filio suo Theodosio octenni reliquit, Anthemio præfecto (qui muro maximo vrbem regiam circundederat) omnia disponente.

CAPVT XXI.

De Imperio Honorij, & rursum de seditione Gothorum, & irruptione Romanæ vrbis sessioneq; ipsorum in Gallia.

Honorius solus imperat.

ANNO ab incarnatione domini CCCCXII, defuncto Archadio, Honorius XLIII ab Augusto, Occidentis imperium tenuit. Verùm Gothi Rufino ac Stilicone incitati, cum Alarico rege suo, qui lingua eorum ex genere Balthorum, secundæ post Amalos nobilitatis, Baltha, id est, audax vocabatur, per Dalmatiam & Venetiam digressi, in Æmiliæ finibus castrametantur: missaq; legatione ad Imperatorem, qui Rauennæ tunc fortè morabatur, terram habitationis superbè deposcunt: addentes, quòd si gratis accipere non possent, vltrò eam arriperẽt. Cõsilio ergo accepto, princeps terram eis versus Hispaniam, quæ ei rebellis erat, tradidit. Ad quam dum possidẽdã pergerent Gothi, Stilico patricius, & socer Honorij, eos fraudulenter insequitur, cõmissoque prælio, amisso milite, ipse in fugã vertitur. Qua de causa commoti barbari, ad Æmiliã, vnde digressi fuerãt, reuertũtur, totaq; igne, ferroq; vastata prouincia, ad Vrbem progrediuntur: quam etiam trepidam irrumpunt, datisq; præceptis ne sanctorũ loca violarentur, concrematis aliquibus Vrbis regionibus, prædam innumerabilem diripiunt. Innocentius Papa tanquã iustus Loth, ne pœnas peccatricis Vrbis videret, Rauennæ morabatur.

Gothorum in Galliam migratio.

Roma à Gothis capta. Anno 415.

Clades Vrbis Christianis imputata.

His diebus cum Pagani contra fidem murmurarent, dicerentq; Romam à diis in summo honore conseruatam, Christianis temporibus dehonoratam, Augustinus librum de Ciuitate dei scripsit, Orosius historiam suam texuit, Hieronymus Ecclesiasticam historiam ab Eusebio scriptam transtulit, duobusq; libris appositis, vsq; ad mortem Theodosij deduxit. Facta est autem hæc tam famosissima, quàm insolentissima irruptio vrbis per Alaricum, anno à conditione eius M CLXIIII: ab incarnatione verò domini CCCCXV. Et sicut suprà dixi, Romanorum regnum, quod Babyloniorum regno in multis similem ortum ac progressum habuit, iuxta maiorum nostrorum supputationem, eodem à conditione sua ab Alarico, quo & illud ab ortu suo ab Arbato præfecto, anno, dehonoratum fuit. In eadem irruptione soror Honorij Placidia, inter aliam prædam capitur, quam postmodum Athaulfus in matrimonium sortitur.

Roma Babyloni similis.

Inter hæc Constantinus Gallias occupans, Constantem filium suum ex monacho Cæsarem fecit: sed non multò post tempore, pater apud Arelatum, filius apud Viennam, vita pariter & regno priuantur. Gothi verò Romanæ vrbis potiti victoria, per Apuliam & Campaniam in Siciliam & Africam ire proponunt. Dumq; in confinio Brutionum incautè mari se committunt, multos de sociis perdiderunt. Alaricus quoque vltimum diem clausit, quem intantum barbari dilexerunt, vt amnem Barentum iuxta Consentinam ciuitatem de alueo suo deriuarent, ipsoque ibi cum multis copiis sepulto, occisis omnibus captiuis, qui huius facti consij erant, amnem ad proprium alueum reduxerunt. Quo mortuo, tam hoc quàm priori infortunio perculsi Gothi, Athaulfum sibi regem creantes, reuerti statuerunt. sicq; per Romã redeuntes, ea quæ antea reliquerant, depopulantur. Sed Athaulfus amore vxoris suæ Placidiæ, à finibus Romanorum cedit, ac in Galliis iuxta prouinciam Narbonẽsem, quam postmodum

vir

vir dei Egidius inhabitans, Metropoli ex nomine suo, vt villa sancti Egidij dicatur, dedit, in loco, qui vsque hodie palatium Gothorum vocatur, consedit: sed postmodum à Constantio comite pulsus, in Hispania resedit cum Gothis. Post quem tertius ab eo Vallia, qui Segerico successit, vicinas gentes, & præcipuè Wandalos, qui & ipsi tunc nouiter in Hispanias venerant, bello pressit.

CAPVT XXII.

De gestis Honorij in Africa, & inuẽtione Stephani. De morte Hieronymi. De Romanis pontificibus, & pace Augusti cum Gothis, morteq; ipsius.

HONORIVS Eraclidem comitem Africæ, contra Romam venientem, per Marinum comitem vicit, & Carthaginem, vbi & postmodum occisus est, fugauit: pacem etiam adiuuante Constantio, qui Constantinum & Constantem in Gallijs oppresserat, integram ecclesię dei reddidit in Africa.

His diebus sub Innocentio Papa, corpora sanctorum Stephani protomartyris, & aliorum, Luciano sacerdoti reuelata, sub Ioanne Hierosolymorum episcopo fuere. Non multis pòst diebus, sub Bonifacio, qui Zozimo successori Innocentij substitutus erat, Hieronymus presbyter, XCI ætatis suæ anno, in Bethlehem ad dominum migrauit. Defuncto Bonifacio, Cælestinus sedit in Vrbe. Vallia cum Augusto fœdus iniit, eique Placidiam sororem suam reddidit. Hucusque Orosius Chronica sua perduxit. Honorius XXXI imperij sui anno (quorum duos sub patre, XIII cum fratre, reliquos cum filio fratris regnauerat) Romæ moritur.

Finis Chronicorum Orosij.

CAPVT XXIII.

De gestis Theodosij iunioris, virtutibusq; eius, & synodo tertia. De bellis, quæ per duces suos gessit.

ANNO ab incarnatione domini CCCCXXVII, Theodosius iunior XLIIII, ab Augusto patruo mortuo solus regnauit. Huius virtutes in Tripartita historia, omnibus antecessoribus suis præferuntur: inter quas & hoc commemorátur, quòd ad instar Alexandri magni, dum in procinctu esset, ac ex feruore solis, & squalore pulueris fatigatus, siti laboraret, poculum sibi iocundissimum allatum, ne solus præ aliis reficeretur, renuit. Floruerunt diebus eius Ioannes Cassianus monachus & eremita, qui collationes patrum descripsit, & Germanus Antisiodorensis episcopus. Synodus etiam tertia sub Cęlestino Papa, vel eius successore Sixto, mediante Cyrillo Alexãdrino, & Archadio episcopo ab Italia destinato, temporibus Iuuenalis Regiæ vrbis episcopi, ducẽtorum episcoporum, contra Nestorium, qui duas in Christo personas asserebat, Ephesi çongregatur: ostensoq; in duabus naturis Christi vnam personam esse, cum fautoribus suis Nestorius iusto damnatur anathemate. Theodosius contra Ioannem, qui Hesperiæ regnum inuaserat, Valentinianum amicæ suæ Placidiæ ex Constantio filiũ, adiunctis sibi Aspare & Ardabure sociis, cum matre in Italiam destinauit. At Ioannes iuxta quosdam Asparis & Ardaburis dolo, iuxta alios verò ducatu Angeli, Rauennæ necatur. Sicq; respublica religiosi principis meritis à tyrãno liberatur. Hucusq; Theodoritus episcopus, & Socrates, & Sozomenus viri disertissimi, historias suas perduxerunt, quæ postmodum in vnum volumen redactæ, & à Cassiodoro senatore per Epiphanium scholasticum à Græco in Latinum versæ, à tribus auctoribus Tripartitæ historiæ nomen accepere.

Theod. iunior.

Synodus Ephesina.

Historia Tripartita.

CAPVT XXIIII.

De Valentiniano Augusto, Wisegothis, & Ostrogothis. De factione Aetij & Bonifacij, irruptione Wandalorum in Africam, morteq; Augustini.

OCCISO tyranno, Theodosius Valentinianum, cuius ope ciuile malum sedatum fuerat, remuneratione dignum iudicans, Imperij socium legit, & Augustum statuit appellari. His diebus Wisigothi in Galliis habitabant. Ostrogothi, & Gepidæ, ex quibus Auares & Longobardi descendunt, Danubium transeuntes, Gepidæ qui-

Migrationes aliquot gentium.

dem circa Seigedonem & Syrmium: Ostrogothi verò, qui prius in Pannonia morati fuerant, exhinc in Thracia habitauerunt: vbi per XLVIII annos morantes, ad Occidentē iter flectunt. Wandali autem sociatis sibi Germanis, cum Modigisilo duce Hispanias occupauerant. Ea tempestate fuere duo insignes Prætores, Aetius, & Bonifacius, quorum Bonifacius comitatū Africæ ab Imperatore accepit. Sed dum fraude & delatione Aetij Bonifacius apud Placidiam Augusti matrem, iniustè accusatur, missi sunt contra eum duces Mauortius & Galbio. Quibus à Bonifacio occisis, Sigisbaldus comes contra eum destinatur. At Bonifacius in Hispaniam transiens, ascitis Wandalis, totam eis Africam tradit. Qui mox ferro, igneq; terram vastātes, vbiq; diffunduntur, ac inter cætera mala Hipponensem vrbem, cui beatus Augustinus præsidebat, obsidione cingunt. Beatus autem præsul, ne excidium vrbis suæ videret, III mense obsidionis eius, LXXVI ætatis suæ anno, migrauit ad dominum. Non multo pòst elapso tempore, Placidiæ apparuit falsò sibi Bonifacium delatum fuisse, vocauitq; eum ad se, & magistrum militum fecit. Wādalis autem tradita parte Africæ, Romani pacem dederunt. His diebus Geisericus Wandalorum rex Arrianus, Christianos affligens, episcopos in exilium misit: Carthaginem inuadens, multis diuitiis ac ecclesiasticis ornamentis spoliauit.

Wandali in Africam

Augustini mors.

CAPVT XXV.

De terræmotu Constantinopolitano, & Romano. De initio tyrannidis Atilæ, morteq; Theodosii.

ANNO imperii Theodosii XXX, terræmotus horribilis Constantinopoli fuit. Ob eam causam ἅγιος ὁ θεὸς, ἅγιος ἰσχυρὸς, ἅγιος ἀθάνατος, ἐλέησον ἡμᾶς, Hoc est: Sanctus deus, sanctus fortis, sanctus & immortalis miserere nobis, dum à populo cum Proculo episcopo suo cœlesti commonitione caneretur, terræmotus cessauit. Vnde ab Imperatore, eiusq; sorore Pulcheria, vt per totum orbem canticum hoc cantaretur, præceptum est. Roma quoq; tunc ex terræmotu in multis suis regionibus corruit. His diebus Atila Hunorum rex, occiso fratre *Buda, tyrannidem exercendo, Thraciam & Illyricū vastare cœpit. Cui Theodosius datis sex milibus libris, promissis quoq; singulis annis M libris, à finibus suis exire persuasit. Ipse verò nō multis pòst diebus, XLI imperij sui anno, post mortem verò patrui sui XXVI, apud Constantinopolim diem obijt.

τρισάγιον ecclesiasticum

**Bleda.*

CAPVT XXVI.

De principatu Martiani, & Valentiniani, synodoq; quarta. De tyrannide Atilæ, pugnaq; inter ipsum, & Romanos, & Gothos.

ANNO ab incarnatione domini CCCCLIII, Martianus consilio Pulcheriæ, XXVI ab Augusto, Orientis imperium suscepit, Valētiniano XLV in Occidente regnante. Huius diebus sub Leone Papa, Iuuenale Hierosolymitano, Anatolio Constantinopolitano episcopis, quarta synodus DC & XXX sacerdotum contra Euticen regiæ vrbis abbatem, eiusq; defensorem Alexandrinum quondam episcopum Dioscorum, verbi dei & carnis vnam naturam dicētibus, apud Chalcedonam congregatur, damnatisq; simul cum Nestoriana his hæresibus, fides catholica diuinam in Christo & humanam naturam, sed vnam personam prędicans, roboratur. Hæ sunt quatuor synodi, quas se beatus Gregorius vrbis Romæ episcopus, velut quatuor Euangelia venerari testatur. Igitur regnantibus Martiano & Valentiniano, Atila Hunorum rex subiugatis sibi fortissimis Ostrogothorrm, Gepidarumq; populis, alijsq; plurimis gentibus, Macedoniam, Mœsiam, Achaiam, Thraciam peruagatur. Dum ergo Romanos quoque & Wisigothas, quorum priores ob antiquam suæ vrbis dignitatem, alios verò ob singularis fortituoinis virtutem æmulabatur, subiugare cogitat, timēs ne duæ hæ gentes aduersus eum sociarentur, dolo (vt erat versutissimus) seiungere eas abinuicem intendebat. Proinde missa legatione tam ad Valentinianum Romanorum Augustum, quàm ad Theodoricum regem Gothorum, vtrisq; specialiter verba pacis mādando: Romanis quidem, se non aduersus eos, sed contra Gothos bellum parare: Gothis verò ca-

Martianus & Valentinianus.

Synodus Chalcedonensis.

Atila Hunorum rex.

rò eadem de Romanis denuncians, vtroſq; in alterutrum incitare voluit. Sed Aetius, qui tũc Romanorum patricius erat, fraudem Atilæ perſenſit, ſcriptisq; ex perſona Valentiniani ad Theodoricum regem Gothorum literis, vt contra immaniſſimum tyrannum, ac totius orbis inuaſorẽ ambo conuenirent, eum quàm intimè monuit. Igitur Atila dum hoc modo procedere nõ poſſet, bellum Gothis apertè indicit. Qui pulſatis per legatos Romanis, Aetium patricium in auxilium accipiunt. Hinc aſcitis ſibi Francis, Sarmatis, Armatianis, Burgundionibus, Saxonibus, Ripariolijs, Brigonibus, *multisq; Celticæ ac Germanicæ nationibus, Gothis ſuccurrit. Atila verò cum Athalarico Gepidarum & Walamire Oſtrogothorum regibus, innumeris turbis regum ac nationum, procinctum mouet. In campis ergo Catalaunicis vterq; cõſedit exercitus. Atila euentum rerum in extis pecorum perquirit, ſeq; vincendum, ſed in altera parte omnium potẽtiorem caſurum, in fœdiſſimis inuenit præſagijs. Qua de re turbatur, ſed de hoc quòd ex alia parte virum potentiſſimum, quem ipſe Aetium putabat, occidendum intellexit, animatus ſuos alloquitur: eosq; prioribus virtutis ſuæ fortunis conſolandos denuncians, pugnam aggreditur. Romani eminentiorẽ locum habebant. Itaq; à nona hora diei fortiſſimis gẽtibus acerrimè vſq; ad noctem pugnantibus bellum protenditur. Theodoricus autẽ Gothorum rex, iuxta quod Atilæ prædictum erat, hac illacq; ad exhortationem ſuorum diſcurrens, occubuit. Atila in fugam verſus victum ſe prodidit, ſed noctis beneficio potuit id occultari. Manè facto, Gothi regem ſuum requirunt, ſed mortuo inuento, cum Thuriſmundo filio regis in hoſtem irruere volunt. Porrò Aetius timens, ne deletis Hunis, Gothi in ſuperbiam elati, Romam premerent, vocato ad ſe Thuriſmundo: Fratres (inquit) tui, qui domi remanſerunt, patris morte cõperta, regnum inuadunt. Tu ergo reuertere, ne fortè ipſi te præueniant. Sic Aetius iuuenem aſtutè circũuenien s, ea qua dixi cauſa bello declinare, & ad propria redire edocuit. Fertur de Atila, q; de ſubſellijs pyram feciſſet, cui ſe ſi hoſtes irruiſſent, injicere cogitauerat. Ceciderunt in hoc famoſiſſimo prælio, vt Iordanis refert, ex vtraq; parte, CLXV M. exceptis XV M. qui in congreſſu Francorum & Gepidarum priori nocte corruerant. Thuriſmundus à ſuis rex creatus, conſilio Aëtij in patriã reuerſus, Tholoſam ingreditur.

*Brionibus.

Atila Oladet.

CAPVT XXVII.

De euerſione Aquileiæ, & proceſſu ipſius vſq; ad Ticinum, donec monitu Leonis Papæ rediret.

VERVM Atila Gothis recedentibus, ſecurus factus, contra Romanos iter deflectit, Aquileiamq; Venetiarum metropolim, quæ in Adriatico ſinu poſita eſt, obſidione cingit. Quam dum multo tempore obſidens, capere non valeret, cumq; iam exercitus recedere pararet, Atila iuxta muros digrediens, ac ſecum quid ageret mente pertractans, ciconias ex vrbe fœtus ſuos trahere videt. Quo viſo, ſuos ad euerſionem vrbis amplius accendens: Hoc (inquit) omnium prognoſticum nobis eſt. Hæ, inquam, aues, futuræ cladis præſagæ, vrbem ruituram deſerunt. Dixit, & inſtructis machinis, omniumq; tormẽtorum generibus adhibitis, aggreditur vrbem, captamq; funditùs, ita vt vix veſtigia maneant, deleuit. Ferunt quidam, quòd vacuam habitatore vrbem inuenerit. Elapſi enim per mare ipſo ignorante, in inſula, quæ Venetia ex hinc ex Venetorum inhabitatione dicitur, tranſlatis ſecum cum patriarchali ſede beati Hermagoræ, primi illius vrbis epiſcopi, reliquijs, habitare cœperunt. Vnde vſq; hodiè inter Gradenſes & Aquileienſes de patriarchali dignitate lis eſſe cognoſcitur. Tanta autem in obſidione huius vrbis & mora & multitudo fuit, vt miræ magnitudinis montem Vtinum dictũ, quem ipſe vidi, in modum aggeris ab exercitu comportatum, incolæ vſq; hodie affirment. Alij tamen à Iulio Cæſare eundẽ montem factum tradunt. Atila his elatus ſucceſſibus, cæteras Venetiæ vrbes peruagãdo, & ad ſolum vſq; proſternendo, Mediolanum quoq; Liguriæ caput, ac Ticinum, quæ Papia, crudeli animaduerſione depopulatur. Poſt hoc dum Romam ire intentat, occurrente ſibi Leone Papa, tam auctoritate ac precibus pontificis fractus, quàm exemplo Alarici, qui poſt captam vrbem non diu vixit, territus ad propria reuertitur.

Atila furor per Italiam.

Vtinus mõs iuxta Aquileiam.

CAPVT XXVIII.

De morte Aetij & Valentiniani Augusti, irruptione Wandalorum in Romanam vrbem. De Paulino episcopo, morteq; Atilæ, & Martiani Imperatoris.

INTER hæc Valentinianus Aetij virtutem æmulans, eum cum Boetio senatore necari iubet. Quapropter non multo pòst tempore ab amicis eius, XXX imperij sui anno, è quibus cum Theodosio socero suo XXV, cum Martiano reliquos imperauerat vita priuatur. Quo mortuo, Maximus accepta vxore eius Eudoxia, Theodosij filia imperium vsurpat. At Eudoxia Gensericum Wandalorum regem ob hanc molestiam vocat. Quem dum venturum Romani cognoscerent, Maximum quidem tanquam huius mali incentorem, tertio ex quo imperium inuaserat mense, menbratim discerpũt, & ipsi antiquę nobilitatis & virtutis immemores vbiq; diffugiunt. Post hoc Genserico vrbem tãquam habitatore vacuam irrumpere volente, Leo Papa occurrit in porta, eũq; ab occisione ciuium & incendio Vrbis abstinere precatur. Igitur barbarus Vrbem quidem irrupit, spolia rapuit, ac per XIIII percensuit dies, Eudoxiam cum filiabus duabus inter alios captiuos abduxit, ab incendio verò tantùm & cæde ciuium, iuxta sacerdotis monitum, abstinuit. Facta est autem hæc secunda ab Alarico Vrbis irruptio à Wandalis, MCCIIII à conditione sua anno. Wandali capta Vrbe per Campaniam diffunduntur, eaq; tota igne ac ferro vastata, nobilissimas eiusdem prouinciæ vrbes Neapolim & Nolam expugnãt. Huius vrbis episcopus sanctissimus Paulinus, pro redimendis captiuis, quod in dialogo Gregorij pleniùs habes, barbaris se tradidit. Porrò Genericus opibus Italiæ ditatus, Trasimundo filio suo Valentiniani principis filiam copulauit. Cuius filius Hildericus, matris sequens monita, catholicus fuit. Cæterùm Atila ab Italia digrediẽs, Honoriã Valentiniani principis sororem sibi dari cum rogasset, nec impetrasset, in terram suam cũ indignatione reuersus, puellam sibi speciosissimam copulauit. Ob cuius amorem, dum luxuriosa celebrat cõuiuia, inebriatur, nocteq; proxima iuxta puellam resupinus iacens, sanguine proprio effluente de naribus, suffocatur, maneq; facto à suis mortuus inuenitur. Iusto Dei iudicio id factum arbitror, vt qui semper humanum sanguinẽ sitiuerat, proprio quoq; sanguine suffocatus interiret. Eadem nocte Martiano in somnis apparuit arcus Atilæ fractus. Hic est Atila, qui (vt quidam ait) in concussionem gentium natus in mundo, terrarum omnium metus, superbus incessu, oculos circunferens, bellorum amator, ipse manu temperans, consilio validissimus, supplicantibus exorabilis, propitius semel in fide receptis, forma breuis, lato pectore, capite grãdiore, minutis oculis, ratus barba, canis aspersus, simus naso, teter colore fuit. In exercitu eius fuisse quingenta millia Iordanis scribit. Hic etiam dum vbique terrarum discurreret, XI M. virginum apud Coloniam Agrippinam martyrio coronauit: Beatum quoq; Nicasium episcopũ Remis pro domino occidens, martyrem fecit. Non multò pòst tempore Martianus, VII imperij sui anno, fraude suorum Constantinopoli necatur.

Wandali Romam capiunt.

Paulinus episcopus.

Atila mors

CAPVT XXIX.

De principatu Leonis in Oriente, confusioneq; Romani imperij in Occidente, morteq; Leonis.

ANNO ab incarnatione domini CCCCLX, Leo Bissa ortus, ex tribuno militum ab Anatholio patriarcha coronatus, XLVII ab Augusto Orientis regnum accepit, filiumq́ue suum Leonem regni socium legit. Porrò Occidentis imperium apud Rauennam Maionnianus acceperat. Quo quarto regni sui anno iuxta Dertonam ciuitatem occiso, Seuerus rursum Rauennæ absq; iussu Augusti, Imperium inuadit, quod per quatuor annos vsurpans, Romæ diem obiit. Quo mortuo, Augustus Anthemium ex patricio Cæsarem factum Romam misit. Hic Seruãdum præfectum, in Galliis imperium vsurpare volentem, in exilium trusit, patricium Romanorum eadem molientem occidi præcepit. Verùm Leo Zenonem generum suum Oriẽti, Basilicum quoq; Verinæ vxoris suæ fratrem Africæ præfecit. Cum Ostrogothis etiam pacem faciens, Theo-

Leo Imp. 460.

Theodericum, Theodemiri Walamiri regis fratris filium, VIII annos habentem, obsidem accepit: quem pòst tamen patri cum honore remisit. Inter hæc Ridice patricius Anthemium quarto anno regni sui occidit, ipse verò post tertiũ mensem diem vltimum clausit. Porrò Leo, viuo adhuc Anthemio, Olibrium ad Vrbem miserat, qui regium nomen simul cum Placidia, Valentiniani principis filia in vxore accepta, sumens, post VII menses vitam simul finiuit & regnum. Post cuius mortem Rauennæ * Licerius Imperium assumit. Quo sequenti anno expulso, ac in Salona ciuitate Dalmatiæ episcopo ordinato, Nepos patricius Nepotiani filius, Occidentis Imperium rexit. Leo ergo Leonem Zenonis ex filia sua filium, Imperatorem fecit. Ipse verò XI imperij sui anno, diem vltimum clausit. Hic paucis mensibus imperans, patrem suum Zenonem Imperatorem creauit, ipse verò diem obiit. Porrò Basilicus magister Africæ, vxorem suam Zenobiam Augustam fecit. Igitur dum Zenon ad vrbem regiam perueniens, à Senatu ac populo gratanter suscipitur, Basilicus depositis insignibus, ad ecclesiam fugit. * *Glicerius.*

CAPVT XXX.

De imperio Zenonis in Oriente. De Augustulo Romano, & irruptione in vrbem Romam sub Odoacro.

ANNO ab incarnatione domini CCCCLXXVI, Zeno genere Isaurus, XLVIII ab Augusto, Orientis imperium sortitur. Porrò Occidentale, id est Romanum, Nepos tenuit. Hoc à regno pulso, Orestes patricius filium non iam Augustum, sed Augustulum Imperatorem Occidentis creauit. Itaq; cum Romanum imperium, quod cæteris mundi regnis obfuscatis, solùm regnare videbatur, cum & ipsi peccatis exigentibus, iusto Dei iudicio ea, qua aliis mensum erat gentibus mensura, remetiẽdum fuit. Odoacer natione Rhugus, ex vltimis Pannoniæ finibus, cũ Sciris, Thurcelignis, Herulis, ad inuasionem eius procinctum mouet. Cui dum Orestes patricius in terminis Liguriæ occurreret, visa manu eius, territus aufugit, ac in Ticinũ se cõtulit. Quem Odoacer insequens, capta vrbe occidit, ac inde per totã Italiam diffuso milite, regium nomen vsurpat. Hic à terra sua egressus, dum per inferiores Noricas partes, vel superiorem Pannoniam transiret, virum dei Seuerinum Rauennatẽsium episcopum, qui verbum dei prędicans, iuxta radices Comogenis cellam construxerat, adiit, eumq; de euentu rei consuluit. Qui prophetico vt erat plenus spiritu, omnia quæ postmodum exitus declarauit, veraciter ei prædixit. Augustulus patrem occisum, captamq; ab hostibus cernens patriam, mente consternatus, sponte purpuram XI regni sui mẽse cum regno pariter deposuit. Odoacer ergo nullo sibi resistente, victor Vrbem ingreditur vt hostis, subiectamq; sibi vt rex disponit. Postremò cum tota Italia seruitio suo mancipata, per XIIII annos vrbs graui seruitute premitur. *Zeno Imp.* *Roma ab Odoacro inuasa.*

CAPVT XXXI.

Exclamatio, breuisq; Imperij recapitulatio.

EXCLAMARE contra rerum mutabilium miserias tempore & loco exigente, cogimur. Ecce enim regnum illud maximum, ac potentissimum, ac quod solo nomine gentes terrebat antè, orbem concutiebat, iam paulatim decrescendo, & ex prima irruptione, quæ sub Alarico facta est, dehonoratum, postmodum in conculcationem barbaris patuit. Et vt apertiora quæ diximus fiant, misera Vrbs primò ab Alarico, secundò à Genserico capta tantùm, ac populata, nunc verò ab Odoacro non solùm capta, sed iure principis in potestatem ac imperium per XIIII annos lachrymabiliter subacta inueuitur. Et inde (sicut superius dixi) non solùm ortus eius, sed & finis Babylonico similis apparet imperio. Illa post non multos annos cõditionis suæ gentes cœpit subiicere. Hæc similiter, cum ad robustam venit ætatem, paulatim crescendo, ac primò vicinas vrbes subuertendo, pòst ad vlteriora se extendendò, ad totius orbis pedetentim apicem venit. Sed sicut nemo repentè fit summus, vel precipitanter de summo infimus: ita prædicta Vrbs cum in summo (vt dixi) quo altius in terra non potuit, fastigio fuit, humiliari deberet, cœpit paulatim vires perdere, & quasi iam in senili *Roma Babylons similis.*

ætate posita, defectum honoris, quem in robusta contraxerat ætate, pati. Accessit etiam ad miseriarum cumulum, quæ semper caducarum rerum interitus est, sedis mutatio sub Constantino facta. Et sicut ibi regno ad Medos translato, solo nomine mansit imperium: sic & isto ad Græcos, seu Francos deriuato, Vrbis tantùm antiquæ dignitatis ac nominis manet vestigium. Illa primùm ab Arbato præfecto suo dehonorata est, pòst à Cyro etiam subacta. Hæc similiter ab Alarico primò dehonestata, postmodum ab Odoacro iure principis possessa est. Sed quia de rerum mutationibus, regnorumq; imminutionibus, ad ostendendos mortalium casus, mundiq; instabiles rotatus, scribere proposui, sicut suprà dixisse me memini, cum Roma parturiretur, Babylonia finem accepit: sic & modò dum regnum Francorum seminaretur, Roma sub Augustulo suo, in vltima senectute, à conditione sua M. CCXXVII anno, barbaris tradita, occasum minatur.

CAPVT XXXII.

Qualiter, vnde, vel quomodo Franci in Gallias venerint, ibiq; electis Romanis, regnare cœperint.

Sicambri postea Franci.

Hic quod supra promisi, dicendum puto, qualiter Franci, quorum mentionem fecimus, in Gallias venerint, & quomodo à Romanorum principatu seiuncti, in propria auctoritate manere cœperint. Hi (vt dixi) à Troia digressi, cum in Scythia sedes posuissent, dicti sunt Sicambri. Dum ergo toto Orbe in prouinciã Romanorum redacto, & ipsi inter alios subacti fuissent, elapso tempore, causa quam supra reddidimus, à Valentiniano dicti sunt Franci, ac per x annos propriæ libertati relicti. Quibus expletis, dum Romani solitum tributum repeterent, Franci, vt assolet, libertate effrenes facti, tributum dare renuerunt. Habuerunt autem inter se antiqui nominis & virtutis principes Priamum & Antenorem. Qua de re dum contra eos à Romanis pugnatur, occiso cum multis aliis Priamo rege eorum, reliqui elapsi in partibus Germaniæ, circa Thuringiam consederunt, cum principibus Priami & Antenoris filiis, Marcomede & Sunnone. Porrò defuncto Sunnone, communicato consilio, Marcomedis filium Pharamundum sibi regem creauere.

Leges Salicæ.

Leges quoque Wisigastaldo & Salagasto auctoribus exhinc habere cœpere. Ab hoc Salagasto legem, quæ ex nomine eius Salica vsque hodie vocatur, inuentam dicunt. Hac nobilissimi Francorum, qui Salici dicuntur, adhuc vtuntur. Pharamundo mortuo, Clodius filius eius crinitus, à quo Francorum reges criniti sunt dicti, successit. His diebus (vt suprà dixi) Francia quasi seminata, Roma paulatim cœpit minui. Iam gentes quæ Romanorum prouincias, nõ regna habitabant, reges creare, iam ex illorum potestate subduci, ac in proprij arbitrij auctoritate stare discunt. Hinc Gothi dum ipsam quoque Vrbem depopulati essent, in Gallica prouincia, vt dixi, vltra Ligerim consederunt. Burgundiones quoq; iuxta Rhodanum habitauerunt, qui & illi non multo pòst reges habere cœperunt. Sic

Franci in Galliam.

& Franci Rheno transmisso, Romanos qui ibi habitabant, primò fugant, pòst captis Tornaco & Cameraco Galliæ vrbibus, ac inde paulatim progredientes Remis, Suessonam, Aurelianum, Agrippinam, Treuerim, ac penè totam Galliam, atque Germaniam, ab Aquitania vsque in Baioariam sibi subiugant. Clodio mortuo, Meroueus filius eius, à quo Franci Merouingi dicti sunt, successit. Post quem Hildericus regnum adeptus, dum luxuriosè viueret, à suis pulsus est, Egidiusq; Romanus in locum eius substitutus. Porrò Hildericus post octo annos reuocatus, Agrippinam inuadens, electis inde Egidij fautoribus Romanis, positisq; suis, ex Francorum incolatu, Coloniam eam vocauit. Mortuo autem Egidio, filius eius Siagrius in ciuitate Suessona regnauit. Hildericus etiam vita decedens, Clodoueo suo filio regnum dimisit. Hic est Clodoueus, qui à beato Remigio baptizatus, primus Francorum regum Christianus fuit.

Fracs Christo nomen dant.

Verùm Siagrius cum Clodoueo decertare non valens, ad Alaricum, qui IX ab Alarico magno Gothorum regnum tunc gubernabat, confugiens, à Clodoueo reposcitur, traditusq; necatur. Romani etiam qui in Gallijs habitabant, ita vt nec reliquiæ ibi inuenirentur, exterminati sunt. Videtur mihi inde Francos, qui in Gallijs morantur, à Romanis linguam eorum, qua vsq; hodie vtuntur, accommodasse. Nam alij qui circa

Lingua Gallica.

ca Rhenum, ac in Germania remanserunt, Teutonica lingua vtuntur. Quæ autem lingua eis antè naturalis fuerit, ignoratur. Itaq; Clodoueus subiugatis Alemanis, Gothis quoque & Aquitanicis, iam Christianus factus bellum indicit. Quò dum pergeret, beato Martino votum vouit. Cumq; victis Gothis, & occiso Alarico reuertitur, ditata beati Martini ecclesia à cubicularijs equum suum eis traditum, dum redimere c solidorum precio vult, ille immobilis mansit. Quem dum supperadditis aliis c solidis soluisset, dixisse fertur: Martinus bonus in auxilio, carus in negocio.

CAPVT XXXIII.

Conclusio Libri quarti.

TRANSCVRSIS igitur à Constantino vsque ad imminutionem huius maximi regni, Gothorum quoq; fortissimæ gentis attenuationem, præcipuè cum ad Francorum, quibus postea monarchia cessit, principia deuenerimus, cum iam Roma cadente, Francia ad accipiendam coronam surrexerit, ac maxima caducarum rerum nouitate ac volubilitate, à præsentis vitæ illecebris abstracti, & ad supernæ patriæ stabilitatem appetendam, ex præsentium calamitatum consideratione, etiam nolentes attracti: huic quarto Operi terminum demus, vt ea quæ sequuntur expeditiùs exequamur.

LIBRI QVARTI FINIS.

OTTONIS FRISINGENSIS EPISCOPI CHRONICORVM LIBER QVINTVS.

PROLOGVS.

INTER prima elementorum rudimenta, ac Grammaticæ artis præcepta, audire solent pueri, quòd quanto iuniores, tantò sint perspicaciores. Quod non inconuenienter dictum puto, dum & priorum, qui ante nos sapientiæ studuerunt, scriptis & institutis informamur, ac processu temporum & experientiis rerum tantò maturiùs, quanto in prouectioris orbis ævo positi edocemur, per nos quoque his quæ ante nos inuenta sunt, comprehensis, eodem quo & illi spiritu, noua inuenire possumus. Hanc in senio mundi ex his quæ dixi causis, sapientiam fore multiplicandam propheta præuidit, qui

Dan.12. ait: Pertransibunt plurimi, & multiplex erit scientia. Hinc est quòd multæ antecessores nostros, præclaræ sapientiæ ac excellentium ingeniorum viros, latuerunt causæ, quæ nobis processu temporum, ac euentu rerum, patere cœperunt. Proinde Romanum imperium, quod pro sui excellentia à paganis æternum, à nostris penè diuinum putabatur, iam ad quid deuenerit, ab omnibus videtur. Et sicut suprà dixi, omnis humana sapientia, vel potentia ab Oriente ordiens, in Occidente terminari cœpit. Et de potentia quidem humana, qualiter à Babyloniis ad Medos & Persas, ac inde ad Macedones, & pòst ad Romanos, rursumq; sub Romano nomine ad Græcos deriuatum sit, satis dictum arbitror. Qualiter verò iam ad Francos, qui Occidentem inhabitabant, translatum fuerit, in hoc Opere dicendum restat. Sapientiam primò in Oriente, id est, in Babylonia inuentam, ac inde in Ægyptum, eo quòd Abraham tempore famis illuc descendit, translatam fuisse, Iosephus in primo Antiquitatum libro ostendit, ita dicens de

Ioſ. Antiq. lib. 1. cap. 8: Abraham: Arithmeticam eis contulit, & quæ Astrologiæ quoque sunt, ipse contradidit. *nam ante aduentum Abraham, hoc Ægyptij penitùs ignorabant. Dehinc deriuatum ad Græcos, philosophorum tempore, idem auctor innuit his verbis*: A Chaldæis enim hæc plantata in Ægypto noscuntur. Vnde etiam peruenisse dicuntur ad Græcos. *Sic Iosephus. Deinde eam ad Romanos, sub Scipionibus, Catone ac Tullio, & præcipuè circa Cæsarum tempora, Poetarum grege diuersa carmina concinente, ac pòst ad vltimum in Occidentem, id est, ad Gallias & Hispanias nuperrimè diebus illustrium doctorum,* Manigoldi & Anshelmi, translatam apparet. Quarum rerum præuidere, & quasi somniare diuinitùs inspirati homines, causas potuere. Nos verò non solùm credere, sed & videre quæ præmissa sunt possumus: dum mundum, quem pro mutatione sui contemnendum prædixerunt, nos iam deficientem, & tanquam vltimi senij extremum spiritum trahentem cernimus. Porrò de duabus ciuitatibus, qualiter vna in alia latendo vsque ad aduentum Christi, ac inde ad Constantinum paulatim progressa profecerit, suprà satis dictum puto. A Constantino verò exterioribus malis ad plenum sopitis, cœpit intestinis malis, instigante diabolo, auctore Arrio, cooperantibus rerum dominis Augustis, grauiter angi, vsque ad Theodosium seniorem. Ac deinceps, quia omnis non solùm populus, sed & principes catholici fuerunt, exceptis paucis, videor mihi nõ de duabus ciuitatibus, sed penè de vna tantùm, quam ecclesiam dico, historiam texuisse. Non enim, quamuis electi & reprobi in vna sint domo, has ciuitates, vt suprà, dixerim duas: sed propriè vnam, sed permixtam tanquam grana cum paleis. Vnde in sequentibus libellis non solum Romanorum Augustis, sed & aliis nobilium regnorum regibus Christianis factis, cum in omnem terram, & in fines orbis terræ exierit sonus verbi dei, tanquam sopita ciuitate mundi, & ad vltimum plenè exterminanda de ciuitate Christi, sed quamdiu peregrinatur, vtpote sagena missa in mare, bonos & malos continente, cœptam historiam prosequamur. Manet tamen adhuc perfidia infidelium Iudæorum & Gentilium ciuitas, sed regnis nobilioribus à nostris possessis, illis iam non solùm ad deum, sed & ad seculum ignobilioribus, vix aliqua ab eis gesta stylo digna, vel posteris commendanda inueniuntur.*

* addunt alia exempl. Berengarij.

OTTO-

OTTONIS CHRONICORVM LIBER QVINTVS.

CAPVT I.

Quomodo Theodericus Gothorum rex, à Zenone in Italiam missus, Odoacrum occidit, ipseq; tyrannicè viuens, Boetium in carcere posuit, regnumq; cum vicinis regibus confirmauit.

CCVPATO à barbaris Romanorum imperio, Zeno Augustus Theoderico, XII ab Hermanarico Ostrogothorum Regi, Occidentis imperium permisit, senatum, populumq; Romanum summopere sibi commendans. Igitur dum Theodericus Gothorum viribus fultus, in Italiam tenderet, ac iuxta Soncium fluuium in Aquileiensium finibus castra metatus fuisset, Odoacer ei cum magno exercitu occurrens, in fugam eum vertit. Inde cum circa Veronam consedisset, rursum inito certamine. Odoacer terga vertere compellitur. Fractus his malis Odoacer, ad vrbem iter flectit. Sed dum portis clausis, ei introitus negaretur, cunctis in circuitu igne ferroq; vastatis, ad Rauennam digreditur. Quem Theodericus subsequens, per triennium obsidione cinxit, tandemq; interposita fide, ad deditionem susceptum, infideliter occidit. Verùm Rhugi Odoacri socij, Ticinum, cui beatus Epiphanius præsidebat, cum adiacenti regione vastabant. Hic episcopus tantæ sanctitatis fuit, vt dum à Theoderico pro redimendis captiuis ad Gundebandum Burgundiæ regem mitteretur, VIM. captiuorum pro sola religionis suæ reuerentia, sibi à rege reddita dicantur. Theodericus occiso Odoacro, ad vrbem diuertens, cum magno ciuium gaudio susciptur. Vide rempub. miserabiliter labefactatam, cerne populum illum sapientia ac viribus quondam orbis dominum, ad tantum venisse defectum, vt à barbarica tyrannide conculcatus, grauiq; dominio mancipatus, non nisi à barbaro liberari queat, tyrannum subiectè ac gratanter suscipiat, vt alterius tyranni dominationem effugiat. Itaque Theodericus Romanorum potitus imperio, haud memor ab Augusto suscepti mandati, fasq;, nefasq; barbaricè commiscens, ac ciues diuersis iniuriis contumelioseq; afficiès, imperium vertit in tyrannidem. Cernens hoc clarissimus vir, consularis ordinis Anicius Manlius Boetius, ac rationis intuitu ani maduertens, dum tyrannidi eius obuiare molitur, ab eo in exilium trusus, Papiæ in carcere ponitur, vbi de Contemptu mundi philosophicum vtile valde scripsit opus. Extant præter hæc, alia scripturarum suarum monimenta præclara, inter quæ contra Sabellium & Arrium de fidei S. trinitatis regulis, ac contra Nestorianam Euticianamq; hæresim, ecclesiæ dei tam vtile, quàm subtile reliquit opus. Libros etiam Aristotelis de Græco in Latinum vertit eloquium, & ad eorum lucubrationem plurima commenta vel edidit, vel transtulit. Ad introductionem quoque Topicorum Aristotelis librum de Topicis sententiis. Theodericus vtcunque acquisitum regnum, tanquam alienigena firmare volens, Clodouei Francorum regis filiam in matrimonium accepit, Amalfredam germanam suam Wandalorum regi copulauit. Duas quoq; filias, vnam Sigismundo Burgundionum regi, aliam Alarico Wisigothorum regi dedit. Hic est Alaricus, qui postmodum à Clodoueo (quod nos in priori Libro per anticipationem diximus) victis Gothis interfectus est.

D. Epiphanius.

Boethius eiusq; scripta.

CAPVT II.

De morte Zenonis, & substitutione Anastasij, & schismate Romanæ ecclesiæ, & exilio episcoporum Africæ, morteq; Anastasij, & Clodouei.

ANNO ab incarnatione domini CCCCXCI, regnante sexto post Pharamundum Clodoueo rege Francorum, Zeno XVII imperij sui anno moritur. Cui dum frater suus Longinus succedere parat, ab Adriagne repellitur, & Anastasius ipsius cõsilio, consensuq; omnium XLIX ab Augusto Imperium adeptus, Adriagnem in cõiugium sortitur. Ergo regnãte in Oriente Anastasio Euticiano, Theoderico verò Ariano Ro-

Anastasius Imperator.

mam premente, magna discordia in ecclesia dei oritur, Simmacho & Laurẽtio pro sede pontificali in Vrbe contendentibus. Cui controuersiæ cum multo clericorum ac laicorum sanguine, per tres annos continuè protractæ, synodo conuocata, Theodericus finem imposuit. Nam Simmachũ saniori electum cõsilio, in cathedra firmauit, Laurentiumq; depositum in Lucerina ciuitate episcopum fecit, quem tamen postea tumultuantem, exilio in Dalmatiam relegauit. In hoc schismate Pascasius diaconus zelum dei, non scientiam habens, Laurentio adhærens, post mortem suam, vt beatus Gregorius in dialogo scribit, quamuis tantæ sanctitatis fuerit, quòd mortuo eo per dalmaticam ipsius feretro impositam, cæcus illuminatus sit, pœnas soluit. His diebus Trasimundus Genserici filius, Wandalorum rex, ob catholicam fidem CCXX episcopos ad Sardiniam insulam in exiliũ misit. Ea tempestate Fulgentius episcopus vita & scientia clarus, insignis habebatur. Per idem tempus Arrianus quidam Olympius nomine, dum in Africa indigna ac blasphema verba de deo diceret: igneo gladio cœlitùs percutitur in balneo. Quidam etiam dum ab eiusdem hæresis episcopo baptizari vult, hæretico dicente: Baptizo te in nomine patris, per filium, in spiritu sancto, subitò aqua non comparuit. Quo viso, qui baptizandus erat, ad ecclesiam confugit, ac iuxta catholicæ fidei normam, baptismum accepit. Porrò Anastasius Clodoueo regi Francorum per epistolas dignitatem Consulatus obtulit, & ipse ab Euticiana hæresi, propter admonitionem Hormisdæ Papæ non recedens, sed pertinaciter in ea manens, XXVII imperij sui anno, fulmine (vt à quibusdam dicitur) ictus interiit. Clodoueus quoq; XXX anno, & vita & regno perfunctus, Lotharium filium cum tribus aliis fratribus reliquit, qui regnum inter se diuiserunt.

Contentio de Papatu.

D. Fulgentius.

CAPVT III.

De imperio Iustini, & reuocatione episcoporum, de exilio. De persecutione Theoderici, in qua Ioannes Papa, Simmachus & Boetius extincti sunt. De morte eiusdem tyranni, & visione inde monstrata, Iustiniq; obitu.

ANNO ab incarnatione domini DXIX, regnante in Francia cum fratribus Lothario, Iustinus senex natione Illyricus, Lab Augusto, Senatus voluntate Imperium accepit. Huius diebus Hildericus ex Eudoxia Trasimundi filius, regnum adeptus, cum esset catholicus, vniuersos episcopos à patre exilio relegatos reuocauit. Iustinus etiam Augustus zelo fidei hæreticos persequebatur. Ad quem Theodericus Arrianus Ioannem Papam misit, denuncians vt ab Arrianorum persecutione cessaret, aut se Christianos afflicturum. Quod dum princeps miseratus, ob sacerdotis preces annueret, ac ipsum cum honore susceptum, honorificè dimitteret, reuersum ad se Theodericus in vinculis posuit, fameq; afflictum sacrilegè extinxit. Simmachum verò patricium, ac Boetium senatorem nobilissimum, cuius suprà mentionem feci, antè crudeliter necauerat. Ob ea non multis pòst diebus, XXX imperij sui anno, subitanea morte rapitur, ac iuxta beati Gregorij dialogum, à Ioanne & Simmacho in Ætnam præcipitatus, à quodam homine dei cernitur. Hinc puto fabulam illam traductam, qua vulgò dicitur, Theodericus viuus equo sedens ad inferos descendit. Quòd autem rursum narrant eum Hermanarico, Atilæq; contemporaneum fuisse, omnino stare non potest, dum Atilam longè post Hermanaricum constat exercuisse tyrannidẽ, istumq; post mortem Atilæ octennem à patre obsidem Leoni Augusto traditum. Defuncto Theoderico, Athalaricus, filiæ suæ Amalsuildæ filius, decem annos habens, regni gubernacula suscepit. Hunc cum adhuc viueret pater, principibus Gothorum commẽdauerat, exhortans eos, vt Senatum ac populum Romanum diligerent, principemq; Orientis propitium habere studerent. Iustinus verò Iustiniano sororis suæ filio Imperatore post se destinato, VIII imperij sui anno finem vitæ fecit.

Iustinus Imperator.

CAPVT IIII.

De principatu Iustiniani, multisq; pietatis eius insignibus, triumphisq; plurimis. De claris viris, qui sub eo fuerunt. De gente Longobardorum, exaltatione Imperij, morteq; eius.

ANNO

ANNO ab incarnatione domini DXXVII, Iustinianus LI ab Augusto, Imperium suscepit, regnantibus adhuc in Francia Clodouei filijs. *Iustinianus.* Hic tam strenuissimus, quàm Christianissimus, Imperium quasi mortuum resuscitauit, remp. labefactatam plurimùm reparauit, ac inter cæteras gestorum fortium virtutes, per Belisarium patricium de Persis, qui Romanos fines inuaserant, magnificè triumphauit. Leges ante ipsum editas, profusè & inordinatè compactas compendiauit, & ad ordinem reuocatas in vnum volumen compilauit, quæ hactenus ex eius nomine Iustinianeæ vocantur. *Corpus Iuris ciuilis.* Multis quoq; per latitudinem imperij sui decoris basilicis ecclesiam dei adornans, inter alias omnium materia & opere præstantissimam in vrbe regia, in honorem diuinæ Sapientiæ, quam Græci Sophiam vocant, construxit. Herulorum regem nomine Gratem, Constantinopolim ad se venientem, in Epiphania domini baptizari fecit. Tunc etiam rex Hunorum Garda, & mulier quædam vidua ex Hunis, cum c. milibus gentis suæ fidem & baptismi gratiam accepisse feruntur. Porrò Atalaricus adolescentiam suam, ac matris viduitatem, iuxta patris monitum, Augusto commendans, in tuitionem à pijssimo principe suscipitur. Ipso verò non multo pòst à suis occiso, mater eius Theodatum in regnum asciuit. Qui ne dicam ingrati, sed infidi militis officium gerens, eam in balneo strangulauit. Igitur Iustinianus Belisarium patricium primò in Africam destinauit, Wandalisq; deletis, prouinciam à barbaris liberatam, Romano Imperio restituit. Pòst cum eundem contra Theodatum, tanquam traditorem, regniq; inuasorē mitteret, fractus animo tyrannus, Agapitum Papam ad eum pro impetranda pace direxit. Qui imperatorem cum Euticetis errore deceptum, ad catholicam fidem reuocasset, principem ac Anthemium regiæ vrbis episcopum, eandem hæresim defendentem, excommunicasset, ipse ibidem vita functus, migrauit ad dominum. Hic pontifex tantæ sanctitatis fuit, quòd in porta vrbis regiæ, in ipso ad Imperatorem ingressu, cæcum illuminauit. Inter hæc Belisarius Theodatum perfidiæ suæ pœnam soluere compellens, interfecit. *Finis regni Gothorum.* Wittigem post mortem Theodati regnum inuadentem, captiuum Constantinopolim misit, regnumq; Gothorum, quod per duo milia, vel amplius annorum Iordanis stetisse commemorat, finiuit: & sic tam ex Africa Wandalis, quàm ex Italia Gothis extirpatis, vtrasque in pristinum statum reduxit prouincias. *Finis chronicorum Iordanis.* Hucusque Iordanis episcopus, natione (vt ipsemet testatur) Gothus, Gothorum historiam, necnon & Chronica sua perduxit.

Belisarius adhuc cum Theudeberto Francorum rege Lotharij fratre, qui cum CC milibus Italiam inuaserat, pugnam commisit, regnantibusq; Francis pacem concessit, ac Italiæ finibus eos, sine Romani militis damno, cedere persuasit. Inter hæc Parthi cum exercitu Syriam, Neocæsareamq; vastantes, Antiochiam tendunt. Quibus dum Germanus patricius cum Iustino filio consule, decertare non sufficeret, relicta vrbe, ad partes Ciliciæ se contulit. Persæ tanquam vacuam vrbem irrumpunt, prædam diripiunt, vrbes vicinas populantur, & totius Celesiriæ bona vnius anni spatio demoliuntur. Quos Belisarius Gothicæ ac Wandalicæ victor, collecto milite coercuit, & Romanorum finibus egredi compulit: sed recrudescentibus ac tumultuantibus Gothis, cum rege suo Totila, moræ locum ibi non habens, in Italiam iter reflexit.

His diebus Longobardorum gentes, qui à Scanzia insula, vnde & Gothi, egressi fuerant, cum Alboino rege suo in Pannonia habitabant. *Longobardi in Italiam effusi.* Hi non multo pòst Italiam, quam hactenus incolunt, vt pòst dicetur, occupauerunt. Belisarius in Italia manens, præcepto Theodoræ Augustæ, Syluerium Papam, eò quòd Anthemium hæreticum ab Agapito antecessore suo excommunicatum absoluere nollet, falsorum testium accusatione criminatum, inuitus in exilium misit. Vigilio successori eius, sub quo quinta synodus generalis Constantinopoli congregata fuit, similiter fecit.

Sub hoc pontifice Arator subdiaconus, Actus apostolorum versibus deflorauit. Per idem tempus floruere Cassiodorus Senator, ac Dionysius abbas, quorum prior librum Psalmorum luculenter exposuit: alter cyclos Paschales subtiliter composuit. Priscianus Cæsarienſis grammaticæ libros ad Iulianum consulem

patricium profusos, sed necessarios, officioso opere edidit. His etiam diebus, signis & prodigijs, vitaq; continentissima primò eremita, pòst abbas clarus habebatur beatus
S. Benedictus. Benedictus, qui multos verbo & exemplo ædificans, & ad arctioris vitæ viam accendens, monachorum regulam (vt Gregorius ait) sermone luculentam, discretione præcipuam, quæ hactenus in ecclesia florere cognoscitur, descripsit. Qui verò alij tunc principes, aut ciues ciuitatis Christi, vita & scientia insignes fuerint, si quis scire vult, legat Dialogum Gregorij. Corpus sancti Antonij repertum, Alexandriæ reconditur. Iustinianus princeps egregius, remp. iuxta tempus suum satis exaltatam,
Finis Chronicorum Victoris. XXXIX Imperij sui anno diem obijt. Hucusq; Victor Turonum episcopus Chronica sua perduxit.

CAPVT V.

De imperio Iustini, eiusq; bonis operibus. De cultu regis Indorum. De plurimis victorijs per Narsetem factis, & introitu Longobardorum in Italiam, morteq; Augusti.

Iustinus iunior imp. ANNO ab incarnatione domini DLXVII, regnante in Francia Hilperico Clotharij filio, cum tribus fratribus, Iustinus iunior Iustiniani nepos, natione Thrax, LII ab Augusto, Imperium ab Euticio patriarcha coronatus suscepit. Hic cum esset Catholicus, ecclesias dei, quas antecessor suus ædificauerat, pretiosis thesauris & largis possessionibus ditauit. Huius diebus pax inter Romanos & Persas rumpitur. Imperator verò ad Arethan Indorum regem Iulianum misit: qui vt postmodum retulit, cum penè nudum, circa lumbos tantùm cincturam, & linea vestimenta auro contexta, & circa ventrem indumenta scissa, margaritis preciosis conserta, in brachijs quinos circulos, & armillas aureas, in capite pannum gemmis ornatum, in collo torquem aureum habentem, super quatuor elephantes, rotis quatuor curru excelso innitente, stantem, scutum paruissimum deauratum, cum duabus lanceolis aureis tenentem, inuenit: quem cum contra regem Persarum armasset, reuertitur. Misso enim Narsete auxilio Longobardorum, Totilam regem Gothorum interfecit, eandemq; gentem de Italia radicitùs extirpauit. Bucellinum à rege Francorum ad deuastandum Italiam missum occidit. Sindoaldum Brendorum regem, qui de comitibus Odoacri in Italia adhuc superfuit, suspendio peremit. Itaq; cum Narses patricius deletis barbaris, Italiam in pristinum statum reduxisset, Romani (vt assolet) prosperitati eius inuidentes, ad Imperatorem eiusq; vxorem Sophiam legatione missa, in pluribus eum accusabant. Qua de re motus princeps, Longinum ad occupandum locum eius misit in Italiam. Sophia quoq; Augusta muliebriter concrepitans, Narsetem vtpote eunuchum, inter fœminas in gynæceo suo se posituram denunciat. Quæ omnia
Longobardia nomen. ægre ferens Narses, Neapolim se contulit, missáq; legatione, Longobardos de Pannonia in Italiam vocauit. Quorum prodigia maxima aduentum (ita vt igneæ acies in cœlo cum sanguine, qui postmodum fundendus erat, beato Gregorio teste, visæ sint) præcesserunt. Exhinc Roma non solùm transalpinas regiones, sed ipsam etiam Italiam, quę extunc à barbarorum inhabitatione vsq; in hodiernum diem Longobardia vocatur, perdidit. Porrò Iustinus Tyberium comitem in filium adoptauit, ac Cæsarem legit. Cum verò pedibus æger iaceret in lecto, ac se moriturum cognosceret, vocato ad se Euticio pontifice, ac Senatu, Tyberium ex Cæsare fecit Augustum. Ipse autem XI Imperij sui anno diem obijt.

CAPVT VI.

De imperio Constantini, eleemosynisq; eius. De pecunia quam inuenit, Persisq; quos per Mauritium deuicit. De Gregorio tunc Archidiacono, ac morte Imperatoris.

Constantinus imp. ANNO ab incarnatione domini DLXXVI, Tyberius Constantinus, natione Thrax, ab Euticio patriarcha coronatus, LIII ab Augusto imperauit. Hic dum vxorem suam Anastasiam Augustam vocaret, Sophia prædecessoris sui coniunx, eò quòd ipsi iungi cogitabat, grauiter indignata, Iustiniano ad Imperium aspirare persuasit. Sed dum ad effectum res procedere non posset, Iustinianum quidem accepta

ab eo

ab eo pecunia, princeps in gratiam recepit, Sophiam verò omnibus ei regni delicijs ablatis, priuatam viuere fecit. Pecunias etiam quas Iustinianus malè congregando repositas habebat, largè pauperibus erogauit. Fertur de eo, quòd dum in palatio suo deambularet, videretq; in pauimento crucem sculptam, iubens eam auferri reuerenter, Crucem, ait, Dominiin fronte gestare, non pedibus calcare debemus. Qua ablata, dum alia apparuisset, ac illa rursum sublata, dum tertia inuenta fuisset, infinitam pecuniam auri reperisse traditur. Narsete quoq; patricio mortuo, plurimum auri & argenti in puteo inuenisse memoratur, quæ omnia more suo pauperibus erogauit. Completum in eo cernitur, quod dominus ait: *Omni habenti dabitur*, dum largè res *Luc.19.* suas pro Christo distribuens, largas ab eo impensas accepit. Idem vastata Italia à Longobardis sub Benedicto Papa, dum Roma plurimùm fame laboraret, missis ab Ægypto nauibus, multa frumenti modiorum milia ciuibus donauit. Persas fines Imperij irruentes, per Mauritium ducem glorioſè deuicit, eiq; postmodum filiam suam in matrimonio coniunxit, & Cæsarianam dignitatem contulit. Hilperico Francorum regi magnifica dona misit. His diebus beatus Gregorius Romanæ ecclesiæ Archidiaconus, à Pelagio Papa Constantinopolim missus, Moralia Iob Leandro scripsit, & Euticium eiusdem vrbis Episcopum, sub præsentia principis in fide resurrectionis errasse conuicit. Verùm Tyberius Imperator Christianissimus, substituto sibi in Imperio consilio Sophiæ, genero suo Mauritio, VII Imperij sui anno in pace quieuit.

CAPVT VII.

De principatu Mauritij, persecutione eius in beatum Gregorium tunc Papam. De viro dei Columbano, discipulisq; suis. De visione & euentibus Mauritij, fineq; eius.

ANNO domini DLXXXIII, Mauritius Cappadocus, primus ex genere Græcorum, LIIII ab Augusto, Imperium est adeptus. Huius diebus beatus Gregorius ciuitatis dei verus ciuis, Romæ consensu Imperatoris à clero ac populo electus, pontifex ordinatur. Quem tamen princeps, cum esset inexplebilis auaritiæ, quæstus gratia plurimùm persequebatur. Ea tempestate vir dei Columbanus, natione Scotus, Luxouiensis abbas, à Brunehilde Burgundionum regina, eo quòd eam de pessimis operibus suis, ac maleficijs zelo dei argueret, tanquam iustus Helias à Iezabel grauem persecutionem passus, monasterium mutare, ac in Italiam ad locum, qui Bobium dicitur, transire, ibiq; vsq; ad diem obitus sui manere compellitur. Huius discipuli clarissimi regni Christi ciues fuere: Leodegarius, qui postmodum Antisiodorensem regens ecclesiam, martyrio coronatur: Romaricus, qui in monte, qui ex nomine suo mons Romarici dicitur, sanctimonialium nobile fundauit cœnobium: Gallus, qui in Sueuia in territorio Constantiensi residens, egregiam ex nomine suo, quæ multis honoribus ac diuitijs modò locupletata cernitur, tenet ecclesiam. & alij quàm plures. Fertur enim quòd trecentorum prædictus vir dei pater extiterit monachorum, qui omnes patris secuti monita, excepto Eberuino, inter ciues Christi ascripti creduntur. Hic enim solus ex illis caducis honoribus à Brunehilde illectus, retrò abijt, & militiæ cingulum sumpsit, maioréq; domus effectus, multis malis præfatos dei seruos afflixit, ac beatum Leodegarium martyrem fecit. Verùm Brunehildis scelerum suorum pœnas luens, postmodum à Clothario rege caudis indomitorum equorum alligata, finem vitæ miserabilem fecit, nobisq; exemplum abhorrendæ immanitatis eius reliquit. At Mauritius cùm à persecutione beatissimi Papæ Gregorij non cessaret, XIX imperij sui anno videt in somnis virum monachico habitu, gladium in manu habentem, ad se terribiliter venire, ac eum moriturum palàm pronunciare. Quo viso perculsus, culpamq; suam recognoscens, tam summo pontifici Gregorio, quam alijs episcopis, abbatibus, solitarijs scripsit humiliter, vt deo pro eo exorato, quòd in præsenti, & non in futuro pœnas peccatorum suorum solueret, precibus impetrarent. Ipse quoque multis lachrymis idem deo commendabat. Cum ergo Deus ad petitionem ecclesiæ Imperatorem exaudire vellet, vidit in somnis, se coram crucifixo apud æneam palatij portam stare, vocemq; terribilem audire: *Date Mauritium:* & iterum, *Vbi vis reddam tibi mala quæ fecisti? hic, an in futuro?* Cumq; ille responderet,

Mauritius Cæs.

S. Gregorius Papa Columbanus.

Leodegarius Romaricus S. Gallus.

Non in futuro, iussit eum cum vxore, liberis, ac cognatione Focæ tradi. Manè facto, Philippico genero suo ad se vocato, narratoq; somnio, si Focam cognoscat, requirit. Tum ille paulisper secum deliberans, Iuuenis est inquit, & temerarius. Nuncij quoq; quos ad vitos dei miserat, reuersi, similia visioni reportabant responsa. Porrò exercitus à Mauritio missus, cum ob eius auaritiam laborarent fame, in seditionem versi, Focam Imperatorem creant. Quod audiens Mauritius, ac ex visione sibi monstrata futura præsagiens, fugit. Quem Focas insecutus, iuxta Calcedonam cum vxore ac filijs culpam suam humiliter cognoscentem, secundum quod ei in visu monstratum erat, anno imperij sui XXI decollauit. Fertur quòd decollato eo, lac, quod indulgentiæ à domino inuentæ signum esse ominantur, cum sanguine effluxerit.

Mauritij miserabilis exitus.

CAPVT VIII.

De imperio Focæ, transituq; beati Gregorij. De duobus, qui post eum erant, Bonifacio & Cosdroa rege Persarum, interituq; Focæ.

Phocas Imp.

ANNO domini DCIII, Focas LV ab Augusto, Imperium sortitur habens vxorem Leontiam nomine. Hic primò patricij cuiusdam strator, pòst miles, ad vltimum Imperator fuit. Anno imperij eius II beatissimus Papa Gregorius, qui verbo & exemplo ciuitatem dei plurimùm illustrauerat, migrauit ad dominum, scripturarum suarum dulcissima relinquens monimenta. A quo III Bonifacius impetrauit à Foca, vt ipsius auctoritate, Romana ecclesia caput omnium diceretur ecclesiarum. Nam Constantinopolitana se primam, puto propter regni sedem illuc translatam, scribebat. Post hunc alius Bonifacius IIII à beato Gregorio, precibus ab eodem Augusto obtinuit, vt templum à Domitiano imperatore constructum, quod Pantheon vocabatur, ecclesiæ dei datum, in honore omnium sanctorum dedicaretur. His diebus Cosdroas Persarum rex, Orientem peruagatus, multas Romanis prouincias abstulit, ac viuificæ crucis vexillum ab Hierosolymis asportans, in solio suo, vbi se vt Deum adorari fecerat, posuit. Focas autem cùm multa scelera & homicidia perpetrasset, ab Heraclio, Heraclij patricij prætoris Africæ filio, vocatu Prisci patricij generi sui, VIII imperij sui anno interficitur.

NB. Romana ecclesia caput reliquarum.

CAPVT IX.

De principatu Heraclij, magnificoq; eius triumpho, & reportatione S. crucis. De Anastasio monacho, & Mahumet, regnoq; Dagoberti, & victoria eius. De timendo fine Heraclij.

Heraclius Imp.

ANNO domini DCXII, Heraclius occiso Foca, à Sergio patriarcha coronatus, LVI ab Augusto Imperium sortitur, regnante in Francia Lothario Hilperici filio, Anno imperij sui II, ab Eudoxia filium Heraclium, seu Constantinum habuit. Mortua verò Eudoxia, Martinam sororis suæ filiam incestè sibi copulauit, ac Heraclonam ex ea suscepit. Hucusq; Isidorus episcopus historiam suam perduxit.

Finis historiæ Isidori.

Anno imperij sui VIII, dum pacem à Cosdroa Persarum rege peteret, nec impetraret, IIII post hoc, id est, XII regni sui anno, procinctum in Persidem mouet, occisoq; singulari congressu super pontem Danubij Cosdroæ filio, vastata Perside, Cosdroam quoq;, ablato de prophana manu eius ligno sanctæ crucis, interfecit, ac VII demum ex quo exierat anno, ad regiam vrbem victor rediens, non multo pòst lignum salutiferum Hierosolymam reportauit. Exhinc exaltatio sanctæ crucis in ecclesia dei celebrari cœpit.

Festum Exaltationis crucis.

His diebus Anastasius Persa, primò magus, pòst fide assumpta monachus factus, nobile pro Christo martyrium cum alijs LXX, à Persis, Marzabona iudice, peregit: cuius tunica mox dæmoniacus indutus curatur. Huius corpus Heraclius cum captiuis de Perside reportauit, ac in monasterio beati Pauli, quod ad * Aquas salsas dicitur, vbi nunc religiosorum monachorum cœnobium ex nomine suo vocatum esse cognoscitur, honorificè condidit. Circa idem tempus Mahumet, quem Sarraceni hactenus colunt, ex stirpe Hismaelis, patre gentili, & matre Iudæa fuisse dicitur.

** al. aquas Salinas.*

Mahometes pseudopropheta.

His

His diebus Lothario mortuo, Dagobertus admodum puer, educatus à beato Arnulfo maiore domus, qui postmodum Metensium episcopus fuit, in Francia, excepto quòd fratri suo Heriberto circa Ligerim quasdam vrbes ac pagos dimiserat, solus regnauit. A Clodoueo enim vsq; ad id temporis, regno Francorum inter filios, filiorumq; filios multifariè diuiso, confusè regnatum est. Erat autem Francorum iam terminus ab Hispania vsq; in Pannoniam, duos nobilissimos ducatus Aquitaniam & Baioariam, Aquitaniam quidem ad Occidentem, Baioariam ad Orientem habens. Dagobertus ergo totius regni principatum tenens, Baioarijs legem dedit. Hic dum adhuc viuente patre Lothario, cum Saxonibus pugnam inijsset, ac grauiter vulneratus fuisset, misso ad patrem nuncio, acceptoq; auxilio, rursum certamen aggreditur, victisq; ac fatigatis Saxonibus, omnem prouinciam suæ ditioni subijciens, cunctos eiusdem gentis masculos, qui gladij sui, quem tunc fortè gerebat, mensuram excederent, necasse traditur. Beatus Cunibertus Colonienſem tunc regebat ecclesiam. Igitur Heraclius à Sergio patriarcha deceptus, Euticianus hæreticus efficitur. Mathematicus etiam & astrologus factus, præuidens in stellis circuncisos imperium suum vastaturos, arbitrans hos Iudæos esse, missis ad Dagobertum regem Francorum nuncijs, omnes regni sui Iudæos baptizari postulat & impetrat, ipseq; in regno suo similiter facit. Non multo pòst tempore, Agareni gens circuncisa Imperium vastant. *Sarraceni in Imperio grassantur.* Quos dum Heraclius misso exercitu cohibere vellet, centum L. M. perdidit. Qua de causa dum apertis portis Caspijs, gentem sæuissimam, quam Alexander magnus ob immanitatem sui semper mare Caspium incluserat, educeret, bellumq; instauraret, nocte ab angelo quinquaginta duo millia de exercitu eius percussa feruntur. Vnde fractus animo princeps, & ex dolore in tumorem versus, ac hydropicus factus, XXVII imperij sui anno viuendi finem fecit. Vide iustissima dei iudicia. Princeps iste, qui primò per virtutem crucis de potentissimo rege Persarum triumphauit, postmodum à Sarracenis, amisso milite, ex dolore velut rationis expers, eiusq; per quod antè vicerat, signi immemor factus, crudelissimam gentem, quam etiam gentilis homo incluserat, impræmeditatè educens, à Domino iustè flagellatur, vt & ipsi pœnitentiæ locus, & posteris exemplum correptionis relinqueretur. Hæc omnia ad contemptum mundi, amoremq; dei, qui & sperantes in se remunerat, ac contemnentes condemnat, nos prouocare debent.

CAPVT X.

De imperio Heraclij, eiusq; nece: & de vltione illorum qui hoc fecerant. De noua hæresi Pyrrhi & Cyri.

ANNO ab incarnatione domini DCXXXIX, regnante in Francia Dagoberto, Constantinus Heraclius, Heraclij filius, LVII ab Augusto, regnum est adeptus, IIII imperij sui mense, fraude nouercæ suæ Martinæ, Pyrrhiq; patriarchæ veneno necatur: ipsaq; cum filio suo Heracleona regnum vsurpans, per duos annos tenuit. Mutilatis ergo natibus filij matrisq; lingua abscisa, Constans Constantini Heraclij filij filius, à Senatu Imperator creatur. Pyrrhus quoq; patriarcha, sceleris auctor, in exilium truditur, & in locum eius Paulus subrogatur. Hic est Pyrrhus, qui cum Cyro Alexandrino episcopo hæresim, quæ duas in Christo voluntates negabat, condidit. *Constant. Heraclium Cæsar.* *Pyrrhus hæreticus.*

CAPVT XI.

De imperio Constantis, & Martino Papa. De victorijs eius, & itinere ad Vrbem. De filijs Dagoberti, morteq; Constantis.

ANNO ab incarnatione domini DCXLII, pulso cum matre Heracleona, Constans Constantini filius, LVIII ab Augusto regnauit. Hic cum in eandem in quam auus suus Heraclius, hæresim fuisset lapsus, Martinum Papam, eò quòd Paulum patriarcham, Pyrrhum & Cyrum habita synodo excommunicasset, apud Cersonam in exilium misit: vbi multis miraculorum signis refulgens, migrauit ad dominum. Porrò Constans congregata sub Vitelliano Papa synodo, hæresim *Constans.*

abdicauit, ac beato Petro miræ magnitudinis euangelia auro cooperta, gemmis ornata misit. Ipse verò non multis pòst diebus Italiam à Longobardorum potestate eripere volens, per æquora nauigando Tarentum applicuit. Pòst Beneuentum veniens, omnes penè ciuitates, quas Longobardi inhabitabant, cepit, ac Luceriam vsq; ad solum prostrauit. Deinde accepta obside sorore Romaldi, Grimaldi regis filia, Neapolim inter flectit, inde ad Vrbem iter tendens, Vitellianum Papam in VII miliario obuium cum clero & populo habuit: ac ita honorificè Romam ingressus, beato Petro pallium auro textum obtulit. Cogitabat autem Imperium ad Vrbem transferre, eò quòd Constantinopolitanos, qui ei de sacrilegio in Martinum Papam commisso consilium dederant, tanquam hæreticorum fautores exosos haberet. Huius diebus beata Gertrudis virgo, Pipini filia, beato fine quieuit. Dagoberto quoque mortuo, Clodoueus filius eius successit. Nam alij filio, Sigiberto scilicet, dum adhuc viueret, Austrasiam reliquerat, eumq; Cuniberto Colonienſium præsuli, & Pipino commendauerat. Constans ab Vrbe digressus, Siciliam ingreditur, vbi per VI annos moratus. fraude suorum XXVIII imperij sui anno, in balneo perimitur. Quo mortuo, Mitium quendam Armenium Imperatorem milites creant. Hoc compertо, Constantinus Constantis filius, Siciliam intrauit, Mitiumq; cum interfectoribus patris occidit, ac compositis rebus in Hesperia, ad vrbem regiam redijt.

S. Gertrudis.

CAPVT XII.

De principatu Constantini, & synodo congregata, damnataq; hæresi Cyri, & Pyrrhi. De Angiso maiore domus Franciæ, Lamperto episcopo, morteq; Constantini.

Constantinus Pogonatus.

ANNO ab incarnatione domini DCLXX, Constantinus Constantis filius, cum duobus fratribus Heraclio & Tyberio, LIX ab Augusto, Imperium sortitur, regnantibus in Francia Dagoberti filijs. Huius diebus missis ab Agatone Papa legatis Constantinopolim, sexta synodus CL. vel iuxta alios CCLXXXIX episcoporum, præsidente Georgio eiusdem vrbis patriarcha, & Machario Antiocheno, qui iuxta Sergium, Cyrum, Pyrrhum, & alios antecessores suos, vnam voluntatem, & vnam operationem asserebant esse in Christo, in præsentia principis congregatur. Reuocatoq; per apostolicæ sedis legatos ad catholicam fidem Georgio, Macharius cum sequacibus suis anathematizatur, ac Theophanus abbas de Sicilia in locum eius subrogatur. In eadem synodo damnata hæresi, tantæ aranearum telæ in conspectu omnium ceciderunt, vt in hoc facto omnes errorum sordes expulsas cuncti animaduerterent. His diebus beato Arnulfo, qui maior domus fuerat, seculo abrenuncianti, postmodum in ecclesia Metensi pontifice facto, Angisus filius suus principatum maioris domus tenuit. Beatus Lampertus Traiectensem, quæ pòst Leodium translata est, gubernauit ecclesiam. Constantinus XVII imperij sui anno diem vltimum clausit.

Sexta synodus œcumenica.

S. Lampertus.

CAPVT XIII.

De imperio Iustiniani Constantini, Kiliano, Pipino maiore domus. De Tyberio & Leontio, & VII synodo.

Iustinianus Barbati F. Cæsar.

ANNO ab incarnatione domini DCLXXXVII, Iustinianus Constantini filius, LX. ab Augusto imperauit. Hic cum Sarracenis pacem fecit, ac Africam ab eius liberatam, Romano Imperio subiecit. Hic etiam Sergium Papam, qui hæreticæ synodo suæ in vrbe regia celebratæ subscribere noluit, missо Zacharia Protospatario captiuum ad se duci præcepit, sed militia Rauennatensium erepto de manu eius pontifice, Zachariam Vrbe expulit. Eo tempore sanctus Kilianus cum socijs suis martyrio coronatur. Sanctus Remaclus Traiectensium episcopus beato fine quieuit. Pipinus filius Angisi, maior domus effectus, regnum Francorum administrauit, cuius anni in Catalogo regum deinceps annotantur: reges enim exhinc omnibus regni negocijs, & honore nudati, solo nomine regnabant, maiores verò domus curam regni habebant. Iustinianus à Leontio patricio, quem ipse per triennium in vinculis tenuerat, X imperij sui anno, præciso primùm naso, in exilium truditur, & Leo, qui & Leontius, per tres

Kilianus.

Remaclus.

per tres annos Imperium occupauit. Quibus expletis, Tyberius, qui & Abſimarus, abſciſo naſo Leontij, eum in monaſterium truſit, regnumq; vſurpatum, VII annis tenuit. His diebus ſub beato Sergio Papa VII ſynodus Aquileiæ congregatur.

CAPVT XIIII.

De reditu Iuſtiniani, quem mutilatis naribus Tyberius & Leontius expulerant, vltioneq; eius. Qualiter Conſtantinum Papam vocans, honeſtè tractauit, Philippicumq; perſequens ab eo occiſus eſt.

ANNO ab incarnatione domini DCXCVII, Iuſtinianus qui à Leone pulſus fuerat, adiutorio Trebellij Bulgarorum regis, regia vrbe capta, Imperium recepit, ac poſtmodum per ſex annos tenuit. Hic Tyberium & Leontium captos, ac in cathenis poſitos, per plateas trahi, & pòſt vniuerſo populo acclamante, *Super aſpidem & baſiliſcum ambulabis, &c.* pedibus colla eorum calcans, ad vltimum decollauit. *Pſalm. 91.* Eos verò qui factionis erga eum perpetratæ rei fuerant, diuerſis pœnis cruciati fecit, ac penè quotienſcunq; de mutilatis naribus guttam reumatis deterſit, aliquem illorum necari præcepit. Gallicinum patriarcham erutis oculis, Romam in exilium miſit, ac Cyrum abbatem Ponti, qui ei exuli neceſſaria miniſtrauerat, in locum eius ſubſtituit, Tyberiumq; filium ſuum regni conſortem fecit. Conſtantino etiam Papa accerſito ac honorificè ſuſcepto, culpas ei ſuas humiliter confitetur, ac poſtmodum omnibus ſanctæ Romanæ eccleſiæ priuilegijs renouatis, eum cum honore remiſit. Porrò collecto milite, Philippicum quem in Ponto relegauerat, comprehendere voluit. Qui ab exercitu Imperator creatus, ſexto ab vrbe regia miliario pugna commiſſa, Iuſtinianum occidit: filiumq; eius fideles Philippici necauerunt.

CAPVT XV.

De principatu Philippici, hæreſiq; eius, & morte.

Philippicus Bardanes.

ANNO ab incarnatione domini DCCXIII, Philippicus remotis à catalogo regum Leontio & Tyberio, qui viuente Iuſtiniano regnum inuaſerant, LXIII ab Auguſto regnauit, in Francia ſolo nomine regnante Dagoberto iuniore, Pipino verò maiore domus, omnem regni honorem habente. Hic amore cuiuſdam monachi incluſi & hæretici, qui eum regnaturum prædixerat, ſynodum pſeudoepiſcoporum conuocat, ac ſanctam & vniuerſalem VI ſynodum reprobat. Cyro quoq; depoſito, ac in monaſterium truſo, Ioannem erroris ſui ſocium, patriarcham in vrbe regia ordinat. Miſit quoq; Conſtantino Papæ de fide ſua literas, quas ille reſpuit. Præterea populus Romanus ſtatuit, ne eius chartæ, vel figuræ reciperentur, vel nomen, vtpote hæretici, inter miſſarum ſolennia recitaretur. Hic dum ſabbato ſancto Pentecoſtes egreſſus à balneo circa meridiem in lecto cubaret, à Rufino ac Theodoro patricio per auream portam egreſſus, comprehenſus, poſt annum, & VI menſes, ex quo regnauerat, excæcatur.

CAPVT XVI.

De imperio Anaſtaſij, auzmentoq;, ac victorijs rei Francorum ſub Carolo ſeniore maiore domus, ac defectu Imperij Romanorum, Anaſtaſioq; clerico facto.

Anaſtaſius ſecundus Imp.

ANNO ab incarnatione domini DCCXIIII, Artemius, qui mutato nomine dictus eſt Anaſtaſius, in die ſancto Pentecoſtes, LXIIII ab Auguſto, Imperator creatur. Hic iuxta quoſdam tribus annis regnauit. Alij verò ſcribunt, vno anno & tribus menſibus, Philippicum verò duobus annis ac IX menſibus regnaſſe. Quam controuerſiam ſcriptores viderint. Anaſtaſius ergo regnum adeptus, miſſis Romam literis, catholicæ fidei defenſorem ac ſexti concilij aſſertorem ſe pronunciauit. Huius diebus Dagobertus moritur rex Francorum: Pipino quoq; maiore domus mortuo, Carolus filius eius regnum Francorum per XXVII annos, regibus adhuc, ſed ſine honore ac vtilitate manentibus, adminiſtrauit. Hic Magni Caroli auus, Reginfridum

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 136:Leibn. Marg. 136, Stück 1, [127] - 109

Caroli maioris domus Francia res gestæ.

regnum inuadere volentem, multis ac grauibus bellis pressit, ac ad vltimum relicta sibi tantùm ad habitandum Andegauensium ciuitate, regno coercuit. Is etiam victis Baioarijs, Alemaniam quoq; , quam Sueuiam dicunt, cum Lantfrido duce eorum subiugauit. Gaschoniam cum Eudone Aquitaniorum duce deuicit. In Saxonia ac Frisia fortia bella gessit. Sarracenorum, qui cum vxoribus ac liberis Aquitaniæ fines ingressi fuerant, CCCLXXXV milia fudit, ex Francis tantùm mille quingentis (Eudone Aquitaniæ duce, in epistola quam beato Gregorio Papæ secundo scripsit teste) amissis. Hic rursùm XX imperij sui anno Gaschoniam ingressus, Eudonem occidit, ac sequenti anno contra filios eius bellum instaurauit. Sarracenos denuò Gallias intrare volentes, iuxta Narbonam deleuit. Qui dum iterum prouinciam capta Arelato vastant, à Leuprando Longobardorum rege, qui filium eius Pipinum, tonsa cæsarie, adoptauerat in filium, petito & accepto auxilio, de finibus eius fugere coguntur. Igitur dum regnum Francorum multis modis sub bellicosissimo principe Carolo augmentaretur, regnum Romanorum, quod ad vrbem regiam translatum fuerat, non solùm ab hostibus, amissis prouincijs imminuebatur, sed & intestinis malis intra se collidebatur. Etenim circa principia principatus Caroli, coniuratione facta, milites aduersus Anastasium, Theodosium creant Imperatorem inuitum. Quo comperto Anastasius in Nicæam se contulit: quem Theodosius conserto prælio vicit, ac clericum factum, postmodum in presbyterum ordinari fecit.

CAPVT XVII.

Quòd & Theodosius successor illius, clericus factus, Leoni Imperium dimiserit: & de inundatione Tyberis.

Theodosius 2. Imp.

ANNO ab incarnatione domini DCCXVII, Theodosius LXV ab Augusto, Imperium sortitus, vno tantùm anno imperauit. Leo enim Orientalium prætor, ciuile bellum parans, filium eius Theodosium in Nicomedia comprehendit. Obea fractus animo Theodosius, consilio Germani patriarchæ ac Senatus, sponte purpura deposita, clericus efficitur. His diebus Tyberis inundans multa ædificia Romæ subruit, duransq; VII dies, ciuibus litaniam agentibus, octauo demum die cessauit.

CAPVT XVIII.

De imperio Leonis Syri, eiusq; impietatibus. De Bonifacio, Pirmenio, Beda, & obsidione regiæ vrbis, morteq; Leonis.

Leo Imp.

ANNO ab incarnatione domini DCCXVIII, Leo natione Syrus, LXVI ab Augusto, imperauit, manente adhuc in Francia Carolo seniore. Hic imagines domini ac sanctorum incendi, & multos impietati suæ resistentes decollari iussit. Inter

S. Theodosia.

cæteros passa fuit virgo Christi Theodosia, cuius vsq; hodie maxima in vrbe regia manet memoria & veneratio. In ecclesia enim sanctimonialium integro corpore humata seruatur, omnibusq; aduenientibus tanquam cœlestis medica, inter manus virginum deportata adhibetur, ac tanquam pro bono omine quoscunq; culcando grauem se præbuerit, habetur. Quod & nuper dum Hierosolymitana expeditio sub Conrado Romanorum, Ludouico Francorum regibus ageretur, nos cum multis alijs experti fuimus. Leo Germanum etiam patriarcham sede sua pellens, Anastasium in locum eius substituit. Qua de causa Gregorius Papa commonito sæpe per literas Imperatore, ac incorrigibili inuento, Italiam ab eius Imperio recedere persuasit.

S. Pirminus. Beda obitus.

Per idem tempus ab eodem pontifice Bonifacius in Germaniam missus, beatus quoque Pirmenius, qui multorum monasteriorum pater extitit, clari habebantur. Reliquiæ sancti Augustini à Sardinia in Ticinum à Leoprando deportantur. Beda etiam venerabilis Anglorum presbyter, multa scripturarum suarum monimenta relinquens, in pace quieuit. His diebus Sarraceni vrbem regiam per triennium obsidione cinxerunt, tandemq; clamantibus ad dominum ciuibus, fame, frigore, pestilentia correpti discesserunt. In vrbe quoq; CCC milia pestilentia perijsse feruntur. Verùm Leo Imperator impius XXIIII imperij sui anno moritur.

Caput

CAPVT XIX.

De imperio Constantini Leonis filij, eiusq; pessimis operibus, morteq; Caroli, ac successione filiorum eius.

ANNO ab incarnatione domini DCCXLII, Constantinus Leonis filius, LXVII ab Augusto, patri in regnum successit. Hic per omnia patrem malicia supergressus maleficijs, ac cruentis sacrificijs, & inuocationibus dæmonum, luxuriæ quoque ac immunditiæ inseruiens, ecclesiamq; dei more antiquorum tyrannorum persequens, tam crudelis ac impius fuit, vt iusto iudicio Dei, tam ob eius, quàm ob patris maliciam, regnum illud nobilissimum imminutum videatur. Anno Imperij eius primo, Carolus Pipini filius moriens, tres filios Carolomannum, Pipinum, & Grifonem reliquit. Horum Grifo, qui minor natu erat, consilio vxoris suæ Schuanehildæ, Vdulionis Baioariorum ducis consanguineæ, occupata Lauduno, fratribus bellum indicit. Qui collecto milite, Laudunum obsidione cingunt, fratremq; in deditionem acceptum, in castello iuxta Aluernam custodiæ manciparunt. *Constantinus Copronymus.*

CAPVT XX.

De bellis filiorum Caroli, fundationeq; Fuldensis monasterij, qualiter vnus monachus factus, alter Pipino fratri rebellans, in pacem sit vocatus.

ANNO ab incarnatione domini DCCXLIII, Pipinus & Carolomannus primò in Aquitania contra Hunaldum eiusdem prouinciæ ducem, procinctum mouent, captoq; castello, quod Lucas dicitur, in loco qui vetus Pictauis vocatur, regnum diuidunt: Carolomanno Austriam, Alemaniam, Thuringiam, Pipino verò Burgundiam, Neustriam prouinciam sortito. Deinde multis prælijs commissis, anno ab incarnatione domini DCCXLVI, cum iam Fuldense monasterium fundari cœperat, Carolomannus aperit fratri suo se seculo abrenunciare velle. Quod sequenti anno ad effectum perducens, & ad Zachariam Romanum Pontificem veniens, ab eo clericus factus, primò in monasterio S. Sylvestri, quod in monte Soracte situm est, monachicum habitum assumpsit. Sed cum multis ex Francia ad se venientibus optata quiete perfrui non posset, ad monasterium S. Benedicti in monte Cassino positum, se contulit, ibiq; reliquo vitæ suæ tempore feliciter conuersatus fuit. Verùm Grifo fratri rebellans, Baioariam electo inde Tassilone duce, occupat. At Pipinus Tassilonem in ducatum restituit, fratriq; XII comitatus concessit: quibus ille non contentus, ad Waifarium ducem Aquitaniæ fugit. *Carolomannus fit monachus.*

CAPVT XXI.

Quod Pipinus pro nomine regio consultum ad Romanum pontificem misit, regnante Hilderico Merouingo.

ANNO ab incarnatione domini DCCLI, cum (vt sæpe iam dixi) regibus Francorum solo nomine regnantibus, maiores domus omnem regni curam administrarent, Pipinus qui hanc dignitatem per successorem acceperat, Burchardum Herbipolensem episcopum, & Folradum capellanum suum, ad Zachariam sciscitandi gratia misit. Pontifex ergo, melius esse, vt ille qui curam omnium haberet, rex diceretur, quàm qui solùm nomen regis gereret, remandauit. Eo tempore Hildericus ex antiquorum Francorum regum, qui à Meroueo, Clodij filio, Merouingi dicebantur, sanguine descenderat, inane (vt suprà dixi) regium nomen tenebat.

CAPVT XXII.

Quòd reuersis nuncijs auctoritate Papæ Pipinus ad regnum eligitur, & quòd Stephanus successor Zachariæ pro persecutione ad regem venit.

Corona Gallia Merouingis adempta.

IGITVR anno ab incarnatione domini DCCLII, reuersis à Roma nuncijs, auctoritate Zachariæ Papæ, Pipinus à beato Bonifacio Moguntino archiepiscopo, alijsq; regni principibus in Suessiona ciuitate ad regnum eligitur. Anno sequenti Zacharia defuncto, Stephanus Papa successit. Is cùm multa ab Aistulfo Longobardorum rege pateretur, Pipino ab expeditione Saxonum reuertenti, vbi & nuncium de fratris sui morte Griphonis habuit, in villa quæ Carisius dicitur, occurrit, eumq; vt sanctæ ecclesiæ suæ Romanæ succurreret, rogauit.

CAPVT XXIII.

Quòd Pipinus cum cæteris Francorum primoribus à sacramento absoluitur, & in regem vngitur, & de ciuibus Christi, qui hoc tempore erant.

Carolingorum antiquitas.

N B.

ANNO ab incarnatione domini DCCLIIII, Pipinus à Stephano Papa primò à fidelitatis sacramento, quod Hilderico promiserat, cum alijs regni Francorum primoribus absoluitur: ac detonso Hilderico, & in monasterium detruso, postmodum in regem vngitur. Hic Merouingorum regno finito, Carolingorum, per quod etiam Constantinopolitanum minuendum erat, cœpit. Ex hoc Romani pontifices regna mutandi auctoritatem trahunt. Pipinus igitur re prius, exhinc nomine, simul ac re, regnum Francorum gubernauit. Huius diebus floruerunt clarissimi regni Christi principes, Bonifacius prædictus Moguntinus archiepiscopus, Virgilius Iuuauiensium præsul, Corbinianus Frisingensis ecclesiæ antistes, & alij quàm plures.

CAPVT XXIIII.

De beato Corbiniano.

Legenda Corbiniani Frisingensium præsulis.

SEd quia beati Corbiniani mentionem fecimus, cuius locum indigni tenemus, tanti viri gesta omnino silentio præterire, inconueniens arbitramur. Hic Waldegiso patre, ac matre Corbiniana, claris ad seculum parentibus generatus, in ipsa etiam pueritia diuinam gratiam, quam postmodum plenè accepturus erat, prælibauit. Etenim mundi non detentus illecebris, de cuncta parentum substantia solo victu & vestitu contentus, in cellula quam sibi construxerat, habitauit. Vindemiarum autem tempore, dum quidam vini primitias ei obtulisset, musti feruescentis impetus, spinam vasis excussit. Sed vir dei regulare silentium nolens violare, famulis quidem hoc indicare distulit, orationibus tamen vinum, ne inutiliter efflueret, cohibuit. Cum verò fide & virtute qui altiùs proueheretur, dignus esset, à beato Gregorio vrbis Romæ episcopo, præsul ordinatus, ad gentes destinatur. Igitur per vallem Tridentinam rediens, ac Baioariam ingressus, à Tassilone duce, eiusq; filio Theodone, benignè susceptus, monte Frisingen accepit: vbi primò ecclesiam, quæ vsque hodie cernitur, in honorem beati benedicti construxit, ac monachorum ibi sacrum conuentum adunauit. Est autem mons idem in pulcherrimo & amœnissimo loco positus, limpidissimarum aquarum, ac præcipuè Isaræ rapidissimi fluuij cursu conspicuus, totam illius regionis faciem, & ex Australi plaga latissimam campi planitiem, tanquam è specula longè, lateq; contemplans. Hic illis diebus syluis circumseptus, quasi venatorum specula fuisse traditur. Manent & adhuc syluarum in plano inter harundineta vestigia, scilicet antiqui trunci, ceruorum quoque vsque hodie, ac capreolarum multitudo copiosa. Ex septentrionali verò plaga, adhuc sylua non mediocris, quæ Forestus vulgò dicitur, ædibus ac igni plurimùm ciuitati vtilis, superstes cernitur. Contigua quoque monti terra ex Austro Isara, ex Aquilone Ambra fluuijs inclusa, in sinum quendam fertilissimum, ad quatuor Teutonica miliaria protenditur. In fine cuius, vbi prædicti amnes confluunt, locus, qui Mosenburga dicitur, pulcher valde & delectabilis, in beati Castuli ecclesia congregationem clericorum habens, positus cognoscitur. Beatus ergo Corbinianus Frisingensem ecclesiam plurimis honoribus ac possessionibus locupletauit, ac sanctissimæ vitæ documentis informauit. Fertur de eo, quòd quadam vice dum pro ecclesiæ necessitate Romam pergeret, vrsus saginarium suum occiderit, cui vir dei capto saginam imposuit, & vt

Frisingensis montis Typographia.

Miracula Corbiniani.

& vt eam deferret præcepit, ac verbum dei omni gladio penetrabilius effectum, indomitam beſtiam mandatis viri dei obtemperare coegit. Eodem itinere ſocijs in loco deſerto fame laborantibus, aquila ſubitò piſcem detulit, cuius eſu cuncti qui aderant, cum ſtupore & admiratione refecti & exhilarati ſunt. Alio tempore ad regem Pipinum iter faciens, latronem ſuſpendio adiudicatum, dum precibus à iudice liberare non valeret, ſigno crucis muniuit, profectusq; ad regem, reum illum iam ſuſpenſum, ſiue viuum, ſiue mortuum ſibi donari poſtulat, & impetrat: celeriterq; reuerſus illum triduanum in patibulo viuum repertum, illæſum depoſuit, & correctum abire permiſit. His, alijsq;, quæ longum eſt exequi, virtutibus, virtutumq; miraculis, iſte vir dei præfatam eccleſiam primus irradiauit antiſtes.

CAPVT XXV.

Quòd Pipinus rogatu Stephani in Italiam ingreſſus ſit. De morte Bonifacij, rurſumq; ingreſſu Pipini in Italiam. De legatione Conſtantini ad Pipinum. De bellis varijs Pipini, morteq; eius.

ANNO ab incarnatione domini DCCLV, Pipinus rex rogatu Stephani Papæ contra Aiſtulfum Longobardorum regem procinctum mouens, Italiam ingredi diſponit. Cui dum Longobardi in arctis locis montium obſiſterent, cæſis multis, magno labore clauſtra penetrans, in plano reſedit. Porrò Aiſtulfus Papiam ſe contulit, quem Pipinus tamdiu circundedit, donec receptis XL obſidibus, ac iureiurando interpoſito, ne amplius Romanam eccleſiam infeſtaret, obſidione ſolueret, Stephanoq; pontifice cum militia Francorum honorificè ad ſedem propriam remiſſo, ipſe ad propria remearet. *Pipinus Longobardos domat.* Hoc anno beatus Bonifacius archiepiſcopus, qui (vt aiunt) terminos epiſcopatuum Baioariæ, ſicut hodie manent, diſtinxit, Fuldenſeq; cœnobium fundauerat, ac multa eccleſiæ dei profutura opera, tam in Gallia quàm in Germania patrauerat, verbum vitæ prædicans, à Freſonibus martyrio coronatur. *S. Bonifacius.* Anno ſequenti cum Aiſtulfus ea quæ laudauerat, irrita faceret, Pipinus eum denuò Papiæ obſeſſum, promiſſa implere compulit. Inſuper etiam Rauennam cum alijs plurimis Italiæ vrbibus, beato Petro deſignauit, ipſeq; reuerſus eſt in Gallias. *Rauenna ad Romanam eccleſiam.*

Anno dehinc proximo cum iam (vt ſæpe dixi) Francorum regno creſcente, Romanum decreſceret, Conſtantini Auguſti nuncij Pipino munera deferentes, ad eum apud Compendium veniunt. Taſſilo quoq; Baioariorum dux, illò cum maioribus ſuæ gentis veniens, regi, filijsq; ſuis fidelitatem ſacramento promiſit. *N B.* Sequenti anno rex graui ac laborioſo bello Saxones deuicit, eoſq; tributarios fecit. Non multo pòſt elapſo tempore, contra Waifarium Aquitaniæ ducem, eò quòd eccleſias ſui iuris infeſtaret, militem inſtaurat, acceptisq; ab eo obſidibus, reuertitur. His diebus beatus Othmarus in inſulam Reniſtein relegatus, migrauit ad dominum. *S. Othmarus.* Pipinus Waifarium adhuc rebellantem, multis ac grauibus bellis preſſit. Taſſilo etiam Baioariorum dux, poſtpoſita fide, auunculo ſuo Pipino rebellare attentat. Difficilia & periculoſa hæc tempora, duobus fortiſſimis ducibus, Aquitaniæ ac Baioariæ regi rebellantibus fuere. Ea tempeſtate Turci à Caſpijs portis egreſſi, cum Auaribus multis vtrobique profligatis, conſlixere. Igitur Pipinus multis ac varijs bellis patratis, ad vltimum Waifarium interfecit, ac non multo pòſt in reditu Turonis infirmatus, & inde Parrhiſios deportatus, anno ex quo in regem vnctus eſt XIIII, ex quo verò principari poſt mortem patris cœperat, XXVI, diem obijt, duos relinquens filios, Carolum & Carolomannum.

CAPVT XXVI.

De regno Caroli, varijsq; bellis eius contra Aquitanicos & Saxones, ingreſſuq; eius in Italiam, morteq; Conſtantini Auguſti.

ANNO ab incarnatione domini DCCLXIX, imperante adhuc Conſtantino, Carolus diuiſo cum fratre regno, regnare cœpit. Hic primò Hunaldum, qui occiſo Waifaro bellum in Aquitania renouabat, ad Lupum Gaſchonum ducem fugauit. Poſt quem tam ipſum, quàm Lupum in deditionem accepit, & ſequenti anno in

Vormacia generalem curiam celebrans, orationis causa limina apostolorum visitare disponit. Tertio regni sui anno, Carolomanno fratre suo mortuo, vxoreq; illius cum filijs ad Desiderium Longobardorum regem fugiente, Carolus solus regnans, cum exercitu Saxoniam ingreditur, omnibusq; ferro ac igne vastatis, acceptis obsidibus, reuertitur. Dehinc rogatu Adriani Papæ Italiam ingreditur, & desiderium Longobardorum regem Ticini obsidione inclusit, ibiq; dimisso exercitu, Romam orationis gratia pergit. Inde reuersus, vrbem fatigatam ad deditionem compulit, regemq; captiuum abduxit. Inter hoc Saxones absentia regis elati, fide posthabita, contigua terræ suæ loca populantur. Porrò rex subacta Italia, reuersus in Franciam, tripertito ordine militum Saxoniam ingreditur, incendijsq; vastata terra, prædam immensam diripuit, & non multo pòst regressus, denuò ab eis obsides accepit. His diebus Constantinus persecutor, XXXV imperij sui anno mortuus est, eiq; filius suus Leo successit.

Longobardi à Francis sub iugum acti.

CAPVT XXVII.

De imperio Leonis, morteq; eius, & item de victorijs Caroli contra Saxones.

Leo 4. Imp.

ANNO ab incarnatione domini DCCLXXVI, Leo LXVI ab Augusto Imperium accepit. Hic primò visus est mitior, vnde & principes filium eius Imperatorem postulant. Per idem tempus Saxones more suo non semel, sed sæpe pactum mentientes, Carolus diuersis prælijs pressit, ac plurimis ex eis fidem Christianam accipere persuasit. Porrò Leo Imperator V imperij sui anno moritur.

CAPVT XXVIII.

De principatu Constantini, & patriciatu Caroli.

Constantinus Leonis F. Cæsar.

ANNO ab incarnatione domini DCCXXXI, Constantinus filius Leonis, LXVII ab Augusto, patri in regnum successit. Huic Caroli filia desponsata, à matre sua alij copulatur. Anno imperij eius primo, Carolus rex Romam veniens, ab Adriano Papa honorificè susçipitur: ibique sancto Paschate celebrato, Pipinus filius eius in regem Italiæ, & alius, Ludouicus scilicet, in regem Aquitaniæ ab eodem pontifice vnguntur: ipse verò acclamante populo vniuerso, Patricius Romanorum appellatur. Misit etiam Adrianus Papa nuncios ad Tassilonem, qui eum de fidelitate regis monerent.

CAPVT XXIX.

De Tassilone duce, qualiter monachus factus sit, & de excæcatione Constantini, imperioq; matris suæ Hyrene.

CIRCA idem tempus rege Paschа domini celebrante *Inglinheim*, Tassilo cum maioribus gentis suæ venit: vbi dum accusatus à Baioarijs fuisset, quòd regi non seruasset fidem, quinimò Auares, id est, Pannonios ad vastandum regnum induxisset, cum de his & alijs huiusmodi conuictus fuisset, maiestatis reus, ac capitali sententia plectendus iudicatur. Rex tamen misericordia motus, in monasterio Laureacensi, quod ipse construxerat, eum monachicum habitum assumere, ac de peccatis pœnitentiam agere permisit. Constantinus verò consilio matris suæ Hyrene, vt aiunt, cæcatus, non multo pòst, XIIII imperij sui anno, diem obijt: regnauitq; post eum mater sua V annis, digna cuius diebus Orbis imperium, quod in manus fœminæ non dignè deuenerat, ad Francos transferretur.

Irene imperatrix.

CAPVT XXX.

Quòd Leo Papa malè à Romanis tractatus, Carolum ad Vrbem vocauerit, ipseq; de obiectis se purgauerit.

ANNO ab incarnatione domini DCCXCIX, Leo Papa, qui Adriano successerat, in litania maiore, à Romanis flagitiosissimè, ita vt oculi eius eruti viderentur,

tur, tractatur: qui ad regem Carolum veniens, euentum rerum deplorat. Igitur Carolus victoriosissimus, qui iam subiugatis sibi Baioariis, Aquitanis, Saxonibus, Danis, Nortmannis, Britannis, Pannoniis, multisq; aliis prouinciis regnum Francorum plurimùm dilatauerat, dignus qui altiùs proueheretur, Papam vlturus ad Vrbem tendebat. Cui pridie quàm Vrbem intraret, Leo ad duodecimum lapidem occurrit, eumq; honorificè susceptit. Mane facto Vrbem ingressus, à pontifice, ac cuncto populo susceptus, in ecclesiam beati Petri inducitur. Pòst septem diebus transactis, rex concione facta, causam aduentus sui exponit. Leo quoque, cui æmuli sui magnum crimen imposuerant, nemine cogente, ex bona conscientia de obiecto crimine coram omnibus supra sacrosancta euangelia se purgauit.

CAPVT XXXI.

Qualiter Carolus assumpto pontifice totoq; populo Augustus vocatus, Imperium à Græcis ad Francos transtulit sub Hyrene. De iudiciis eius quæ fecit, & legatione Hyrene. Itemq; de legatione Nicephori Imperatoris, muneribusq; regis Persarum.

ANNO ab incarnatione domini DCCCI, ab Vrbe condita M. DLII, Carolus rex, xxxiii regni sui anno, à summo pontifice, ablato Patricij nomine, coronatus, omni populo tunc acclamante: *Carolo Augusto, à deo coronato, magno & pacifico Romanorum Imperatori, vita & victoria*, LXIX ab Augusto, Imperator & Augustus vocatur. Exhinc regnum Romanorum, quod à Constantino vsque ad id tempus in vrbe regia, scilicet Constantinopoli, fuit, ad Francos deriuatum est. Augustus ergo conuocatis ciuibus, habita ratione super his, qui in pontificem sacrilegij rei fuerant, capitali sententia damnatos, interuentu prædicti Papæ ad pœnitentiam conseruatos, tantùm in exilium trusit. Porrò Hyrene Constantinopolitana Imperatrix, missis legatis ad Carolum, pacem inter Græcos & Francos firmari rogauit. Cum quibus Imperator missis nunciis, Hyrenem in vxorem postulauit. Quod dum illa annuisset, Aëtius patricius votum reginæ impediens, manentibus adhuc in vrbe regia legatis Caroli, Nicephorum fratrem suum Imperatorem fecit, eamq; in monasterium trusit. Nicephorus ergo rex factus, cum legatis Imperatoris Apocrisiarios suos misit, fœdusque literis ac nunciis mutuò firmauere. Rex quoque Persarum muneribus Imperatorem honorauit.

Carolus Magnus orbis occidui Imperator.

Nicephorus Orientis Imperator.

CAPVT XXXII.

De morte Nicephori, substitutioneq; Michaelis, ac renouatione fœderis inter duos Imperatores: itemq; depositione Michaelis, morteq; Caroli. Breuis epilogus de gestis eius.

ANNO ab incarnatione domini DCCCXII, Nicephorus imperator, à Bulgaris publico congressu necatur, eiq; in regno gener suus Michael substituitur. Hic nuncios Caroli ad antecessorem suum missos, honorificè dimisit: suosq; cum eis ad Augustum destinans, fœdus pacemq; cum eo renouauit. Is etiam dum contra Bulgaros exercitum ducit, non prosperis vsus successibus, reuertitur, depositoq; regno, monachus efficitur, succedente sibi Leone, filio Bardi patricij. Igitur Carolus regno Romanorũ ad Francos translato, dum multa forriter ac feliciter bella gereret, regnumq; multipliciter dilataret, XLVI regni sui anno, subactæ verò Italiæ XLIII, imperij XIIII, in palatio Aquisgrani, vbi ipse ecclesiam miri operis in honorem S. Mariæ semper virginis construxerat, sedemq; regni constituerat, LXXII ætatis suæ anno, diem obiit, ac in eadem ecclesia humatur. Cæterùm actus eius, & bella quæ gessit, de ponte quoque quem vltra Rhenum fecerat Moguntiæ, de palatiis etiam quæ Nouiomagi, Ingelheim, aliisq; regni locis opere regio construxerat, qui scire vult, legat historiam eius, & gesta à multis descripta. Erat autem (vt quidam de ipso ait) corpore amplo ac robusto, statura eminente, apice capitis rotundo, oculis prægrandibus ac vegetis, naso paulùlum in mediocritatem excedenti, canicie pulchra, facie læta & hilari, eloquentia copiosus & exuberans, in cibo & potu temperans, sed in potu temperantior. Huius virtute regnum Francrorum plurimùm augmentatum est, omniumq; regnorum

Caroli M. obitus & prosopographia.

Amplitudo Imperij Caroli. maximum, Romanum ſcilicet, ab Oriente ad Occidentem tranſlatum. Regni verò terminus à Bulgaris, ſeu Illyrico vſque ad Hiſpanos, à Danis vſq; ad Calabros, exceptis adiacentibus regionibus, vtpote Bohemia, Polonia, Dalmatia, Hiſtria, Venetia, Britannia, aliisq; prouinciis, quæ modo duo regna Romanorum & Francorum, excepta Pannonia, eſſe noſcuntur, fuit.

CAPVT XXXIII.

De principatu Ludouici, & Leone Papa: itemq; de Stephano, qui Imperatorem coronauit. De filiis Imperatoris, factioneq; Bernardi, ac exitu.

Ludouicus Pius Imp. ANNO ab incarnatione domini DCCCXV, Ludouicus Caroli filius, quem ipſe adhuc viuens ſucceſſorem ordinauerat, Auguſtumq; vocauerat, morte patris comperta, ab Aquitania ad palatium Aquiſgrani veniens, cõſenſu omnium rex creatus LXX ab Auguſto imperauit. Anno regni eius primo, delatione quorundam comperit, primates regni aduerſus Leonem Papam conſpirantes, iuſſu pontificis interfectos fuiſſe. Ad quod perſcrutandum vocatum ad ſe nepotem ſuum Bernardum Italiæ regem, Romam miſit. Qui in Vrbe informatus, rei euentum per Heroldum comitem Auguſto mandauit. Leo quoque miſſis ad Imperatorem nunciis, de his quæ ſibi impoſita fuerant, ſe expurgauit. Non multo pòſt tempore defuncto Leone, Stephanus ſubſtituitur. Hic ſtatim poſt conſecrationem ſuam, miſſis ad Imperatorẽ nunciis, qui eius animum lenirent, eumq; ad ſe venturum prædicerent, iter eorum in Gallias ſubſequitur. Cui Imperator Remis occurrens, eum honorificè ſuſcepit. Papa ergo celebratis ex more miſſarum ſolenniis, diademate coronatum, Romanorum Imperatorem pronunciauit Ludouicum. Hunc annum quo à Romano pontifice coronatus eſt, regni ſui alij ſecundum, alij ſeptimum dicunt. Imperator poſt hoc generalem curiam Aquiſgrani celebrans, primogenitum ſuum Lotharium Imperij ſocium legit. nam alios duos Carolum & Ludouicum reges vocatos, vnum Aquitaniæ, alium Baioariæ præfecerat. Non multo pòſt Bernardum Italiæ regem, cum regni ſui ciuitatibus aduerſum ſe coniuraſſe comperit. Contra quem dum procinctum mouet, fractus animo Bernardus, apud Gabilonem Imperatori ſe tradidit. Porrò Imperator Aquiſgrani ad palatium veniens, ibiq; ſanctum Paſcha celebrans, habita de his qui coniurationis rei fuerant, quæſtione, iudicio curiæ capitali ſententia damnatos, vnà cum rege ſuo luminibus tantùm orbari fecit. Non deſunt tamen, qui dicunt Imperatorem Bernardum dolo captum, primò oculis, ac pòſt vita priuaſſe.

CAPVT XXXIIII.

De promotione Lotharij à Paſchali, nunciisq; Bulgarorum, ac morte Ludouici.

Lotharius Imperator. ANNO ab incarnatione domini DCCCXXII, Imperator filium ſuum Lotharium in Italiam deſtinauit, ipſe verò dum in oppido Francofurt curiam celebraret, inter cæteros barbarorum legatos, duo fratres pro regno Wilſorum contendentes veniunt, quos Auguſtus ſibi ſubiectos, & fidelitate aſtrictos, deciſa lite ad propria remiſit. Verum Lotharius ordinatis rebus in Italia, dum ad patrem redire parat, à Paſchali Papa ad Vrbem inuitatur: vbi honorificè ſuſceptus, ac in die S. Paſchæ ab ipſo coronatus, Imperatoris & Auguſti nomen ſortitur. Iiſdem diebus Imperatore Aquiſgrani conuentum celebrante, nuncij Bulgarorum pro cõſtituendis terminis venerunt. Igitur Ludouicus Imperator propter mala opera vxoris ſuæ Iudith, regno (vt dicitur) pulſus, ac poſtmodum reſtitutus, XXVI imperij ſui anno diem obiit extremum.

CAPVT XXXV.

De inteſtina pugna trium fratrum, diuiſioneq; regni Francorum.

ANNO ab incarnatione domini DCCCXLI, dum Lotharius reuerſus ab Italia regnare intentat, mortuo patre, fratres eius Carolus & Ludouicus grauiter ferentes, ſi regno paterno priuari deberent, fratri bellum indicunt. Igitur cum regnum Franco-

Francorum, ad quod post innumeras (quas suprà dixi) mutationes regnum Romanorum deuenerat, cum & ipsum ad ostendendas mortalium miserias, ac instabiles mundi rotatus, auctor omnium Deus, in illo ad quem profecerat statu, manere nollet, in seipsum miserabiliter diuidi, ac per hoc desolari & imminui permisit. Proinde contractis vndecunq; regni viribus, fratres prædicti apud Fontoniacum conueniunt, acerrimeq; pugnantes, ita in hoc bello ex vtraque parte regni vires imminutæ feruntur, vt ex hinc fortissimi omnium Franci, non solùm terminos suos non dilatare, sed & parta vix conseruare potuissent. Lachrymabili ergo pugna inter fratres acta, cruenta tandem victoria Carolo & Ludouico cessit, ac ob hoc conuentione facta, diuidunt imperium. Hac diuisione Carolo Occidentalia regna, id est, à Britannico mari vsque ad Mosam, Ludouico Orientalia, id est, omnis Germania vsque ad Rhenum cesserunt. Lothario verò media pars, id est, Belgica Gallia (quæ ex eius nomine Lotharingia vsque hodie vocatur,) cum Romano Imperio sorte deuenit. Exhinc diuiso regno, regna modò duo, Orientale ac Occidentale, quorum alterum partem Ludouici ac Lotharij, sedemq; regni Francorum, palatium Aquisgrani, ac imperium vrbis Romæ habet: aliud verò Occidentale, quod adhuc Francorum, eo quòd istud Romanorum vocatur, appellatum, partem Caroli tenet, inueniuntur.

Regnum Francorum in duo scissum.

CAPVT XXXVI.

Exclamatio, & excursus contra volubilitatem rerum.

CONSIDERARE dei iudicia, mundiq; volubilitatem, etiam nolentes compellimur. Ecce enim, vt suprà dixi, in modum cœli, quod ab Oriente in Occidentem vertitur, simul cum tempore res mundanas, rerumq; potestates volui cernimus. Et ne putaremus mortales res in aliqua mundi parte statum inuenisse, ibi etiam defectũ eas pati, ac more febricitantis (sicut in Iob habes: *Noctem verterunt in diem:* & rursum, *Post tenebras spero lucem.*) quocunque se verterint, nihil stabilitatis habentes, dolores ac labores reperisse conspicimus. Nónne videtur tibi more (vt dixi) febricitantis, mundialis dignitas volui ac reuolui? Febricitantes enim spem quietis in alteratione situs ponunt, ideoq; crebris reuolutionibus quando torquentur, se iactant huc & illuc. Ita nimirum potestas temporalis à Babylone deuoluta ad Medos, inde ad Persas, pòst ad Græcos, ad vltimum ad Romanos, & sub Romano nomine ad Francos translata est. Vbi dum, tanquam firmam sedem fixisset, mansura videretur, tot malis (vt superius patet) subiacere cepit, vt meritò cum Iob dicere possit: *Cum ad diem venero, nocturnis cruciatibus fatigatus noctem præstolor: quam dum tenuero, maioribus doloribus affectus rursum diem venire exopto.* Deniq; armis experientissimi Franci, cum regni terminos plurimùm dilatassent, mundiq; caput Romam ad suam ditionem transfudissent, cum iam omnibus gentibus horribiles facti essent, & inexpugnabiles viderentur, in seipsos non solùm ciuiliter, sed & intestinè, fratribus auctoribus, diuisi, regnum quod ab Oriente in Occidente, tanquam fugiens statum & requiem inuenisse putabatur, desolandum fore iuxta Euangelium, benè præsagiebant. Ex his ergo liquet, nullam caducis rebus fidem habendam, nec in se labentem alium quemlibet sibi inniti volentem, sustentare posse. Vnde aptè propheta ait: *Maledictus qui spem suam ponit in homine, & qui ponit carnem brachium suum.* Quomodo enim te sustentabit, qui stare non potest? Vel qualiter te confirmabit, qui in se infirmus est? Cum ergo mundus transeat, & concupiscentia eius, ab ipsa migrandum ad Deum viuum, qui immobilis & incommutabilis manet, ad eiusq; beatam & æternam ciuitatem quis dubitauerit? Igitur omnibus regnis mundi imminutis, cum & Francorum, qui vltimi Romam habere meruerunt, ex quo diuisum est, minoratum apparet regnum, nos qui ad ostendendas rerum mutationes res gestas scribimus, hac regni mutatione tanquam sufficienti argumento ad regni cœlestis immutabilitatem missi, huic quinto Operi finem imponamus.

Iob. 17.

Ierem. 17.

LIBRI QVINTI FINIS.

OTTONIS FRISINGENSIS EPISCOPI CHRONICORVM LIBER SEXTVS.

PROLOGVS.

Psal. 103.

BEATVS *propheta mundi instabiles ac miserabiliter fluctuantes circuitus contemplans, mariq; eos potissimùm comparandos æstimans*; Hoc (*inquit*) magnum & spacioſum, illic reptilia, quorum non est numerus. *Nónne tibi videtur mundus in modum maris inhærentibus sibi procellosis temporibus, tanquam tempestatum fluctibus, interitum minari? Et quid aliud homines pro caducis honoribus decertantes, quàm reptilia maris dixerimus? Vbi minores à maioribus, inferiores à potentioribus ſorberi, ac ad vltimum ſeipſos, cum materiam non inuenerint, diſcerpere conſpicimus. Vnde illud:*

In ſe magna ruunt.

Hæc omnia prudens lector inuenire poterit in huius historiæ serie. Ciues ergo Christi non more reptilium salo mergi, vel infidis eius procellis improuidè se credere, sed naui, id est, ligno crucis fide nauigare, manuq; per dilectionem operando exercere in præsenti oportet, vt per huius vitæ viam, ad portum patriæ securi valeant peruenire. Qualiter verò regnum Francorum tam miserabiliter diuisum, non solum Romanum Imperium, sed & partem Franciæ ac Galliæ cum palatio Aquis perdiderit, in hoc dicendum Opere restat.

OTTONIS CHRONICORVM LIBER SEXTVS.

CAPVT I.

De imperio Lotharij & Michaelis, regnoq; Caroli, ac monachatu Imperatoris, diuisioneq; regni inter filios.

Lotharius Imperator.

IVISO Francorum regno, Lotharius cui (vt dixi) cum Lotharingia Romanorum Imperium deuenerat, LXXI ab Augusto imperauit. Theophilo mortuo, filioq; eius Michaele apud Græcos in vrbe regia imperante, Nortmanni per mare, Ligerim intrantes, ciuitatem Nannetis irrumpunt, ac in sancto sabbato Paschæ episcopum ex more generali baptismum celebrantem, cum clericis interficiunt, ac inde circumquaque diffusi, cunctam ferro flammaq; vastantes prouinciam, Andegauensem quoque ac Turonensem occupantes ciuitates, beati Martini ecclesiam cremare non verentur. Eo tempore Carolus, cui (vt suprà dixi) Occidentalia regna in diuisione cesserant, Pipinum Aquitanię regem cepit, ac episcoporum consilio tonsum, monachum Suessione in monasterio S. Medardi fecit. Porrò Lotharius Imperator tribus filiis suis regnum, quod eum contigerat, partitur, Ludouico Italiam cum nomine Imperatoris, Lothario Lotharingiam, Carolo Prouinciam tradens: ipse verò ordinatis omnibus in Prumensi monasterio, XVI imperij sui anno, post mortem patris sui, monachus efficitur. Vide ad quantum defectum Romanum Imperium deuenit, vt in tres partes Francorum regno diuiso, tertiæ partis tertia pars fuerit.

Nortmannorum grassationes.

CAPVT II.

De imperio Ludouici & Basilij, & coniugio Lotharij, ac controuersia pro regno Caroli. De victoria Ludouici, & pugna Caroli cum Britonibus. De Noemeticio rege Britonum, & Herispeo.

ANNO

ANNO ab incarnatione domini DCCCLV, Lothario deponente militiæ cingulum, priuatumq; habitum assumẽte, Ludouicus filius suus sereniſſimus, LXXIII ab Augusto, imperium suscepit. Basilio, qui Michaelem iam occiderat in vrbe regia, regnante, Lotharius cui regnum Lotharingiæ deuenerat, *Thiebirgam sororem abbatis Hucberti sibi sociauit. Non multis pòst diebus Carolus, qui Prouinciam in diuisione regni acceperat, moritur. Vnde inter Lotharium fratrem, patruumq; suum Carolum controuersia oritur. Lotharius Hucberto abbati fratri reginæ, ducatum inter Iuram & montem Iouis commisit. Portò Ludouicus senior Orientalis Franciæ rex, aduersus Sclauos multa fortiter bella gessit, captumq; principem eorum Rastum luminibus priuauit.

Ludouicus II Imp.

** al. Thietbergam.*

His diebus in regno Caroli principibus suis mutuis inter se vulneribus cadentibus, Britones tanquam destitutam terram irrumpunt, ac transmisso Ligeri, Pictauis vsq; ferro flammaq; cuncta vastantes progrediuntur: & sic Francorum spoliis ditati, ad propria reuertuntur. Itaq; Carolus conductis precio Saxonibus, Britones bello petit. Nec mora, commisso prælio, Saxones in prima acie positi, territi spiculis hostium, terga vertunt. Deinde discursantibus hac illacq; Britonibus, Francisq; ob antiquæ fortitudinis genuinam virtutem viriliter dimicantibus, multis ex vtraq; parte cæsis ac vulneratis, noctis præsidio bellum dirimitur. Manè facto, dum rursus pugna conseritur, Carolus fugiens, suis etiam fugiendi præbuit exemplum. Quo viso, Britones castra Francorum cum clamore irruunt, captisq; & occisis plurimis, ac papilionibus eorum cum aliis spoliis ablatis, reuertuntur. At Carolus Roberto viro forti, ob hanc molestiam inter Ligerim & Sequanam ducatum, ad domandos Britones dedit.

Britonum apud Francos latrocinia.

His diebus Noemeticius rex Britonum, dum multis modis ecclesiam dei persequitur, videt in visione beatum Maurelionem, Andegauensem episcopum sibi occurrentem, dicentemq;, vt ab oppressione cessaret ecclesiarum, baculo se percutere. Nec frustratur visu: nam continuò corruens à suis domum reportatur, manifestisq; dei iudiciis vitam simul cum tyrannide finiuit, eiq; filius suus Herispeus in regnum succeſſit. Carolus rursum aduersus Britones bellum instaurarat, parumq; proficiens, hoc tantum obtinuit, vt datis ex vtraq; parte obsidibus, pacem mutuò firmarent. Dehinc tamen Herispeus rex eorum, sponte ad ipsum veniens, suæ potestati se subiecit, quem multis donatum muneribus, rex ad propria remisit.

CAPVT III.

De causa Lotharij, quomodo pro repudio legitimè à Nicolao Papa excommunicatus fuerit, episcopiq; eius fautores damnati, & ingressu Ludouici in Occidentalia regna, egressiq; Normannorum.

EA tempestate cum iam regno Francorum multipliciter diuiso, ecclesia proficeret Nicolao summum sacerdotium gerente, Lotharius multis modis amore Waldradæ concubinæ suæ, occasionem repudiandi reginam Thiebirgam quærit. Itaque Guntharium Colonienſem archiepiscopum, qui tunc in regno præcipuæ fuit auctoritatis, ad id quod animo conceperat perficiendum, falsa spe, promittens ei, quòd si ab ista liberaretur, neptem suam acciperet, pellexit. Guntharius ascito sibi Treuerorum archipræsule Thiegando, Metis concilium congregat: vocatamq; reginam in medio statuunt, falsisq; productis testibus, inter alia nepharia, de incestu illam conuincunt. Proinde ad voluntatem regis sententia diuortij datur, reginæq; pro commisso scelere pœnitentia iniungitur. Igitur rex desiderata potitus occasione, conuentu Aquis habito damnationem Thiebirgæ scripto protulit, seq; continere non posse pronunciauit. Consilio Guntharij omnibus acclamantibus, *Melius est nubere quàm vri*, Waldrada producitur, ac regio cultu decorata, comitatuq; famulorum stipata, reginæ nomen sortitur. Sicq; rex dum ea quę mente conceperat, ad effectum produxit, Guntharium quem suæ nequiciæ socium falsis promissionibus fecerat, versutè decepit. Hæc dum ad noticiam domini Papæ Nicolai venissent, religiosus ac dei zelo plenus sacerdos, missis legatis, regem de commisso scelere redarguit, & ad condignam pœnitentiam inuitauit. At legati pecunia corrupti, negocium minimè ad effectũ perducentes, mul-

Lotharius repudiata coniuge concubinam & xorem ducit.

1. Cor. 7.

tis ditati muneribus reuertuntur, dicentes se penè nullum in prędicto regno qui Canones sciret, inuenisse. Quos Treuerorum & Colonienſium præſules ſubſecuti, dum à ſummo pontifice de facto iudicio rationem reddere coguntur, rei inuenti deponuntur: dumq; multis modis ad reſtitutionem ſui laborarent, exules in Italia permiſſa ſibi tantùm laicali communione, moriuntur. Verùm Lotharius poſt crebras admonitiones, poſt violatum ſacramentum, quod ſub præſentia Arſenij epiſcopi, ſanctæ Romanæ eccleſiæ apocriſiarij fecerat, à ſummo pontifice communione priuatur, ex qua
NB. cauſa tam ipſi, quàm toti regno grauiſſimum diſcrimen oritur. Extant de hoc epiſtolę quamplurimæ vtrobiq; miſſæ. Vide iam regno decreſcente, eccleſiam tantæ auctoritatis factam, vt etiam reges iudicet.

Per idem tempus Ludouicus Orientalium rex Occidentalia regna quorundam vocatu principum ingreditur, regniq; terminos occupans, Senonas vſque progreſſus eſt: ſed dum ibi relicto exercitu ad propria rediſſet, & principes qui eum inuitauerant, à Carolo in gratiam recepti fuiſſent, qui remanſerant, fines illos egredi compelluntur. His diebus Hucbertus abbas, frater Thiebirgæ, Lothario diu rebellans, ad vltimum à Conrado comite necatur. Eodem tempore Nortmanni per Ligerim Nannetenſem, Turonenſem, Andegauenſem prouinciam vaſtantes, Robertum ducem occurrentem ſibi, occidunt.

CAPVT IIII.

Quem finem Lotharius fratri ſuccurrere volens, in Italia habuerit, & quomodo poſt mortem eius patrui regnum diuiſerint. De fraude Adelgiſi, circumuentioneq; Imperatoris, ac victoriis eius quas geſſit in Campania, & Lucania. De locuſtis.

His diebus Sarraceni ex Africa venientes, Beneuentanorum regionem, quæ olim Samnium vocabatur, deuaſtant. Contra quos dum Ludouicus Auguſtus vires vndecunque comparat, Lotharium fratrem ſuum in auxilium inuitat. Qui collecto milite, Italiam ingreſſus, prauorum operum ſuorum pœnas multipliciter ſoluens, tam ex inſueto calore, quàm aranearũ morſibus, multos de exercitu ſuo perdidit. Poſt hoc Romam veniens, ab Adriano pontifice, qui Nicolao iam ſucceſſerat, honorificè ſuſcipitur, ac ab ipſo ſi monitis prædeceſſoris ſui Nicolai obtemperauerit, ſubtiliter exquiritur. Ille dum cum omnibus qui ſecum venerant principibus, ſe benè iniuncta ſeruaſſe falsò affirmaret, corpus dominicum ſub atteſtatione cõſcientiæ ſibi, ſuiſq; tradidit. Fertur quòd ipſo redeunte, omnes qui ficto corde & polluta conſcientia ad menſam
Lotharij regis obitus. domini acceſſerant, infra ſpatium anni mortui fuerint. Lotharius etiam in via morbo correptus, Placentiæ diem obiit. Carolus audiens fratruelem mortuum, regnum eius inuadit. Quod Ludouicus frater eius dum impedire conatur, conuentione facta, prędictum regnum apud Marſanam ex æquo diuidunt, Ludouico palatium Aquis ſortiente. Non multo pòſt elapſo tempore, Adelgiſus Beneuentorum dux, fiducia Græcorũ, Ludouico Imperatori, aſcitis ſibi Samnitibus, Lucanis, Campanis, rebellare parat. Auguſtus contractis vndecunq; copiis, Beneuentum petit bello. Cui Adelgiſus occurrens, fraude circumuentum, muneribus cõciliatum, finibus ſuis egredi perſuadet. Porrò Imperator Campaniam ac Lucaniam peragrans, omnes ciuitates earũ, excepta Capua, abſq; graui negocio cepit, quæ ex quadro lapide extructa, dum non facilè poſſet expugnari, obſidione cingitur, cunctis in circuitu vaſtatis. Capuani deſperatis omnibus, apertis vrbis portis, cum epiſcopo, corpus beati Germani portante, lachrymabiliter ad pedes Imperatoris veniunt, veniamq; poſcentes, miſericordiæ ſuæ ſe committunt. Imperator vt erat piiſſimus, ciues in gratiam recepit, expulſiſq; Græcis, omnes Lucaniæ ac Campaniæ vrbes Romano Imperio reſtituit. Inter hæc Adel-
Inſidiæ Imperatori ſtructæ. giſus dolis iterũ regem circumuenire tẽtat, occurrensq; ipſi, ſuadet vt militem dimittat, regioni parcat, adiiciens, neceſſarium non eſſe regem ſubiectum ſibi inaniter conſumere populum. Rex ad monitum Ducis, omnibus præter paucos ad propria remiſſis, Beneuentum ingreditur, nihilq; perperam ſperans, dum circa meridiem ſtrato cubat, ſubitò à Beneuentanis irruentibus, arma arripere cogitur. Ciues autem cum duce ſuo Adelgiſo palatium incendere volentes, principem pacem petere, ac interpoſito iu-

to iureiurãdo, ne amplius sine voluntate ipsorum fines illorum ingrederetur, promittere cogunt. Imperator hac ignominiosa pactione facta, Romam venit, ibiq; coram summo pontifice Ioanne, qui Adriano successerat, totoq; Senatu causam suam exponit. Proinde Adalgisus à Senatu hostis ac tyrannus pronunciatur, Augustusq; à pontifice auctoritate dei, ac beati Petri, à sacramento, quod nolens & pro conseruanda vita fecerat, absoluitur. Verùm princeps quamuis à sacramẽto liberatus iustè videretur, tamen ad remouendum scandalum, per se ad compescendum tyrannum ire recusat: collecto tamẽ milite, reginam eò destinat. Audiens hoc Adalgisus, ac timore perculsus, in Corsicam insulam fugit, & sic iram principis declinauit. Non multo pòst elapso tempore, locusta innumerabilis cęteris locustis maior ac senas alas habẽs, ab Oriente veniens, Gallias operit, depastisq; vbiq; segetibus, tandem in mari Britannico resedit: vbi à vento raptæ ac in salo mersæ, postquam mari exæstuante, ad littus in immensum cumulum actæ, vicinas regiones fœtore corrupere. NB.

CAPVT V.

Qualiter Carolus rex Occidentalis Nortmannos obsidione clausos, deceptus abire permisit, & quæ mala postmodum ab eis pertulerit.

EA tempestate Carolus Occidentalis Franciæ rex, Nortmannos, qui occiso Roberto, cæterisq; regni primoribus, vbique bacchabantur, cum Britonum auxilio obsidione in Andegauensium, quam occupauerant, clausit vrbe. At Britones videntes totam spem hostium in amne fore, ab alueo eum deriuare conantur. Quo viso, Nortmanni dextras petunt, promissaq; pecunia, regem turpiter obsidionem soluere persuadent. Ipsi verò more suo, sicut sunt inquietissimi, minimè promissa seruantes, per Ligerim Franciam intrabant, multaq; grauiora quàm prius regi faciebant mala. Quanta autem prædicta gens regno Francorum fecerit, ab aliis satis dictum inuenitur. Est enim leuissima & instabilis, nec propriis contenta terminis, gratiosa tamen quocunque venerit, & affabilis. Hæc, vt dixi, Occidentale regnum, sicut & Saxones, qui & instabiles, sed feroces sunt, Orientale semper infestabant.

CAPVT VI.

De morte Ludouici Imperatoris, imperioq; patrui sui Caroli, item Ludouici Orientalis regis: & quomodo Carolus regnum fratris sui inuadere gestiens, à filiis eius victus sit, ipsiq; regnum paternum diuiserint. item de ingressu Caroli in Italiam, morteq; ipsius. De Ludouico Balbo, filiisq; eius, & pugna eorum cum Bosone.

ANNO domini DCCCLXXIIII, Ludouicus suauissimus Imperator diem vltimum clausit, anno imperij sui XIX. Anno eodem patruus eius Carolus senior, Occidentalis Franciæ rex, Romam veniens, à summo pontifice Ioanne, ciuibusq; Imperium pecunia (vt dicitur) obtinuit: regnauitq; LXXIIII ab Augusto. Non multo pòst Ludouicus senior, Orientalis rex apud Franconefurt diem obiit, tres filios relinquens, Carolomannum, Ludouicum, Carolum. Porrò Carolus Imperator, morte fratris audita, regnum Lotharingiæ inuadere nititur, collectoq; milite primò palatium Aquisgrani occupans, Coloniam vsque progreditur. Inter hæc Carolomannus primogenitus Ludouici, Italiam ingressus, Imperium arripere attentarat. Verùm Ludouicus qui patris exequiis interfuerat, Orientalium rex à principibus creatus, regnare iam inceperat. Audiens ergo patruum suum Carolum fines regni intrasse, missa legatione, regno eum cedere monet. Quo non acquiescente, ad pugnam progreditur. Nec mora in pago Meginensi, non longè ab Andernaco iuxta Rhenum pugna conseritur, fusisq; ex vtraq; parte multis, tandem Carolus terga vertere compellitur. Ludouici verò filij conuentione facta, regnum paternum diuidunt, & Carolomannus Baioariam, Pannoniam, Carentanum, Boemiam, Morauiam: Ludouicus Orientalem Franciam, Thuringiam, Saxoniam, Fresiam, Lotharingiam: Carolus Alemaniam, & quasdam ciuitates Lotharingiæ propter vini copiam accepit. Carolus secundus Imperator Romam secundò petiit, indeq; reuersus, ac per Longobardiam iter fa- *Carolus Caluus Imperator.*

ciens, Papiam se contulit. Vbi dum audiret Carolomannum Ludouici fratris sui filium, cum magno exercitu Italiam intrasse, in Franciam redire volens, in via veneno, vt dicitur, anno imperij III interiit. Anno sequenti Ludouicus Caroli iunioris filius, qui vocabatur Balbus, diem vltimum clausit, duos relinquens filios, Ludouicum & Carolomannum: nam tertiũ, qui postmodum Carolus dictus est, mater tunc in vtero portabat. Cuius regni Prouinciam, quam pater eius Carolus Lotharij Imperatoris filius in diuisione sortitus fuerat, Boso, cui Carolus Imperator illam tradiderat, inuadere gestiens, Lugdunum venit: ibiq; à pontifice eiusdem vrbis in regem Burgundiæ vngitur, sed à prædictis adolescentibus Ludouico & Carolomanno arcetur.

CAPVT VII.

De morte Carolomanni, filioq; eius Arnolfo: qualiter frater eius Ludouicus regnum sibi subiecerit, Arnolfo ducatum Carentanæ tribuerit.

ANNO ab incarnatione domini DCCCLXXX, Carolomannus Ludouici filius, cui Baioaria sorte deuenerat, post multos triumphos, quos sub patre, & post patrem peregerat, regniq; terminos plurimùm dilatauerat, paralysi dissolutus moritur, ac in loco Baioariæ, Odingas dicto, sepelitur, relinquens filium ex nobili fœmina, sed non legitima, quem de beati Arnolfi nomine, tanquã Carolorum origine, Arnolfum vocauerat. Hic est Arnolfus, cui postmodum monarchia cessit. At Ludouicus Orientalis Franciæ rex, morte fratris comperta, Ratisponam Boioariæ metropolim adiit, omnesq; terræ illius optimates ditioni suæ subiecit. Arnolfo quoq; ducatum Carentani cum castro MosebURK tradidit.

CAPVT VIII.

De imperio Caroli tertij, irruptione Nortmannorum, morteq; Ludouici, & reditu Caroli imperatoris in Gallias, qualiter omnibus de semine regio mortuis, ipse monarchiam obtinuerit.

Carolus Crassus Imperator.

ANNO ab incarnatione domini DCCCLXXXI, Carolus, qui in diuisione Alemaniam acceperat, in Italiam procinctum mouet, totaq; Longobardia in deditionem accepta, ad Vrbem vsque progreditur, vbi à Ioanne Papa, omniq; populo Imperatoris & Augusti nomen sortitus, LXXV ab Augusto imperauit.

Nortmannorum per Galliam rabies.

Ea tempestate Nortmanni Ludouici regnum per Wal fluuium ingressi, Nouiomagense palatium cremant, ac inde per circumquaq; diffusi, Coloniam, Bunnam, Aquis cum adiacentibus regionibus, vicis & castellis deuastant. Inter hæc rex Ludouicus Franconefurt diem obiit, & in monasterio Laureacensi iuxta patrem humatur. Nortmanni morte regis comperta, securi facti, nobilissimam vrbem Galliarum Treuerim, à Iulio Cæsare quondam subuersam, in ipsa cœna domini irrumpunt, ac ibi vsque ad Pascha morantes, tam ipsam, quàm adiacentem regionem igne consumunt. Quibus dum præfatæ vrbis antistes cum Bertholfo comite occurrit, bello conserto vita priuatur, cæteriq; in fugam vertuntur. Nortmanni præda Francorum ditati, ad classem reuertuntur.

Hæc dum in Galliis geruntur, Carolus III Imperator in Italia morabatur. Principes ergo tam Galliæ, quàm Germaniæ omnes eum precibus pulsant, quatenus ad susciendum paternum regnum, fratre mortuo redeat, patriamq; ab hostium incursione liberet. Qui nihil moratus reuertitur, assumptisq; Longobardis, Baioariis, Saxonibus, Fresonibus, Alemanis, Thuringis, aliisq; compluribus, contra Nortmannos, qui adhuc in regione morabantur, procinctum mouet. Itaque Gotfridum Nortmannorum regem, data sibi filia Lotharij Gisila, cum Fresia prouincia Christianum fecit, de sacroq; fonte suscepit, & sic eum regni finibus cum suis cedere persuasit. Anno sequenti Ludouicus Caroli Occidentalis regis nati filius moriens, ac in monasterio S. Dionysij humatus, fratrem suum Carolomannum hæredem regni reliquit. Hic inter cætera virtutis suæ opera, hoc quoq; memorabile fecit, quòd in bello quodã VIII M. Nortmannorum fudit. Non multo pòst Carolomannus in venatu ab apro percussus

Nortmannus fidem Christi suscipit.

cussus, diem obiit. Occidentales ergo Franci principibus amissis, Carolum Imperatorem, qui tunc solus ex stirpe Carolorum superesse videbatur, vltrò inuitant, ciq; venienti subiiciuntur: vnde multa ac varia cum Nortmannis gessit prælia.

CAPVT IX.

De depositione Caroli, subrogationeq; Arnolfi, morte Caroli, & confusione Romani simul & Gallici Imperij.

ANNO domini DCCCLXXXVII, Carolus Imperator cùm corpore & animo ægrotare cœpisset, principes regni apud Triburias, circa transitum S. Martini, Arnolfum Carolomanni filium, ad regnum trahunt. Et mirum dictu, Imperatorem, qui post Carolum magnum inter omnes reges Francorum maximæ fuit potestatis, in breui ad tantam tenuitatem venisse cerneres, vt panis quoque egens, ab Arnolfo iam rege facto stipendia miserabiliter exigeret, ac ab ipso paucos fiscos in Alemania gratanter susciperet. Vide humanarum rerum miserrimum statum. Rex iste qui in diuisione Orientalis regni acceperat inter fratres minimam portionem, ad tantum primò venit fastigium, vt tam Orientalia, quàm Occidentalia regna cum Romano susciperet Imperio, ad tantam postremò deiectionem venit, vt panis quoque egeret. Dicere hic poterat cum Iob: *Eleuasti me super nubem, & allisisti validè.* Et cum Psalmista: *Eleuans allisisti me.* Quid enim prosperitatem mundi, quàm nubem dixerim? quæ innitentem sibi transeundo citò decipit, leuitate sui acclinantem sustentare nequit. Quanto ergo quis altiùs super nubem leuatur, eò validiùs terræ allisus quassatur. Hic tam miserrimus, & iuxta philosophos, fortunæ in modum rotæ, nunc summa, nunc ima vertentis ludus, secundùm verò rei veritatem, regna mutantis Dei nutu, anceps rerũ status, ad declinandam mundi miseriam, veramq; vitam appetendam nos prouocare posset. Ferunt de hoc Carolo, quòd Christianissimus fuerit. Vnde hæc ei circa finem tentatio ad probationem euenisse creditur. Sequenti enim, ex quo regno pulsus est anno, diem obiit, ac in monasterio Augensi humatus est. Exhinc confusè Romæ regnatum, vsque ad Ottonem inuenitur. Carolo enim mortuo, qui per sex annos Imperauerat, ac septimum priuatè vixerat, Imperium multis modis scinditur: singulis prouinciis singulos reges creare cupientibus, Arnolfo tantùm pars maxima cessit.

Arnolphus Imp.

Iob. 30. Psal. 102.

Imp. Occid. scissum & confusum vsq; ad Ottonem.

CAPVT X.

Quem Itali, quem Franci Occidentales regem fecerint. De Vngaris, & irruptione Nortmannorum.

ITVR Itali super se duos reges Berengarium, Foriiulienſem, & Guidonem Spoletanum ducem reges statuunt. E quibus Berengarius à Guidone patria pulsus, ad Arnolfum profugus venit. Occidentales quoq; Franci Odonem Roberti filium virũ fortem, consensu Arnolfi regem creant. Hic multa prælia contra Nortmannos viriliter gessit. His diebus gens Vngarorum ex Scythia egressa, ac à Pecenatis pulsa, Auaribus electis, Pannoniam inhabitare cœpit. Hæc eo tempore tam immanis, & tam beluina fuisse dicitur, vt crudis carnibus vtens, humano quoq; sanguine potaretur. Quod ne cui incredibile videatur, audiat quòd Pecenati, & hi qui Falones dicuntur, crudis & immundis carnibus, vtpote equinis & catinis, vsq; hodie vescuntur. Valent autem in sagittarum ictibus plurimùm, quibus etiam dorsa vertentes nocere solent. Differunt verò à Britonibus, seu Fresonibus in hoc, quòd illi missilibus, isti sagittis nocent. Per idem tempus Nortmanni Gallias circa Senonas, Parrisios, Trecas peruagantur.

Itali reges sibi erant.

Vngari in Pannoniã.

CAPVT XI.

Vbi Arnolfus regnauerit, opera quæ gesserit, victoriaq; eius contra Nortmannos. Controuersia in Occidentali regno Francorum.

PORRÒ Arnolfus totam Orietalem Franciam (quæ modò Teutonicum regnum vocatur) id est, Baioariam, Sueuiam, Saxoniam, Thuringiam, Friſiam, Lotharin-

giam rexit: Occidentale verò Odo ex eius auctoritate habuit. Concessit autem Zuentebaldo Marahensium regi ducatum Boemiæ, filiumq; suum ex sacro fonte ab ipso leuatum, eius nomine Zuentebaldum vocauit. Dilexit verò præ cæteris regni sui locis metropolim Baioariæ Ratisponam. Vnde & muros eius ampliauit, monasteriumq; sancti Emmeranni, plurimis ornamentis adornauit, ac largis possessionibus locupletauit. Traduntibi, scriptumq; monstrant, quòd prædictus rex sanctum Dionysium à Galliis ad præfatum monasterium transtulerit. Quod vtrum ita sit, ipsi viderint. Non multo pòst Arnolfo in Baioaria ad compescendos Sclauos morante, Nortmanni regnum eius Lotharingiam ingressi, principes qui eis occurrerant, cæsis multis fugant. Quod audiens Arnolfus, collecto milite, hostem petit, pugnaq; conserta, tanta eos virtute strauit, vt pauciſſimi fuga elapsi, ad classem repedantes, solam vitam seruarent. Arnolfus verò victor in Baioariam reuertitur. Ea tempestate in regno Occidentali inter Carolum Ludouici filium, & Odonem grauis de regno controuersia orta, Carolum inferioris causæ gratia, ad Arnolfum supplicem venire, ab eoque auxilium poscere compellit.

Ratispona ampliata.

CAPVT XII.

Quæ Italiam ingressus Arnolfus fortia gesserit, quodq; Ludouico Bosonis filio contulerit. De morte Guidonis in Italia, filioq; suo Lamperto, & Zuentebaldo filio regis, Ottoneq; rege Francorum.

ANNO ab incarnatione domini DCCCXCIIII, Arnolfus rex benè in Germania omnibus compositis, Longobardiam cum exercitu ingreditur: captaq; fortissima ciuitate Bergamo, comitem Ambrosium in patibulo suspendit. Quo facto, omnes Italiæ vrbes timore perculsæ, amplius rebellare non audentes, vltrò se suæ ditioni subdidêre. Rex quoque Placentiam vsque progressus, per montem Iouis in Galliam rediens, Vormaciæ conuentum celebrat, ac in vicino eiusdem vrbis Laureacensi monasterio, Ludouico Bosonis filio quasdam ciuitates & pagos iuxta montana concessit. Ea tempestate Guido, qui Italicum regnũ vsurpauerat, moritur: cuius filius Lampertus Romam veniens, Imperatorem se vocari fecit. Rex rursum conuentum Vormaciæ celebrans, Zuendebaldo filio suo, cum voluntate principum, regnum Lotharij tradidit. Otto quoque rex Franciæ, cum multis muneribus eum adiit, & honorificè susceptus, omnibus pro quibus venerat, impetratis, reuertitur.

CAPVT XIII.

Qualiter Arnolfus Imperium Romanum obtinuerit, quomodo item Ludouicus Bosonis filius illud habuerit, & quòd diuersi de hoc sentiant. De morte Ottonis, subrogationeq; Caroli, itemq; de morte Arnolfi.

ANNO ab incarnatione domini DCCCXCVI, anno verò regni sui VII, Arnolfus rex victoriosissimus, vocatu Formosi Papæ, qui grauem à ciuibus persecutionem patiebatur, Italiam secundò ingressus, ad Vrbem vsq; progreditur. Qua armis capta, à præfato pontifice coronatus, iuxta quosdam, Imperatoris & Augusti nomen sortitur. Hic eos qui aduersus pontificem seditionem mouerant, decollari præcepit. Reuerso ab Vrbe Arnolfo, Lampertus qui Imperium inuaserat, moritur. Ludouicus Bosonis filius à Longobardis ad Imperium inuitatur. Reperi ego in quibusdã gestis Romanorum, post Carolum tertium, tanquam Imperio à Francis ad Longobardos trãslato, Arnolfum in catalogo Imperatorum taceri, & Ludouicũ, cæterosq; post ipsum in numero Augustorũ poni. Alij Arnolfum in catalogo ponunt, & eos qui post ipsum vsq; ad Ottonem confusè regnauerunt, non Imperatores & Augustos, sed inuasores & anguſtos appellare consueuerunt. Non multo pòst Ottone Francorum rege mortuo, & in monasterio S. Dionysij humato, Carolus voluntate omnium rex creatur. Arnolfus XIII regni sui anno, Imperij verò (iuxta quod dictum est) V, diem obiit, & in loco Odingas, vt Rhegino refert, iuxta patrem sepelitur. Monstratur tamen sepulchrum eius in monasterio S. Emmerani Ratisponę. Poterat enim esse, vt ibi humatus, huc postmodum transferretur.

Arnolfus Imp. Oringæ humatus.

CAPVT

CAPVT XIIII.

De regno Ludouici in Oriẽtali Francia, morteq; Zuentebaldi, & discursione Vngarorũ.

ANNO ab incarnatione domini DCCCCI, Ludouicus Arnolfi filius, in loco qui Forchaim dicitur, rex creatur, ac à principibus Lotharingiæ, eò quòd Zuentebaldo offensi essent, in regnum Belgicæ inuitatur. Quo comperto Zuentebaldus cùm multa mala committeret, regnumq; plurimùm, præda, cæde, & incendiis cruentaret, tandem à Stephano, Gerhardo, Mathfrido comitibus, bello publico necatur: sicq; Ludouicus regno eius liberè potitur. His diebus Vngari Longobardiam peruagantes, incolas terræ occurrentes sibi, sagittis perimunt, crudeliterq; depopulata prouincia, ad propria reuertuntur. *Ludouicus 4. imp.*

CAPVT XV.

Qualiter Berengarius à Ludouico primò expulsus, postmodum cæcato Ludouico imperauerit: quomodo Ludouicus Orientalis Franciæ rex, Albertum comitem fraude Hattonis decollari fecerit, eiusq; terram in fiscum redegerit. De excursione Vngarorum, morteq; Ludouici.

ANNO ab incarnatione domini DCCCCV, Ludouicus Bosonis filius Imperium adeptus, Berengarium expulit. Dumq; toto Italico regno pro arbitrij sui motu potiretur, dimisso milite, cum paucis se Veronam contulit, vbi à ciuibus traditus, reuocato Berengario, qui in Baioaria exulabat, captus est, & luminibus orbatus. Berengarius exhinc regnum Italiæ simul cum Romano Imperio tenuit.

Circa idem tempus Albertus nobilissimus Francorum comes, Ottonis Saxonum ducis ex filia nepos, Conradum, qui à quibusdam Ludouici regis frater fuisse creditur, occidit. Ob ea rex prædictum heroam in castro Babenberg, vbi nunc nobilis episcopatus fundatus cernitur, bello petiit. Cumq; viribus se proficere posse non videret, Hattonis Moguntini archiepiscopi consilio, ad dolum se contulit. Itaq; vt non solùm in regum gestis inuenitur, sed etiam in vulgari traditione in compitis & curiis hactenus auditur, præfatus Hatto Albertum in castro suo Babenberg adiit, eumq; dei pietatis obtentu de gratia regis adipiscenda conuenit. Ille deuotè monitis eius obtemperans, humiliter conductum de personæ propriæ incolumitate petiit. Ac ne multis morer, interposita sacerdotis præfati fide, iter carpunt: vix castro exierãt, iam proximi vico, qui Teurstat dicitur, appropinquabant, & episcopus graue (inquit) erit nobis ieiunium sustinere: si placet, antequam regi præsentemur, ad prandium diuertamus. Tum ille simplices aures more antiquorum primorũ habens, dolumq; minimè persentiens, gratanter eum ad prandendum in castro, vnde digressi fuerant, reduxit. At postquam refecti sunt, ad curiam veniunt: in causa princeps ponitur, ac tanquam reus maiestatis, capite plectendus adiudicatur. Monet ille episcopum de fide data: quam e contrà ille se benè in hoc quòd sanum & incolumem eum in castrum reduxerat, seruasse respondit. Sic præfatus Albertus capite plectitur, possessionesq; eius, è quibus postmodum Babenbergensis ecclesia locupletata dicitur, in fiscum redactæ sunt. Ex huius Alberti sanguine Albertus, qui postmodum Marchiam Orientalem, id est, Pannoniam superiorem Vngaris ereptã, Romano Imperio adiecit, originem duxisse traditur. Iudicent de hoc sacerdotis facto alij quod velint, & tanquam pro regni vtilitate commissum tueantur: ego omnino nullius emolumenti gratia non solùm quemlibet Christianum fraude circumuenire, sed etiã in corde, & corde in causa capitali loqui non debuisse arbitror episcopum. Non multo pòst Vngari commisso cum Baioariis bello, ducem eorum Leopoldum, Arnolfi ducis patrem occidunt, ac inde per totum regnum diffusi, Alemaniam, Franciam, Saxoniam, Thuringiam percurrunt. Ludouicus Orientalis Franciæ rex, XII regni sui anno, sine hærede discessit, ac in ipso, fratreq; suo Suendebaldo, iuxta quosdam Carolorum genealogia in Orientali regno defecit ad tempus. Vnde quidam modernus: Vltimus (ait) Augustorum Augustulus, vltimus Carolorum Suendebaldus fuit. Defuncto Ludouico, Otto Saxonum dux, ab omnibus petitur. Princeps ergo clarissimus tanquam senio grauis, rex fieri recusabat.

Albertus Bambergẽsis comes proditus capite fictitur.

NB.

CAPVT XVI.

De regno Conradi in Orientali Francia, & occisione Vngarorum: fuga Arnolfi ducis, morteq; regis, & subrogatione Henrici Saxonis.

Conradus primus.

ANNO ab incarnatione domini DCCCCXIII, Conradus, Conradi (quem Albertus occiderat) filius, consilio præfati ducis Ottonis, consensu omnium, Orientalis Franciæ rex creatur. Hunc quidam Ludouici fratris filium fuisse dicunt, & ob hoc nouissimum eum Carolorum ponunt. Anno regni sui primo, Vngari ad depopulandam terram rursum effusi, à Baioariis & Sueuis, iuxta Enum fluuium sternuntur. Porrò Arnolfus Baioariorum dux, regi rebellans, cum vxore ac filiis ad Vngaros fuga elapsus est. Rex verò VII regni sui anno, vita pariter & regno perfunctus, diem obiit, eiusq; consilio Henricus Ottonis ducis filius, in regnum subrogatur, anno ab incarnatione domini DCCCCXX.

CAPVT XVII.

De exordio regni Teutonicorum, diuersaq; allegationes, vtrum regnum Teutonicorum, vel potius adhuc regnum Francorum dici debeat.

EX HINC quidam post Francorum regnum supputant Teutonicorum: vnde filium eius Ottonem in decretis pontificum, Leonē Papam primum regem Teutonicorum vocasse dicunt. Nam iste de quo agimus, Henricus, oblatam sibi à summo pontifice dignitatem renuisse perhibetur. Mihi autem videtur regnum Teutonicorum, quod modò Romam habere cernitur, partem esse regni Francorum. Deniq; vt in superiorib. patet, tempore Caroli, regni Francorum tota Gallia, id est, Celtica, Belgica, Lugdunensis, omnisq; Germania à Rheno scilicet vsq; ad Illyricū terminus fuit. Dehinc diuiso inter filiorum filios regno, aliud Orientale, aliud Occidentale, vtrunq; tamen Francorum dicebatur regnum. In Orientali ergo, quod Teutonicorum dicitur, deficiente Caroli stirpe, primus, manente adhuc in Occidentali Francia ex successoribus Caroli Carolo, ex gente Saxonum successit Hēricus. Cuius filius Otto, qui etiam Imperium à Longobardis vsurpatum deduxit ad Teutonicos Orientales Francos, forsan dictus est primus rex Teutonicorum: non quòd primus apud Teutonicos regnauerit, sed quod primus post eos qui à Carolo Carolingi, sicut à Merouco Merouingi dicti sunt, ex alio, id est, Saxonū sanguine natus, Imperiū ad Teutonicos Frācos reuocauerit. Sicut autem Merouingis deficientibus, ac Carolus succedentibus regnū tamen manſit Francorū: sic & Carolis decedentibus, ex alia familia seu lingua, in vno tamen regno Ottones subintroiere. Quæ varietas, humanarum rerum defectum prodens, ab initio mundi vsq; in præsentem diem alternatur. Sic in regno Ægyptiorum Pharaonibus succesſere Ptolemæi: in Romano quoq; post familias Cæsarum, multas & assiduas regum successiones miserabiliter mutatas, curiosus indagator inueniet. Et sic, vt ex libro Regum habes, tam ex regum quàm ex populi peccatis post quartam vel quintam generationem decedentibus aliis, alij succesſere, qui non solùm filios priorum non exaltarent, sed & plurimùm affligerent, & delere cogitarent: vixq; alicuius regis semen diu stetisse in gloria sua inuenis, excepto Dauid, cui promissus est Christus. Quæ omnia, vt sæpe iam dixi, humanam miseriam, variumq; rotatum ostēdunt, ac ad æternæ beatitudinis statum nos mittunt. Sed hæc hactenus.

CAPVT XVIII.

De regno Henrici in Orientali Francia, Caroliq; in Occidentali. Decisio litis duorum regum pro Lotharingia. De tyrannide Arnolfi Baioariorum ducis, victoriaq; Henrici super Vngaros. De lancea sacra, morteq; Henrici.

Henricus Auceps Imperator.

IGITVR Henricus ducis Ottonis filius, in Orientali Francia regnauit, Occidentalem Carolo tenente. Quidam Celtici scriptores asserūt, eum primò ducem tantùm Saxonum, Caroloq; subiectum fuisse: postq; consilio generi sui Gisilberti Belgicæ ducis, cum Orientalibus principibus à regno eius discessisse, ac regiū nomen assumpsisse.

Alij

Alij dicunt eum post mortem Conradi, ab Oriẽtalibus Francis per electionem principum, in regnum subrogatum fuisse, nec vnquam aliquid de manu Caroli suscepisse. Concordant tamen in hoc, quòd regnum Germaniæ potenter habuerit, & pro Belgica Gallia cum Carolo controuersiam. Quam scriptorum varietatem ex hoc accidisse arbitror, vt dum translato ad Francos Imperio, cum imperiali gloria crescere simul cœpissent & ingenia, diuisoq; regno, diuisi fuissent animi hominum, tantam quiq; suam rempub. perfecerunt, quantam eam præclaris ingenijs extollere potuerunt. Nos verò medium in his limitem seruantes, in quantumq; possumus, ac ex eorum dictis conijcere valemus, veritatis seriem tenẽtes, nec ad dexteram, nec ad sinistram declinare, Deo largiente, studebimus. Itaq; dum, secundùm quod vtroſq; scriptores concordare diximus, Henricus cis Rhenum regnaret, & de Belgica cum Carolo disceptaret, ex voluntate amborum, ad huius litis scrupulum decidendum, die in oppido Bunnæ constituta, Belgica Henrico cessit, ac Carolo Celtica tantùm & Aquitania, parsq; Lugdunensis, Burgundia regem per se habente, remansit: & sic regnum, quod Francorum dicitur, ex paterna hæreditate Belgicam Galliam, cum palatio Aquis, & maiori parte Franciæ perdidit. *Belgicum ad Imperium.*

Circa idem tempus Arnolfus Baioariorum dux, morte Conradi regis comperta, ex Vngaria in patriam reuertitur, regnareq; gestiens, tandem à rege relictis sibi terræ suæ ecclesijs, in pacem vocatur. Hic est Arnolfus, qui ecclesias & monasteria Baioariæ crudeliter destruxit, ac possessiones earum militibus distribuit. Is dum primò regnare moliretur, beato Vdalrico Augustensi episcopo duo gladij, quorum alter capulo carebat, in visu monstrati sunt, audiuitq; gladium cum capulo regem Henricum, Arnolfum autem gladium sine capulo, tanquã sine capite & iusticia esse. Post hoc Henricus Vngaros more suo irrumpere volentes, in Saxonia incredibili cæde strauit, titulumq; victoriæ in palatio Mersburgk, quæ & Martinopolis, pingi fecit. Lanceam quoque sacram, quam reges nostri hactenus habent, ab Arnolfo Lugdunensis Galliæ, seu Burgundionum rege minis extorsit. Ipse verò post multa virtutis suæ opera, dum ad obtinendum Imperium Romam tenderet, morbo correptus, XVII regni sui anno, diem obijt.

CAPVT XIX.

De regno Ottonis, triumphisq; eius, tam de Sclauis, quàm de Belgis. De electione Ludouici, ac per Ottonem restitutione, synodiq; in amborum præsentia celebratione. Qualiter Otto Italiam ingressus Berengarium debellauerit, ipsumq; postmodum cum Alberto filio in deditionem accepit. De rebellione filij eius Letalsi, itemq; reconciliatione.

ANNO ab incarnatione domini DCCCCXXXVI, Otto Henrici filius, patri nobilis hæres in regno succedens, in palatio Aquis à Moguntino archiepiscopo Hildeberto coronatur, Hic Sclauos, qui & Boemi, resistentes sibi, compescuit, Belgas consilio Gisilberti ducis, transitum Rheni prohibere nitentes, in fugam vertit, ac tota terra ferro flammaq; vastata, castrum in monte Capri situatum obsidione cinxit. Igitur Ludouicus Caroli filius Belgicam, quam pater (vt suprà dixi) perdiderat, hac occasione recipere gestiens, Alsatiam ingreditur. Quo audito, rex obsidionem Capri montis soluit, pulsoq; Alsatia Ludouico, Bresacum obsedit. Inter hæc Gisilbertus dux, decoris iniuriam vleisci volens, collecto milite Andernacum vsq; progreditur, vbi occurrentibus sibi Germanis, acerrimo prælio commisso, Gisilbertus dux fugere volens, Rheno submergitur, cæteriq; in fugam, cæsis plurimis, vertuntur. Quo comperto, Bresacenses regi castrum dederunt. Rex verò rursum Belgicam ingreditur, totamque in deditionem accepit. & exhinc prouincia illa à regibus Teutonicorum absque contradictione possidetur. Porrò Ludouicus rex sororem Ottonis regis, Gisilberto duce mortuo viduatam, in matrimonium suscepit: ipse verò non multo pòst à suis regno pulsus, ad Ottonem supplex venit, eiusq; auxilio deuictis hostibus, regnum recepit. Post hæc Inglinheim synodus præsente Marino sedis apostolicæ legato, in præsentia amborum regum celebratur. Verùm Otto post multos *Otto primus qui & Magnus.* *Belgica prouincia tertia Imperij.*

triumphos Italiam quoque, quæ per plures iam annos Francis, ſeu germanis alienata fuerat regno adijcere parat. Hæc eo tempore à Berengario tyranno multipliciter premebatur, à quo etiam Adelheida Lotharij Imperatoris anteceſſoris ſui vidua, in captiuitate tenebatur. Rex ergo Italiam ingreſſus, reginam à captiuitate liberatam, vxorem accepit: pulſoq; Berengario, natale domini Papiæ celebrauit: & ſic verno tempore in patriam rediens, Conradum ducem ad perſequendum Berengarium ibidem reliquit. Huius conſilio Berengarius in Saxoniam ad regem venit, gratiam eius tam ducis, quàm Letalfi regis filij impetraturus auxilio. Sed cum per triduum conſpectui regis non admitteretur, interceſſione tandem præfati ducis, ac regiæ prolis obtinuit, quòd ei in vrbe Rhetiæ Auguſta dies præfigatur. Ibi ex omnibus regni viſceribus, multis in vnum adunatis, Berengarius humiliter veniens, cum filio ſuo Alberto regi ſe dedidit, ab eoq; regnum Italiæ, excepta Marchia Veronenſium & Aquileienſium, ſuſcepit. Reuerſus in Italiam Berengarius, multa ſicut & antea principibus terræ mala faciens, in ſe odia omnium excitauit. Eo tempore Letalfus filius regis, conſilio quorundam noua contra patrem molitur, ſed in breui à cœpto deſiſtens, paternè ab eo in gratiam recipitur.

Italia à Germanis ſubacta.

CAPVT XX.

Triumphus Ottonis de Vngaris, traditioq; Scirenſis comitis. Itemq; triumphus Ottonis de Sclauis.

ANNO ab incarnatione domini DCCCCLV, Vngarorum gens ſæuiſſima, cum innumera multitudine erupit, ac totam terram more locuſtarum operiens, ad Licum vſq; contra vrbem Auguſtenſem, cui tunc venerabilis, ac deo dignus ſacerdos Vlricus præſidebat, peruenit. Quibus glorioſiſſimus rex fide magis quàm armis, præfati viri dei hortatu tutatus, occurrit: tantaq; prædictos barbaros virtute ſtrauit, vt exhinc gens omnium immaniſſima, non ſolùm regnum inuadere non auderet, ſed & ſuum, deſperatione correpta, vallibus & ſudibus in locis paluſtribus contra noſtros munire cogitaret. Cecidit in eo prælio dux illuſtris Warmacienſis, & gener regis Conradus. Barbari verò, quod etiam incredibile dictu videtur, vſq; ad internecionem, VII tantùm reſiduis, omnes deleti dicuntur. Huius maximæ concuſſionis auctor fuiſſe ex Baioaria quidam Scirenſis comes memoratur, qui tamen perfidiæ ſuæ pœnas ſoluens, dum Vngaros incautè eductos, morti expoſuiſſet, ab eis tanquam traditor necatus eſt. * Porrò terra eius in fiſcum redacta, partim à rege inter eccleſias diuiſa, partim hæredibus eius cum caſtro Scirenſi relicta, æterno anathemati ab epiſcopis addicata fuiſſe traditur. Ex huius origine cum multi hactenus tyranni ſurrexerint, Otto Palatinus comes perfidi & iniqui patris haud diſſimilis hæres, omnes priores malitia ſupergrediens, eccleſiam dei vſque in præſentem diem perſequi non deſiſtit. Sic enim mirabile dictu, quo diuino iudicio neſcio, penè tota illa poſteritas in reprobum ſenſum tradita eſt, vt vel nulli, vel pauci vtriuſq; ſexus, cuiuſcunque profeſſionis, ſeu ordinis ex ea inueniãtur, quin vel aperta tyrannide deſæuiant, vel omnino infatuati, ad omnem tam eccleſiaſticum, quàm ſecularem honorem indigni, furtis & latrocinijs inſeruientes, miſeram vitam mendicando tranſigant. * Rex inde digrediens, Sclauos reſiſtentes ſibi bello petijt, ac tam de ipſis, quàm de Vngaris victor exiſtens, pater patriæ appellatus eſt.

Vngarorum prope Auguſtam clades.

Scirenſis familia.

** Petrus Pithœus ſ. C. è manuſcripto exemplari diuerſam huius capitis lectionem annotauit, quam hic non omittere viſum eſt.*

*Porrò terra ipſius in fiſcum redacta, partim à rege inter eccleſias diuiſa, partim hæredibus eius cum caſtro Scirenſi relicta, vnum tantummodo cœnobium inibi monachorum inſtitutum fore conſpicitur. Ex huius origine cum plures hactenus tyranni potentesq; viri ſurrexerint, modò verò temporibus noſtris præclara & inclyta ſoboles Otto Palatinus comes illuſtriſſimus de Wittelnſpach, infauſti patris, ſed nobilis, felicior hæres, vir corporis & animi robore præditus, plurimis opibus & honoribus pollens, filiorumq; generoſa propagine excellenter dilatatus, emicuit. Quorum vnus Conradus nomine, eccleſiaſtico ordini deſtinatus, ac poſtmodum eccleſiæ Maguntinæ præſul effectus, magnæ auctoritatis in regno Romano princeps claruit. Alter verò Otto maior Palatinus comes dictus, patri nobilior hæres ſuccedens, vix armis experientiſſimus, ſapientia præditus, conſilio validus, donis liberalis, laudis auidus, fidelitate & omni virtutum probitate con-

te conſpicuus, cum alijs duobus fratribus ſuis, Friderico videlicet & Ottone iuniore, præclariſſimis comitibus: qui tres germani omnes terræ noſtræ primates & Barones nobilitate, diuitijs, fortitudine, prudentia & æquitate præcellere dignoſcuntur. Huic Ottoni maiori Palatino comiti ob multa virtutum ſuarum inſignia, quæ in cunctis regni negotijs & periculis oſtendit & pertulit, quibus ſemper Imperio fideliſſimus agoniſta, & aſſiduus propugnator extitit, poſtmodum ab Imperatore Friderico, cum Henricum ducem opulentiſſimum & potentiſſimum ob crimen læſæ maieſtatis de Baioaria expuliſſet, ducatus idem Noricus conceſſus eſt: quem dum vixit, ſumma prudentia paceq; rexit, filioq; ſuo paruulo Ludowico, qui modò ſuperſtes eſt, regendum moriens dereliquit. Quæ quamuis per anticipationem breuiter aſſignauimus: tamen ſequenti Opere loco ſuo expreſſius declarabimus. Rex igitur Otto inde digrediens, Sclauos, &c. *

CAPVT XXI.

Querimonia Romanorum ſuper tyrannide Berengarij: rex ſublimato prius ad regnum filio, Italiam ingreſſus, palatium Papiæ reædificat.

ANNO ab incarnatione domini DCCCCLX, dum rex rurſum contra Sclauos procinctum moueret, Ioannes diaconus, & Azo ſcriniarius, ab Apoſtolica ſede miſſi, ad regem veniunt, tam de tyrannide Berengarij querimoniam facientes, quàm ipſum ad defenſionem ſanctæ Romanæ eccleſiæ, ac totius Italiæ inuitantes. Walbertus quoq; Mediolanenſis, & Waldo Cumanus epiſcopi, cum alijs regni Italiæ principibus, eadem petentes, ad regem ſupplices veniunt. Rex ergo natali domini Ratiſponæ celebrato, in Belgas proficiſcitur, ibiq; filio ſuo Ottone in palatio Aquis ad regnum ſublimato, in Saxoniam redijt, collectoq; milite, per Baioariam, ac Tridentinam vallem Italiam armatus intrauit: totaq; terra ſubacta, natale domini Papiæ celebrans, palatium à Berengario deſtructum reædificari iuſſit.

Ottonis in Italiam expeditio.

CAPVT XXII.

Otto Romam veniens à Ioanne Papa, ac toto populo Auguſti nomen ſortitur, ſicq; imperium Romanum ad Teutonicos, veliuxta alios, ad Orientales Francos deriuatur. Imperator Papiam venit, Berengarius fugit.

ANNO ab incarnatione domini DCCCCLXIIII, Otto glorioſus rex, à Papia vſque ad Vrbem progrediens, honorificè à ſummo pontifice Ioanne, ac toto populo ſuſceptus, applaudentibus cunctis, Imperatoris & Auguſti nomen ſortitur. Hic iuxta eos qui Arnolfum in catalogo ponunt, & eos qui interea in Italia regnabant, ſecludunt, LXXVII: ſecundùm Romanos autem, qui ſemoto Arnolfo, Ludouicum, Berengarios duos, Vgonem, Berengarium, Lotharium, itemq; Berengarium cum filio ſuo Alberto, quamuis obſcurè regnantes in numero priorũ ſtatuunt, LXXXIIII inuenitur. Exhinc regnum Romanorum, quod poſt Francos & Longobardos ad Teutonicos, vel (vt alijs videtur) rurſum ad Francos, vnde quodammodo elapſum fuerat, translatum eſt. Cui ſcilicet opinioni accommodatum videtur, quòd regnum Romanorum iuxta maiores noſtros, Babyloniorum imperio ſimilem ortum & progreſſum habere dicitur. Sicut ergo illud duabus famoſis mutationibus, Medorum ſcilicet & Perſarum, ſuccubuiſſe conſtat: ſic & iſtud item duabus tantùm Græcorum & Francorum ſubiacere debere volunt. Nam cæteros huius, ſicut & illius à diuerſis gentibus incurſus, eclipſim potius eorum, quàm mutationem fuiſſe dixerunt. Imperator ab Vrbe rediens, Papiæ Paſcha domini celebrauit. At Berengarius in monte, qui ſancti Leonis dicitur, Imperatorem fugiens, latitauit.

Romanorum regnũ Babylonico ſimile.

CAPVT XXIII.

Imperator Ioannem Papam, eo quòd Albertum ſuſceperat, pontificatu deponit, & ei Leonem ſubſtituit.

ANNO ſequenti dum rurſum Imperator Paſcha domini Papiæ celebraret, ac inde progrediens Berengarium in monte Leonis obſidione clauderet, Albertus filius eius primò Corſicam, furorem principis declinans, intrauit: pòſt Ioannem

Romanum pontificem adiens, eum ad ſui partem inclinauit. Ea propter Imperator obſidione caſtri relicta, contra Vrbem aciem dirigit. Quidam verò ex ciuibus metu perculſi, vnà cum pontificè fugiunt: alij datis obſidibus, Auguſto ſubduntur. Otto miſſa legatione, Papam reuocat: ſed eo venire nolente, collecta ſynodo epiſcoporum, Leonem ei in pontificatu ſubſtituit. Quod videns Albertus denuò Corſicam fugit. Quæ omnia vtrum licitè, aut ſecus acta ſint, dicere præſentis non eſt Operis: res enim geſtas ſcribere, non geſtarum rerum rationem reddere, propoſuimus. Inueni tamen in quibuſdam Chronicis, ſed Teutonicorum, præfatum Ioannem reprehenſibiliter vixiſſe, & frequenter ſuper hoc ab epiſcopis, alijsq; ſubditis ſuis conuentum fuiſſe. Cui rei durum videtur fidem accommodare, quia Romana eccleſia hoc ſpeciale priuilegium ſacerdotibus ſuis aſcribere ſolet, quòd meritis Petri ſuper firmam petram fundati, nulla eos porta inferorum, vel turbo tempeſtatum ad exitialem ruinam inuoluat.

Ioan. 12 Papa ab Ottone loco motus.

CAPVT XXIIII.

Imperator Berengarium capit, Romanos ſeditionem mouentes ſternit, & ſic ad Spoletum diuertit, rurſumq; rediens Vrbem obſidione claudit, ac Papam quem Romani poſuerant, captiuum abducit: denuò rediens quoſdam ex Romanis ſuſpendit, coronatoq; prius à ſummo pontifice filio, in Saxonia moritur.

IMPERATOR natale domini Romæ celebrans, Berengarium in monte Leonis obſeſſum, cum caſtello in deditionem accepit, ac in Baioaria cuſtodiæ mancipatum, exilio relegauit. Vide regnum Teutonicorum cum regno Francorum affine, & quodammodo cognatum principium habere. Ibi primùm Carolus ſine regis nomine honorem regis gerebat. Hic magnus Otto Saxonum dux, regibus adhuc ex ſtirpe Caroli manentibus, regni ſummam adminiſtrabat. Illius filius Pipinus non ſolùm re, ſed & nomine rex cœpit eſſe, & dici: huius ſimili modò filius Henricus regis nomine meruit honorari. Illius filius Carolus magnus non ſolùm regnum, ſed & Imperium capto Deſiderio primus obtinuit ex Francis: iſtius filius Otto magnus, poſt multos triumphos primus ex Teutonicis poſt Carolos, capto Berengario, Romanis imperauit.

Comparatio regni Germanorum & Francorum.

Manente in Vrbe Imperatore, ciues communicato cum vicinis caſtellanis conſilio, eum occidere tentant. Hæc Auguſtinus perſentiens, inſidias præcauit primò, pòſt infinitam ex eis multitudinem ſtrauit. Sequenti verò die interpoſito iureiurando, C ab eis obſides accepit. Ipſe autem ſeptem apud eos dehinc dies manens, ad Spoletum diuertit, rogatuq; Leonis Papæ Romanis eorum obſides relaxauit. Quo recedente, Romani Ioannem recipiunt, Leone expulſo. Is nil moratus, Auguſtũ in ducatu Camerino morantẽ adijt, ſecumq; ſanctum Paſcha celebrauit. Inter hæc Ioannes moritur, & in locum eius Benedictus à Romanis ſubrogatur. Auguſtus itaq; tam pro expulſione Leonis, quàm ſubrogatione Benedicti inflammatus, ſpretis Romanorum legatis, quos ad conciliandum animum eius miſerant, exercitum contra Vrbem mouet. Quam obſidione clauſam, & incredibili fame fatigatam, tandem ad deditionem coegit. Hac ergo conditione ſunt in gratiam recepti, vt portis apertis ipſum honorificè ſuſciperent, & Benedictum ei traderent. Quo facto, Imperator Leonem reſtituit: celebrataq; ibi S. Ioannis natiuitate, ac apoſtolorum Petri & Pauli feſtiuitate, ab Vrbe digreſſus, in via multos ex inæqualitate aeris perdidit. Deinde natale domini Papiæ agens, ad Ciſalpinam reuertitur, Benedictum iam depoſitum ſecum ducens.

Non multo pòſt deficientibus à ſe denuò Italis, Alpes tranſcendit, nataleq; Domini celebrans Romæ, XIII ex maioribus Vrbis poſt præfectum, qui factionis erga Leonem Papam rei fuerant, patibulo ſuſpendit. Dehinc vocato ad ſe filio ſuo Ottone, eum à ſummo pontifice coronari & Auguſtum vocari fecit, eiq; Conſtantinopolitani Imperatoris Theophanij filiam in matrimonium coniunxit. Omnibus itaq; bene compoſitis, reuerſus ex Italia, Paſcha domini Quitelinburg celebrauit: ac inde Martianopoli Aſcenſionem ex more ferians, morbo tertia ante Pentecoſten feria correptus, XXXVII regni ſui anno, imperij XIII, diem vltimum clauſit. Hic eſt Otto, qui poſt multas quas noui victorias, Græcos quoq; in Apulia & Calabria ſuperauit, ac

Ottonis I. deceſſus.

Imperium

Imperium Romanorum virtute sua ad Francos Orientales reduxit, primusq; venas argenti & æris, iuxta ciuitatem Goslariam in Saxonia inuenit. Metropolim etiam Magdeburgensem, vbi adhuc cultu regio humatus cernitur, pluribus ornamentis decorauit. Berengarius verò, & vxor eius Willa exules Babenberg moriuntur: eodemq; anno beatus Vdalricus Augustensis episcopus migrauit ad dominum.

Goslariense fodina. N B.

CAPVT XXV.

De imperio Ottonis secundi, euentuq; eius in Calabria, ac morte ipsius. Traditio Romanorum: de beato Bartholomæo.

ANNO ab incarnatione domini DCCCCLXXV, Otto secundus, magni Ottonis filius, qui viuente patre à Romano pontifice coronatus fuerat, patri in regnum succedens, LXXXV ab Augusto imperauit. Hic dum Græcos incautè in Calabria persequeretur, amisso milite de naui exiliens, natando euasit. Ipse verò, IX imperij sui anno, Romæ moritur, ac ante beati Petri ecclesiam in concha marmorea honorificè humatur. Tradunt de ipso Romani, quòd Beneuento capta, beati Apostoli Bartholomæi ossa inde asportauit, ac Romæ in Lycaonia insula, in tumba porphyretica ea collocauerit, in terramq; suam per Tyberim, & mare in præfato sarcophago deportare cogitauerit: sed eo in breui vita exempto, preciosum thesaurum ibidem remansisse.

Otto 2. Imp.

CAPVT XXVI.

De imperio Ottonis tertij, martyrio beati Adalberti, ac morte Imperatoris.

ANNO ab incarnatione domini DCCCCLXXXIIII, Otto tertius patri in regnum succedens admodum puer, LXXXVI ab Augusto Imperium est adeptus. Huius diebus beatus Adalbertus Pragensis episcopus prædicans Prutenis martyrio coronatur. Otto verò XVII imperij sui anno diem obijt, & in ecclesia S. Mariæ Aquis sepelitur. Hi duo posteriores Ottones, quamuis breuitatis causa pauca de eis dixerimus, tam feroces, tam mirabiles fuere, vt vnus *Pallida mors Sarracenorum*, seu sanguinarius, alter *Mirabilia mundi* diceretur.

Otto 3. Imp.

S. Adalbertus.

CAPVT XXVII.

De imperio Henrici, triumphis eius, fundationeq; Babenberg, conuersione Vngarorum, morteq; ipsius.

ANNO ab incarnatione domini M primo, mortuo sine hærede Ottone, Henricus patre Hezilone, natione Noricus, eiusdemq; gentis dux, ab omnibus regni primoribus electus, LXXXVII ab Augusto rex creatur. Hic multis in Germania, Boemia, Italia, Apulia fortiter ac prosperè bellis gestis, postremò data sibi à domino requie, cum esset Christianissimus, nobilissimum episcopatum Babenberg fundauit, ac possessionibus & honoribus, sicut hodie cernitur, locupletauit. Sororeq; sua Gisila Stephano Vngarorum regi in vxorem data, tam ipsum quàm totum eius regnum ad fidem vocauit. Hunc Stephanum Vngari hactenus fidem Christianam seruantes, velut principium fidei suæ, inter sanctos colendum dignum ducunt. At Henricus Imperator pijssimus, XXIIII regni sui, imperij autem XI anno, rebus humanis exemptus, in ecclesia Babenberg humatur, & (vt illa testatur ecclesia) sepulchrum eius vsque hodie crebris miraculis celebre habetur.

Henricus 2. Imp. qui & sanctus.

Vngari fide Christiana manus dat.

CAPVT XXVIII.

De regno Regis Conradi, eiusq; vxore Gisila. De virtutibus eius, victoriaq; super Polonos. De rebellione ducum, Conradi & Ernusti, reconciliationeq; Ernusti, ac expeditione regis in Italiam.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 136:Leibn. Marg. 136, Stück 1, [149] - 131

Conradus 2. Imp. cognomento Saliqum.

ANNO ab incarnatione domini MXXV, defuncto sine filijs Henrico, Conradus natione Francus, consilio anteceſſoris sui, cuius tamen dum adhuc viueret, gratia carebat, ab omnibus electus, LXXXVIII ab Augusto regnum sortitur. Hic ex parte patris à Conrado Varmatiensium duce, qui in prælio cum Vngaris sub Ottone habito, occubuerat, prosapiam ducens, ex parte matris, ex probatissimorum Galliarum principum, qui ex antiqua Troianorum stirpe deſcenderant, & à beato Remigio baptizati fuerant, originem trahens, vxorem Gisilam nomine, de antiquo & glorioso Carolorum sanguine oriundam habuit, sicut quidam his versibus atteſtatur:

Gisela imperatrix.

Quando post decimam numeratur linea quarta,
De Carolo magno proceßit Gisila prudens.

Hæc primùm Ernusto duci Sueuorum, fratri Alberti superioris Pannoniæ Marchionis nupta fuit, geminosq; ex ea filios Ernustum & Hermannum suscepit. Quo mortuo Conradum hunc, de quo agimus, accepit. Erat autem idem rex armis strenuus, consilio prouidus, sapientia tam forensi, quàm ciuili præditus, in religione Christiana satis deuotus, humilitate quæ regem decebat, adornatus.

Itaq; in primordio regni eius Boleslaus Polonorum dux, qui ab anteceſſore suo Henrico nouiter subactus fuerat, à regno diuidi, rexq; per se vocari molitur. Qui non multo pòst moriens, Misiconem filium suum succeſſorem reliquit. Is dum patrem imitari cogitaret, insuperq; fratrem suum Ottonem expulisset, rex tam profugum in patriam reducturus, quàm de contumace regni iniuriam vindicaturus, in Poloniam procinctum mouet. Misico regis impetum ferre non valens, fractis quibusdam regni insignibus, ad Vlricum Boemiensium ducem, qui & ipse tunc temporis hostis regni fuerat, fugit. Quem cum Vlricus regi dare, & sic ad gratiam eius redire vellet, ipse, vt erat serenissimus, eum hoc modo à perfido duce recipere noluit. Otto verò liberè ducatu potitus, diadema, quod pater eius ad ignominiam regni illicitè fecerat, regi misit, seq; per omnia ditioni eius subiecit. Ipse verò non multo pòst fraude armigeri sui, vita priuatus est. At Misico à rege exul factus, ad Imperatorem supplex venit, interuentuq; reginæ diuisa in tres partes prouincia, tertiam partem ipse obtinuit. Exhinc prouincia illa regibus nostris sub tributo seruire cognoscitur.

Poloniam imperio tributaria.

Circa idem tempus, consanguineus regis Conradus Vangionum, & Ernustus priuignus eius Sueuorum seu Alemanorum duces, regi cum multis alijs rebellare attentant. Rex verò filio suo Henrico adhuc infantulo rege post se designato, Italiam ingreditur: ad quem Ernustus dux, consilio matris suæ reginæ venit, gratiamq; suam eius auxilio promittens, se cum rege in Italiam profecturum obtinuit. Rex verò castra mouens, sanctum Pascha Vercellis celebrauit. Ibi Reinherum Marchionem cum ciuibus Lucensibus obuium habuit, susceptisq; ad deditionem omnibus, ad Vrbem iter tendit.

CAPVT XXIX.

De promotione Conradi in Imperatorem, seditioneq; orta in populo. De reditu eius, rebellioneq; item Ernusti, morteq; eius.

Conradus 3. Imp.

ANNO ab incarnatione domini MXXVII, Conradus Romam veniens, in ipsa die Paschalis solennitatis inter duos Cinitonem Anglorum, & reginæ Gisilæ auunculum, Rudolphum Burgundiæ reges, honorificè procedens, à summo pontifice Ioanne coronatus, ab omni populo Romano Imperatoris & Augusti nomen sortitur. In ipsa verò Paschali hebdomada, tumultu orto inter milites Imperatoris & ciues, grauis pugna committitur: cæsisq; multis, Romanis fugientibus, Imperator victoria potitur. Post hoc facta cum ciuibus pace, ab Vrbe regreditur, captúmque latronem quendam famosissimum Thaselgart nomine, suspendio peremit. Inde per Pyrenæum in Franciam rediens, denuò sibi ducem Ernustum priuignum suum, consilio comitis Werenharij rebellare nitentem audiuit. Quem censura iusticiæ ac viribus regalis excellentiæ terra mariq; pulsum, in syluis latitare coegit, vbi postmodum à fidelibus regis occisus est, eiusq; ducatum Hermannus frater eius accepit.

Caput

CAPVT XXX.

De morte Rudolphi regis Burgundiæ, Burgundiaq́; data filio Imperatoris. Descriptio Galliarum.

EA tempestate Rudolphus Burgundiæ, seu Galliæ Lugdunensis rex moriens, Henrico filio regis, nepoti suo regnum cum diademate, alijsq́; insignibus sub testamento reliquit. Esse enim Gallias cisalpinam & transalpinam scriptores testantur. Quarum cisalpinam seu togatam in Italia inter Padum & Alpes dixerunt: transalpinam verò seu Comatam, in tres, id est, Belgicam, Lugdunensem, Celticam, Aquitaniam Celticæ partem facientes, diuisere. Alij æquè tres constituentes, Celticam in Belgicam ponunt, & Aquitaniam tertiam per se constituunt. Vnde tribus his Gallijs tres primates præesse volunt, Belgicæ Treuerensem, Aquitaniæ Bituricensem, tertiæ Lugdunensem. Quòd enim in Belgica contineatur Celtica, Orosius velle videtur, qui in diuisione orbis terrarum, eam in Britanniam seu prouinciam Narbonensem, cum iuxta priorem diuisionem ad fontem Mosæ, seu syluam * Argonam à Rheno protendatur, extendit: *Gallia*, inquiens, *Belgica habet ab Oriente limitem fluminis Rheni & Germaniam, ab Euro Alpes Appenninas, à Meridie prouinciam Narbonensem, à Circio Oceanum Britannicum, à Septentrione Britannicam insulam. Item de Lugdunensi Gallia, Lugdunensis ducta per longum, & angustum inflexa, Aquitanicam prouinciã semicingit. Hæc ab Oriente habet Belgicam, à Meridie partem prouinciæ Narbonensis, quà Arelatum ciuitas sita est, & vbi mari Gallico Rhodani flumen accipitur.* Porrò de Aquitania, non sicut de tertia parte Galliarum, sed eius prouincia loquens sic ait: *Aquitania prouincia obliquo cursu Ligeris fluminis, qui ex plurima parte terminus eius est, in orbem agitur. Hæc è Circio Oceanum, qui Aquitanicus dicitur sinus, ab Occasu Hispanias habet, & à Septentrione & Oriente Lugdunensem, ab Euro & Meridie Narbonensem prouinciam contingit.* Vnde iuxta hanc diuisionem, duæ tantùm comatæ Galliæ partes esse videntur, Lugdunensis videlicet, & Belgica: ita vt Aquitania non pars tertia, sed vna earum (vt dictum est) prouincia sit: sicq́; Galliæ item trina diuisio cum Togata inuenitur. Secundùm priorem enim Cometæ sine Togata tres, iuxta alteram cum Togata tres itidem inueniuntur diuisiones Galliæ. Quæ omnes, vt suprà dixi, dum regno Francorum primitùs subiacerent, pòst diuisæ, singulæ singulos reges habere cœpere: illiq́;, quòd Francorum hactenus vocatur, iuxta priorem diuisionem, Celtica, iuxta sequentem verò, Aquitania & pars Belgicæ tantùm remansit.

Burgundiæ regnum ad Imperium. Galliæ diuisio.

Ardennam.

CAPVT XXXI.

Rebellio Odonis in Gallia, expeditioq́; Imperatoris super ipsum, vbi cogitur ad deditionem. Expeditio Imperatoris in Italiam, victoriaq́; eius. Occisio Odonis à fidelibus Imperatoris, captiuitas pontificum, excidium Parmæ, processus Imperatoris in Apuliam, victoriaq́; ibi, pestilentia redeuntium, obitusq́; Augusti.

IGITVR dum Rudolphus Galliam Lugdunensem Henrico traderet, Odo Celticæ comes, eò quòd sororius eius esset, præfatum regnum iure hæreditatis ad se pertinere calumnians, armata manu ingreditur. Hoc eo tempore dum Imperator in subiugandis Polonis (quod nos per prolepsim suprà diximus) moraretur, contigit. Augustus ergo contumacia Odonis audita, in Burgundiam iturus circa natale domini militem instaurat: sed dum propter nimium frigus proficisci non posset, proxima æstate rursum Gallias ingressus est: vastataq́; per tres continuas hebdomadas ferro ac flamma Odonis terra, ille supplex venire compellitur, interpositoq́; iureiurando, ne amplius præfatum regnum quoquo modo lacessat, Imperator reuertitur. Anno sequenti rex denuò Burgundiam ingressus, omnes terræ illius principes cum Lugdunensi primate in deditionem accepit, ducensq́; secum obsides terræ, in pace repedauit. Non multo pòst ad sedandam ignobilis vulgi contumaciam, qui penè principibus prævaluerant, Italiam ingreditur: nataleq́; domini celebrans, per Brixiam ac Cremonam Mediolanum venit, eiusdemq́; vrbis episcopum, eò quòd coniurationis

Bellum Burgundicum.

erga eum factæ reus diceretur, cepit, ac Pupioni Aquileiensium patriarchæ custodiendum commisit. Episcopus verò clàm elapsus aufugit. Eapropter Imperator Paschate domini Rauennæ celebrato, verno tempore præfatæ ciuitatis territoria vastans, multa castra partim vi capta destruxit, partim in deditionem accepit. Inde Cremonam veniens, Romanum pontificem obuium habuit: quem cum multo honore susceptum & habitum dimisit, & ipse declinando calorem montana loca subijt.

Dum hæc aguntur in Italia, Odo comes sacramento rupto, denuò Imperatori in Gallia rebellat. Cumq; ad ignominiam eius castrum quoddam Barrum nomine obsidione cinxisset, à Gozilone Belgarum duce, alijsq; regni fidelibus occiditur, ac vexillum eius in signum victoriæ Augusto in Italiam mittitur. Ea tempestate Placentinus, Vercellensis, Cremonensis episcopi, dubium vtrùm licitè an secus, maiestatis rei iudicati, in exilium deportantur. Proximo dehinc Imperatore natale domini Parmæ celebrante, tumultu orto, dapifer regis necatur. Qua de re commotus princeps, omnium nisu vrbem impugnat. Ciuibus autem fortiter se defendentibus, sed tamen impetum regis diutius ferre non valentibus, fusis multis, tandem misera ciuitas crematur.

Parma igne deleta. Iisdem diebus Romanus pontifex Mediolanensium archiepiscopum, eò quòd Imperatori suo domino iniustè rebellaret, excommunicauit. Itaq; Conradus rex subacta ad plenum Italia citeriori, Appenninum transiès, regina Romam orationis gratia eunte, ac pòst ad ipsum reuertente, ipse Apuliam ingressus, ac terræ illius vrbes, Capuam, Beneuentum, aliasq; quamplures peruagatus, per Adriatici maris oram domum remeare disposuit: sed cum per lethifera loca iter ageret, ex corruptione aeris plurimos de exercitu, & de claris principibus perdidit. Mortui sunt ibi inter alios Hermannus dux, reginæ filius, Kunigunda filij regis sponsa, Cona Francorum dux, & alij quamplures. Vnde quidam ex nostris hunc rerum humanarum casum deplorans, rhythmum in modum tragœdiæ simplici stylo composuit, qui sic incipit:

Qui habet vocem serenam,
Proferat hanc cantilenam.

Mors Conradi Imp. Non multo pòst reuerso ab Italia Imperatore, sanctamq; Pentecosten in inferiori Traiecto Fresiæ vrbe celebrante, in ipsa solennitate infirmatus, XVII regni, imperij verò XIIII anno, diem vltimum clausit: sepultisq; ibidem intestinis eius, reliquum corpus in Spirensem vrbem deportatur, ibiq; in ecclesia S. Mariæ humatur.

CAPVT XXXII.

De imperio Henrici, virtutibusq; eius. De euentu ipsius in Boemia, triumphoq; eius in Pannonia. De nuptijs eius, & de morte Leopaldi Marchionis. De schismate Romanæ ecclesiæ. De depositione Gratiani, ac subrogatione Clementis; & quid Hiltebrandus inde senserit.

Henricus 3. Imp. ANNO ab incarnatione domini MXL, Henricus tertius supra dictæ Gisilæ filius, qui patre viuente regnare cœperat, ipse mortuo, LXXXIX ab Augusto, solus regnauit, in ipsoq; dignitas imperialis, quæ per longum iam tempus à semine Caroli exulauerat, ad generosum & antiquum germem Caroli reducta est. Hic per omnia patrem in virtutibus non solùm æquasse, sed & transcendisse perhibetur, regnum moderatissimè gubernans. Verùm in principio regni sui, dum Boemos resistentes sibi incautè bello peteret, plurimos de exercitu in abditis syluarum claustris perdidit. Contra quos cum debitæ indignationis aculeos exerceret, gentemq; præfatam multis malis attereret, tandem ducem eius in deditionem accepit. Vngaros quoq; varijs ac diuersis prælijs premens, Petrum regem eorum ab Ouone regno fraudulenter pulsum, intercessione Alberti Marchionis, cuius leuir erat, exulem suscepit, ac cum exercitu Pannonias ingressus, congressu habito, cum paucis incredibilem multitudinem Vngarorum fudit, Petrumq; regno restituit. Vnde rursum est ille rhythmus Hermanni Contracti de præfato triumpho, qui sic incipit:

Vox

Vox hæc melos pangat.

Accepit autem nobilissimi Galliarum principis, Pictauiæ ac Aquitaniæ ducis sororem Guilhelmi Agnetem in vxorem. Cumq; ex more regio nuptias *Inglinheim* celebraret, omne balatronum & histrionum collegium, quod (vt assolet) eò confluxerat, vacuũ abire permisit, pauperibusq; ea quæ membris diaboli subtraxerat, largè distribuit. In ipsa verò nuptiarum solennitate, tristia lætis admixta sunt. Nam illustrissimus Alberti Marchionis filius Leopaldus adolescens, immatura morte omnium planctu rapitur, & à patruo suo Popione Treuerorum archiepiscopo, in vrbe Treuerensi sepelitur. Hic est Leopaldus, qui cum patre suo Alberto Marchiam Orientalem Vngaris eripuit, ac inter cætera virtutis suæ opera, exercitũ Ouonis innumerabilem, fines suos ex improuiso vastantem, subitò correptis armis (quod tamen in omni conflictu etiam fortibus incautum est) penè funditùs cum paucis deleuit. *Nuptiæ Augustales.*

Circa idem tempus pudenda confusio ecclesiæ dei in vrbe Roma fuit. Tribus ibi inuasoribus, quorum vnus benedictus dicebatur, sedem illam simul occupantibus, atq; ad maioris miseriæ cumulum diuisis simul cum redditibus patriarchis, vno ad sanctum Petrum, altero ad sanctam Mariam maiorem, tertio, id est, Benedicto, in Palatio Lateranensi sedente, flagitiosam & turpem vitam, vt egomet in vrbe Romanis tradentibus audiui, duxere. Hunc miserrimum statum ecclesiæ, religiosus quidam presbyter Gratianus nomine videns, zeloq; pietatis matri suæ compatiendo, animaduertens, præfatos viros adijt, eisq; à se de sancta cedere pecunia persuasit, Benedicto redditibus Angliæ, quia maioris videbatur auctoritatis esse, relictis. Ob ea ciues præfatum presbyterum tanquam ecclesiæ dei liberatorem, in summum pontificem elegerunt, eumq; mutato nomine Gregorium septimum vocauerunt. Quod audiens rex, procinctum mouet in Italiam. Porrò Gratianus regi apud Sutrium occurrens, ad leniendum ipsius animum, diadema preciosum obtulisse dicitur. Quem rex primò, vt decuit, honorificè susceptit, postmodum autem collecto episcoporum conuentu, à pontificatu pro nota simoniæ cedere persuasit, eiq; Suidegerum Babenbergensem episcopum, qui & Clemens, consensu Romanæ ecclesiæ substituit. Hunc Gratianum Alpes transcendentem, secutum fuisse tradunt Hildebrandum, qui postmodum summus pontifex factus, ob eius amorem, quia de catalogo pontificum semotus fuerat, se Gregorium VII vocari voluit: & sicut in Lucano habes, *Schisma Pontificium.*

Victrix causa dijs placuit, sed victa Catoni:

ita & huic Hildebrando, qui semper in ecclesiastico rigore constantissimus fuit, causa ista in qua sententia principis & episcoporum prævaluit, semper displicuit. Exhinc Romana ecclesia in electione canonica pontificum, intantum infirmata inuenitur, quòd iste quatuorq; sequentes ab Imperatore ibi positi in catalogo inueniantur. Qualitèr autem industria & opera præfati Hildebrandi sub Leone iuniore libertatem suam ex parte, sub Alexandro verò plenè rehabuerit, sicut probatorum virorum relatu cognouimus, infrà dicemus. *N B.*

CAPVT XXXIII.

Henricus Romæ à Clemente coronatur, ac per Apuliam transiens in patriam venit: & qui postmodum ab ipso Romanæ sedi præpositi sint, & qualiter Bruno, qui & Leo, ad episcopatum venerit. De deditione Gotfridi & Balduini ducum, & synodo celebrata, expeditione Vngarica. De irruptione Nortmannorum in Apuliam, transituq; Leonis, subrogatione Teutonicorum pontificum, morteq; Imperatoris.

ANno ab incarnatione domini MXLVII, Henricus rex victoriosissimus, in die natalis domini à Clemente coronatus, Imperatoris & Augusti, XC ab Augusto, nomen suscepit. Inde per Apuliam exercitum ducens, cum honore ad patriam reuertitur. Eodem anno Suidegero mortuo, Popio Aquileiensium patriarcha, in locum eius subrogatur. Non multo pòst Petrus Vngarorum rex, à quodam cliente suo Andrea nomine, oculis ac regno priuatur. Popione quoq;, qui & Damasus, mortuo, Bruno, qui & Leo, Tullensium episcopus, Romanam ecclesiam gubernandam suscepit. Hic ex nobili Francorum prosapia oriundus, auctoritate regalis excellentiæ, *Bruno de Egisheim pontifex Rom.*

ad ſedem beati Petri deſtinatus fuerat. Cumq; aſſumpta purpura pontificali, per Gallias iter ageret, contigit eum Cluniacum venire, vbi fortè tunc præfatus Hildebrandus prioratus, vt dicitur, obedientiam adminiſtrabat. Is Leonem adiens, æmulatione dei plenus, conſtanter eum de incepto redarguit, illicitum eſſe inquiens, per manum laicam ſummum pontificem, ad gubernationem totius eccleſiæ violenter introire. Verùm ſi ſuis ſe credere velit conſilijs, vtrumq;, & quòd maieſtas imperialis in ipſo non exacerbetur, quodq; libertas eccleſiæ in electione canonica renouetur, ſe pollicetur effecturum. Inclinatus ille ad monitum eius, purpuram deponit, peregrinique habitum aſſumens, ducens ſecum Hildebrandum, iter carpit. Igitur ad Vrbem vſq; venientes, conſilio Hildebrandi à clero & populo Bruno in ſummum pontificem eligitur, ſicq; vtcunq; Romana eccleſia ad faciendam electionem informatur. Imperator Belgicam ingreſſus, Gotfridum & Balduinum duces ad deditionem coegit. Poſt hoc ſynodus Moguntiæ celebratur, in præſentia ſummi pontificis Leonis, & Imperatoris. Rex iterum ad comprimendam Andreæ, qui eiecto Petro Vngarorum regnum inuaſerat, contumaciam, Pannonias ingreditur: ſed latitantibus vndiq; incolis terræ, & victui neceſſarijs vel reconditis, vel contaminatis, militem ibi ſuſtentare non valens, cunctis tamen vaſtatis reuertitur. Anno ſequenti denuo Pannonias hoſtiliter petens, ſummum pontificem Leonem ſecum duxit.

Nortmanni in Apuliam.

Ea tempeſtate Nortmannorum gens inquietiſſima, Roberto Guiſcardo duce, humilis conditionis viro, ſed ſtrenuiſſimo, Apuliam irrupit, multisq; malis, fraude & vi incolas terræ afflixit. Quos dum Leo Papa cum militia ad Vrbem rediens, eccleſiæ & Imperij finibus coercere vult, commiſſo prælio, cæſis multis fugere Beneuentum compellitur. Tanta verò ſtrages vtrorumq; ibi facta fuit, quòd aceruus ex oſſibus mortuorum compactus, hactenus ab indigenis illic monſtratur. Anno dehinc proximo Leo Papa moritur, & in eccleſia beati Petri Romæ humatus, miraculis clarus habetur. Cui Gebehardus Eiſtetenſis, qui & Victor, ſucceſſit, & illi Stephanus item natione Teutonicus. Imperator rurſum Italiam ingreſſus, Beatricem Mathildæ matrem, conſanguineam ſuam, marito ſuo Bonifacio Marchione defuncto, ſecum reduxit. Ipſe verò non multo pòſt in termino Saxoniæ & Thuringiæ, in loco qui dicitur Botfeld, infirmatus, publicè culpas ſuas recognoſcens, XVII regni ſui, imperij verò XI anno diem vltimum clauſit, ac iuxta patrem humatus eſt. Cæterùm tam eius quàm patris ſui actus & virtutes Hermannus Contractus in libello quodam, quem ipſi deſtinauit, luculenter ſatis diſſeruit.

CAPVT XXXIIII.

De imperio Henrici, matrisq; eius Agnetis. De liberatione Romanæ eccleſiæ, ac rebellione Saxonum. De morte Alexandri, ſubrogationeq; Gregorij vij. & ſchiſmate inter regnum & ſacerdotium orto. De virtutibus eiuſdem ſacerdotis, inſtitutisq; ſalubribus. De pugna Saxonum & regis.

Henricus 4. Imp.

ANNO ab incarnatione domini MLVII, Henricus quartus Henrici filius admodum puer, patri in regnum ſuccedens, XCI ab Auguſto regnare cœpit. Hic primò ſub cuſtodia matris ſuæ Agnetis imperatricis fuit, ipſaq; per aliquod tempus prudenter ac ſtrenuè Imperium rexit, poſtmodum conſilio quorundam matri alienatus, per ſe regnauit: quod ſeminarium maximæ diſſenſionis fuit. Porrò nobiliſſima imperatrix, mutationis rerum intuitu, ad monaſterium Fruteriam religioſè viuens ſe contulit, ac inde Romam veniens, & per aliquod tempus ibidem manens, vita deceſſit, & in eccleſia beatæ Petronellæ honorificè in tumba marmorea ſepulta eſt.

His diebus Alexander primò Lucenſis epiſcopus, pòſt communi voto & electione in ſummum pontificem promotus, eccleſiam iam diu ancillatam in priſtinam reduxit libertatem, * Carolumq; Parmenſem epiſcopum, armata manu, ſedem Romanam occupare volentem, conſtantiſſimè repreſſit. Vnde de ipſo in palatio Lateranenſi ſcriptum reperi,

** alij Cadolum vocant.*

Regnat Alexander, Carolus cadit, & ſuperatur.

Itaq; cùm (vt ſæpe dixi) diadema regni à ſacerdotali gladio feriendum foret, in ſe-

ipſum

ipsum diuiditur, Saxonibusq; rebellionem machinantibus, conspirationes fiunt, detractiones in principem dictantur, multaq; inhonesta de ipso ad aures summi pontificis referuntur. Deinde missis à rege Annone Colonien si, Hermanno Babenbergensi, pro iusticia regni Romam episcopis, peracta legatione reuertentes, literas summi pontificis reportant, regem ad satisfactionem pro simonia, alijsq; multis, quæ ei obiecta fuerant, inuitantes. Ea tempestate Saxones conceptam diu corde malitiam amplius celare non valentes, manifestè regi rebellant, castellaq; ac munitiones quas ibidem fecerat, dissipant.

Anno sequenti Alexander vita & sacerdotio perfunctus decessit, sedemq; Hiltprando archidiacono suo, qui Gregorius VII dictus est, reliquit. Exhinc schisma grauissimum, eò quòd absq; consensu regis per electionem constitutus fuerat, oritur. Ipse autem qui per multum temporis ad libertatem ecclesiæ obtinendam priuatus laborauerat, iam ad sacerdotalem dignitatem prouectus, à cœpto desistere indignum ducens, tam ob hoc, quàm pro simonia extirpanda, ac incontinentia clericorum reprimenda, plurimùm desudabat. Deniq; non solùm regem pro eiusmodi ad synodalia responsa crebrò vocauit, sed & datis decretis, clericorum à subdiaconatu & suprà, connubia in toto orbe Romano cohibuit, formaq; gregis factus, quod verbo docuit, exemplo demonstrauit: ac fortis per omnia athleta, murum se pro domo domini ponere non timuit. Rex verò ex omnibus regni visceribus contractis copijs, Saxones bello petit, commissoq; iuxta fluuium Vnstrot prælio, cæsisq; ex vtraq; parte multis, cruenta tandem victoria regi cessit. Ceciderunt in hoc conflictu Gebehardus pater Lotharij, qui postmodum rex fuit, Ernustus Marchio, Alberti (cuius suprà mentio habita est) filius, & alij innumerabiles.

Gregorius 7. pont.

CAPVT XXXV.

De viso cometa, & expugnatione Angliæ. De nuptijs regis, sententiaq; in eum à summo pontifice data, depositis super eum regibus, & in breui occisis.

ANno ab incarnatione domini MLXVI, stella quæ cometes dicitur visa, effectu non caruit. Eodem enim anno Guilhelmus Nortmanniæ comes, Britanniam maiorem, quæ nunc Anglia dicitur, occiso rege eius Heraldo, expugnauit, totaq; in seruitutem redacta prouincia, ac Nortmannis ibi positis, illo tempore regnauit. Anno sequenti rex Bertam Ottonis Italici Marchionis filiam vxorem accipiens, nuptias apud Triburias celebrauit. At Romanus pontifex regem sæpe vocatum excommunicauit, eiusq;, vt dicitur, consilio & auctoritate Rudolfus Alemanorum dux, à quibusdam principibus rex creatur. Quo non multo pòst, in publico bello occiso, atque Hermanno Lotharingiæ principe sibi substituto, & ipse non multo pòst à fidelibus regis occiditur. Lego & relego Romanorum regum & Imperatorum gesta, & nusquam inuenio quenquam eorum ante hunc à Romano pontifice excommunicatum, vel regno priuatum: nisi fortè quis pro anathemate habendum ducat, quòd Philippus ad breue tempus à Romano episcopo, inter pœnitentes collocatus, & Theodosius à beato Ambrosio propter cruentam cædem, à liminibus ecclesiæ sequestratus sit.

Nuptiæ Henrici 4.

Henricus 4. inter Cæsares primus piorum communione submotus.

NB.

CAPVT XXXVI.

Excursus, qualiter intelligi possit quod in Daniele legitur, lapidem excisum de monte sine manibus, statuam in pedibus, qui ex parte ferrei, ex parte fictiles erant, percussisse. Mala temporis illius, obitusq; Gregorij, & terminus libri.

HIc quod suprà distuli, soluendum puto, quòd Romanum Imperium ferro in Daniele comparatum, pedes ex parte ferreos, ex parte fictiles habuit, donec à lapide præciso de monte sine manibus, excisum subruetur. Quid enim aliud (sine melioris sententiæ præiudicio) lapidem sine manibus excisum, quàm ecclesiam capitis sui corpus, sine carnali commixtione ex spiritu sancto conceptum, & virgine natum, ipsam quoque sine humana operatione, & ex spiritu & aqua regeneratam

Dan. 2.

dixerim? Quæ virgo ſpecioſa, quia ſine macula, in nouum hominem tanquam iuuencula regenerata, ideoq; ſine ruga, ſic quotidie virgo manens, nouum ac ſpecioſum parit populum. Sicut mater capitis eius virgo manens, contra legem naturæ nouum ac ſpecioſum edidit partum: ſic de virginitate gaudens, vt tamen ſterilis non maneat. Hoc nimirum regnum circa finem ſuum, quem pedes ſignificant, ferreum propter Martem, fictile propter conditionem, in ea parte quæ infirmior fuit, percuſſit: dum regem orbis non tanquam orbis dominum vereri, ſed tanquam de limo per humanam conditionem factum fictilem, gladio anathematis ferire decuit. Ipſa verò quæ antea parua fuit & humilis, in quantum montem excreuerit, ab omnibus iam videri poteſt. Quanta autem mala, quot bella, bellorumq; diſcrimina inde ſubſecuta ſint, quoties miſera Roma obſeſſa, capta, vaſtata, quòd Papa ſuper Papam, ſicut rex ſuper regem poſitus fuerit, tædet memorare. Denique tot mala, tot ſchiſmata, tot tam animarum, quam corporum pericula, huius tempeſtatis turbo inuoluit, vt ſolus ex perſecutionis immanitate, ac temporis diuturnitate, ad humanæ miſeriæ infelicitatem ſufficeret comprobandam. Vnde à quodam eccleſiaſtico ſcriptore, denſiſſimis Ægypti tenebris comparatur. Prædictus enim pontifex Gregorius, à rege vrbe pellitur, Gibertusq; Rauennatenſis epiſcopus in locum eius ſubtruditur. Porrò Gregorius Salerni manens, appropinquante vocationis ſuæ tempore, dixiſſe fertur: Dilexi iuſticiam, & odi iniquitatem, propterea morior in exilio. Quia ergo in principe ſuo regnum ab eccleſia præciſum grauiter percuſſum fuit, eccleſia quoque tanto paſtore, qui inter omnes ſacerdotes, & Romanos pontifices præcipui zeli ac auctoritatis erat, orbata, dolorem non modicum habuit. Tanta mutatione, tanquam à perfectione ad defectum vergente tempore, ſexto Operi finem imponamus, vt ad ſeptenarium, requiemq; animarum, quæ miſeriam præſentis vitæ ſubſequitur, Deo ductore properemus.

LIBRI SEXTI FINIS.

OTTO-

OTTONIS FRISINGENSIS EPISCOPI CHRONICORVM LIBER SEPTIMVS.

PROLOGVS.

OMNIS homo ad hoc rationis capax est, vt auctorem suum deum cognoscat, factaq; sua cæco corde non transeat, surdis auribus non audiat. Denique ad hoc hominem creatum esse, forma quoq; corporis non in modum cæterorum animantium acclinis, sed cælum respiciendo sublimis, probat. Interior etiam homo ad imaginem creatoris sui factus, materiam inuestigandæ veritatis non solum in creaturis aliis pulchris & magnis foris accipit, sed & in seipso, eò quòd lumen vultus domini super se signatum habeat, intus inuenit. Proinde non iuxta quosdam Deum negligere mundum, sed potentissima maiestate, quæ non erant, creasse, sapientissima prouidentia creata gubernare, benignissima gratia gubernata conseruare: ex hoc liquido datur intelligi, quòd quilibet sapiens & bonus propria benefacta diligit & amplectitur. Quod si homo id mutabilitati subiacens, participatione, imò denominatione sapientiæ sapiens, participatione, imò denominatione bonitatis bonus, facere nouit: quanto magis Deus solus immutabilis, solus sua sapientia sapiens, solus bonus sua bonitate, & idcirco solus bonus facere credendus est? Vnde est illud Augustini: Duo sunt propter quæ Deus amat creaturam suam, vt sit, & vt maneat. Vt esset quod maneret, Spiritus Domini ferebatur super aquas. Vt autem maneret, Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona. Si ergo Deus quæ fecit diligit, nihilq; eorum quæ sunt, sine eius nutu fieri possunt, si potestates omnes ordinat: multò magis regna, per quæ alia minora disponit, eorumq; mutationes fieri permittit. Quod sine odio, sine inuidia prouenire, non solum ex hoc quòd ab optimo, iuxta Platonem, longè inuidia relegatur, sed & per hoc, quòd auctor & creator omnium, nihil eorum quæ fecit odisse potest, innuitur. Vnde in libro Sapientiæ pulchrè de ipso dicitur: Misereris omnium domine, & nihil odisti eorum quæ fecisti. Et rursum: Tu autem domine cum tranquillitate iudicas omnia. Quod igitur mundus transit, quòd tam miserabiliter variatur, cum sine nutu eius (vt dixi) fieri non possit: non crudeliter, quia miseretur omnium: non ex odio, quia nihil eorum odit quæ fecit: non extrà, quia cum tranquillitate iudicat: sed iusto eius iudicio causaq;, quæ etsi nos lateat, vtilissima tamen creditur, contingit. Nullum enim malum auctor bonitatis, & fons pietatis fieri permittere credendus est, præter id quod quamuis in seipso noceat, vniuersitati prodest. Quod in malo Iudaicæ gentis considerari potest: quia illo excæcato populo, vniuersitas gentium lumen veritatis accepit. Sic & regnorum mutationes, & ad vltimũ imminutiones, quis fructus sequatur, quia non sine graui scandalo dicere possumus, Deo, apud quem nihil inutiliter effluere potest, relinquamus. Non desunt tamen qui dicant, Deum ad hoc regnum inuminui voluisse, vt ecclesiam exaltaret. Regni quippe viribus ac beneficentia regum exaltatam & ditatam nemo ambigit ecclesiam: costatq; non prius eam in tantum regnum humiliare potuisse, quàm ipso ob amorem sacerdotij euiscerato, ac viribus exhausto, non eius tantùm, id est spiritali, sed suo proprio materiali scilicet gladio percussum destruetur. quod iudicare, vel discutere, supra nostras vires est. Videntur tamen culpandi sacerdotes per omnia, qui regnum suo gladio, quem ipsi ex regum habent gratia, ferire conantur, nisi forte Dauid imitari cogitent, qui Philistheum primo virtute dei strauit, postmodum proprio gladio iugulauit. Verum quia regno decrescente, ecclesia (vt dixi) brauium æternæ patriæ, ac post vitæ præsentis laborem, requiem adeptura, in præsenti quoq; in magnum montem crescens, in magna auctoritate stare cœpit, ea quæ sequuntur, præsertim cum ad nostra tempora, recentemq; memoriam ventum sit, tam defectu rerum temporalium, quàm profectu spiritualium, mundi contemptum prodentia, in hoc Opere dicenda restant.

Sap. 11. & 12.

Ecclesia à regibus ditata. NB.

Improbum eos per quos perfecerit, deprimere.

Nemo autem propter hæc verba nos Christianum imperium ab ecclesia separare putet, cum duæ personæ in ecclesia dei, sacerdotalis & regales esse noscantur: meminerit q; nos suprà dixisse, à tempore Theodosij senioris, vsq; ad tempus nostrum, non iam de duabus ciuitatibus, imò de vna penè, id est, ecclesia, sed permixta, historiã texuisse. Quod temperamentũ propter hæreticos,

vel excommunicatos ex regibus, posuimus. Alios enim Christiana fide, etsi operæ quæ credunt non sequuntur, in ecclesia secundùm præsentem statum computandos esse, nemo qui sagenam domini malos & bonos continere scit, dubitat. Non enim discerni possunt in præsenti, ecclesia tantùm quæ manifesta sunt iudicante. Deo solo, qui nouit qui sint eius, cuius ventilabrum in manu eius, merita singulorum pensante. Porrò ecclesiam, ecclesiasticas personas, id est, sacerdotes Christi, eorumq; sectatores, tam ex vsu locutionis, quàm consideratione potioris partis diximus: non ignorantes, quòd & ipsi si reprobam vitam duxerint, ad ciuitatem dei in æternum non pertinebunt.

OTTONIS CHRONICORVM LIBER SEPTIMVS.

CAPVT I.

De electione Victoris, consecrationeq; eius, & morte.

DEFVNCTO Salerni beatæ memoriæ summo pontifice Gregorio, ecclesiaq; in summo discrimine posita, eò quòd Gibertus auctoritate Imperatoris Romanam sedem & Vrbem occupasset, abbatem Cassinensem, cardinalem Desiderium, qui & Victor, inuitum pauci de Romanis ad culmen sacerdotij summi trahunt, corruptisq; pecunia Leoninæ vrbis custodibus, ob metum schismatis, nocte consecrandum in ecclesiam beati Petri inducunt. Vbi profluuio ventris correptus, moxq; Vrbem egressus, rebus humanis in breui excessit, ac Ottoni Hostiensi episcopo, qui & Vrbanus, ecclesiæ regimen reliquit.

CAPVT II.

De expeditione Hierosolymitana sub Vrbano, exitu, progressuq; ipsorum. De captione Antiochiæ.

EA tempestate, regnante, adhuc Henrico quarto Romę, Constantinopoli Alexio, vbiq; terrarum iuxta Euangelium, gens contra gentem surrexit, Orientalisq; ecclesia grauem à Paganis persecutionem passa fuit. Ciuitas etiam sancta à gentibus conculcabatur, sepulchrum tantùm Domini áb eis, quæstus duntaxat gratia, in magna veneratione habebatur. Itaque Christicolæ qui miserabiliter illic sub tributo viuebant, simul cum Alexio Constantinopolitano Imperatore, missis ad Vrbanum Papam epistolis, auxilium flagitabant. Qui super afflictione populi dei motus, laboriosa via in Galliam profectus est, habitoq; ibi concilio, verbo sanctæ prædicationis circiter centum M. hominum ex diuersis nationibus in militiam Christi coadunauit, præfectis sibi ducibus Gotfrido Lotharingiensi, Roberto Flandrensi, Regimundo comite de sancto Egidio, Hugone fratre Philippi regis Galliæ, alijsque nobilibus, & viris bellatoribus, quorum omnium curam venerabili Podiensi episcopo commisit. Hæc fama commouit diuersos populos, & ignotos, scilicet, ex Aquitania, atque Nortmannia, Anglia, Scotia, Hybernia, Britannia, Galitia, Gaschonia, Gallia, Flandria, Lotharingia, Burgundia, cæterosque populos non solùm terram, sed & insulas maris, ac vltimum oceanum inhabitantes. E quibus tam ignotæ & lingua, & moribus, & operibus visæ sunt gentes, vt alij tantùm pane & aqua, alij pro omnibus vtensilibus argento vti dicerentur. Hi omnes è diuersis nationibus & linguis in vnum corpus adunati, crucem in vestibus portantes, crucis CHRISTI discipulos verbo & opere se fore prædicabant: ac crucis virtute confisi, contra inimicos crucis in domino dimicaturi, iter, Gotfrido duce, in Orientem aggrediuntur. Verùm Orientales Francos, Saxones, Thuringos, Baioarios, & Alemanos propter schisma, quod eo tempore inter regnum & sacerdotium fuit, hæc expeditio minus permouit. Fuere quidam tamen ex eis, qui falsa specie religionis, eandem militiam aggrederentur: inter quos Emicho quidam

Belli sacri initium.

quidam comes de partibus Rheni, vsurpans sibi ducatum ferè XII milium, Iudæos vbicunq; reperit, vel delere, vel ecclesiæ incorporare satagebat. In Pannonia itaq; incolis transitum in arctis locis prohibentibus, ad propria redire cogũtur. At Gotfridus & cæteri prænominati duces, deo propitio Bulgaria, quamuis difficulter, permeata, Constantinopolim peruenere, vbi multa dolis Alexij Imperatoris perpessi, dum seditione orta, mortis periculum euasissent, ponte vrbis regiæ expugnato, suburbia eius destruxerunt. Inde recensitis absq; paruulis & mulieribus CCC M. pugnatorum, Nicæam catholicæ fidei quondam turrem, deuenere, eamq; fugato principe Paganorũ Solomanno, cepere, captamq; Imperatori tradidere. Deinde progredientes, maritima Rutenorum attingunt, vbi tanta vsi sunt rerum humanarum abundantia, vt aries nummo, bos siclo, teste Roberto comite, venundaretur. Principes quoq; seu reges Sarracenorũ occurrentes sibi, opitulante deo oppresserunt. His elati successibus, Antiochiam Syriæ metropolim obsidione cingunt. Vbi per IX menses morantes, deficiente exercitu, ac exhaustis copijs, plurimùm humiliantur. Dominus ergo afflictionem populi sui aspiciens, vrbem cum copijs Turcorum, in manus eorum tradidit.

CAPVT III.

Legatio Sarracenorum ad Gotfridum ducem, descriptioq; antiquæ ac nouæ Babylonis.

CIRCA idem tempus Christianis in obsidione Antiochiæ morantibus, cunctis Orientalibus populis terrore perculsis, Ægyptiorum regis, qui vulgo Babyloniorum putabatur, legati ad Gotfridum ducem veniunt, eiq; auxilium contra Turcos, qui tunc Hierosolymam cum tota Palæstina Sarracenis ablata tenebant, in dolo promittunt. Est enim antiquæ Babylonis (vt à probatis transmarinorum viris cognouimus) pars adhuc habitabilis, Baldach dicta: pars, vt in prophetia habes, deserta & invia, per X miliaria vsq; ad turrim Babel extensa. Ipsa autem quæ inhabitatur, & Baldach vocatur, maxima est, & populosa: & cum de imperio debeat esse Persarum, summo sacerdoti suo, quem ipsi Caliph dicunt, à regibus Persarum concessa: vt & in hoc quædam habitudo, sicut sæpe iam dictum est, inter Babyloniam & Romam eluceat: quia quod hic à Christiano Imperatore, summo nostro pontifici in vrbe Roma traditum est: hoc ibi à Paganis Persarum regibus, quibus ex longo tempore Babylonia subiacuit, eorum summo sacerdoti indultum est. Ipsi verò Persarum reges, sicut & nostri vrbem regiam, velut Aquisgrani, Egbatani, quam Arphaxat in libro Iudith fundasse legitur, lingua eorum Hani dictam, C uel amplius, vt volunt, pugnatorum milia habentem, sedem regni constituerunt, nihil sibi de Babylone, præter nomen imperij reseruantes. Porrò ea quæ nunc vulgo, vt dixi, Babylonia vocatur, non super Eufraten, vt illi putant, sed super Nilum circiter sex diætas ab Alexandria posita est, ipsaq; est Memphis, à Cambyse filio Cyri olim Babylonia vocata. & ibi rex Ægyptiorum, quamuis caput regni sui Alexandria sit, propter hortum balsami morari dicitur. Quod etiam ex hoc perpendi potest, quia cum in vtraq; Christiani, sed sub tributo, maneant vrbe, Memphorum episcopus, Alexandrinorum patriarchæ iure ecclesiastico subditus est. Quem non Assyrijs seu Babylonijs, sed Ægyptijs & Africanis ex prima institutione, & Nicæi concilij auctoritate prælatum fuisse inuenimus.

Baldach vrbs ad Tigrim.

N B.

Babylon noua.

CAPVT IIII.

Item legatio Gotfridi ad regem Babylonicum, fraus Sarraceni, afflictioq; populi dei, victoriaq; subsequens, & post fames: expugnatio vrbis Hierusalem.

ITAQVE præfati regis legatis duci Gotfrido præsentatis, lectissimi proceres Francorum (sic enim omnes Occidentales populos, ob antiquam gentis illius dignitatẽ, vt puto, & virtutem, Orientales appellare solent) Babyloniam destinantur. Barbari ergo fortitudinem, proceritatem, habitum, incessum, elegantiam virorum mirãtes, eos deos esse, non homines affirmabant. Proinde habito concilio, Babyloniorum rex ductis secum Francorum legatis, Hierusalem obsedit: præfatosq; heroas in mediũ producens, se cum eis fœderatum dicit: & sic eorum potius quàm suo terrore ciuitate in

deditionem accepta, Turcis expulsis, Sarracenos ibi collocauit. Inter hæc Christiani capta Antiochia, vt diximus, deum non dignè glorificantes, tanta Sarracenorum multitudine cinguntur, vt priorem vbertatem tam intolerabilis sequeretur fames, quòd & ab humanis carnibus vix abstinerent. Itaque contritionem populi sui misericors dominus clementer animaduertens, ac intuitu gratiæ suæ considerans, lanceam sacram, qua Christi filij sui latus in passione perforatum legitur, vsq; ad id tempus incognitam, superna reuelatione fidelibus suis monstrauit. Cuius fiducia Christiani, quamuis fame attenuati, egressi, Sarracenos non sua, sed virtute Christi fuderunt. Inde in Syriam profecti, Barram & Marram vrbes ceperunt. Vbi moram facientes, tanta rursus famis inopia narrantur attriti, vt humana quoq; corpora iam fœtentia comederent. Pòst contra ciuitatem Sanctam iam à Sarracenis inhabitatam, aciem dirigunt. Quam obsidione clausam, cum capere non possent, habito consilio, humilitatis magistrum imitantes, nudis eam pedibus circuire disponunt. Igitur octaua, id est, ea qua diuisio apostolorum celebratur, die, ciuitas capitur, ac hostes qui ibidem reperti sunt, tanta strage cæduntur, vt in porticu Salomonis sanguis interfectorum nostris ad genua vsq; attingeret equorum. Et nota, quòd pulchrè post humiliatum populum dei, precesq; ad dominum fusas, octaua die ciuitas Sancta à gentibus conculcata, à nostris obtinetur. Sicut enim Hiericho sub obseruatione sabbati, à priore populo septimo die, sic & hic à Christiano populo, octaua tanquam abolita lege ac sabbato, resurrectionis die sequente, Hierusalem girata expugnatur. Exhinc Hierusalem, & sepulchrum domini à nostris possidetur.

Hierosolyma à Christianis capta.

CAPVT V.

Dolus item Babylonici regis, victoria nostrorum, reditus primatum, ducatusq; Gotfridi super eos qui remanserant.

PORRO Mempheorum seu Alexandrinorum rex, qui Babyloniorum Admiraldus à peregrinis vocatur, apud Ascalonem manens, ducens secum Francorum legatos Antiochiam, eo quo & vrbem Sanctam dolo capturus, iter flectit. Christiani verò relictis in vrbe sarcinis & infirmis, contra Sarracenos procinctum mouent. Cumq; infinitam multitudinem hostium conspexissent, fusis ad dominum precibus, audacter eos cum pauciſſimis aggrediuntur. Et mirum dictu, dei qui potest omnia, virtute, cum quinq; milibus equitum, & XV milibus peditum, C milia equitum, & CCC milia peditum terga vertere compellunt, ac spolia multa diripiunt. Ceciderunt in hoc prælio ex Sarracenis plus quàm CM. gladio, duoq; M. suffocata circa portam vrbis narrantur: innumeri etiam submersi, seu spinis obruti feruntur. Peracta verò victoria, reuersis ad propria primoribus, Gotfridus ducatum eorum qui remanserant, strenuissimè rexit. Hic etiam inter Francos, Romanos, & Teutonicos, qui quibusdam amaris & inuidiosis iocis rixari solent, tanquam in termino vtriusq; gentis nutritus, vtriusque linguæ scius, medium se interposuit, ac ad commanendum multis modis informauit.

CAPVT VI.

Quomodo Vrbanus ejecto Giberto, sedem receperit, ipseq; moriens Paschali eam reliquerit.

VERVM Vrbanus à concilio Claremontensi regressus, auxilio eorum quos ad Hierosolymitanum inter accenderat, Gibertum ab Vrbe, excepto castro Crescentij ejecit, sedemq; propriam recepit. Inde per Apuliam & Calabriam, Siciliam, quas tunc Nortmanni inhabitabant, ingressus, pecuniam magnam collegit: sicq; ad Vrbem regrediens, corruptis eis qui castrum Crescentij seruabant, muneribus, Giberto tam Vrbe quàm castro expulso, liberè tota potitur Vrbe. Ipse verò non multo pòst rebus excedens humanis, Paschali cathedram reliquit.

CAPVT VII.

De morte Gotfridi, & regno fratris sui Balduini. De morte Giberti schismatici, Conradiq; Imperatoris filij. De secunda transmarina expeditione, exituq; eius, ac martyrio Thiemonis episcopi.

Anno

ANNO ab incarnatione domini MC, cum ex omnibus mundi partibus ad Hierusalem terrestrem, cœlestis typum gerentem, fideles orationis causa confluerent, multis ex corruptione aeris mortuis, Gotfridus quoq; glorioſiſſimus dux, infauſta morte, poſt vnum ducatus ſui annum raptus, in eccleſia iuxta ſepulchrum domini humatur, eiq; frater eius Balduinus, auctoritate ſummi pontificis, regio nomine ſublimatus ſubrogatur. Signa verò ac prodigia, cœlo terraq; circa hæc tempora viſa, tam ſchiſma regni, quàm iter Hieroſolymitanum portendentia, ab alijs poſita ſufficiant. Eo tempore Gibertus moriens, horribili ſchiſmati tanquam denſiſſimis Ægypti tenebris, finem impoſuit. Anno ſequenti Cõradus Henrici Imperatoris filius Chriſtianiſſimus, cui pater Italiam commiſerat, IX ex quo à patre diſceſſerat anno, immatura morte præuentus, diem obijt, ac in ciuitate Florentia Tuſciæ, honorificè ſepultus eſt. Eodem anno Guilhelmus comes Pictauienſis, & dux Aquitaniæ, Themo Iuuanienſis archiepiſcopus, Guelfo Noricorum dux, qui in guerra cum Imperatore Friſingenſem & Auguſtenſem deſtruxit vrbes, Itha Marchioniſſa Leopoldi Marchionis Orientalis mater, Guilhelmus, Stephanus Italici barones, cum multis ex Aquitania, Germania, Italia, Hieroſolymam, per Vngariam & Græciam pergunt, quos Alexius Imperator in arctis locis fraudulenter expoſitos, penè omnes crudeliter extinxit, elegantioribus ex eis captis, & Mempheorum regi ſeu Admiraldo præſentatis. Quam hiſtoriam miſerabiliter ac luculenter in modum tragœdiæ quidam ex his, qui ſe eidem expeditioni interfuiſſe teſtatur, executus eſt. Comprehenſus inter alios venerabilis præſul Thiemo, ad idololatriam, vt tradunt, à rege angariatur. Ille inducias petens, phanum ingreſſus, animi & corporis viribus robuſtiſſimus, idola quæ adorare debuit, non deos, ſed opera manuum oſtendens, in fruſta comminuit. Ob ea productus, ac exquiſitis ſupplicijs & tormentorum generibus affectus, glorioſo martyrio coronatus eſt. Quòd ob fidem Chriſti paſſus ſit, fideliſſima traditio habet. Quòd autem idola comminuit, ex hoc credere difficile eſt, quia conſtat vniuerſitatem Sarracenorum vnius dei cultricem eſſe, librosq; legis, necnon & circumciſionem recipere, Chriſtum etiam & apoſtolos, & apoſtolicos viros non improbare. In hoc tantùm à ſalute longè eſſe, quòd Ieſum Chriſtum humano generi ſalutem afferentem, deum vel dei filium eſſe negat, Mahometq; ſeductorem (de quo ſuprà dictum eſt) tanquam prophetam magnum ſummi dei veneratur & colit. Cuius ſeductionis, vt ipſe mentitur, prædicationis tale apud eos traditur eſſe exordium: *Initium euangelij Mahumet filij dei prophetæ altiſſimi: Lauamini, mundi eſtote.* Quod præceptum prædicta gens ſtolidè ſeruans, ſecretiores corporis partes quotidie abluere ſolet.

Inauſpicata in Syriam expeditio.

Sarracenorum religio.

CAPVT VIII.

De occiſione Sigehardi, inteſtinisq; malis inter regem Henricum, & filium eius.

ANNO ab incarnatione domini MCII, Imperator Henricus natale domini Moguntiæ celebrans, ibiq; Henrico filio ſuo rege poſt ſe deſignato, ſepulchrum domini ſe viſurum publicè denuncians, multos ex diuerſis partibus regni ad idem accendit. Anno dehinc proximo natale domini Ratiſponæ agens, orta ſeditione, Sigehardus comes à familia principum, qui miniſteriales dicuntur, eò quòd iuſticiam eorum infringere diceretur, occiſus eſt. Anno dehinc iterum ſequente natale domini Moguntiæ Imperatore celebrante, Henricus filius eius rebellionem contra patrem in Noricis partibus, conſilio Theobaldi Marchionis, & Berengarij comitis, ſub ſpecie religionis, eò quòd pater eius à Romanis pontificibus excommunicatus eſſet, molitur: aſcitisq; ſibi quibuſdam ex Orientali Francia, Alemania, Baioaria principibus, Saxoniam, terram & gentem contra regem facilè animandam ingreditur. Vbi honorificè ſuſceptus, ac Paſcha domini Quintelinburg manens, vniuerſos gentis illius primates ad voluntatem ſuam inclinauit: habitoq; in villa regia Northuſen epiſcoporum conuentu, præſidente Rotardo Moguntino archiepiſcopo, qui à ſede propria iam per multum temporis à rege pulſus fuerat, ſimoniam, aliaq; Romanæ eccleſiæ contraria condemnauit: ac poſt Pentecoſten Martinopoli ferians, Henricum Magdeburg electum, ſed à patris ſui fidelibus repulſum conſecrati fecit. Inde collecto milite,

Henrico 4. Cæſare filium rebellat.

Moguntiam archiepiſcopum reſtituturus, iter flectit: ſed patre cum multis aduentum eius armata manu intra muros præſtolante, votum ad effectum producere non potuit. Dehinc Herbipolim petens, Erlongo eiecto, Robertum eidem præfecit eccleſiæ. Quo pacto dimiſſis Saxonibus, cum Baioariis caſtrum Noricum obſidione cingit, ipſoq; per duos vel amplius menſes expugnato, Ratiſponam Norici ducatus metropolim adiit. Quem pater eueſtigiò ſubſequens, Roberto fugato, Erlongum reſtituit. Inde progreſſus, Ratiſponenſium auxilio, filio vrbe fugato, ipſe pontificem ibi Vlricum quendam conſtituit, ac Theobaldi Marchiam per Boemos vaſtauit.

CAPVT IX.

Qualiter poſt mult a mala, ambo in ripa fluminis Regini armati conuenerint, paterq; ad vltimum cedere compulſus ſit.

IGITVR regno in ſeipſo miſerabiliter diuiſo, ex omnibus eius viribus coadunato milite, ferro flammaq; crudeliter vaſtata terra, in ripa Regini fluminis, vterq;, ſcilicet pater & filius, conſedit. Iam caſtra diſponuntur, iam acies ordinantur, iam ad parricidiale ſcelus pater in filium, filius in patrem à ſuis inflammatur. Sed fluminis alueo nepharij conatus impediebantur. Videres lachrymabiles ac miſerabiles apparatus: cerneres mundum contemptum ſui, luce clariùs effectibus ſuis prodentem: quòd videlicet contra legem naturæ filius in patrem aſſurgeret, contra normam iuſtitiæ miles regem, ſeruus dominum impugnare pararet: frater contra fratrem, conſanguineus contra conſanguineum ſtaret, ac proprij ſanguinis conſortis ſanguinem fundere cogitaret.

Querela auctoris de ſui ſeculi moribus.

Nónne tam inauditum, tam inhumanum hoc mundi factum, ad contemptum ſui ſolùm nos prouocare poſſet? Nunquid non ipſe mundus, vel potius (iuxta Auguſtinum) immundus, ſic amatores ſuos falſis delectationibus pellectos decipit, huiuſmodi commercia inhærentibus ſibi tribuit, ac ad vltimum tranſeundo, ad interitum trahit? Hæc ſunt iuxta Paulum, tempora nouiſſima, & ideo periculoſa, in quibus homines quæ ſua, non quæ Ieſu Chriſti quærentes, & ideo ſeipſos amantes, ſcelerati, ſine affectione, parentibus inobedientes effecti, ad auſus nepharios, factaq; nephandiſſima per diuerſa voluntatum ſuarum flagitia volutati rapiuntur. Et nota, quòd hæc noſtra tempora, quæ vtiq; nouiſſima creduntur, tanquam prioribus ſceleribus finem impoſitura, ac velut mundi terminum ex flagitiorum immanitate minantia, & ex oppoſito regnum Chriſti appropinquaturum prodẽtia, ſicut quoſdam ſceleratiſſimos, ac mũdi amatores auidiſſimos, ſic alios zelo dei feruentiſſimos, ac cœleſti deſiderio pleniſſimos habent: vt ſicut hos nequitiæ ſpiritus iam modicum tempus habens, & ob hoc amplius inardeſcens, amplius ad vitia inflammat, ſic iſtos dulcedo regni cœleſtis, quaſi iam in ianuis poſita, ad amorem ſuum magis alliciat. Vnde circa hæc tempora, dum regnum Romanorum nõ ſolùm ciuiliter, ſed & parricidialiter libidine dominandi diuiditur, alij contemptis ſuis pro Chriſto, ac militiæ cingulum ſe non ſine cauſa geſtare conſiderantes, Hieruſalem tendunt: ibiq; nouum militiæ genus exorſi, ſic arma cõtrà inimicos crucis Chriſti geſtant, vt crucis Chriſti mortificationem iugiter in ſuo corpore portantes, vita & conuerſatione non milites, ſed monachi videantur. Rigor etiam tam in monaſterio, quàm in clericali ordine exhinc vſq; in præſentem diem amplius cœpit creſcere, vt iuſto dei iudicio ciuibus mundi in ſordibus magis ſordeſcentibus, ciues ſui ad ſummam virtutum per eius gratiam magis ac magis proficiant. Sed iam ad hiſtoriam reuertamur.

2. Tim. 3.

Igitur dum in ripa fluminis prædicti vterq; conſediſſet exercitus, ac quibuſdam in ipſo flumine ſibi inuicem occurrentibus occiſis, Henricus iunior omnes vires patris in duce Boemiæ Beroe ac Marchione Leopaldo, cuius ſororem præfatus dux habuit, fore conſiderans, ipſos multis modis promiſſa ſorore ſua, quæ tunc nuper à Friderico Sueuorum duce viduata fuerat, in vxorem Marchioni, inductos, ambobus vt patrem relinquerent perſuaſit. Quibus recedentibus, Imperator cedere compellitur, & exhinc vires eius imminui, iuniorisq; creſcere cœperunt. Rotardus tunc Moguntinus archiepiſcopus, ſedi ſuæ per iuniorem Henricum, VIII ex quo pulſus eſt anno reſtituitur.

CAPVT

CAPVT X.

De curia quæ ad decisionem litis indicta est. De victoria Balduini regis, ac perfidia Alexij Imperatoris.

NON multo pòst filius patrem in oppido Rheni Bingen alloquens, ad obedientiam Romanæ sedi de anathematis vinculo exhibendam hortatur. Pater verò conuentum pro hac re principum coadunari rogat, sicq; ad petitionem suam curia Moguntiæ in proximo natali domini celebranda, cunctis regni primoribus indicitur.

Circa idem tempus Balduinus rex Ascalonem obsidione cinctam, tributariam fecit. Commisso etiam cum Sarracenis prælio, cum paucis, id est, quatuor milibus, diuina magis, quàm humana virtute, vno principe eorũ capto, altero occiso, L milia fudit. At Alexius Imperator perfidissimus, iamdiu conceptã corde maliciã celare amplius non valens, cũ Turcis, qui iam penè desperati erant, turpissimè fœderatur, eisq; Niceam multo nostrorũ sanguine acquisitam, impijssimè tradidit. Vide tempora periculosa, duobus Imperatoribus, Orientis videlicet & Occidentis, Deo contrarijs.

CAPVT XI.

Qualiter curia celebrata, pater regalia remiserit, filiusq; in regnum sublimatus sit.

ANNO ab incarnatione domini M C V I, in natali Domini maximus conuentus principum Moguntiæ factus est: vbi superuenientes apostolicæ sedis legati, anathema à Romanis pontificibus in Imperatorem factum, manifestè omnibus qui aderant, promulgabant. Eapropter dum ipse in quodam castro positus, ac custodiæ mancipatus, audientiam peteret, principes seditionem vulgi timentes, ei apud Inglinheim occurrunt, ibiq; multis modis commonitum, vel iuxta alios circumuentum, ac coactum insignia regni resignare, ac filio mittere, X L I I I regni sui post mortem patris, Imperij V anno, (ad quod tamẽ potenter magis quàm iustè à Guiberto capta vrbe sublimatus fuerat) persuadent. Quæ omnia vtrùm licitè, an secus acta sint, nos non discernimus. Sunt tamen qui credant ei ad probationem, non ad damnationem hanc tentationem circa finem suum contigisse: affirmantq; ipsum eleemosynis, ac multis misericordiæ operib. à domino meruisse, vt excessus eius, lasciuiaq; ex fastigio regni conuersatio, hoc modo in præsenti puniretur. Reuersi ad filium optimates, imperialia deferunt, eumq; primò à patre electum, per impositionem manus Apostolicæ sedis legatorũ, cunctorumq; electione, X C V ab Augusto, regem creant, Anno (vt dixi) dominicæ incarnationis M C V I.

Henricus 4 à filio Imperiali dignitate priuatur.

Henricus 5 Rex.

Hucusq; tam ex Orosij quàm Eusebij, & eorum qui post ipsos vsq; ad nos scripserunt, libris lecta posuimus. Cæterùm quæ sequuntur, quia recentis memoriæ sunt, à probabilibus viris tradita, vel à nobis ipsis visa & audita ponemus.

N B.

CAPVT XII.

Qualiter pater adhuc in Belgas transiens, à quibusdam receptus, querelas fecit, & post pugnam commissam Leodij mortuus sit.

RESIGNATIS ab Imperatore regalibus, ipse iam ex rege opulentissimo ac potentissimo miserabile mortalibus relinquens exemplum, egens factus, ad inferiores partes Rheni in Belgas se contulit: ibiq; a Colonienſibus, non vt exul, sed vt rex regio apparatu susceptus est. Hæc ciuitas in Belgica Gallia super Rhenum posita, omnibus Galliæ ac Germaniæ vrbibus, ex quo Treueris labi cœpit, tam diuitijs quàm ædificijs, magnitudine ac decore sui præferenda cognoscitur. Inde Leodium digressus ab eisq; fastigio regali susceptus, omnibus se fraude circumuentum, se ad reddenda regalia vi coactum, quibus potuit in regno suo, seu alijs regnis positis, declamauit. Extat de hoc inter cæteras eius epistolas ad regem Celticæ, qui Francorum dicitur, seu Aquitaniæ ducem epistola missa, quæ miseriarum eius tragœdiam continens, saxeas quoque mentes ad mutabiliũ rerum ærumnas contemplandas ac deplorandas emollire pos-

Henricus 4, exul.

Colonia.

set,quæ sic incipit: *Princeps charissime & omnium in quibus post Deum speramus, amicorum nostrorum fidissime, primum & præcipuum inter omnes vos excepi, cui conqueri & deplorare calamitates, & omnes miserias meas necessarium duxi, & etiam genubus vestris aduolui, si liceret salua maiestate imperij*: Filius itaq; iam rex factus collecto milite patrẽ subsequens, circa Mosam consedit: vbi ab Hẽrico duce Belgarum, alijsq; patris sui fidelibus, super pontem Mosæ, in loco qui* Guegesar dicitur, bello tẽtatus, cedere compellitur. Non multo pòst, ipso ad superiores Rheni partes redeunte, ac rursum militem restaurante, pater Leodij moritur: sicq; intestino hoc malo terminato, pacis negocia tractantur.

*Guegesar.

CAPVT XIII.

De obsidione Coloniæ, restitutione episcoporum, ac expeditione contra Vngaros.

HENRICVS quintus patre mortuo, liberè regnans, Coloniam Agrippinam obsidione cingit, eamq; tandem multæ pecuniæ pactione accepta, ad deditionem coegit: omnibusq; in Gallia, seu Germania ritè compositis, episcopos, etiam qui in schismate proprijs sedibus pulsi fuerant, restituit. Inter quos venerabilis Iuuanensis ecclesiæ archiepiscopus Conradus, qui hactenus in ecclesia dei florere fructuoso labore noscitur, ad sedẽ, quã post mortem felicis memorię martyris Themonis* Berchtoldus quidam concessione senioris inuaserat, missus est. Eo tempore Colomannus Vngarorum rex, fratrem suum Almum de consortio regni suspectum habens, persequitur. Qui profugus ad regem Hẽricum veniens, iniuriamq; suam deplorans, auxilium eius impetrat. Itaq; condicta rex expeditione, Vngaros bello petit: sed castro, quod Posonium dicitur, inconsultè se occupans, parum proficere potuit, sicq; infecto negocio, ad propria redijt.

*Bertalfus.

CAPVT XIIII.

De magna expeditione Italica, captione summi pontificis, ac cæde Romanorum.

ANNO abhinc tertio, ex omnibus regni visceribus infinito contracto exercitu, Romam iturus, per montem Iouis Pyrenæum transit, ac in plano Italiæ residens, iuxta Padum militẽ recensuit. In comitatu eius xxx millia equitum electorum, exceptis his qui ex Italia ad eum confluxerant: tãtumq; castrorum ambitum, qui adhuc superstites sunt, fuisse tradunt, vt visu vix penetrari potuisset. In plano ergo Italiæ castrametantes, vnusquisq; militum ante papilionem suum lumen noctu accendit. Quod ad humanæ ostentationem gloriæ factum, quantum spectaculum indigenis in tam amplo ambitu præbuerit, dicere nõ oportet. Inde castra mouens, Apenninum transcendit, oppidumq;, quod Pons Tremulus vocatur, natura locorum, ac altissimis turribus munitissimum transitum prohibẽs, expugnauit & cepit. Post hoc per Tusciam iter agens, Ariciam in robore mœniorum, ac altitudine turrium confidentem, eo quòd ciues eius vrbis, ecclesiam S. Donati extra muros, ne sedes episcopalis ibi haberetur, destruxissent, ad solũ vsq; prostrauit. Verùm Nouariã Liguriæ ciuitatem, dum per Longobardiam pergeret, ceperat, ac igne cremauerat. Multis ergo tam in vlteriore, quàm in citeriore Italia, quæ modò Lõgobardia & Tuscia vocatur, fortiter gestis, ad Vrbem progreditur. Ibi à Paschali Papa, cum clero & populo Romano in vrbe Leonina, ante fores beati Petri, cum crucibus & thuribulis, alijsq; ecclesiasticis seu forensibus ornamentis stante, & aduentum eius præstolante, cum maximo tripudio suscipitur. Ipse autem præfatum pontificem consilio quorundam sceleratorum, cum magna tamen reuerentia captiuauit, ac Vlrico Aquileiensiũ patriarchę custodiendum cõmisit: sicq; tumultu orto, ac omnibus preciosis rebus ad decorẽ & regale fastigium expositis, immaniter distractis, in luctum versum est gaudium.

Henrici S. Italica expeditio.

Pontifex à Cæsare captus.

Occasio autũ sceleris huius hæc fuit, quòd rege Romam tendente, inter ipsum & Papam cõuentio facta, ab obsidibus firmata narratur, vt scilicet rex inuestituras episcoporum remitteret, & Papa ipsi regalia eorum resignaret. Itaq; dum Romam venisset, ac à pontifice promissa sibi persolui exegisset, Papa, eò quòd reclamantibus episcopis, ea quæ petebantur adimplere non posset, tanquã nocens, cum per omnia esset inno-

*De inuestituris episcoporum ius.

innocens, custodiæ mancipatur. Videns hoc venerabilis Iuuanensis ecclesiæ archiepiscopus Conradus, qui cum rege venerat, zelo æquitatis vicem Dei dolens, factum hoc improbauit. Cui dum quidam ex ministris regis, Henricus cognomento Caput, euaginato gladio mortem interminaretur, tanquam pro iusticia mori optans, iugulum præbuit, malens si minas ille ad effectum perducere voluisset, temporalem vitam finire, quàm tanti piaculi scelus dissimulare. Populus etiam Romanus cum infinita erumpens multitudine, Tyberim transeunt, ac regem penè ex improuiso, multis de exercitu in vrbe, siue in agro manentibus, ante gradus ecclesiæ S. Petri inuadunt. Rex ergo, vt erat armis experientissimus, cum paucis quos ibi habebat, in hostem ruit, diutissimeq; ac acerrimè suis iam aduentantibus pugnans, occisis multis, cæteros in fugam vertit. Romani fuga in ponte iuxta castrum Crescentij coartati, Tyberi se committunt, pluresq; aquis, quàm gladiis periisse narrantur. Rex tam crudeli facto perpetrato, angustias portarum suspectas habens, muros vrbis rupit, egressusq; Papam captiuum secum duxit. Huius maximi sceleris autor fuisse dicitur Albertus, natione Lotharingus, qui postmodum factus est Moguntię archiepiscopus, tunc verò regis Cancellarius, & primus inter primos eius præcordialis consiliarius. Quem tamen post reditum rex captiuatum, & in carcere positum, diuersis tormentis & incredili famis inedia afflixit, ipsumque de amicissimo inimicissimum, ac regni sui pestiferum hostem, diuino iudicio vsq; ad vitæ terminum sensit. Sed hæc hactenus.

Igitur per aliquod temporis sacrilego ausu tento summo pontifice, conuentione facta, rex à ciuibus reuocatur, & per conditionem dimisso summo pontifice, ac extorto ab eo per vim de inuestitura episcoporum priuilegio, in Vrbē ingreditur. Tunc quasi pœnitentia ductus, ciues ac pontificem muneribus cōciliat, ab eoq; coronatus, fauore omniū Imperatoris & Augusti nomen sortitur, Anno ab incarnatione domini MCXI, āno verò regni eius, post resignata à patre eius imperialia, quinto. Hoc priuilegium, quod à Romano pontifice minis extorsit, postmodum synodo congregata, episcoporum auctoritas tanquam prauilegium reprobauit. *Coronatio Imperialis.*

CAPVT XV.

De captione Reginaldi, nuptijs Imperatoris, schismate regni, anathemate contra Imperatorem dato. De Burdino, & terræmotu, egressione Vngarorum, vltioneq; nostrorum.

IMPERATOR ab Vrbe regressus ad transalpina reuertitur: ergo non tantùm finitimis locis, sed & cæteris gentibus ob eius metum trepidantibus, cunctis ad imperium & voluntatem suam inclinatis, Belgas ingressus, Reginaldum comitem hostem iudicans, bello petijt. Quem in castro Barra in termino regni sito, obsidione clausum, ad vltimum cum expugnato castro in deditionē accepit, & captiuum abduxit. Post hoc Moguntiæ regio apparatu coniūcta sibi filia Henrici regis Anglorum Mathilda, magnificè nuptias celebrauit. In ipsa nuptiarum solēnitate Lotharius dux Saxonum, nudis pedibus sago indutus coram omnibus ad pedes eius venit, seq; sibi tradidit. Tantus enim vsque ad id temporis timor principes inuaserat, vt nullus rebellare auderet, vel rebellans cū maximo dāno sui, vel etiam vitæ detrimento, in gratiam eius rediret. *Imperatoris nuptiæ.*

Verùm in hac curia, quia penè omnes principes regni confluxerant, conspirationes fiunt: ac ex hinc non solùm occulta consilia, sed & publica contra eū machinamenta disponuntur. Hinc iterū miserum Imperium, quod per paucos vix quieuerat annos, scinditur, ac tam in trāsalpinis quàm in cisalpinis regionibus intra se colliditur. Hinc etiam publica bella cum magna sanguinis effusione, tam præsente Imperatore, quàm in Italiam migrante, rerumq; summā sororijs suis Conrado & Friderico committente, peraguntur. Sententia quoq; excommunicationis à Calixto, qui Paschali & Gelasio successit, suadēte Alberto Moguntino, Friderico Colonienſi, Conrado Iuuanensi, in eum datur, iterumq; schismate renouato, totum imperium perturbatur. Ipse autem procinctum contra Vrbē mouens, Burdinum Hispanum episcopum Romanæ sedi violenter imposuit, qui non multo pòst apud Sutrium recedente Imperatore, à Romanis captus, apud Clauam custodiæ mancipatur. *Henricus 5 anathemate pontificio ictus.*

Circa idem tempus terræmotus horribilis, oppida, templa, villas, montesq; plurimos, ſicut vſq; hodie in valle Tridentina apparet, ſubuertit. Ea quoque tempeſtate Stephanus Vngarorum rex, Colomanni filius, cum magna multitudine fines regni clanculum inuaſit, ac vaſtatis terminis, manubias abduxit. Quem illuſtris vir Leopaldus Marchio, adiuncto ſibi duce Boemorũ, ſubſecutus, vſq; ad clauſtra terræ progreditur: captoq; ac ſuccenſo caſtro, quod Ferreum vocatur, & cuncta in circuitu ferro igneq; vaſtata terra, ſine damno ad propria reuertitur.

CAPVT XVI.

De pace reformata ſub Calixto, & victoria Imperatoris. De Vãgionibus. De tributo indicto, morteq; Imperatoris.

IGITVR Romano Imperio multis modis in ſe attrito, Imperator propter anathema deficere à ſe regnum videns, patriſq; metuens exemplum, congregato iuxta Vormaciam maximo principum conuentu, inueſtituram epiſcoporum legato apoſtolicæ ſedis Lamperto, qui poſtmodum ſummus pontifex factus, Honorius eſt dictus, reſignauit, per eumque ab anathematis vinculo abſolutus eſt. Priuilegium ergo de hoc eccleſiæ ſcribitur, ac ipſi rurſum vt electi tam ciſalpini, quam tranſalpini non prius ordinẽtur epiſcopi, quàm regalia de manu eius, per ſceptrum ſuſcipiant, ſcripto confirmatur. Hoc pro bono pacis ſibi ſoli, & nõ ſucceſſoribus datũ dicunt Romani. Exhinc eccleſia libertati ad plenum reſtituta, paceq; ad integrum reformata, in magnũ montem creuiſſe ſub Calixto Papa ſecundo inuenitur. Vnde de ipſo Romę ſcriptum eſt:

Epiſcoporũ inueſtitura Papa conceſſa.

N B.

Ecce Calixtus honor patriæ, decus imperiale,
Burdinum nequam damnat, pacemque reformat.

Pòſt Imperator in Celticam cum exercitu profecturus, Metis vſque progreditur: ibi dum Vangiones à ſe defeciſſe, ac palatium ſuum extra muros poſitum comperit deſtruxiſſe, iter reflexit, vrbemq; obſidione cinxit. Dum autem ciues quadã die incautè erumperent, & cum Auguſto pugnare cogitarent, à muris callidè prouocati, plurimis occiſis, ac per fugam paucis elapſis, cæteri capiuntur: qui ad refrenandã aliorum inſolentiam, alij naribus mutilati, alij luminibus orbati dimittuntur, & ſic demum infinitæ pactione pecuniæ in gratiã Imperatoris redierunt. Omnib. itaque benè compoſitis, conſilio generi ſui regis Anglorum, totum regnum vectigale facere volens, multum in ſe optimatum odium contraxit. Huius rei gratia, dum inferiores Rheni partes circuire parat, in Traiecto Friſiæ vrbe morbo correptus, XIX regni anno, imperij verò XIIII, diem vltimum clauſit, ac per Coloniam Agrippinam deportatus, in ciuitate Gallię Spira, iuxta patrem, auum, proauum Imperatores cultu regio ſepelitur.

Wormatia obſidio.

CAPVT XVII.

De Imperio regis Lotharij, rebellioneq; ducum Friderici & Conradi, qualiter Conradus à Mediolanenſibus ſuſceptus, in regem ſit vnctus.

ANNO ab incarnatione domini MCXXV, defuncto abſque hęrede Hẽrico quinto, principes Moguntiæ conueniunt, ibiq; habito de ſucceſſore conſilio, quatuor regni optimates, Lotharius dux Saxonum, Fridericus dux Sueuorum, Leopaldus Marchio Orientalis, Carolus comes Flandriæ, ad regnum deſignantur. Tandem Lotharius natione Saxo, patre Gebehardo, voto omnium, renitens valde, ac reclamans, ad regnum tractus, ſub præſentia ſedis apoſtolicæ legati, XCIII ab Auguſto regnauit. Hic per omnia progeniem Imperatoris Henrici humiliauit, vt planè Dei iudicio iuſto, ſicut in libro Regum habes, ex peccatis ac præuaricatione patrum, ſemen ipſorum affligi videretur. Vnde grauis diſſenſio regni in multos annos protracta, plurimos in anima & corpore periclitari fecit. Prædicti enim Fridericus & Conradus iuuenes, ſororij Henrici imperatoris, dum ſe viderent opprimi, in quantum poterant, reniti conabantur. Ob quã cauſam à ſummo pontifice Honorio, qui Calixto ſucceſſerat, excõmunicatur. Porrò Cõradus à fratre ac quibuſdã alijs rex creatus, Pyreneum per iugum Septimi montis, qua Rhenus & Ænus fluuij oriuntur, tranſcendit: vbi à Medio-

Lotharius Saxo Cæſar.

3. Reg. 11.

Septimus mons Rhetus.

Mediolanensibus, qui tunc Cumanum bellum per x annos pro afflictione populi vtriusq; ciuitatis miserrimè protractum, capta ac deleta vrbe, prosperè consumarunt, honorificè suscipitur, ac ab eorum archiepiscopo Anshelmo, Modoyci, sede Italici reni, in regem vngitur. Pro his alijsq; præfatus archiepiscopus à summo pōtifice deponitur, & alter in locum eius subrogatur.

CAPVT XVIII.

De schismate Romanæ ecclesiæ, qualiter Innocentius Gallias ingressus, concilijs celebratis, regem ad defensionem Romanæ ecclesiæ inuitauerit. De expeditione eius in Italiam, ac sublimatione eius imperatoria.

NON multo pòst Honorio mortuo, grauissimum schisma in ecclesia dei oritur. Innocentio canonicè electo, sed Petro Petrileonis filio, violentia amicorum suorum, qui fortissimi in Vrbe erant, fauente sibi Rogerio Siculo intruso. Cui dum Innocentius resistere non valeret, Vrbe cedit, transcensisq; Alpibus Gallias ingreditur: vbi in regno Gallici regis in ciuitate, apud Clarummontem concilium celebrans, nuncios Lotharij, Conradum Iuuanensem, Eribertum Monasteriensem episcopos, obuios habuit. Indeq; profectus apud Leodium Belgicæ vrbem, synodum episcoporum conuocās, regem Lotharium ad defensionem sanctæ Romanæ ecclesiæ inuitauit. Qui nil cunctatus, exposito tamen prius modestè, inquātum regnum amore ecclesiarum attenuatum, inuestituram eorum quanto sibi dispendio remiserit, auxilium Romanæ ecclesiæ promittit. Reuersoq; in Italiam summo pontifice, sequenti anno, militem instaurat, exercitumq; sed propter discordiam regni paruum, per vallem Tridentinam in Italiam duxit, in multis locis tam amore Conradi quàm respectu paucitatis suæ ab incolis terræ subsannatus & despectus. Verùm paulo antè Conradus, qui à Mediolanensibus rex constitutus fuerat, penè omnibus suis amissis, periculosè ad patriam repedauerat. Rex autem plus mente quàm milite confidentiam gerens, ad Vrbem vsq; progreditur: ibiq; qualibus potuit, cum paucis strenuè peractis, in ecclesia S. Saluatoris, quæ Constantiniana dicitur, à summo pontifice Innocentio coronatus, Imperatoris & Augusti adeptus est nomen. Nempe ecclesiam beati Petri, vbi mos coronari erat Imperatoribus, Petrus eo tempore occupauerat.

Schisma pōtificum.

l. vi.

Lotharius in Italiam mouet.

CAPVT XIX.

Qualiter duo fratres in gratiam regis venerint. De duce Polonorum, rege Daciæ. De secunda expeditione Imperatoris, gestisq; fortibus.

IMPERATOR ab Vrbe rediens, Germaniam ingreditur: non multo pòst generalem curiam Babenberg circa mediam Quadragesimam celebrans, Conradum & Fridericū duces, interuentu Clarauallensis abbatis Bernardi, in gratiam recepit: ac ita renouāta pace, omnibusq; in Gallia & Germania compositis, expeditionem rursum in Italiam edixit. Inde in Saxoniam diuertens, Polonorum ducem cū multis muneribus obuiū habuit: quem tamē non antè dignatus est suo conspectui præsentari, quàm tributum XII annorum, hoc est. D libras ad singulos annos persolueret, & de Pomeranis & Rugis homagium sibi faceret, subiectionemq; perpetuam sacramento confirmaret. Regēq; Daciæ in signum subiectionis, ad decorē imperialis reuerentiæ, gladiū sibi sub corona deferre fecit, ac ab Vngarorum rege terrore perculso, multa & magnifica munera suscepit.

Polonia & Dania imperij fasces agnoscunt.

Post hoc exercitum non vt prius paruum, sed copiosum & electum, per vallem Tridentinam secundò in Italiam duxit, habens secum Conradum, qui (vt suprà dixi) à quibusdam rex creatus, postmodum resipuerat: captisq; in arctis locis fortissimis castellis, cum quodam capitaneo, qui ei aditum viæ claudere moliebatur, in plano Italiæ iuxta Gardā castra posuit. Quo in deditionem accepto, ad Padum vsque progrediēs, Caristalliū cepit. Ibi Mediolanenses & Cremonēses diuturnū inter se bellum habētes, obuios habuit, discussaq; vtriusq; vrbis causa, Cremonēses à principib. Italię hostes iudicantur, proscriptiq; discedunt. Quos Imperator subsecutus territoria eo-

Lotharius Italiam pertomat.

rum ac villas, seu castella destruxit, indeque Papiam veniens, ciues illos pactione pecuniæ in gratiam susceptit. Bononienses quoque ac Æmilienses, qui cum priori eum expeditione despexerant, supplices ac multum seruitium offerentes, vltrò occurrunt. Pòst vsque ad Thaurinum progrediens, totam citeriorem Italiam perlustrans, in prouinciam redegit. Inde Apenninum transiens, ac interiorem Italiam perlustrans, Anconam, Spoletum, cum alijs vrbibus, seu castellis, in deditionem accepit. De hinc contra Rogerium aciem dirigens, Campaniam & Apuliam peragrauit. Porrò Henricus Noricorum dux, gener regis, per Tusciam exercitum ducens, summo pontifici vsq; ad Imperatorem conductum præbuit. Augustus verò tam fortia in Apulia ac Campania gessit, vt nullus ex Francorum regibus, à Carolo magno vsq; ad id temporis, tanta ibi fecisse inueniatur. Denique non solùm ciuitates, vtpote Capuam, Troiam, Salernum, Barletum, Barram cepit, verùm etiam munitissima castra, & arces inaccessibiles expugnauit. At Henricus dux cum militia Baioariorum Beneuentum cepit, ac Papæ restituit. Nam apud Albam suburbia ciuitatis sibi resistere nitentis, antè expugnauerat, ac destruxerat.

NB.

CAPVT XX.

De fuga Rogerij, & substitutione Reginaldi. De lite Romani pontificis & Imperatoris, morteq; Lotharij.

Apulia à Cæsare subacta.

MORANTE in Apulia Imperatore, Rogerius cum eum auri & argẽti multo pondere attentatum flectere non potuisset, exercitum longè copiosiorem congregat, seq; publico bello conflicturum cum eo denunciat. Imperator verò, vt erat armis strenuissimus, & imperterritus, militem instaurat, aciem ordinat, eosq; respectu genuinæ fortitudinis, ac innatæ hostium ignauiæ, nulla inimicorum multitudine frangendos denuncians, præsertim cum in extera remotaq; regione positi, ad patriam fugere nequeant, ac contra tyrannum non solùm regni, sed & ecclesiæ hostem, & excommunicatum, iustè arma sumpserit, ad bellum confortat. Cumq; in occursum eius procederet, fractus animo Rogerius fugit, ac ad montana se contulit. Imperator verò occurrente sibi summo põtifice Innocentio, Barram vsq; progreditur, ibiq; à ciuibus cum magno gaudio susceptus, castrum quoddam ibi positum, vbi præsidia Rogerij erant, artificiosè valde expugnauit, militesq; ibi repertos, & præcipue Sarracenos patibulo suspendit. Itaque Augustus electo de Campania & Apulia Rogerio, dum eum in Calabria quoque, seu Sicilia persequi intentat, à suis qui iam longo tempore extra patriam morati, vxores, liberos & amicos visere cogitabãt, reuocatur. Rogerio ergo hoste iudicato, Reginaldo viro forti ac nobili, ducatus Apuliæ relicta sibi parte militum, traditur: & sic princeps victor de reditu disponit. Verùm silentio præterire nolumus, quòd in dando ducatu inter ipsum & Romanum pontificem penè controuersia orta fuit, vtroque ducatum Apuliæ sui fore iuris affirmante: quæ lis consilio tandem hoc modo decisa dicitur, vt in dando duci vexillo vtrique manum adhiberent.

NB.

Lotharij obitus.

Igitur Lotharius ex Italia rediens, apud Tridentum morbo correptus, in ipsis montibus in vilissima casa Imperator potentissimus, miseram humanæ conditionis relinquens memoriam, XIII regni sui, imperij verò VII anno, plenus dierum obijt. Futurus nisi morte præuentus foret, cuius virtute & industria corona Imperij ad pristinam dignitatem reduceretur. Regalia dux Hẽricus gener eius, in cuius finibus obierat, accepit: & ipse per augustam, ac orientalem Franciam, in Saxoniam ad monasteriũ Luter, quod construxerat, deportatus, honorificè sepelitur: actusq; eius vt nulla possent aboleri obliuione, in plumbeis laminis descripti, iuxta eum reconduntur.

CAPVT XXI.

De claris viris, qui illo tempore obierunt, & plurimis malis, quæ diuersis in regnis tunc pullularunt.

CIR-

CIRCA illa tempora multi ex claris optimatibus mortem sui principis præcesserũt, & secuti sunt. Bruno Colonienſis archiepiſcopus venerabilis, & apprimè eruditus, in Apulia decedens, in eccleſia S. Nicolai Barræ honorificè eſt humatus, eiusq; ſucceſſor Hugo infra duos menſes vita & ſacerdotio functus eſt, & in Apulia apud Melpham quieuit. Ex his verò qui remanſerant, Albertus Moguntinus vir ad ſeculum prudens, & potens, locupletiſſimusq; Henricus, Friſingenſis epiſcopus, abbas Fuldẽſis, Leopaldus Orientalis Marchio, vir Chriſtianiſſimus, ac clericorum & pauperum pater, cum alijs plurimis nobilibus & illuſtribus viris viuendi finem fecerunt. *Illuſtrium virorum obitus.*

Rex etiam Francorum Ludouicus, & Anglorum Hẽricus, & remorum archiepiſcopus Reginaldus, comesque Pictauienſis Gaufridus, eodem tempore obierunt: & exhinc Anglia terra hactenus abundantiſſima, tantis malis ſubiacere cœpit, quòd multi ibidem fame & egeſtate attriti, vitam etiam miſerabiliter finiſſe tradantur. Præfato enim rege mortuo, Stephanum principes ſororis ſuę filium, ex Gallia inuitaueruntad regnum. Porrò vxor comitis Andegauẽſis Mathildis, quondam Imperatoris Henrici quinti coniunx, illius verò Henrici regis filia, hæreditario iure paternum regnum repoſcens, vſq; in præſens illud affligere non deſiſtit, intantum quòd in manus eiuſdem fœminæ prædictus rex ante paucos annos incidens, captus ſit. Francia quoque Occidentalis rege ſuo amiſſo, ſub illius filio Ludouico, qui adhuc ſuperſtes eſt, ob ipſius ac Theobaldi Bleſenſis comitis guerram, tot prædis & incendijs perpeſſa eſt diſcrimina, quòd niſi religioſorum, qui ibi morabantur, meritis, orationibus & conſilio nuper pacata fuiſſet, vſq; ad internecionem deleta putaretur. *Turba in regnis Angliæ & Franciæ.*

At Pannonia nõ longè ante hoc tempus mortuo ſuo rege Stephano Colomanni filio, qui & ipſe dum viueret, cum Imperatore Græcorum diutinã diſſenſionem habuerat, multis itidem incommodis oppreſſa eſt. Subſtituto quippe in regno Bela Almi filio, à Colomanno quõdam pariter cum patre Almo luminibus orbato, Boritius, qui & ipſe Colomãni, ſed ex alia quàm Stephanus matre, Rutenorum ſeu Chios regis filia natus dicebatur, regnum paternum requirit. Proinde in Græciam tranſiens, conſanguineam ſibi Imperatoris Caloioannis copulauit: ac pòſt Poloniam ingrediẽs, ducem terræ illius ad voluntatem ſuam inclinauit: ſicq; cum exercitu adiutorio illius, ex vocatione quorundam Vngarorum comitum, ſyluã quæ Polonos & Vngaros ſeiungit, tranſiens, Pannoniam ingreditur. Verùm Bela rex, mox aſcito ſibi Alberto Leopaldi Marchionis filio, qui eius ſororem habuerat, à quibuſdam de regno noſtro nobilibus Boritio occurrit. Ille verò audito ſtrepitu, ac adhortantium voce, ex linguæ idiomate multitudinem Teutonicorum in acie fore cognoſcens, illorum potius quàm Vngarorum terrore perculſus, vnà cum Polonorum duce amiſſis in fuga multis, terga vertit. At in ipſo primo Vngarorum & Polonorum cõgreſſu, antequam Teutonici ſuperuenirent, ex vtraq; parte cæſis plurimis, quidam ex illis qui ex parte Belæ aderãt, ſed hoſtibus ſuos perfidè tradideranr, iuſto iudicio fraudis ſuæ pœnas ſoluentes occubuerunt. Hæc mala noſtris diebus in vicinis regnis pullulare cognoſcimus. Quanta verò ex remotis & tranſmarinis regnis indies audiamus, pro vaſtidio vitando ad præſens ſupprimimus. Tanta enim ſunt, quòd niſi ſanctorum, quorum per Dei gratiam magna nunc copia eſt, meritis & ſuffragiis ſtaret mundus, in breui omnino eum periturum timere cogeremur. *Bellum in Vngaria de iure regni.*

CAPVT XXII.

De ſublimatione Conradi regis, contradictioneq; Saxonum, & Henrici ducis. De fuga Rogerij, & morte Petrileonis.

ANNO ab incarnatione domini MCXXXVIII, defuncto in autumno ſine filiis Imperatore Lothario, conuentus generalis principũ Moguntiæ in proxima Pentecoſte indicitur. Quidam autem ex principibus timentes, ne fortè in generali curia Henricus dux Noricorũ, qui tunc præcipui & nominis & dignitatis in regno fuit, per potentiam prævaleret, circa mediam quadrageſimam conſilio habito, in oppido Galliæ Confluentia cõuentum celebrant: ibiq; Conradum Imperatoris Henrici ſororiũ, de quo ſuprà diximus, præſente Theoduino epiſcopo Cardinali, ac ſanctæ Romanæ *Conradus 3 Rom. rex.*

ecclesiæ legato, summi pontificis, ac totius Romani populi, vrbiumq; Italiæ assensum promittente, xc iiii ab Augusto regem creant. Qui mox ad palatium Aquis veniẽs, à prædicto Cardinale (nam Colonien sis qui id facere iure debuerat, nouiter intronisatus pallio carebat) cooperantibus Colonien si & Treuerensi archiepiscopis, cum cęteris episcopis in regem vngitur. Proximum dehinc Pascha Coloniæ celebrans, Mogũtiam, quæ tunc fortè pastore carebat, adijt, ibiq; Albertum prioris Alberti fratruelem, per electionem cleri ac populi, archiepiscopum constituit. At Saxones, & dux Henricus, alijq; qui electioni non interfuerant, regem non legitimè, sed per surreptionem electum calumniabantur: quibus omnibus in proxima Pentecoste generalis curia Babenberg indicitur. Porrò post egressum Imperatoris Lotharij, Rogerius Apuliam recipere gestiens, congressu cũ Reginaldo duce habito, in fugam vertitur. Petrus quoque Leonis moriens, pessimum schisma terminauit.

CAPVT XXIII.

Qualiter Saxones in pacem vocati sint, & Henricus dux proscriptus, & electus. De tyrannide Rogerij, & ducatu Leopaldi, synodoq; Romæ celebrata.

Conuentus imperij Bamberga.

ITAQVE Conradus rex in Pentecoste curiam in præfata ciuitate, vt condictum erat, cum maximo regni fastigio & maximo conuentu principum, habuit: vbi omnes Saxones simul cum viduata imperatrice Richinza venientes, vltrò se suæ ditioni subdidere. Solus ex principibus dux Henricus regalia seruans, aberat: ad quæ reddenda in festiuitate apostolorum Petri & Pauli dies ei præfigitur Ratisponæ. Quo veniens, regalia quidem multis illectus promissis reddidit, sed tamen ea minimè consecutus, infecto pacis negocio, sine gratia eius recessit. Cumq; multis modis homo prępotens & animosus, sed nutu dei humiliatus, misericordiam peteret, nec impetraret: tandem iudicio quorundã principũ apud Herbipolim proscribitur, ac proxima natiuitate domini in palatio Goslarien si ducatus ei abiudicatur. Et mirum dictu, princeps antè potentissimus & cuius auctoritas (vt ipse gloriabatur) à mari vsq; ad mare, id est, à Dania vsq; in Siciliam extendebatur, in tantam in breui humilitatem venit, vt penè omnibus fidelibus & amicis suis in Baioaria à se deficientibus, clàm inde egressus, quatuor tantùm comitatus socijs, in Saxoniam veniret.

Henricus Sax. & Bauaria dux proscribitur.

Rogerius Apuliam recuperat.

Ea tempestate Reginaldo mortuo, Rogerius Apuliam rectore suo destitutam ingreditur: expulsisq; cum multis nobilibus Reginaldi fratre, ac principe Capuano, tam ipsam, quàm Campaniam recepit, ac multis malis incolas eius afflixit, & vsq; hodie premit. Beati etiam Benedicti monasterium in monte Cassino positum, totiq; orbi venerabile, multis ecclesiasticis ornamentis immaniter spoliauit. Tradunt eum in prima irruptione, ac Barensis vrbis expugnatione, crudele & inhumanum piaculum perpetrasse. Capta quippe vrbe, non solùm viuos diuersis tormentorum generibus affecit, sed etiam in mortuos sæuiens, Reginaldum ducem, ac Brunonem archiepiscopum effossos, per plateas trahi iussit. Hęc & alia crudelitatis opera, ad antiquorum Siculorum formam tyrannorum, quæ indesinenter de ipso audiuntur, quia penè cunctis nota sunt, omittimus. Sũt tamen qũi dicant, eum hæc potius intuitu iusticiæ, quàm tyrannidis exercere: aiũtq; ipsum præ omnibus principibus pacem diligere, pro qua conseruãda, volunt eum tanta seueritate rebelles cohibere. Alij verò amore pecuniæ, qua etiam omnes Occidentales reges, excessit, plus quàm iustitiæ pacem eum sectari dicunt.

Leopaldo Austriaco ducatus Bauariæ confertur.

Cõradus rex Baioariam ingressus, ducatum Leopaldo iuniori, Leopaldi Marchionis filio, fratri suo ex patre matris, tradidit, & ex hinc prouincia nostra multis malis subiacere cœpit. Proxima media quadragesima synodus maxima circiter mille episcoporũ, Romę præsidente summo pontifice Innocentio celebratur: ibiq; post multa salutifera decreta promulgata, schismatici, qui parti Petrileonis fauerant, damnantur.

CAPVT XXIIII.

Excursus de fortuna regis Conradi, de rebellione Saxonum.

CONSIDERARE hoc loco Dei consilia super filios hominum terribilia, mundiq; volubilitatem libet. Ecce enim Henrico Imperatore mortuo, consanguinei eius, qui tunc in regno præcipui nominis, & quasi regij culminis per hoc securi erant, non solùm ad regnum non eliguntur, sed & appositò super se rege, plurimùm affliguntur, & conculcantur. His ergo in summa tenuitate positis, cum dux Henricus auctoritate soceri sui Imperatoris, proprijsq; viribus intantum excreuisset, vt omnes despiciens, nulli pro regno supplicare dignaretur, dominus qui humilia respicit, & alta à longè cognoscit, deponit ponentes, & exaltat humiles, illum humiliatum, & penè desperatum ad fastigium regni prouexit, hûc de alto in gloria & potentia sua gloriantem deiecit. Quid hic aliud dicere possumus, nisi quòd prius Cõradũ magnum in oculis suis humiliauit, humiliatũ respectu pietatis suæ exaltauit? Quæ varietas humanarũ rerum, ex vbertate gratię Dei descendens, ad vitandam superbiam, ac humilitatem appetendam, nos incitare debet. Et quid aliud tam misera mortalium cõditio, nunc de inopia ad regnum, nunc ad inopiam de regno trahens & crucians hominem, quàm contemptum præsentium parit, & ad æternorum stabilitatem, quę nec mutantur, nec transeunt, nos mittit? Quanta verò mala toti regno & præcipuè miseræ Baioariæ ex hoc euenerint, nos quotidie experimur. Saxones ex hinc regi rebellantes, plus mansuetudine ipsius, quàm armis inclinantur. At Rogerius Innocentium Papam in Apuliam cum militia Romanorum venire volentẽ, flagitiosè in Christum deum manum mittens, ex insidijs cepit, & regij nominis in Sicilia ab eo auctoritatem, & absolutionem anathematis extorsit, cum ducatu Apuliæ, Calabriæ, ac principatu Capuæ.

Rogerius rex Siciliæ.

CAPVT XXV.

De pugna Guelfonis, & item illius cum rege: seditione Ratisponensium, expeditione ducis contra Guelfonem, moriq; ipsius.

CVM hæc aguntur in Italia, Leopaldus Marchio susceptò à rege ducatu Norico, omnibus penè Baronibus ad eum pertinentibus, amoreq; seu terrore vltrò ad eum confluentibus, primò metropolim, ac sedem ducatus Ratisponam ditioni suæ subdidit, pòst collecto milite copioso, totam Baioariam pertransiens, in ipso eius termino iuxta Licum fluuium, contra vrbem Augustensem negocia terræ per triduum tractans, strenui iudicis officium exercuit. Ea tempestate Henricus dux dum in Saxonia Albertum Marchionem sibi rebellantem intantum humiliasset, vt castris eius dirutis, terris circumquaq; vastatis, ad regẽ auxilij gratia ire compulisset, omnibusq; suis ibidem ritè dispositis, iam in Baioariam ire proposuisset, morbo correptus, diẽ clausit extremum, ac in monasterio Luter, iuxta socerum humatur. Quo mortuo, Saxones amore filij sui paruuli, quem eis adhuc viuens commendauerat, regi denuò rebellant.

Austriacus Bauariam occupat.

Henrici superbi obitus.

Leopaldus verò ducatum exhinc Noricum potenter se habere confidens, dum in obsidione castri Phaleia duorum fratrum, qui soli ex Noricis baronibus in parte ducis Henrici steterant, incautè moraretur, Guelfo ducis Henrici frater, ex improuiso collecto milite superueniens, fortissimè pugnando, cæsis ex vtraq; parte pluribus, multis captiuatis, ducem cedere coegit. His elatus successibus, dum regem quoq; non multò pòst in obsidione castri Winsperg morantem, pugna aggredi attentat, amissis multis, cum paucis fugit è prælio. Non multò pòst, duce Leopaldo in vrbe Ratispona ciuilia iura disponente, ex Palatini comitis Ottonis importunitate, seditio oritur. Dux cum suis, populo circumquaq; concurrẽte, arma arripuit, succensisq; aliquibus vrbis vicis, ciuibus tam armorum quàm incendij metu discurrẽtibus, periculum euadens, vrbe recessit, ac vastatis in circuitu agris, ad tempus inde diuertẽs, collecto milite, non longè à ciuitate castra posuit: tãdemq; terrore perculsos, pecuniæ pactione in deditionem accepit. Dehinc dedecus à Guelfone sibi apud Phaleia illatum vlcisci statuens, armata manu ad Licum vsq; progreditur: ibiq; destructis quorundam inimicorũ suorum munitionibus, cunctisq; circumquaq; vastatis, per fines nostros cum multo ecclesiæ nostræ detrimento reuertitur. Ipse verò non multò pòst Ratisponæ infirmatus, in territorio Patauiensi diem obiit, & in monasterio sanctæ Crucis, quod à patre suo fundatum ipse plurimùm ditauerat, humatur, eiq; in Marchia successit frater suus Hẽricus.

Bellum in Bauaria.

Leopoldi Marchionis Austr. mors.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 136,Leibn. Marg. 136, Stück 1, [171] · 153
PUBLIC DOMAIN

CAPVT XXVI.

De factione Boemorum, expeditioneq; regis illó. De ducatu dato Henrico fratri Leopaldi, malisq; plurimis ob hoc à Guelfone, & prædicto Henrico prouinciæ Baioariæ irrogatis.

EO tempore Conradus Morauiensis comes, conspiratione facta cum Boemis, ducatum terræ illius affectans, de Morauia in Boemiam exercitum ducit. Cui cum dux Ladislaus cum copijs occurrere parat, à suis proditus, fugę præsidio vix periculum mortis euasit: sicq; profugus ad regem veniens, casum suum deplorat. Quem rex misericordia motus, cũ exercitu in Boemiam reduxit, ac Pentecoste in vrbe Praga prouinciæ illius metropoli celebrata, Conrado fugato, in ducatum restituit.

Non multo pòst Saxoniam ingressus, data in vxorem vidua ducis Henrici Lotharij Imperatoris filia, fratri suo Henrico Marchioni, pacem cũ Saxonibus fecit, eidemq; Marchioni Noricũ ducatum, quem consilio matris ducis Henrici filius iam abdicauerat, cõcessit. Quæ res in terra nostra maximæ discordię seminarium fuit. Guelfo enim princeps præfatum ducatum se iure hæreditario contigisse calumniãs, armata manu in præsentia ducis Baioariam ingreditur, parteq; prouinciæ vastata, regreditur. Ob ea dux inflãmatus immenso coadunato milite, fines nostros ingreditur: multisq; ecclesiarum reditibus direptis, tandem etiam ipsius nostræ ciuitatis munitiones, propter quosdam ex ipsa, qui fautores Guelfonis dicebãtur, destruxit. Cui dum Guelfo cum copijs occurrere parat, audito quòd rex superuẽturus esset, cessit. Porrò dux simul cũ rege castrũ comitis Cõradi, qui ex parte Guelfonis erat, obsidione clausit, vastatisq; in circuitu vniuersis, adiutorio regis in deditionem coegit, ac igne succendit.

CAPVT XXVII.

De expugnatione Tiburtinorum, seditioneq; Romani populi, & instauratione Senatorum, ac morte Innocentij Papæ. Item de victoria Veronensium de Paduanis.

DVM hæc aguntur in Gallia & Germania, Romanus pontifex Innocentius, qui iam per multum temporis Tyburtinos excommunicauerat, ac alijs modis pressérat, coangustatos ad deditionem acceptis obsidibus, ac iureiurãdo interposito coegit. Populus verò Romanus volens vt eos per obsides & sacramentum ad durissima præcepta, id est, vt muris ruptis omnes prouincia cederent, cogeret, dum nobilissimus ac liberalissimus sacerdos tam irrationabili & inhumanæ petitioni annuere nollet, seditionem mouent, ac in ipso impetu in Capitolio conuenientes, antiquam Vrbis dignitatem renouare cupiẽtes, ordinem Senatorum, qui iam per multa curricula temporũ deperierat, constituunt, & rursum cum Tyburtinis bellum innouãt. Causa verò tantæ immanitatis fuit, quòd in priori anno dum cum pontifice suo in obsidione præfatæ ciuitatis morarentur, ciuibus egressis, & cum ipsis manum conserentibus, multis amissis spolijs, turpiter in fugam conuersi sunt, idcirco nulla, nisi quã diximus, cõuentione, vsque hodie se posse placari asserunt. Verùm sapientissimus antistes præuidens, ne fortè ecclesia dei, quę per multos annos secularem Vrbis honorem à Constantino sibi traditum potentissime habuit, hac occasione quandoque perderet, multis modis tam minis, quàm muneribus, ne ad effectum res procedat, impedire conatur. Sed inualescente populo, dum proficere non posset, lecto cubans iuxta quosdam, de futuris visione sibi monstrata, in pace quieuit, eiq; Cælestinus vir religione, & literarum scientia præditus, cũ magna vnanimitate electus successit. Circa idem tempus Veronenses, qui longo tempore cum Paduanis dissensionem habuerant, amnemq; qui ciuitatem eorum præterfluit, ab alueo deriuauerant, congressu cum eis habito, plurimis captis, cruentissima potiuntur victoria.

Ordo senatorum Romæ instauratus.

CAPVT XXVIII.

Quem finem Ioannes Constantinopolitanus post expeditionẽ Syriæ habuerit, & qualiter, vel quare filius eius Manuel fœdus cum rege nostro inierit.

ANNO

ANNO ab incarnatione domini MCXLIII, Caloiannes Constantinopolitanus Imperator, qui filio suo Manuel sororem reginæ Gertrudis desponsando, cum Romano rege Conrado amicitiæ fœdus inierat, ab Antiocheno principe Raimundo, qui ei prouinciam illam pro pecunia cum ipsa vrbe iurauerat, Syriam cum maximo ingressus exercitu, promisso frustratur. Cui venerabilis episcopus Gabulensis N. in faciem viriliter restitit: eumq; ex parte Romani pontificis & Imperatoris, eò quòd præfata ciuitas à Latinis possideatur, vt ab eius impugnatione desistat, intrepidè commonuit. Ille autem eò quòd à principe delusus esset, ciuitati quidem pepercit, sed totam ferro flammaq; depascens prouinciam, eremitas quoq;, quorum grandis ibi copia est, de cellulis suis eductos, nõ καλοῦ, id est boni Ioannis officiũ agens, crudelissimè tractauit. Ipse verò non multo pòst sagittis toxicatis venationi inseruiens, ab vna earũ ex improuiso vulneratus, miserrimè rex opulentissimus in ipso procinctu diẽ obijt, ac Manuel filio suo regnum reliquit.

Manuel Comnenus Imp. Orientis.

Per idem tempus Folco Hierosolymorum rex moriens, filio suo Folconi adulescentulo, regni gubernacula dimisit. At Manuel ad regnum sublimatus, nuncios ad regem Conradum cum preciosis muneribus, sicut prius pater eius fecerat, dirigens, fœdus renouauit. Et sicut frequenter inter hoc duos Imperatores, à translato ad Francos Imperio, pro diuersis opportunitatibus mos iste seruatus est: sic & nunc inter Ioannem patrem, huius, & Conradum, contra Rogerium, vtriusq; Imperij inuasorem, hæc facta est confœderatio.

CAPVT XXIX.

De diuersis bellis vrbium Italiæ, varijsq; euentibus.

HIs diebus propter absentiam regis, Italiæ vrbibus in insolentiam decedentibus, Veneti cum Rauennatensibus, Veronenses & Vincentini cum Paduanis & Taruisiensibus, Pisani & Florentini cum Lucensibus & Senensibus, atrociter debellantes, totam penè Italiam cruore, prædis & incendijs permiscuere. Præter enim ea quæ suprà diximus, Paduanis priori anno illata incommoda, Veronenses & Vincentini sequenti anno castella, vicos & agros Taruisiensium ferro flammaq; vastauere. Veneti etiam ac Rauennatenses plurima mala terra mariq; alterutrum intulere: at Pisani & Lucenses propter nimiam viciniæ opportunitatem, indefesso furore bellantes, ruinæ suæ omnes Tusciæ vires implicuere. Nam & Florentini vnà cum Marchione Terræ Vltrico, vsq; ad ipsas portas Senensium procedentes, suburbia eius cremauerunt. Senenses verò numero & viribus impares se cognoscentes Florentinis, Lucensium auxiliũ flagitant. Lucenses tam pro ipsis, quàm pro comite Guidone Guerra, qui & ipse cum Florentinis atrox bellum gerens, eos adierat, Florentinos hostes pronunciant. Illi autem Pisanis adiuncti, non solùm Lucenses bello attentant, sed & castella, oppida, agros præfati Comitis incendio & rapina deuastant. Senenses etiam, qui ad vastandos agros eorũ egressi fuerant, insidijs à tergo positis, vix paucis fuga elapsis, captiuãt. Porrò ex Pisanis & Lucẽsibus non tantùm plurimi ferro cæsi, compendio mortis miseriam miserabiliter terminauere, sed & innumerabiles vtrobiq; comprehẽsi, ac longa (vt ipse vidi) carceris inedia & squalore macerati, omnibus prætereuntibus lachrymabile humani casus in se spectaculum præbent.

Bella per Italiam Ciuilia.

CAPVT XXX.

Qualiter Edissa capta sit, ecclesiæq; profanatæ.

ANNO dominicæ incarnationis MCXLV, incipiente in ipso sacrosanctæ natiuitatis Christi solennitate, lugubre & miserabile ex peccato Christiani populi accidit in Oriente piaculum. Sanguinus enim quidam Halapensis Syriæ ac Mesopotamiæ, excepto Antiochia & Damasco, princeps, Persarum verò & Medorum regis, seu Soldani subditus, Edissam quæ nunc Rohas dicitur, vnicum Hierosolymitanæ ecclesiæ pro magnitudine ac abundantia sui refugium, cum infinita Sarracenorum multitudine circundedit, ac in ipsa (vt dixi) natiuitate Domini irrupit, cunctis ibidem cum e-

Edessa Syricæ urbs.

piſcopo vrbis Chriſtianis in ore gladij occiſis, vel miſerabili captiuitate in ſeruitutem redactis, eccleſias Chriſti, & præcipuè beatæ Mariæ ſemper virginis baſilicam, & eam in qua reliquiæ S. Thomæ apoſtoli reconditæ ſunt, ad Saluatoris noſtri ignominiam introferens, ea quæ non licebat, fœdè polluit, Chriſtianisq; penitùs exterminatis, vel tributo ſubactis, Sarracenos ibi ad habitandum locauit. Ob hoc mota eſt expeditio maxima contra Paganos, & regem Perſarum à Conrado rege Romanorum, & Ludouico rege Francorum, cum ſummis & pluribus vtriuſq; regni principibus, & innumerabili multitudine populi, qui abſq; omni effectu reuerſi ſunt.

CAPVT XXXI

De perſecutione Lucij Papæ, legationeq; ipſius ad regem: qualiter Romanus populus Senatoribus Patricium adiecerint, & ob hoc quidam ex eis ab Eugenio Lucij ſucceſſore, anathematis gladio percuſſi ſunt.

PER idem tempus Lucius Papa, vir pro manſuetudine & humilitate ſui, officio ſacerdotali dignus, Cæleſtini qui non plenè ſex menſibus ſederat, ſucceſſor, grauem à ciuibus perſecutionem paſſus, humiles ad regem Conradum, tam ſuam oppreſſionem continentes, quàm de incolumitate & proſperitate eius Deo gratias agentes, ipſumq; ad patrocinium Romanæ eccleſiæ inuitantes, literas mittit, in hunc modum:

Lucius epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, chariſſimo filio Conrado, Romanorum regi illuſtri, ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Omne datum optimum, &c.

Iordanes patricius Romanus.

Populus enim Romanus nullas inſaniæ ſuæ metas ponere volens, Senatoribus quos ante inſtituerant, Patricium adiiciunt, atq; ad hanc dignitatem Iordanem Petrileonis filium eligentes, omnes ei tanquam principi ſubiiciuntur. Deinde pontificem ſuum adeunt, ac omnia regalia eius tam in vrbe, quàm extra poſita, ad ius Patricij ſui repoſcunt: eumq; more antiquorum ſacerdotum, de decimis tantùm, & oblationibus ſuſtentari oportere dicentes, de die in diem animam iuſti affligere non timuerunt. Ipſe autem quotidianis cruciatibus ac tædio vitæ affectus, infra anni ſpacium pontificatus ſui diem obiit, ac Eugenium virum religione ac ſanctitate perſpicuum, communi voto cleri & populi electum, ſucceſſorem reliquit. Hic in principio dignitatis ſuſceptæ, eò quòd totus populus ad tradenda vrbi regalia, ſicut anteceſſores ſuos ipſum ſollicitare vellet, cum epiſcopis & Cardinalibus vrbe cedit, ac proxima dominica in monaſterio Pharphenſi, conſecratione pontificali, ob perſecutionis immanitatem morem mutans, ſublimatur. Ad hunc Papam Eugenium venerabilis Bernardus abbas Clarauallenſis, librum de cõſideratione ſui, quatuor diſtinctionibus ordinatum conſcripſit, in quo perfectæ vitæ ac ſubtiliſſimi ingenij perſpicuitatem euidentiſſimè demonſtrauit. Nam idem apoſtolicus prius Bernardus dictus, & primùm Vicedominus Piſanus, ac demum in Claraualle, omnibus mundanis pro Chriſto ſpretis, eiuſdem venerabilis Bernardi abbatis diſcipulus effectus, ac ab eo poſtmodũ monaſterio beati Anaſtaſij Ciſtercienſis ordinis, in vrbe Roma abbas prælatus, ſummus põtifex, vt prælibauimus, conſtituitur. Inde poſt conſecrationem, furorẽ populi Romani declinans, ad munita loca ſe tranſtulit: poſtq; Viterbium veniẽs, ibi per aliquod tempus moram fecit. At Romanus populus cum Patricio ſuo Iordane in furorem verſus, præfecturæ dignitatem abolentes, omnes principes ac nobiles ex ciuibus ad ſubiectionem Patricij compellunt: & non ſolùm quorundam illuſtrium laicorum turres, ſed & Cardinalium ac clericorum domus ſubruentes, prædã immenſam diripiũt. Eccleſiam etiam beati Petri omnium eccleſiarum caput, incaſtellare ſacrilege ac prophaniſſimè non metuunt: peregrinos cauſa orationis aduenientes, ad oblationem, quæſtus gratia, plagis & verberibus cogunt, ac quoſdam ex ipſis offerre nolentes, in ipſa porticu, & veſtibulo templi nephario auſu occidere non verentur. Quos venerabilis pontifex, percuſſo prius cum quibuſdam fautoribus ſuis anathematis gladio Iordane, adiuncta Tyburtinis Romanorum antiquis hoſtibus, militia coercuit, tandemq; pacem petere coegit. Quam pacem eo tenore dedit, vt Patriciatus, dignitatem exeſtucarent, & prefatum in priſtinam dignitatem reciperent: ſenatores autem ex eius auctoritate tenerent,

Romani habenas pontificis excutiunt.

rent, ſicq; in vrbem rediens, natiuitatem Domini ibidem celebrauit.

CAPVT XXXII.

De nuncio Armeniorũ, cauſaq; itineris ipſius, ac miraculis, quæ in Romana curia vidit.

EA tempeſtate legati Armeniorum epiſcoporum, eorumq; metropolitani, quem ipſi catholicon, id eſt vniuerſalem, propter infinitum, id eſt amplius quàm mille epiſcoporum ſub ſe habentem numerũ, vocant, legati ab vltimo penè Oriente, ſummum pontificem Viterbij, laborioſum iter per annum & ſex menſes complentes, adeunt, eiq; ex parte illius eccleſiæ ſubiectionem omnimodam, eum conſalutando offerentes, cauſas viæ nobis cum aliis multis præſentibus, apud veterem aulam aperiũt, quæ tales erant. Inter ipſos & Græcos quædam de ritu ſacrificij habitudo eſt in quibuſdam, in aliis verò diſcrepantia. Ponunt enim fermẽtatum panem, ſicut illi, aquam autem vino non admiſcent, ſicut nos & illi. Præterea natiuitatem domini Epiphaniæ continuantes, duas illas feſtiuitates vnam faciunt. Pro his & aliis dum inter ſe diſſentirent, Romanam eccleſiam iudicem eligentes, conſultum veniunt, formamq; ſacrificij iuxta conſuetudinem eius ſibi tradi depoſcunt. *Armeniorũ ad Pontificẽ legatio.*

Quos Romanus antiſtes grataníter ſuſcipiens, miſſarum ſolenniis, ac ſacrificij ſecretis adhibuit, diligenterq; ea quæ fiebant ibidem, eos animaduertere monuit. Quod dum facerent, intentiq; ſacro altari aſtarent, vnus ex eis pontificali dignitate prædítus, ſicut poſtmodum in plena curia retulit, in beati Martini octaua, quando dedicatio eccleſiæ beati Petri celebrari ſolet, ſummo pontifice diuina myſteria agente, ſplendido fulgore radium ſolis ſuper caput eius coruſcare, & in ipſo duas columbas aſcendentes & deſcendentes vidit. Cumq; diligentius hac illacq; oculos circumferret, nullumq; aditum per quem lux illa transfunderetur, inueniret, deificum hoc eſſe cognoſcens, ac ad obedientiam Romanæ ſedis amplius accenſus, cunctis quæ viderat aperuit. At venerabilis pater non ſuis hoc meritis attribuens, ipſius potius fide cœlitùs hoc ſibi monſtratum affirmabat, vt videlicet eccleſia, à qua ipſe miſſus fuerat, ſacramentorum virtutem veritatis luce perfuſam cognoſceret, ac deinceps quali ea reuerentia & forma tractare deberet, addiſceret. Retulit etiam præfatus epiſcopus, quòd in confinio Armeniæ quædam gentes eſſent, quæ fœtus ſuos fœtentes generarent, eoſq; ſtatim ad aquas Armeniorum lauandos tranſmitterent. Quos cum illi baptiſmatis vnda tingentes, innatum eis fœtorem propellerent, mox tamen remiſſi ad paganiſmi ritum, & ſpurcitiam redibant. Quod vtrùm faciendum eſſet, item Romanam eccleſiam conſuluerunt.

CAPVT XXXIII.

De epiſcopo Gabulenſi, ac rumoribus, quos de tranſmarinis regionibus retulit.

VIDIMVS etiam ibi tunc prætaxatum de Syria Gabulenſem epiſcopum, cuius præcipuè opera ad plenum Antiochia Romanæ ſedi ſubeſſe cœpit, tam de patriarcha ſuo Antiocheno, & de principis matre Balduini Hieroſolymitani quondam regis filia, querimoniam facientem, quàm de ſpoliis Sarracenis ablatis: iure antiquitatis, exemplo Abrahæ, decimas (qui eas deo recognoſcens, victoriã de ſuis ſpoliis Melchiſedech dedit) exigentem, ac ſuper hoc apoſtolicę ſedis auctoritatem requirentem. Audiuimus eum periculum tranſmarinæ eccleſiæ poſt captam Ediſſam lachrymabiliter conquerentem, & ob hoc Alpes tranſcendere ad regem Romanorum & Frãcorum pro flagitando auxilio volentem. Narrabat etiam, quòd ante non multos annos, Ioannes quidam (qui vltra Perſidem & Armeniam, in extremo Oriente habitans, rex & ſacerdos cum gente ſua Chriſtianus eſt, ſed Neſtorianus) Perſarũ & Medorum reges fratres, Samiardos dictos, bello petierit, atq; Ecbactani, cuius ſuprà mentio facta eſt, ſedem regni eorum expugnauerit. Cui dum præfati reges cum Perſarum, Medorum & Aſſyriorum copiis occurrerent, triduo vtriſq; mori magis quàm fugere volentibus, dimicatũ eſt, presbyter Ioannes (ſic enim eum nominare ſolent) tandem verſis in fugam Perſis, cruentiſſima cæde victor extitit. Poſt hanc victoriam dicebat prædi- *Presbyter Ioannes.*

ctum Ioannem ad auxilium Hierosolymitanæ ecclesię procinctum mouisse, sed dum ad Tygrim venisset, ibiq; nullo vehiculo traducere exercitum potuisset, ad septentrionalem plagam, vbi eundem amnem hyemali glacie congelari didicerat, iter flexisse. Ibi dum per aliquot annos moratus, gelu expectaret, sed minimè hoc impediente aëris temperie, obtineret, multos ex insueto cœlo de exercitu amittens, ad propria redire compulsus est. Fertur enim iste de antiqua progenie illorum, quorum in Euangelio mentio fit, esse magorum, eisdemq; quibus & isti gentibus imperans, tanta gloria & abundantia frui, vt non nisi sceptro smaragdino vti dicatur. Patrum itaq; suorum, qui in cunabulis Christum adorare venerunt, accensus exemplo, Hierosolymam ire proposuerat, sed prætaxata causa impeditum fuisse asserunt. Sed hæc hactenus.

CAPVT XXXIIII.

De pace Romani pontificis cum Romano populo, & item perturbatione. De Boritio, & variis per orbem commotionibus, terminusq; historiæ.

Romani Pontifices reconciliantur.

AT Eugenius cum Romanis hoc tempore pacem fecit, vt patritiatus dignitatem exfestucarent, & præfectum in pristinam dignitatem reciperent, Senatores verò ex eius auctoritate tenerent: sicq; in Vrbem rediens, natiuitatem Domini ibidem celebrauit, incipiente anno dominicæ incarnationis MCXLVI, vbi rursum à populo Romano pro excidio Tyburtinorum intantum de die in diem sollicitatur, vt à Lateranensi palatio improbitatem eorum non sustinens, ad transtyberinam regionem migrans, animam suam vitæ suæ tædere confiteretur.

Rex quoq; eadem natiuitate in palatio Aquis celebrata, Baioariam ingreditur. Ibi eum Boemorum dux Labezlaus, suprà nominatum Boritium secum ducens, adiit. Is flebili ac miserabili voce querimoniam suam de priuatione paterni regni deprimens, quatenus auctoritate imperiali, ad quam totius orbis spectat patrocinium, ei subueniat, deposcit: eiusq; super hoc promissum interuentu prædicti Boemorum ducis, eiusq; consortis Gertrudis, regis sororis, honesto intercedente placito impetrauit.

Varia Christiani orbis fluctuationes.

Exhinc non solùm inpræsentiarum perturbationes sentimus, sed & maiores superuenturas ex his, aliisq; argumentis formidando coniicimus. Ecce enim inter nostrum & Vngarorum regnum, non solùm isto militem instaurante, sed & illo multos ex nostris pecunia corrumpente, valida expectatur commotio. In Polonia etiam inter tres fratres terræ principes, miserabilis auditur tumultuatio: in Belgica Gallia virorum potentum indefessa conflictatio. Apud nos verò tam tetra iam videtur confusio, vt non solùm reliquo anni circulo præda, sed & incendio cuncta permisceant: sed & in ipso Quadragesimali & penitentiali tempore, contra diuinas & humanas leges desæuire non pertimescant. Tanta postremò præteritorum memoria, præsentium incursu, futurorum metu discriminum vrgemur, vt responsum mortis in nobis accipientes, etiam tædeat nos viuere, præsertim cum tam ex peccatorum nostrorum multitudine, quàm tumultuosissimi Imperatoris fœtulēta improbitate, haud diu stare posse mundum putaremus, nisi sanctorum meritis veræ ciuitatis dei ciuium, quorum in toto orbe copiosa variè & pulchrè distincta florent collegia, sustentaretur.

Sed quia mutabilium rerum ab Adam vsq; in præsentem annum, qui ab incarnatione domini MCXLVI, ab Vrbe condita MDCCCCXVIII, Conradi nonagesimi quarti ab Augusto, nonus, Eugenij tertij, summi pontificis secundus est, seriem qualitercunq; percensui, multiplicesq; mortalium miserias inuolui, diuersos religiosorum ordines, quorum (vt dixi) sanctitate à misericordissimo iudice, malignitas mundi supportatur, silentio præterire incongruum arbitramur: vt tantorum malorum turbulentiæ, clarorum virorum gesta insignia, metam & articulum ponamus.

CAPVT XXXV.

Descriptio diuersorum ordinum religiosorum, terminusq; libri Septimi. Catalogus Regum & Pontificum.

Igitur

IGITVR exceptis his, qui sobriè, piè & iustè ex clericis & laicis, sua tanquam non sua possidentes fratrum necessitatibus misericorditer deseruiunt, diuersa sunt sanctorum agmina, qui propriis desideriis, facultatibus, parentibus, iuxta mandatum euangelicum, abrenunciantes, crucemq; mortificationis in carne iugiter portantes, cœlesti desiderio pleni, Christum sequuntur. Quorum alij in vrbibus, castellis & vicis, & agris commorantes, proximis normam rectè viuendi verbo & exemplo tribuunt. Alij quidem commanentiam hominum aspernantes, & quieti suæ amplius prouidētes, frequentiam fugiunt, soliq; deo vacantes, ad syluarum abditorumq; locorum latibula se conferunt. Illi lucem suam lucere coram hominibus ad gloriam dei non abnuunt. Isti mortuos se mundo cognoscentes, vitam suam cum Christo in deo in præsenti abscondunt, gloriamq; suam donec Christus vita eorum gloriosus appareat, enitescere non cupiunt. Æquè tamen omnes vitæ & conscientiæ puritate, ac sanctimonia cœlesti, etiam angelica in terris vita degunt. Communent autem cor vnum & animam vnam habentes in vnum in cœnobiis, vel ecclesiis: somnum simul capiunt, vnanimiter ad orationem surgunt, in vna domo reficiuntur: pariter orationi & lectioni, operiq; die noctuq; ita indefessa incumbunt vigilantia, vt excepto illo quo lassa quieti membra vilibus, & vimineis stramentis, seu sago tradunt momento, aliquod horarū spacium sine diuina occupatione nephas arbitrentur effluere, intantum vt in ipsa naturali refectione diuinæ scripturæ iugiter intenti, spiritum malint saginare quàm corpus. Abstinent verò omnes cōmuniter à carnibus. Alij autem ab omnibus delicatioribus cibis, vinoq; se cohibentes, legumine interdum, interdum cum pane vtuntur & aqua. Quid de cœlibatu ipsorum dicam? cum ita communem & indultam humano generi nuptiarū legem transcenderint, vt quidam ex eis non solùm interna, sed & externa claustra tanta cū diligentia obseruent, quòd nulli vnquam qualibet de causa, sed nec orationis obtentu introeundi aditus pateat fœminarū. Omnibus enim diuersorū opificū officinis, id est pistorum, fabrorū, textorum, aliorumq;, ne foras vllus eorum euagandi occasionem habeat, intrò positis, hisq; studiosissimè septis, porta in exteriori atrio posita est, vbi religiosus & timoratus frater iugiter manens, omnes superuenientes hospites, peregrinos, pauperes alacriter & benignè, tanquam ipsum Christum suscipiens, primò ad oratorium ductis, in cellam hospitalem, lotis antè eorum pedibus, ac deinde omnibus humanitatis officiis deuotè exhibitis, collocat. At fœmina si exhortationis, seu alterius officij causa superuenerit, extrà dimittitur, eam monasterij pater, vel aliquis ex fratribus, non in domo, nec solus, sed sub diuali & patēti loco, solum & rarum tectum propter pluuias habenti alloquitur. Alij verò etsi eas orationis gratia ab oratorio non secludant, ad interiora tamen fratrum receptacula introire non permittunt. Porrò seipsos tanta solicitudine custodiunt, vt non solùm maiora delicta abhorreant, sed & à minimis ac leuissimis, & quæ nobis ex ipso vsu viluerunt, ita sensus suos cohibeant, vt rarissimè, nisi soli deo, patriq; congregationis colloquentes, nutibus magis ac signis, quàm lingua, ea quæ necessaria sunt, abinuicem requirant. Si verò in aliquibus vel minutissimis ex humana infirmitate, negligentia, vel surreptione quis eorum offenderit, ad locum ad hoc deputatum, circa primam vel tertiam horam concurrunt: ibiq; diuino prius adiutorio inuocato, culpas suas humiliter recognoscunt, ac cum charitate mutuò se corrigunt. Ibi sedens senior, mansueta seueritate, sine ira & disceptatione eos dijudicat: frequenterq; diuinarum scripturarum sereno vultu mellifluo ore informans eloquijs, ita defecatos, & ad vnguem purificatos, ad cœlestis militiæ contubernium dignos tyrones in præsentis vitæ stadio præparat.

Eremita.

Cœnobitica vita.

Cœlibatum monachorū.

Sed quia in ipso vestibulo specioſa domus agnoscitur, qualiter interior eorū homo coram discretore cordium deo intus fulgeat, habitus exterior apud homines foris declarat. Sicut enim intus variis rutilant virtutum fulgoribus, ita foris diuersorum vtuntur colorum vestibus, iuxta illud Psalmographi: *Omnis gloria filiæ regis ab intus in fimbriis aureis circumamicta varietate.* Alij quippe Apostolicam vitam ducentes, in ipsoque habitu innocentiæ puritatem prætendentes, munda & linea toga vtuntur. Alij eiusdem ordinis viri, ob mortificationem carnis, tunica lanea asperiùs vestiuntur. Alij omnibus exterioribus occupationibus liberi, angelicam vitam in veste prætendentes, eius suauitatem forma potius ipsa, quàm sui mollitie typicè figurant.

Habitum & vestimenta monachorū. *Psal. 45.*

Ponunt enim ad carnem tunicas aſperrimas, ſuperq; eas alias cum caputijs latiores, ex ſenis partibus tanquam totidem alijs ad inſtar Seraphin conſtantes. E quibus duabus, id eſt caputio caput tegentes, duabus, id eſt manicis omnem actionem ſuam velut manus ad deum dirigendo, ad ſuperna volantes, duabus reliquum corpus antè & retrò velantes, diuina ſe gratia præueniente & ſubſequente, contra omnia ſæua tentatoris iacula ſe munitos oſtendunt. Differunt autem in hoc, quòd alij ob contemptum mundi exprimendum, eandem veſtem nigram tantùm gerunt: alij verò de colore, vel groſſitudine nihil cauſantes, albam, vel griſeam, aliámue abiectã tantùm, & aſperam ferre conſueuerunt. Taliter intus & foris inſtructi, ac per totum terrarum ambitum fertili copioſaq; propagine, merito & numero in immenſum in breui multiplicati ſignis radiant, virtutibus coruſcant, diuina reuelatione ſæpius ſubleuantur, angelica & dæmonica viſione in exitu vitæ crebrò conſolantur. Infirmos curant, dæmones fugant, cœleſtisq; patriæ dulcedinem, quantum in preſenti licet, per contemplationem interdum præguſtant. atq; ob hoc quamuis laboribus attriti, vigilijs exinaniti, ieiunijs attenuati ſint, more cicadarum, quæ famelicæ plus grillire ſolent, totam penè noctem in pſalmis & hymnis, & canticis ſpiritalibus peruigilem ducunt. Manent autem, ſicut olim in Ægypto, ſic & nunc in Galliæ Germaniæq; partibus abundantius, vt in hoc haud mireris potentiæ, ſeu ſapientiæ ab Oriente ad Occidentem translationem, cum de religione itidem factum eniteat. Eſt præterea diuerſis in locis ad ſingulare certamen ſpecialiter inſtructum anachoretarum, & ſolitariorum in genere optimo pugnæ ſanctum collegium, in numero quidem rarius, vitæ verò auſteritate ſuperioribus vel æquale, vel eminentius. Quorum alij ſub Priore degentes, in remotis & abditis locis ſinguli ſingulas cellas velut ſepulchra inhabitant, operibus manuum ſuſtentantur, modico contenti pabulo, annonam totius hebdomadæ ſabbato accipiunt, ac omnimodè humanæ conſolationis expertes, à colloquijs tantùm diuinis & oratione non recedunt. Dominicis ſolùm diebus ad oratorium, quod in communi poſitũ eſt, concurrunt, ac verbo ſanctæ cohortationis à ſeniore irrigati, deificis ſalubriter refecti myſterijs, cum omni alacritate reuertuntur. Alij vitæ ſuæ ſolum deum teſtem habere cupientes, antris, ſpeluncis, parietibus ſe includunt, tantoq; ardentiùs cœlo ſuſpenſi ſabbatizare creduntur, quantò amplius omnis humanæ ſocietatis extorres inueniuntur. Sunt etiam qui ſqualores ſolitudinum requirant, beſtiale ferarum conſortium non pertimeſcant, herba paſcuntur, pelle carnis pro operimento vtentes, algore noctis, & calore ſolis in modum Æthiopum denigrati, velut tympanum obrigeſcant: atq; terreno habitaculo in terra poſiti, includi dedignantes, tectoq; cœli tantùm vtentes, non ſe tam homines, quàm cœleſtis curiæ contubernales eſſe demonſtrant. Omnes hi ab omni miſero mundi rotatu, de quo ſuprà diſputatum eſt, ſecluſi, poſt ſenarij laboris perfectionem, in veri ſabbati pace æternam quietem præguſtando poſiti, noſtræ enormitatis benigni & idonei interceſſores, huius ſeptimi Operis terminus exiſtant: noſq; ad ea quæ ſequuntur, quis ſcilicet finis ciuitati dei maneat, quæ perditio reprobam mundi ciuitatẽ expectet, dicenda, precibus ſuis aptos efficiant, Amen.

Anachoritarum ſeceſſus.

LATINORVM REGES ANTE VRBEM CONDITAM.

1. Italus.
   Ianus.
   Saturnus.
   Picus.
   Faunus.
   Latinus.

Hi regnauerunt ſimul circiter CL annos.

2. Æneas Syluius.
   Latinus Syluius.
   Alba Syluius.
   Ægyptus Syluius.
   Capys Syluius.
   Capetus Syluius.
   Tyberinus Syluius.
   Agrippa Syluius.
   Aremulus Syluius.
   Auentinus Syluius.
   Procas Syluius.
   Amulius Syluius.

ROMANORVM REGES.

3. Romulus.
   Numa Pompilius.
   Tullus Hoſtilius.
   Ancus Marcus.
   Tarquinius Priſcus.
   Seruius Tullus.
   Tarquinius Superbus.

Romæ poſt reges exactos, Conſules quotannis bini creati (& in maxima vrbis calamitate quandoq; etiam creabatur Dictator) vſq; ad Imperatores. Primus autem Conſulum fuit Brutus.

PONTI-

¶Pontifices.	Romani Imperatores.	
	Octauianus Augustus.	
	Tyberius.	
Petrus.	Caius Caligula.	
	Claudius.	
	Nero.	Prima persecutio.
	Galba, Otto, Vitellius.	
Linus.	Vespasianus.	
	Titus.	
10 Cletus.	Domitianus.	Secunda persecutio.
Clemens 1.	Nerua.	
Anacletus.	Traianus.	Tertia persecutio.
Euaristus.		
Alexander 1.	Adrianus.	Quarta persecutio.
Sixtus 1.		
Thelesphorus.	Antoninus Pius cum filijs.	
Iginus.		
Pius 1.	M. Antoninus Verus, cum fratre	
Anicetus.		
20 Sother.	L. Aurelio Commodo.	
Eleutherius.	Commodus post Antoninum.	
Victor 1.	Ælius Pertinax.	
Zepherinus.	Seuerus.	Quinta persecutio.
	Antoninus Caracalla	
Calixtus 1.	Macrinus.	
	M. Antoninus.	
Vrbanus 1.	Alexander.	
Pontianus.	Maximinus.	Sexta persecutio.
Antheros.		
30 Fabianus.	Gordianus.	
Cornelius.	Philippus primus Christianus, cum Philippo filio.	
Lucius 1.	Decius.	Septima persecutio.
	Gallus cũ Volusiano.	Octaua persecutio.
Stephanus 1.	Valerianus cum filio suo Galieno.	
Sixtus 11.		
Dionysius 1.		
Felix 1.		
Euticianus.	Claudius.	
40	Aurelianus.	Nona persecutio.
Gaius.	Tacitus.	
	Probus.	
Marcellinus 1.	Carus cum Carino & Numeriano filijs.	
Marcellus 1.	Diocletianus, &	Decima persecutio.
Eusebius.	Maximianus Cæsares.	
Melciades.	Constantius & Galerius, & Licinius.	
	¶GRÆCI.	
Syluester 1.	Constantinus.	
50 Marcus.		
Iulius 1.	Constantinus cum Constantio & Constante fratribus	
Liberius.		
Felix 11. *	Iulianus.	
Liberius ab exilio reuersus.	Iouinianus.	

*Nota, Felicem (qui in catalogo positus est) ab hæreticis, viuente Liberio subrogatum.

¶Pontifices Romani.	Imperatores.
Damasus.	Valentinianus.
	Valens.
Siricius.	Gratianus cum fratre Valentiniano.
	Theodosius cum vtrisq;, & post vtrosq;.
Anastasius I.	
Innocentius I.	
Zosimus.	Archadius,& Honorius.
Bonifacius I.	
Celestinus I.	
	Theodosius cum Valentiniano.
Sixtus III.	Valentinianus cum Martiano.
Leo I.	Martianus post Valentinianum.
Hilarius I.	Leo.
Simplicius.	Zeno.
Felix III.	
Gelasius.	Anastasius.
Anastasius II.	
Symmachus.	
Hormisda.	
Ioannes I.	Iustinus.
Felix IIII.	
Bonifacius II.	
Ioannes Mercurius II.	
Agapitus I.	Iustinianus.
Siluerius.	
Vigilius.	
Pelagius I.	
Ioannes III.	
Benedictus I.	Iustinus.
Pelagius II.	Tyberius.
Gregorius I.	Mauritius.
Sabinianus.	Focas.
Bonifacius III.	
Bonifacius IIII.	
Deusdedit.	
Bonifacius V.	Heraclius cum Constantino filio.
Honorius I.	
Seuerinus.	
Ioannes IIII.	
Theodorus I.	Constantinus.
Martinus I.	
Eugenius I.	Constans.
Vitalianus.	
Adeodatus.	
Domnus.	
Agatho.	
Leo II.	Constantinus.
Benedictus II.	
Ioannes V.	
Ghonon, aliàs Zeno.	
Sergius I.	Iustinianus.
Ioannes VI.	Leo.

* *Hi duo tamen à catalogo regum, propter inuasionẽ regni, quam sequente Iustiniano, Leo primus, post Tyberius Leonem expellendo fecerant, remoti sunt.*

Ioannes

¶Pontifices Romani.	Imperatores.
Ioannes VII. fœmina.	
Siſinnius.	Tyberius.
Conſtantinus I.	Iuſtinianus idem qui ſuprà.
	Philippus.
Gregorius II.	Anaſtaſius.
	Theodoſius.
Gregorius III.	
Zacharias.	Leo cum Conſtantino filio ſuo.
Stephanus II.	Conſtantinus cum Leone filio, Pipino
Paulus I.	Francorum rege iam Patricio Romano-
Conſtantinus II.	rum.
Stephanus III.	
Adrianus I.	Leo poſt mortem patris, Carolo rege
	Francorum, & Romanorum Patricio.
	Conſtantinus cum matre.
Leo III.	Hirene poſt filium.
	¶FRANCI.
	Carolus accepit imperium.
Stephanus IIII.	
Paſcalis I.	
Eugenius II.	Ludouicus cum Lothario filio.
Valentinus.	
Gregorius IIII.	
Sergius II.	Lotharius poſt patrem.
Leo IIII.	Item Lotharius cum Ludouico filio.
Benedictus III.	
Nicolaus I.	Ludouicus poſt patrem.
Adrianus II.	
Ioannes VIII.	Carolus.
Martinus II.	
Adrianus III.	Carolus.
Stephanus V.	
Formoſus.	
Bonifacius VI.	
Stephanus VI.	
Romanus I.	
Theodorus II.	Arnolfus, iuxta quoſdam.
Ioannes IX.	
Benedictus IIII.	
Leo V.	
Chriſtophorus I.	
	¶LONGOBARDI.
Sergius III.	Ludouicus, iuxta Romanos.
Anaſtaſius III.	
Lando.	Berengarius.
Ioannes X.	Berengarius.
Leo VI.	
Stephanus VII.	Vgo.
Ioannes XI.	Berengarius.
Leo VII.	Lotharius.
Stephanus VIII. Germanus.	Berengarius cum Alberto filio.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 136;Leibn. Marg. 136, Stück 1, [181] - 163

PONTIFICES ROMANI	IMPERATORES. ¶TEVTONICI.
Martinus III.	
Agapitus II.	
Ioannes XII.	Otto cum Ottone filio.
Benedictus V.	
Leo VIII.	
Ioannes XIII.	
Benedictus VI.	
Domnus II.	
Bonifacius VII.	Otto post patrem.
Benedictus VII.	
Ioannes XIIII.	
Ioannes XV.	
Ioannes XVI.	
Gregorius Teutonicus V.	
Ioannes XVII.	
Syluester II.	Otto.
Ioannes XVIII.	
Ioannes XIX.	
Sergius Os porci IIII.	
Benedictus VIII.	Henricus.
Ioannes XX.	Conradus.
Benedictus IX.	
Syluester III.	
Gregorius VI.	
Clemens Teutonicus II.	Henricus Imperator.
Damasus Teutonicus II.	
Leo Teutonicus IX.	
Victor Teutonicus II.	
Stephanus Teutonicus IX.	
Benedictus X.	
Nicolaus II.	
Alexander II.	Henricus.
Gregorius VII.	
Victor III.	
Vrbanus II.	
Paschalis II.	
Gelasius II.	Henricus.
Calixtus II.	
Honorius II.	
Innocentius II.	Lotharius.
Celestinus II.	
Lucius II.	Conradus.
Eugenius III.	
Anastasius IIII.	Fridericus.
Adrianus IIII.	

¶ *Huc usq; Otto Frisingensis catalogum scripsit: quæ sequuntur usq; ad initium lib. octaui, proculdubiò alterius sunt Chronographi, omissa tamen noluimus, vt nec superiora, quamuis dubiæ fidei videantur.*

Alexander III.	
Lucius III.	Idem Fridericus.
Vrbanus III.	
Gregorius VIII.	
Clemens III.	Henricus.

Celesti-

¶ Pontifices Romani.	Imperatores.
Celestinus III.	
Innocentius III.	Philippus, item Otto.
Honorius III.	
Gregorius IX.	Henricus, item Fridericus.
Celestinus IIII.	
Innocentius IIII.	
Alexander IIII.	
Vrbanus IIII.	Henricus, item Wilhelmus.
Clemens IIII.	
Gregorius X.	
Innocentius V.	
Adrianus V.	
Ioannes XXI.	Rudolfus.
Nicolaus III.	
Martinus IIII.	
Honorius IIII.	
Nicolaus IIII.	
Celestinus V.	
Bonifacius VIII.	Adolfus.
Benedictus XI.	Albertus.
Clemens V.	Henricus.
Ioannes XXII.	Ludouicus, Fridericus.
Benedictus XII.	
Clemens VI.	
Innocentius VI.	Carolus.
Vrbanus V.	
Gregorius XI.	
Vrbanus VI.	
Bonifacius IX.	Wentzeslaus.
Innocentius VII.	
Gregorius XII.	Rupertus.
Alexander V.	
Ioannes XXIII.	
Martinus V.	Sigismundus.
Eugenius IIII.	
Felix V.	Albertus.
Nicolaus V.	
Calixtus III.	
Pius II.	Fridericus.
Paulus II.	
Sixtus IIII.	
Innocentius VIII.	
Alexander VI.	Maximilianus.
Pius III.	
Iulius II.	
Leo X.	Carolus V.

CAPVT VLTIMVM.

De morte Conradi Imperatoris, in cuius locum Fridericus dux Suenorum rex electus, & quomodo maximum schisma in ecclesia oriri cœpit, tandem Alexander confirmatur, qui Romæ concilium celebrauit. Item quomodo Imperator bis Longobardiam intrauerit, Mediolanumq; ceperit. Tandem quo pacto Henricum filium regia dignitate sublimauerit, data ei prius vxore nobili, & qualiter idem Henricus Bresacum ædificauerit.

ANNO ab incarnatione domini MCLII, Conradus dux de Zeringen obijt, poſt quem etiam Conradus rex eodem anno defunctus eſt: in cuius locum Fridericus dux Sueuorum, filius fratris eius Friderici, XCV ab Auguſto rex electus eſt apud Franconefurt, vnanimi principium, totiuſq; regni conſenſu. Huius VIII principatus anno, Adrianus venerabilis Papa obijt, & inter duos alios, Alexandrum videlicet & Octauianum, qui alio nomine Victor appellatus eſt, maximum ſchiſma eccleſiæ oriri cœpit, quod XIX annis miſerabiliter durauit, Friderico rege contra Alexandrum pertinaciter reſiſtente, & in idipſum plures epiſcoporum regia poteſtate compellente. Quod demum multo labore dei gratia ſanatum eſt, & Alexander vniuerſalis totius eccleſiæ pater canonicè confirmatus eſt: qui ſecundo confirmationis ſuæ anno, maximum Romæ concilium congregauit: in quo plures epiſcopos ſchiſmaticos, & plures diuerſorum ordinum per ipſos ordinatos degradauit, & damnauit.

Fridericus I. Barbaroſſa rex Rom.

Eo etiam tempore prædictus Imperator Fridericus expeditionem maximam contra Longobardos mouit, & Mediolanum cepit, atq; ædificiorum ciuitatis eiuſdem plurimam partem ſubuertit. Tranſactis autem paucis poſt hæc annis, iterum cum exercitu, multoq; comitatu Epiſcoporum, Ducum & Comitum, diuerſorúmque principum Teutonici regni, ſecundo Longobardiam ingreditur, & ibidem regali potentia grandia multa perficere molitur. Sed circa finem Auguſti menſis, facta eſt immanis mortalitas in eodem exercitu principum Teutonici regni, epiſcopi ſcilicet Colonienſis, Friderici de Winsberg, Welfonis Iunioris de Rauensburg, cum multis alijs. His etiam diebus prædictus Imperator Fridericus Henricum filium ſuum regia dignitate ſublimauit, eiq; puellam nobili genere procreatam, Rogerij ſcilicet & Wilhelmi Apulienſium principum filiam copulauit, nuptiasq; ipſius Mediolani regali gloria, multaq; potentia perpetrauit. Poſtea verò idem rex Henricus caſtrum quoddam in Briſagaugia, Breſacum dictum, in refugium pauperum velut miſericordiæ aſylum, cœpit ædificare, cunctosq; confugientes illuc à totius iniuſticiæ violentia, regali potentia ſtuduit defenſare.

Henricum 6. Frid. F.

Briſacum condıtur.

LIBRI SEPTIMI FINIS.

OTTO.

OTTONIS FRISINGENSIS EPISCOPI CHRONICORVM LIBER OCTAVVS.

PROLOGVS.

HOc opus nostrum, quod de duabus ciuitatibus intitulauimus, trifariè distinctum inuenitur. Cum enim ciuitas Christi seu regnum eius, secundum præsentem statum vel futurum ecclesia dicatur: aliter se modo, quàm diu bonos & malos in vno gremio fouere cernitur, habet: aliter tunc, cum solos bonos in superni sinus gloria seruabit, habitura erit: aliter antequam plenitudo gentium introierit, sub principibus gentium viuens se habuit. Denig. quòd ecclesia non solùm cum Christo regnans, sed & in præsenti horreo granum & paleam continens, regnum Christi vocetur, in Euangelio manifestissimè habes. vbi de regno suo scandala, quæ nulla profectò in cœlesti patria tranquillissima & felicissima fore poterunt, auferenda prædicuntur. Ea ergò locutione, qua Christus propter sacramentorum communionem malos & bonos, fidem istos per charitatem operantem, illos sine operibus mortuam habentes regnum suum nominat, ea etiam nos Ciuitatem eius hunc præsentem statum vocamus. Neq. enim subtilitatem eorum in hoc sequimur, qui vtrum mali in ecclesia manentes, veraciter sacramentis communicent, an exterius tantùm ea accipiant, solerter inquirunt: vel si item mali, ecclesia quæ corpus Christi dici propter temporalem commixtionem, ac sacramentorum communionem debeant, acutissimè disputant. Sed communem sacræ scripturæ vsum, simplici oculo intendendo, omnes in ecclesia fidem tenentes catholicam, ciuitatem Christi vocamus, Deo, qui solus nouit qui sint eius, iudicium, discussionémue singulorum relinquentes. *Ecclesiæ militantis condatio.*

Ciuitatis peruersæ triplex æquè status inuenitur, quorum primus ante gratiam, secundus tempore gratiæ fuit, & est, tertius post præsentem vitam erit. Primus miser, secundus miserior, tertius miserrimus. E contra verò alterius partis primus abiectus, secundus prosper, tertius beatus: vel primus humilis, secundus mediocris, tertius perfectus. Ac de duplici vtriusq. partis statu, quomodo scilicet vnus primò humilis cum latuit, post datis sibi non solùm internis bonis, sed & exteriori prosperitate, non vt prius abiectus, nec adhuc, vt in futuro erit, gloriosè beatus & perfectus, medius seu mediocris: alter verò tam infinitarum mutationum motibus, quàm veræ religionis ignorantia primò miseris, secundò post reuelatam lucem tanto miserior, quanto post manifestatam veritatem inexcusabilior fuit, in præcedentibus satis dictum est. De tertio verò quomodo videlicet hæc ad summam beatitudinem profectura, illa ad vltimam miseriam defectura & casura sit, iudicante ac examinante in vltimo iudicio iustissimo iudice vtriusq. vrbis causam, in hoc octauo Opere dicendum restat. Verùm quia, vt ait Salomon, ante ruinam exaltari cor, & ante gloriam frequenter solet humiliari, quæ hanc gloriam ciuitatis suæ humiliatio, quæ hanc ruinam ciuitatis peruersæ momentanea sub Antichristo præcedat elatio, quantum ex autenticis libris colligi datur, præmittere aptum reor. Sic enim post densissimas persecutionum tenebras, gratior æternus æternæ pacis dies, & post temporalem arrisionem molestissimus pœnarum turbo, æternaq. nox grauior apparebit: quatenus & istius spes præsentes labores breues efficiat, & illius timor ab hac temporali, si qua est, (quia transitoria est) voluptate, deterreat. *Prou. 16.*

Nunc eis respondendum videtur, qui fortè hunc nostrum laborem tanquam inutilem euacuare conabuntur, quasi tot alternantium malorum historicis narrationibus, tàm ardua & arcana scripturarum documenta non dignè commisceamus. Et primò quidem, quamuis de hoc exemplo beati patris Augustini, quem imitari proposuimus, idem in libro de Ciuitate Dei facientis, excusemur: tamen rationum & auctoritatum spiculis eis obuiandum erit. Nunquid non gratior est dies sequens noctem, dulcior quies post laborem, somnus post lassitudinem, cibus post esuriem? Quid de heptatico regnorum libro Paralipomenon dicam? Deficiet me tempus enarrantem, si vniuersas sacræ scripturæ paginas, vtpote Ruth, Iudith, Esdræ, Hester, Machabæorum percurrere velim: qui dum mystico sensu, & deifica sapientia sint grauidi, diuersas tamen mortalium ærumnas, & bellorum tempestates continent. Taceo prophetas, qui inter crebras mutabilium miserias, secreta sancti spiritus nonnunquam vaticinia posuere.

qui profundißimis diuinorum myſteriorum arcanis, nephandißima huius mundi facta frequenter interſeruere. Sic Daniel ab hiſtorica narratione ordiens profundißima viſione opus ſuum terminauit. Et egregius ille prædicator, ſecundùm datam ſibi præ cæteris apoſtolis ſapientiam, de ſecretißimis dei magnalibus excellenter diſputans, ad correctionem noſtram quædam turpia tenebrarum opera in capite epiſtolarum obiurgando, commemorare non erubuit. Sed & dilectus ille Chriſto diſcipulus, euangelicæ narrationem veritatis, alto illo inchoatam principio concludens, cum dixiſſet: Multa quidem & alia ſigna fecit Ieſus, quæ non ſunt ſcripta in libro hoc: hæc autem ſcripta ſunt, &c. *exemplum dominicum, ſtatum futuræ vitæ in captura piſcium, & retis ſoliditate, necnon & cibi ſuauitate præſagiens, ſubtexuit:* Manifeſtauit, *inquiens,* ſe Ieſus ad mare Tyberiadis. *Sicq; huius tam eximiæ rei prærogatiuam in calce libri ponens, omnem retroactæ narrationis ſeriem, eius tanquam proœmium fecit. Dominus quoq; in principio fecit cælum & terram, inuiſibilem primò & incompoſitam materiam edidit, ac poſtmodum in ordinem eam & lucem redegit. Non ergo delinquere nos arbitramur, ſi enumeratis præſentis vitæ miſerijs, de æterna ſanctorum quiete, tanquam de luce poſt tenebras, quantum Deus permiſerit, tractare conabimur.*

Ioan. vlt.

OTTONIS CHRONICORVM LIBER OCTAVVS.

CAPVT I.

De quadrifaria eccleſiæ perſecutione. Ex qua tribu Chriſtus naſciturus ſit.

SICVT ex ſcriptura ſacra docemur, ciuitas Chriſti primò violentam à ciuitate mundi ſub tyrannis infidelibusq; regibus, ſecundò fraudulentam hæreticorum, tertiò fictam hypocritarum tempore perſecutionem paſſa, vltimam tam violentam, quàm fraudulentam, fictamq; ac omnium grauiſſimam ſub Antichriſto paſſura erit. Qui ex hoc quòd Chriſtum ſe mentiens, Chriſto per omnia vita & doctrina oppoſitus erit, Antichriſtus tanquam contrarius Chriſto vocatur. Græci enim ἀντὶ *contra* dicunt. Porrò de tribu Iuda, ſeruili ſcilicet conditione, ex illa qua dicitur auctoritate, *Fiat Dan coluber in via, ceraſtes in ſemita,* naſciturus creditur.

Antichriſtus.

Gen. 49.

CAPVT II.

De diſceſſione quæ eius aduentum præcedet.

QVÆ verò aduentum eius indicia præcedant, Apoſtolus inſinuat, qui Theſſalonicenſibus ſcribens ait: *Et nunc quid detineat ſcitis, vt reueletur in ſuo tempore. Nam myſterium iam operatur iniquitatis, tantùm vt qui tenet nunc teneat, donec de medio fiat.* Et rurſum: *Niſi venerit diſceſſio primùm, & reuelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, &c.* Quod quidam ad Neronem, cuius tempore Paulus ſcripſit, interpretantur, ſicut ſupra dixiſſe me memini. Alij verò de diabolo, cuius membra omnes ad reprobam ciuitatem pertinentes ſunt, dictum æſtimant. Aiuntq; Paulum intellexiſſe Zabulum, qui per membra ſua ſanctos perſequendo, myſterium iniquitatis tunc operabatur, tempore ſuo, id eſt, in fine mundi, ad manifeſtam impietatem reuelandum fore, ac collectas vires per Antichriſtum effuſurum. Vnde in Apocalypſi habes, quòd poſt mille annos, qui quidem numerus plenitudinem ſignificat temporis, Sathan, qui modò in reproborum mentibus maliciam intra ſe cohibentibus, tanquam in abyſſo ligatus noſcitur, ſoluendus, id eſt, ad manifeſtam nequitiam prorupturus, totas vires effuſurus ſit. Et nota, quòd Paulus omnem præſentis diei maliciam, non iniquitatem, ſed myſterium iniquitatis nominauit, vt per hoc omnis, quem eccleſia à primo tempore vſq; ad Antichriſtum patitur, labor reſpectu illius quem tunc paſſura erit, non iniquitas, ſed tanquam myſterium, id eſt, ſpecies iniquitatis appareat. Vel myſterium vocat tanquam occultum, res enim ſecretas myſticas dicere ſolemus: & eſt

2. Theſſ. 2.

Apoc. 20.

Myſterium iniquitatis.

& est sensus: In illo tempore tam manifesta, tam periculosa & cruenta erit tribulatio, vt omnem quam nunc patitur, vel passa fuit ecclesia, comparatione illius quasi occultam reputet. Quod verò subsequitur, & ait: *Qui tenet nunc teneat, donec de medio fiat*: prædicto sensui accommodatum cernitur, velut qui nunc sub honesto pudore vitia reuelata tenet, teneat donec processu temporis inuerecunda fronte commissa, ad medium, id est, ad publicum veniant. Hoc etiam videtur innuere cum præmisit: *Quid detineat scitis, vt reueletur in suo tempore.* tanquã diceret: Non antè reuelabitur, quàm completa malicia Amorrhæorum, tempus quod manifestari debet, adueniat. Vnde & hanc ipsius reuelationem, discessionem præcessuram narrat. Tunc enim verè caput erroris apparebit, cùm relicta veritate, à veritatis auctore totus penè mundus discedet. Quidam discessionem, & hoc quod dicitur: *Qui tenet teneat, donec de medio fiat*, ad regnum interpretantur, vt scilicet omnibus amore scelerum iusticiæ renitentibus, ac per hoc à iusticia regni discedentibus, ad tantam qui regnum tenet, deiectionem veniat, vt sine reuerentia de medio, id est, de cõmuni quasi quilibet de plebe fiat. Vnde & aiunt, Apostolum hæc sub tegumento, verborumq; inuolucris posuisse, ne videlicet Romano imperio, quod ab ipsis æternum putabatur, calumniam intulisse videretur. Qua de re & hoc dictum putant: *Quid detineat scitis*: ac si diceret, Hoc quod vos scitis, alienigenas manifesta demonstratione scire volo. Alij verò eadem verba, eodem quo de regno diximus sensu, de sacerdotio, & Romana sede interpretantur. NB.

CAPVT III.

De ipso eius aduentu, ac persecutione quæ sub ipso fiet.

OSTENSO quæ eum indicia præcedant, nunc de ipso eius aduentu, ac ea quæ tunc fiet persecutione prosequamur. Dominus Iudæis prædicans, ac non auditus, inter alia dixit: *Ego veni in nomine patris mei, & non recepistis me: si alius venerit in nomine suo, hunc recipietis.* Et Paulus: *Eo quòd charitatem veritatis non receperunt, vt salui fierent, ideo mittet illis Deus operationem erroris, vt credant mendacio.* Nec timuit Paulus dicere, quòd dominus mittat eum. Mali enim etsi ciuitatem dei non iusticiæ, sed iniquitatis zelo affligant: nihil tamen nisi quod & quantum permittuntur, facere possunt. Vnde spiritus Domini malus irruisse dicitur in Saul. Malus quippe propter nequissimam voluntatem: & idem domini, propter acceptam ab eo iustissimam potestatem. Quòd si dominus omnes reprobos regnare permittit, quantò magis omnium reproborum caput temporalis prosperitatis, ac sæuiendi in suos potestatem eius sine nutu non accipit? Mittet ergo eum dominus, quia maliciam corde conceptam non amplius quàm ipse permittet, exercere valebit. Sed quærendum est, quare dominus ciuitatem suam tam immaniter tribulari permittat, cur eius hosti tantam malefaciendi efficaciam tribuat? At non est mirum, si Dominus ecclesiam suam de nihilo suscitatam, & ad summum in terra fastigium, vt suprà diximus, exaltatam, ante vltimæ tribulationis brauium, ne longo dissoluta ocio, in amore sui, conditoris torpeat, excitatam grauissima prius exerceat palæstra. Erit autem hæc persecutio, vt suprà dictum est, violenta & fraudulenta: & violenta non quidem per se: sed per potentem personam (vt mihi videtur) exercebitur. Vnde Psal. *Sedet in insidijs cum diuitibus in occultis, vt interficiat innocentem:* id est, occultis machinamentis potentes mundi, ad hoc vt manifesta sanctis irrogent supplicia, incitabit. Et hanc puto bestiam in Apocalypsi vocatam. Nam ipsum Antichristum eadem scriptura pseudoprophetam nominat, diabolum verò instigantem draconem. Ex hoc conijci potest, ipsum per omnia in hypocrisi venientem, non tormenta exteriora per se sanctis inferendo, sed signis mendacij, & specie religionis, ac imagine rationis fraudulenter mundum deceptorum: tormenta verò per potentem adhuc sibi ascitum sanctis intentaturum. Si qui verò vnum eum potentem vtpote Romanorum Imperatorem ad hoc ascire contendunt, & hunc bestiam dictum non calumnior.

Ioan. 5. *2. Thess. 2.* *Antichristus diuino permissu insæuiet.* *Psal. 10.*

CAPVT IIII.

De vita, & doctrina eius

Christi cum Antechristo comparatio.

QVONIAM verò suprà, vitam & doctrinam eius Christo contrariam testati sumus, qualiter id fiat, Deo adiuuante, dicamus. De vita quidem constat, quia Christus de solio patris ac superis descendens, se ad redimendum genus humanum humiliauit: ille de inferis ascendere nitens, ac supra omne quod dicitur, aut quod colitur deus se extollens, ad decipiendos homines subleuabit. Ille virtutem & excellentiam deitatis occultans, assumptam carnem sputis & flagris exposuit: iste fragilitatem suam non considerans, ac se super hominem deum iactans, de hoc quod non est, gloriam & honorem ab hominibus expectabit. Doctrina verò eius, inquantum ab illius

Matth. 11. dissideat, luce clarius est, cum dominus humilitatis, *Discite*, inquiens, *à me, quia mitis sum & humilis corde*: iste superbiæ, *Mea sunt*, dicens, *flumina, & ego feci illa*, magister appareat. Et nota, quòd in fide nostra in duobus præcipuè calumniandi materiam inuenit, qua videlicet alia humanæ rationi, alia carnis voluptati contraria prædicat. Humanæ rationi contraria, vt partum virginis, sacramentum altaris adorare, crucifixum

Matth. 16. Luc. 14. hominem credere deum, & huiusmodi. Voluptati contraria, vt hoc est: *Qui vult venire post me, &c.* &: *Nisi quis renunciauerit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus*: &, *Væ vobis diuites*: &, *Beati pauperes*: & huiusmodi. Sapientes ergo argumentis

Matth. 5. ac ratione inducens, stultos rerum temporalium delicijs alliciens, vtrosq; falsis promissionibus seducet. Quapropter dominus in Euangelio ait: quòd tantùm erit illius

Ibid. 24. temporis periculum, vt in errorem ducantur, si fieri posset, etiam electi. Et in Iob habes, quòd esca eius sit electa. Illi quippe qui humanam rationem sequentes, de rerum causis philosophantur, faciliùs rationibus & argumentis ad hoc vt fidem negent, inducuntur, quàm ad hoc faciendum minis deterreantur, delectationibus seculi allicianter. Hæc de vita & doctrina eius dicta sufficiant.

CAPVT V.

De Enoch, & Helia.

PRÆDICANTE autem ipso, humanumq; genus, & præcipuè Iudaicum populum seducente, Enoch & Helias, qui adhuc superstites sunt, venturi creduntur, vt eorum, quorum vnus ante legem, alius sub lege fuerunt, auctoritate mundus errore deceptus, ad agnitionem veritatis redeat. Et de Helia quidem dominum in propheta

Malach. 4. dicentem habes: *Ecce ego mittam vobis Heliam Tesbytem, qui conuertat cor patrum ad filios*, &c. *antequam veniet dies domini magnus & horribilis.* De vtrisq; verò in Apocalypsi scriptum inuenies, vbi rursum, quòd ab Antichristo interficiendi, ac quòd ipse post hoc spiritu oris domini, tam ipsorum, quàm aliorum sanctorum sanguine ad deum clamante, percussus, finem persecutionis sit impositurus, legitur.

CAPVT VI.

De tempore tyrannidis eius.

TEMPVS quoq; tentationis tribus annis & dimidio, totidem scilicet quot & dominus prædicauit, ex hoc quod ibidem dicitur.

Apoc. 12. *Vsq; ad tempus & tempora, & dimidium temporis*, protendi latenter innuitur. Euidentius autem ex illa auctoritate Apo-

Ibid. 11. calypsis: *Ciuitatem sanctam calcabunt mensibus* XLII, declaratur. Quam breuitatem temporis ex immanitate persecutionis, propter electos à misericordissimo iudice

Matth. 24. prouisam esse dominus insinuat, cum ait: *Nisi abbreuiati essent dies illi, non fieret salua omnis caro: sed propter electos abbreuiabuntur dies illi.*

CAPVT VII.

Quæ percusso eo aduentum domini signa præcedant.

Perçusso

PERCVSSO impiæ ciuitatis capite, infidelis Iudæorum populus iam se delusum cernens, ad conuersionem venire creditur, iuxta illud prophetæ: *Si fuerit numerus filiorum Israel sicut arena maris, reliquiæ saluæ fient.* Ose 2. Post hoc locus pœnitentiæ manet, cuius spacium omnes mortales latet. Igitur omnibus quæ prædicta sunt consummatis, signisq; vniuersis in sole, & luna, & stellis, mariq; transactis, cunctis præ timore & expectatione quæ superueniet vniuerso orbi, arescentibus, reprobæ ciuitatis interitus, & ciuitatis Christi prouectus, diesq; Domini, iuxta veritatis vocem, quæ suos blandè consolans: *Cum videritis, inquit, hæc fieri, scitote quia propè est regnum dei:* qui tanquam fur in nocte, id est, non præuisus, edentibus & bibentibus, nubentibus, nuptui tradentibus, iuxta domini rursus vocem, venire non dubitatur. Luc. 21. Quod non crudeliter, sed magna conditoris prouidentia sapienter fieri credendum est, vt semper de aduentu iudicis pauidi, semper ad rationem reddendam parati inueniamur. Longo me iam ocio torpentem, & diuersas ob occupationes quasi dormitantem, vltimo de tempore locuturum, tuba salutaris excitet. Quis enim hac audita, somno pigritiæ depressus non euigilet, per quam etiam exurgunt mortui? Fateor quia ad plurima sensu iam diu distracto, minorem me, imò nullum, ad tam ardua tractanda iudicans, digitum ori supposui, malens dies malos silentio transigere, quàm magnis de rebus in perturbatione temeratiè disputare. Scio enim qui dixit: Vacate & videte. Noui etiam perturbatione consilij semper esse nesciam, amicam ocij, negociosa officia renuere sapientiam. Quibus dum nunquam ad plenum carere mereor, quandoq; tamen minus importune ingruentibus, quamuis tenuiter alleuiari videor. Proinde hoc resurrectionis tempore non nostris, sed illius, qui propter delicta nostra mortuus est, & resurrexit propter iustificationes nostras, viribus & ope fulti, de resurrectione mortuorum, fineq; temporum dicere ordiamur, ipsum obnixè inuocantes, vt à morte animæ suscitatos, dignè tanta nos eloqui mysteria concedat.

CAPVT VIII.

De exterminatione seculi per ignem.

CVM iuxta Apostolum, Pax & securitas dixerint, repentinus interitus superueniet, terribiliq; ignis virtute cuncta cremabuntur. Quam seculi per ignem exterminationem non solùm nostri prophetico spiritu veridicè prædixerunt, sed & quidam ex gentibus humana subnixi ratione, physicis opinionibus somniauerunt. Vnde præcipuus philosophorum Plato, mundum abditis naturæ rationibus, aqua prius, pòst igne purgandum, in Timæo suo asserit: & quidam poetarum de eadem re sic ait:

——reminiscere tempus
Affore quo mare, quo tellus, immensaq; regia cæli
Ardeat, & mundi moles immensa laboret.

Sed & Sibylla in prophetia de Christo habita, vltimi huius incendij, extremiq; iudicij manifestè meminit. Refert etiam Iosephus, primum hominem qui rerum causas tantò subtiliùs & sublimius rimari potuit, quantò primordialem eorum creationem recentius vidit, rerum omnium exterminationem, vnam ignis virtute, alteram aquarum multitudine prædixisse. Cui concordans ex nostris Petrus: *Cæli, inquit, erant prius, & terra de aqua, & per aquam consistens verbo dei, per quæ ille tunc mundus aqua inundatus perijt: cæli autem qui nunc sunt & terra, eodem verbo repositi sunt igni reseruati in diem iudicij & perditionis impiorum hominum.* 2. Pet. 3. Et infrà: *Aduenier autem dies domini magnus, in quo cæli magno impetu transibunt.* Quibus verbis nonnulli volunt, Petrum sensisse, tantum flammam ignis debere ascendere, quantum prius aquas diluuij constat ascendisse. Ait enim: *Cælum & terram*: cœlum nimirum aerium intelligens. Vnde & aues cœli dicimus prius aquarum inundatione perijsse, eos verò qui nunc sunt, eodem verbo repositos & igni reseruatos: id est, eodem modo & qualitate ignis, quo prius aquæ, exterminandos, vel in melius mutandos.

CAPVT IX.

Qualiter intelligendum sit, Cælum & terra transibunt.

HIc non incongruè quæri poteſt, quomodo iuxta hanc auctoritatem, ipſiuſq; veritatis atteſtationem, cœlum & terra tranſeat, vel potius pereat, Pſalmiſta dicente: *Ipſi peribunt, tu autem permanebis?* Quomodo enim principales creaturæ in principio factæ peribunt, cùm nulla ſubſtantia perire credatur? & ſcriptura ſacra omnibus fluxis & tranſitoriis prius enumeratis, dicat: *Terra enim in æternum ſtat.* Nunquid terra ſtante, cœlum quod dignius eſt & ſuperius, peribit? Qui ſcrupulus facilius ſoluitur, ſi quod ſecundùm quid dicatur, diligentius intueamur. Dicimus enim tranſire diuerſis modis. Eſt namque tranſitus de non eſſe ad eſſe, vel de eſſe ad non eſſe, vel de eſſe ad aliter eſſe: id eſt, tranſitus (vt ficto nomine dicam) aliationis, à faciendo aliud: vel alterationis, à faciendo alteratum. Qui tranſitus alterationis in diuina pagina diuerſis modis fieri dicitur, id eſt, vel de bono in malum, vel de malo ad bonũ, vel de bono in melius, vel de malo in deterius. De bono in malum tranſiuit Lucifer, factus de angelo diabolus, de vita ad mortem vergens. De malo in bonum Paulus, ex perſecutore factus Apoſtolus, de morte ad vitam tranſiens. De malo in deterius Herodes, de cruciatibus corporis ad ſæuiſſima gehennæ tranſmeans tormenta. De bono in melius quilibet fidelis, de bona huius vitæ conuerſatione ad brauium tranſiens retributionis æternæ. Etenim de Chriſto dicitur, quia tranſiuit de hoc mundo ad patrem. Sic ergo cœlum & terra dum tranſire dicuntur, nequaquam de eſſe ad non eſſe vergere, velut abolenda, quæ eſſent tranſire ad aliud: ſed de hoc ſtatu ad aliter eſſe, id eſt, ad alium pulchriorem, longeq; excellentiorem commutanda & transfiguranda aſſeruntur. Vnde Paulus: *Præterit figura huius mundi*: figura, inquit, non natura. Pſalmiſta quoque ne quod dixerat, *Ipſi peribunt*, aſperiùs interpretaremur, ſubiunxit: *Sicut veſtimentum veteraſcent, & ſicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur.* Ac ſi diceret: Tabeſcentia, & quaſi ſeneſcentia ex longa & multimoda corruptione, hæc elementa meliori ſtatu, velut decentiori amictu decorata innouabis. Quamuis ſi rectè inſpiciamus, quid & cui dixerit, haud miremur, cœlum & terram perire dixiſſe. Ait enim & deo: *Tu autem permanes.* & rurſum: *Sicut veſtimentum veteraſcent, & ſicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur: tu autem idem ipſe es, & anni tui non deficient*: & non mutabis rem ſtabiliſſimã: ſed creaturam ad creatoris ſui incommutabilitatis & idemptitatis comparationem perire, veteraſcere, commutariq; dicimus. Puritatis intuitu, res mundiſſimæ, nõ mundæ iudicantur, ſicut dicitur: *Aſtra non ſunt munda in conſpectu eius.* Erit igitur non abolita ſubſtantia, ſed mutata figura, cœlum nouum, & terra noua nouo vſui, nouo decore, nouis corporibus decẽter præparata, omniq; inæqualitate, ac ſqualore deterſo, ad inſtar paradiſi dei purificata. Sunt qui dicant, duo elementa aërem & aquam, tanquam poſt reſurrectionem non neceſſaria, vno in terra, altero in æthere commutato nõ ſupereſſe. Vnde in Apocalypſi: *Et mare iam non eſt.* Non enim vt ſupra, cœlum & terram tranſire mare, ſed non eſſe dixit. Alij ea non deperire vt non ſint, ſed in melius ſicut & terram immutari opinantur: ſicut rurſum Ioannes mare vitreum ſe vidiſſe teſtatur: quod tamen myſterialiter potius quàm ad literam intelligendum videtur. Hoc de aqua. Aër autem ſiue in ſubtilitatem ætheris tranſeat, ſiue in propria ſubſtantia manens, liquatus & defecatus exiſtat, nequaquam in ipſo fallit, quòd dictum eſt: *Cælum & terra tranſibit.* Quod ſi quis acutius diſcutiens, ipſum quoq; ætherem huius purificationis participem eſſe futurum, & in ampliorem claritatem tranſiturum autumat, de ipſoq; dictum, quòd cœlum tranſeat, non calumniamur.

Pſal. 101.

Eccleſ. 1.

Cæli & terra tranſitus quomodo accipienda.

1. *Cor.* 7.

Pſal. 101.

Ioh 15. *NB.*

Apoc. 20.

Marc. 13.

CAPVT X.

De bifaria reſurrectione mortuorum.

HIs tranſactis, vera octaua reſurrectioq; mortuorum reſtat. Reſurgẽt ergo omnes ſed non pari modo omnes: aliis iuxta Danielem, in vitam æternam, aliis in opprobrium, vt videant ſemper, de terræ puluere vigilantibus. Hic profectò notandum eſt, duas reſurrectiones eſſe, animæ videlicet, & corporis: quarum iuxta duas naturas Chriſtus filius dei primogenitus ex mortuis auctor exiſtit. Eſt enim vita corporis anima, vita animæ Deus. Secundùm hoc ergo quòd deus eſt, animas peccato mortuas

Dan. 12.

mortuas ſuſcitat verbum dei: filius ſecundum quòd homo eſt ſuſcitat corpora, homo hominis filius, quod ipſe in Euangelio loquens inſinuat his verbis: *Amen amen dico vobis, quia venit hora, & nunc eſt, quando mortui audient vocem filij dei, & qui audierint viuent.* Hoc de prima reſurrectione dictum, ex hoc quòd dicitur, *Nunc eſt*, nemo ambigere permittitur. Subſequenter autem de alia loquens ait: *Sicut pater habet vitam in ſemetipſo, ſic dedit & filio vitam habere in ſemetipſo.* Habet quippe deus ſolus vitam in ſemetipſo, qui ex ſe, à ſe, in ſe viuens, aliunde vitam non accipit, cui eſt viuere quod eſſe, nec aliud eſſe quàm viuere: quia ipſe eſt vita, & ſic vita, quòd ab eo omnis vita. In ipſo enim viuimus, mouemur, & ſumus, ſine ipſo nec viuimus, nec mouemur, nec ſumus: quia quod factum eſt, non in ſe, ſed in ipſo vita eſt. Dedit ergo & filio vitam habere in ſemetipſo, dum homini in deum aſſumpto dedit habere ex gratia, quod Deus dei filius habuit ex natura. Vnde ſubſequentia præcedenti ſenſu per coniunctionem continuans: *Poteſtatem* inquit, *dedit ei iudicium facere, quia filius hominis eſt.* Ac ſi dicat: Qui dedit vitam habere in ſemetipſo, dedit poteſtatem & iudicium facere, non quia filius dei, ſed quia filius hominis eſt. Non enim ex hoc quòd filius dei eſt, aliquid dedit ei pater, vel aliquam poteſtatem accepit à patre: cui ſicut conſubſtantialis & coæternus, ita coomnipotens ab æterno genitus eſt, niſi fortè dedit, dicamus quod genuit. Quid autem amplius de ſecunda agat reſurrectione, conſequenter audiamus. *Nolite*, ait, *hoc mirari, quia venit hora.* Hora profectò nouiſſima, non quæ nunc eſt, ſed quando qui in monumentis ſunt, audient vocem eius, & procedent. Superius dixit: *Venit hora, & nunc eſt, quando mortui audient vocem filij dei, & qui audierint viuent:* primam reſurrectionem ex ſe, in hoc quòd Deus dei filius eſt, fieri declarans. Secundò cum dixiſſet, quòd poteſtatem dedit ei pater & iudicium facere, quia filius hominis eſt, ſubiunxit: *Nolite mirari, quia venit hora, quando qui in monumentis ſunt, audient vocem eius, & procedent.* Ac ſi diceret: Ne miremini, ſi poteſtatem accepit filius hominis iudicium facere, cum & poteſtatem acceperim corpora in cinerem redacta ex monumentis ad vitam reuocare. Qui ergo in prima reſurrectione à morte animæ ſuſcitatus fuerit, in ſecunda de corruptione ad incorruptionem immutatus tranſibit. Vnde eſt illud: *Beatus & ſanctus qui partem habet in reſurrectione primæ: in his ſecunda mors poteſtatem non habet.* Sequitur ex oppoſito, eum qui in peccatis ſuis moriens, primæ reſurrectionis particeps non fuerit, maledictum, ſecundæq; morti æternaliter addicendum.

Ioan. 5.

Ibidem.

Apocal. 20.

CAPVT XI.

Qualiter auctoritate & ratione probari poſsit reſurrectio mortuorum.

QVOD autem reſurgant mortui, non ſolùm Euangelia & Apoſtoli, nouæq; legis doctores affirmant, ſed & antiqui patres prophetico ſpiritu prædixerunt: quale eſt illud legiſlatoris teſtimonium, quod dominus ad confutandos Saducæos produxit, dicens: *Ego ſum deus Abraham, deus Iſaac, deus Iacob: cum non ſit mortuorum, ſed viuorum Deus.* Et in Iob: *Putáſne mortuus homo rurſum viuat? Cunctis diebus quibus nunc milito, expecto donec veniat immutatio mea. Credo quòd redemptor meus viuit*, &c. Et illud Ezechielis: *Oſſa arida, audite verbum domini. Hæc dicit dominus: Ecce ego intromittam in vos ſpiritum, & viuetis, & dabo ſuper vos neruos, & ſuccreſcere faciam ſuper vos carnes, & ſuperextendam in vobis cutem, & dabo vobis ſpiritum, & viuetis.* Et infrà: *Et acceſſerunt oſſa ad oſſa, vnumquodq; ad iunctúram ſuam.* Item: *Ecce ego aperiam tumulos veſtros, & educam vos de ſepulchris veſtris populo meus.* Quid rogo plenius, quid euidentius de re tam ſecreta, tam profunda, tam abdita dici potuit? Oſſibus enim & aridis quaſi iam ſementem in ſe amiſſo phyſicè virore non habentibus, neruos ſuccreſcere, carne veſtiri, cute ſuperextendi, ſpiritu reanimari, poſtremò talibus de tumulis ſuis produci diuina virtute prædicit. Quanquam & illa ratione, cuius & Paulus meminit, vbi ait: *Tu quod ſeminas, non viuificatur, niſi prius moriatur*, ad credendam reſurrectionem inducamur, qui ſingulis annis mundum æſtiuali feruore decoqui, autumnali ſiccitate decoctum arefieri, hyemali algore arefactum emori, Veris benigna humiditate rediuiuo virore, tanquam de morte ſuſcitari conſpicimus. Qualiter verò quæ-

Matth. 22.

Iob 14.

Ezech. 37.

1. Cor. 15.

dam ex cauſis naturæ inditis naturaliter, alia ex cauſis ſibi reſeruatis potẽtialiter creator omnium operetur, alibi dicta præſentem locum non flagitant.

CAPVT XII.

Qua ætate, ſexu, vel forma reſurgant mortui.

HIs dictis, videndum eſt, quomodo, qua ætate, quo ſexu, qua forma mortui reſurgant. Vbi primò ſciendum eſt, omnia humana corpora, ſiue aquis abſorpta, ſiue flammis conſumpta, ſiue in viſceribus terræ in cinerem redacta, ſiue à beſtiis deuorata & incorporata, ſiue per diuerſa terrarum ſpacia diſtracta & ſeparata fuerint, iuxta Apoſtolum, iuſſu domini in voce archangeli, & tuba dei ad priſtinam vitæ ſubſtantiam indubitanter redire. Reſurgent autem omnes, vt ait Auguſtinus, tam magni corpore, quàm vel erant, vel futuri erant ætate iuuenili: quamuis nihil oberit, etiamſi erit infantilis, vel ſenilis corporis forma, vbi nec mentis nec ipſius corporis forma, vlla remanebit infirmitas. Vnde etiamſi quis in eo corporis modo in quo mortuus eſt, reſurrecturum vnumquemq; hominem contendit, non eſt cum illo laborioſa contradictione pugnandum. Nonnulli hæretici propter hoc quòd dictum eſt: *Donec occurramus omnes in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti, & conformes imaginis filij dei:* nec in ſexu fœmineo reſurrecturas fœminas credunt, ſed in virili omnes: quoniam deus ſolum hominem fecit ex limo, fœminam ex viro. Sed mihi melius ſapere videntur, qui vtrumq; ſexum reſurrecturum eſſe non dubitant. Non enim libido erit ibi, quæ confuſionis eſt cauſa. Corporibus ergo illis vitia detrahentur, natura ſeruabitur. Non eſt autem vitium fœmineus ſexus, ſed natura. Erunt enim membra fœminea non accommodata vſui veteri, ſed decori nouo, quo non illiciant inſpicientis concupiſcentiam, quæ nulla erit: ſed Dei laudetur clementia & ſapientia, quæ quod non erat fecit, & liberauit à corruptione quod fecit. Et poſt pauca: Creatura dei eſt fœmina ſicut vir, ſed vt de viro fieret vnitas commendatur. Quia ergo vtrumque ſexum inſtituit, vtrumque reſtituet. Hæc Auguſtinus.

Eph. 4.

Supereſt vt de forma eorum diſputemus. Non enim gigantes in tam magnæ ſtaturæ quantitate nanos, in tam exigua paruitatis extremitate contractos, vel debiles tam imbecilli inæqualitate, Æthiopes in tam tetra coloris deformitate, pingues vel macilentos in ſua ſuperfluitate vel tenuitate ad vitam, quæ omni macula & labe carere debet, credendum eſt reuocari. Vnde idem Auguſtinus: *Omnis pulchritudo corporis eſt partium congruentia cum quadam coloris ſuauitate:* vbi autem non eſt partium congruentia, aut ideo offendit quia prauum eſt, aut ideo quia parum, aut ideo quia nimium. Proinde nulla erit deformitas quam facit incongruentia partium. vbi, & quæ praua ſunt corriguntur: & quod minus eſt quàm decet, vnde creator nouit, inde ſupplebitur: & quod plus eſt quàm decet, materiæ ſeruata integritate, detrahetur. Coloris porrò ſuauitas quanta erit, vbi iuſti fulgebunt ſicut ſol in regno patris eorum? Quæ claritas in Chriſti corpore cum reſurrexit, ab oculis diſcipulorum potius abſcondita fuiſſe, quàm defuiſſe credenda eſt. Hæc de iuſtis: reproborum enim qualitatem inueſtigare ſuperfluum eſt.

CAPVT XIII.

An monſtruoſi & abortiui reſurgent.

DE monſtruoſis verò & abortiuis id ſentiendum reor, quòd omne cui hæc diffinitio, animal rationale & mortale, congruit, vel ad vitam, vel ad mortem reſurrecturum eſſe credamus. Si ergo ſunt aliquæ gentes monſtruoſæ, quæ rationales ſint & mortales: vel abortiui, qui iam animam habere cœperunt, de quibus Moyſes in Deuteronomio loquens: *Si quis* (ait) *percuſſerit mulierem, & illa abortiuum fecerit, ſi formatum fuerit, reddat animam pro anima*: huic legi ſubiacent. Cætera verò ratione carentia, quantumcunque ſimilitudini humanæ accedant, vt ſimiæ, vel quocunque modo humano generi antiquus hoſtis per hoc illudat, vt Fauni, & ſiqua ſunt huiuſmodi,

ab

ab hac resurrectione aliena noscuntur. Cæterùm de Hermaphroditis, bicipitibus, quos naturæ error vel malè coniunxit, vel malè diuisit, laboriosè disputare necesse non est, præsertim cum in aliis scripturæ locis, copiosè satis à patribus hæc enodata sit quæstio.

CAPVT XIIII.

Vtrum qui viui reperiantur, in illo statu obuiam Christo rapientur, vel morientur, vt denuò resurgant.

NVNC inquirendum est de his qui viui reperiuntur, vtrum in illo statu ad iudicium rapiantur, vel potius sicut & alij moriantur, & iterum resurgant? Nemo enim resurgere potest qui prius non moritur. Non desunt quippe qui putent hoc quod dicitur, *Iudicare viuos & mortuos*, sic accipiendum, vt viuos eos qui in carne residui inueniantur, dicant: eos verò qui dormierunt, & de puluere terræ euigilabunt, mortuos intelligant. Quibus accommodatum videtur quod in Paulo legitur: *Nolumus vos ignorare de dormientibus, vt non contristemini sicut & cæteri qui spem non habent. Si enim credimus, quòd Iesus mortuus est & resurrexit, ita & deus eos qui dormierunt, per Iesum adducet cum eo. Hoc enim vobis dicimus in verbo domini, quia nos qui viuimus, qui residui sumus in aduentu domini, non præueniemus eos qui dormierunt: quoniam ipse Dominus in iussu & voce archangeli, & in tuba dei descendet de cælo, & mortui qui in Christo sunt, resurgent primi. Deinde nos qui viuimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus obuiam Christo in aëra, & sic semper cum domino erimus.* Quæ verba sonare videntur, domino ad iudicium descendenti sanctos qui adhuc viuunt, siue qui à morte resurgunt, simul in aëre occurrere. Velocitatem enim resurgendi significans, mortuos à viuis ait non præueniri, sed istos simul eadem hora, eodem momento cum illis obuiam Christo in aëra rapi. Sed iuxta hunc sensum, si qui viui reperti fuerint, non morientur, quomodo generalis erit resurrectio: quomodo stabit quod dicit Paulus: *Omnes quidem resurgemus?* Nunquid sibiipsi contrarius æstimabitur? Absit. Iuxta maiorum igitur nostrorum diffinitionem: & verum est, quòd viui cum his qui resurgunt, simul rapiantur in aëra: & verum est, quòd iuxta quod in Psalmo canitur: *Quis est homo qui viuit, & non videbit mortem?* à debito vniuersæ carnis, quod & Dominus qui nil rapuerat, exoluere voluit, immunes non erunt. Potest quippe omnipotens, qui cuncta creauit ex nihilo, mira eos celeritate in ipso raptu morte dissoluere, statimq; ad vitam reuocare, quamuis viui & mortui typicè boni & mali accipi non incongruè possint. Si quis verò dicat, eos in illo generali incendio cremandos, & sic ad vitam cum aliis reuocandos, non est cum eo decertandum: tantùm videat quomodo verba Apostoli quibus obuiam Christo in aëra rapi dicuntur, intelligat.

1. Thes. 4.

1. Cor. 15.

Psal. 89.

CAPVT XV.

De nouissima tuba.

HVIVS in verbis nec hoc transeunter legendum est, quid vocem Archangeli, quid tubam dei intelligat. Nam & alibi de eodem loquens mysterio: *Omnes* (ait) *resurgemus, sed non omnes immutabimur, in momento, in ictu oculi, in nouissima tuba. Canet enim tuba, & mortui resurgent, & nos immutabimur.* Nouissimam tubam ponens, aliàs prius increpuisse declarat. Habes profectò in Apocalypsi: *Et septem angeli qui habebant septem tubas, parauerunt se, vt tuba canerent: & primus angelus tuba cecinit, & secundus, & tertius, ita vsque ad septimum.* Quam tubam nouissimam Paulum vocasse non incõuenienter intelligi potest. Sunt qui sex tubas ante nouissimam, sanctos prædicatores, qui per sex mundi ætates verbo sacræ exhortationis torpentia corda, nunc quasi concisiùs insonando præmiorum promissis allexerint: nunc velut asperius increpando minis, & terrore pœnarum perculerint, intelligant. qualis in prima Enoch, in secunda Noe, in tertia Abraham & patriarchæ, in quarta Moyses, in quinta Dauid & prophetæ, in sexta Christus & apostoli, eorumq; sequaces fuere.

1. Cor. 15.

Apoc. 8.

At ſeptimam, quam & nouiſſimam vocem, ad excitationem dormientium emiſſam tantò terribiliùs concrepantem, quantò præſentius, & quaſi realius ea quæ antè præ, dicta fuerunt, ipſo effectu prodentem vocant. Qui ſonus quia per myſterium angelorum fieri creditur, vox propter rem, tuba propter ſignificatum non inconuenienter appellatur. Si enim domino tranquillo & ſereno ad cœlos aſcendente, vox angelica: *Sic veniet quemadmodum vidiſtis eum aſcendentem in cœlum*; leniter inſonans voci tubæ, iuxta illud Pſalmi: *Aſcendit deus in iubilatione, & dominus in voce tubæ*, comparatur: quantò magis ipſo in maieſtate metuendo & ſeuero deſcendente ad iudicium, vox angelica viuos & mortuos ad iudicium terribiliter exuſcitans, tuba vocatur? Si prædicantium futurum iudicium vox tuba fuit: quantò magis realiter & præſentialiter illud idem edicentium ſonus tuba erit? Nonnulli ſeptem tubas, ſeptem donis ſpiritus ſancti exquiſitius computant, ſingulaq; ſingulis ætatibus deſcendendo tribuentes, nouiſſimam tubam ſpiritum timoris appellant.

Actor. 1.
Pſal. 47.

CAPVT XVI.

De vltimo iudicio, & terrore ſeu forma iudicantis.

His conſummatis, ad iudicium, & vtriuſq; ciuitatis vltimam diſcuſſionem dominum venire non dubium eſt. Veniet autem in ea forma iudicaturus, in qua prius venerat iudicandus: vt æqua lance mundus eum ſeuerum diſcretorem inueniat, quem in carne humiliter venientem elata prius mente contempſerat. Vnde eſt illud propheticum: *Videbunt in quem transfixerunt.* Pater enim in perſona ſua non iudicans, omne iudicium filio dedit, vt quem diuerſis opprobrijs, cruciq; innocentem expoſuerat, hunc cœleſtium, terreſtrium, & infernorum dominum conſtituens, iudicem viuorum & mortuorum faciat. Quæ tamen humana forma cum mitis appareat, iuſtis tantò erit clarior, & formidabilior impijs, quantò eis antea viſa fuit obſcurior & deſpicabilior. Aſpectus enim eius & fortitudo, quæ in priori aduentu non perdita fuſcabãtur, non viſa abſcondebantur, tanto in eo erunt manifeſtius, quanto ad vindictam aduerſariorum exercebuntur vehementius. Vnde eſt illud Malachiæ: *Quis poterit cogitare diem aduentus eius? Aut quis ſtabit ad videndum eum? Ipſe enim quaſi ignis conflans, & quaſi herba fullonum, & ſedebit conflans & emundans argentum, & purgabit filios Leui.* Quod eſt dicere: Non ſolùm eos qui quaſi ſtipula ab igne furoris eius conſumuntur, condemnabit: ſed & illos qui ſortem hæreditatis non habentes, in terra Leui filij vocantur. Vel eos qui argento comparati, digni quo in cœleſti theca reponantur, inuenti fuerint, virtutis ſuæ ſuper excellenti maieſtate terrebit, territoſque iuxta beatum Iob purgabit. Nam & virtutes cœlorum mouebuntur. Et hanc diſtinctionem, fulgoremq; iudicantis arbitror intellexiſſe Danielem, cum diceret: *Thronus eius flammæ ignis, rotæ eius ignis accenſus, fluuius igneus, rapidusq; egrediebatur à facie eius.* Cum quanta enim & ſuperinæſtimabili gloria, cœleſtisq; curiæ perlucida frequentia, glorioſus & admirabilis appareat, idem propheta ſubiungit: *Milia milium miniſtrabant ei, & decies milies centena milia aſſiſtebant ei.*

Zach. 12.
Malach. 3.
Dan. 7.
Ibidem.

CAPVT XVII.

De facilitate iudicandi.

Itaqve ambabus his ciuitatibus coram throno maieſtatis ſuæ præſentatis, vna ad dexteram, id eſt, partem potiorem, altera ad ſiniſtram poſita, cauſa vtriuſq; iuſtiſſimo iudicio terminabitur. Porrò nulla erit in iudicando difficultas, vbi cognoſcendarum conſcientiarum ſeinuicem accuſantium ſeu defendentium, tanta erit iudicis viuax facilitas. Vnde Daniel in libro viſionis ſuæ, *Iudicium*, inquit, *ſedit, & libri aperti ſunt.* Manifeſtiùs autem Ioannes in Apocalypſi ſua, *Vidi* ait, *thronum magnum, candidum, & ſedentem ſuper eum, à cuius conſpectu fugit cœlum & terra, & locus non eſt inuentus ab eis. Et vidi mortuos magnos & puſillos ſtantes in conſpectu throni, & libri aperti ſunt. Et alius liber apertus eſt, qui eſt vitæ, & iudicati ſunt mortui ex his quæ ſcripta erant in libro, ſecundùm opera ipſorum.* Qui ſunt libri iſti quos Daniel, ſimul & Ioannes poſuit? Vel quis

Dan. 7.
Apoc. 20.

quis est ille alius liber quem Ioannes adiecit, quem etiam vitæ nominauit? Nunquid deus humano more facta singulorum, ne memoriæ ipsius elabantur, conscripsit, & secundùm hoc vnumquemque iudicabit? Annon magis vniuscuiusq; conscientiam nouit, vt creator non obliuiscitur, vt incommutabilis iudicabit, vt verus & subtilis ab æterno discretor? Sunt ergo libri conscientiæ singulorum, semetipsas ad mortem, vel ad vitam iudicantes. Liber verò alius qui vitæ dicitur, præscientia conditoris, qui & ab æterno iustè damnandos præuidit, & misericorditer vocandos & iustificandos prædestinauit. De hoc libro impios deleri imprecatur Psalmista, cum ait: *Deleantur de libro viuentium, & cum iustis non scribantur.* *Liber vitæ.* *Psal. 69.*

CAPVT XVIII.

De quadripertito ordine iudicantium & iudicandorum.

QVID verò sibi vult quod dicitur, *Iudicium sedit*, cum ad iudicium, vel in iudicio sedere non iudicium sedere dicere soleamus? Ait siquidem & Psalmista: *Quia illic sederunt sedes in iudicio.* Sedémne sedes? Quæ sunt istæ sedes? Quod iudicium? Quæramus, petamus, pulsemus, vt inueniamus, vt accipiamus, vt intromitti mereamur. Non possunt sedere nisi viuæ sedes: non possunt sedere nisi iudicium viuum. Sunt ergo aliquæ sedes & viuæ, in quibus deus sedeat? Est iudicium & viuum, in quo iudicia sua discernat? Qui tropus frequenter in diuina scriptura inuenitur: vt sicut in humana pagina Parthenopëus pictus pro Parma Parthenopëi picta, ratione consortij dicitur: ita eadem ratione sedes pro sedente, iudicium pro iudicante, sedere pro iudicare affirmetur. Quamuis & alia ratione iudicium, vel sedes hîc vocari possint, non solùm quòd iudicent, sed ex eo quòd deus in eis iudicet: non solùm ex eo quòd sedeant, sed & quòd deus in eis sedeat, id est, maneat, *Sedisti*, inquit propheta, *super thronum qui iudicas æquitates.* An de angelis hoc tantùm dictum putamus? annon etiam de sanctis, qui cum eo sedebunt, in quibus ipse sedebit, & iudicabit? Sedent quippe cum eo sancti iudicantes, sicut eis in Euangelio ipse promittit. Sed & ipse in sanctis iudicans, mentes eorum ne vlla perturbatione vacillare valeant, inhabitando regens: ne vlla prauitate à rectitudinis norma exorbitent, viuificando implens, sicut dicitur, Anima iusti sedes est sapientiæ. Sedet ergo ad iudicium, sedent & sedes: quia sancti apostoli, sacer ille senatus, eorumque imitatores quos deus inhabitat, ad iudicium venientes, non iudicandorum, sed iudicantium officio fungentur. Erunt enim ibi quatuor ordines, duo bonorum, & duò malorum: ex bonis vnus iudicans, alter iudicandus: ex malis item vnus iudicandus, alter iudicatus. Iudicans perfectorum, qui propriis voluntatibus & facultatibus abrenunciantes Christum secuti sunt: quibus dictum est: *Sedebitis & vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel:* duodenis thronis perfectionem illius ordinis declarantibus. Iudicandus non tam perfectorum, & tamen iustorum, qui sua licitè possidentes, operibus misericordiæ obtinere meruerunt, vt ad dexteram collocati, iudicati prius & examinati, benignè audiant: *Esuriui, & dedistis mihi manducare.* Et, *Venite benedicti patris mei, possidete regnum quod vobis paratum est ab origine mundi.* Malorum iudicandus & damnandus, qui bona transitoria ad communem vsum humano generi à creatore indulta, malo auariciæ sibi vsurpantes, indigentiæ pauperum viscera clauserunt: quibus item dicitur: *Esuriui, & non dedistis mihi manducare.* Et, *Discedite à me maledicti in ignem æternum*, &c. Malorum iudicatus & damnandus, qui in obstinatione incredulitatis permanentes, ad agnitionem veritatis, veriq; dei verum cultum, quem Græci θεοσέβειαν, nos pietatem appellamus, non peruenerunt, de quibus dicitur: *Qui non credit, iam iudicatus est.* Et Psalmista: *Idèo non resurgunt impij in iudicio, neque peccatores*, &c. Non enim ait, Peccatores non resurgunt: sed cum dixisset quòd impij, id est, infideles non resurgerent in iudicium, id est, vt ponantur in iudicio: de istis adiunxit: *Neque peccatores in consilio iustorum*: ac si diceret, Resurgent quidem ad iudicium, sed non ad iustorum cõsortium. Vnde non videtur solùm auaros, sed & quoscunque criminosos sub nomine Christianæ religionis in peccatis suis *Psal. 1.* *Ioan. 3.* *Matth. 19.* *Matth. 25.*

morientes, ad iudicandorum damnandorum pertinere collegium. Neq; enim vllos vnquam per immiſericordiam iuſtiùs diſcutiendos & damnandos putauerim, quàm qui vitæ ſuæ negligentes, ne dicam proximis, ſed nec propriæ animæ miſereri, & ſubuenire curauerunt. Eſt enim veridicum prouerbium, Qui ſibi malus, cui bonus? Et illud Sapientis: *Miſerere animæ tuæ placens deo.*

Eccleſ.30.

CAPVT XIX.

Vbi iudicium fiet.

DEHINC videndum eſt, & dicendum, vbi extremi illius iudicij conuentus agatur. Nonnulli propter prophetiam quæ dicit: *In valle Ioſaphat dijudicabo eos*: ad literam eam intelligentes, non longè à ciuitate Sancta, in valle Ioſaphat futurum iudicium putant, vt in locum quo iudicatus fuit, iudicaturus quoq; dominus adueniat. Vnde quidam ſimpliciores, ſepulchrum Domini orationis cauſa viſitantes, in præfata valle tanquam loca ſibi ad illam horam denotantes, lapillos ſeu aliam metam collocant. Hunc, vt verbis Hieronymi vtar, pium errorem ex ſimplicitate & deuotione fidei procedentem non damnamus, nec tamen pro ſententia approbamus. Alij myſticè intelligentes, eò quòd Ioſaphat Hebraicè, Latinè iudicium ſonet, vbicunq; locorum celebretur, illum Ioſaphat, id eſt, iudicium dicunt. Alij propter verba Apoſtoli ſuprà poſita, quòd poſtquam rapiendos in aëra obuiam domino, ſanctos dixit: & ſic ſemper cum domino erimus, ſubiunxit: in aëre futurum iudicium æſtimant. Mihi autem melius ſentire videntur, qui hoc in terra futurum dicunt. Corpora quippe de terra facta, nunc ad incorruptionem vtpote malorum immutata, veriſimilius eſt in terra ad iudicium collocari, quàm ad ſubtilius elementum ſua cum ponderoſitate, qua potius ea ad ima vergere oportet, ſurſum tranſuehi. Nec repugnat illud Apoſtoli teſtimonium, qui ſanctos ex quo Chriſto in aëra obuiauerint, ſemper eos cum ipſo futuros eſſe dicit: cum poſſint cum illo ad terram quocunq; loco ſibi placito, ſine moleſtia grauedinis redire, poſtq; ſublato impio, ne videat gloriam dei, in gaudium domini ſui, vbi ſemper cum ipſo maneant, introire.

Ioel.3.

CAPVT XX.

De celeritate iudicij.

PORRO quanta velocitate hoc iudicium tranſeat, dicere non oportet, vbi omnes tergiuerſationes & cauillationes, quas in hoc ſeculo in cauſis pati ſolemus, perſpicua iudicis ſubtilitas, & rerum cordiumq; ſcrutatoris acutiſſima prouiſio euacuabit. Hic enim iuxta formam iudicij, in rei cauſa qua accuſator impetit, patronus defendit, teſtis ad conuincendum intendit, iudex internorum neſcius, vt homo ſæpe fallitur, reusq; qui damnandus erat, frequenter abſoluitur. Quod quia conſcientia vnumquemq; accuſante ſeu defendente, ibi eſſe non poterit, inæſtimabili velocitate illud iudicium conſummari credendum eſt.

CAPVT XXI.

De interitu reprobæ ciuitatis.

RESTAT vt de fine vtriuſq; ciuitatis, qui profectò reſurrectionem, iudiciumq; ſequitur, inquiramus. Diſcuſſa enim, vt dictum eſt, in iudicio ambarum cauſa, illa pro qualitate meritorum coronabitur, iſta cum capite ſuo diabolo, principeq; ac ſeductore ſuo Antichriſto, æternis pœnis condemnabitur. Quod Ioannes in Apocalypſi præuidens ait: *Et diabolus qui ſeducebat eos, miſſus eſt in caminum ignis & ſulphuris, vbi & beſtia & pſeudopropheta cruciabuntur die ac nocte in ſecula ſeculorum.* Tria poſuit, beſtiam, & pſeudoprophetam, & diabolum. Diabolum ſuo nomine: in beſtia, Babylonem ſeu mundum: in pſeudopropheta, Antichriſtum intelligens: quos in caminum ignis & ſulphuris miſſos cruciandos die ac nocte in ſecula ſeculorum dixit. Per ignem enim & ſulphur, atrocitatem incendij: per caminum, horrorem loci: per diem

Apocal.20.

diem & noctem, ac secula seculorum, pœnarum indeficientem perpetuitatem demonstrauit. Erit ergo ibi incendium sine modo, locus sine refrigerio, continua nox sine die, pœnarum diutina miseria sine fine. Porrò de ipsius ciuitatis damnatione, quam hîc bestiam vocat, alibi loquens: *Sustulit*, inquit, *vnus angelus fortis lapidem molarem, & misit in mare, dicens: Hoc impetu mittetur Babylon ciuitas illa magna, & vltrà iam non inuenietur.* Talis locutio apud Græcos symbolica dicitur, vbi videlicet diuina scriptura de re inuisibili, vel spiritali loquens, collatione facta, materialibus seu visibilibus signis vtitur: velut cum angelorum velocitatem notare volumus, pennatos eos scribimus. Non enim credendum est angelum lapidem realem in mare misisse, sed præfato vsu locutionis impetum, & velocitatem damnationis eius auctorem insinuasse, iuxta quod in Psalmo legitur: *Perijt memoria eorum cum sonitu.* Vnde rursum in Apocalypsi prædictæ ciuitatis interitus largiùs describitur, cum dicitur: *Cecidit cecidit Babylon magna, & facta est habitatio eius dæmoniorum, & custodia omnis spiritus immundi, & custodia omnis volucris immundæ, & odibilis: quia de vino iræ fornicationis eius biberunt omnes gentes, & reges terræ cum illa fornicati sunt.* Volunt quidam Ioannis Apocalypsim antiquis prophetarum visionibus, & præcipuè Danielis & Ezechielis affinem esse, priores{q;} prophetias necessariò per ipsam elucubratas fuisse. In vltima enim visione templi & Hierusalem, Ezechieli in extremo iudicio, Christique regno Danieli similis, hunc non iuxta Iudæorum peruersum sensum, de Hierusalem seu templo terrestri, sed cœlesti locutum fuisse: & illum itidem non iuxta eos de iudicio gentium, regnóque Messiæ sui terreno, sed de Christi vero cœlesti & æterno iudicio, & regno prophetasse ostendit. Sic etiam quia multi prophetarum contra Babylonem multa dixerant, ne de illa tamen vrbe, quæ olim iniusta damnatione gentes premens, iustam suæ iniquitatis euersa mercedem recepit, egisse viderentur, ad totum illud reprobæ ciuitatis corpus, sub illius typo eos respexisse declarans, vltimam eius perditionem insinuat, cum ait: *Cecidit cecidit Babylon.* Similis est enim duabus Esaiæ & Hieremiæ prophetijs, illi in principio, isti in fine concordans. Nam & apud Esaiam legimus: *Cecidit cecidit Babylon, & omnia sculptilia deorum eius contrita sunt.* Et alibi largiùs: *Erit Babylon illa ciuitas gloriosa in regnis, inclyta in superbia Chaldæorum, subuersa sicut subuertit dominus Sodomam & Gomorram. Non habitabitur vsque in finem, & confundetur vsque ad generationem & generationem. Nec ponet ibi tentoria Arabs, nec pastores requiescent ibi: sed requiescent ibi bestiæ, & replebuntur domus eorum draconibus, & habitabunt ibi struthiones, & pilosi saltabunt ibi, & respondebunt ibi vlulæ in ædibus eius, & syrenæ in delubris voluptatum.* In Hieremia verò sic: *Calix verò aureus Babylon in manu domini, inebrians omnem terram. De vino eius biberunt omnes gentes, & ideo commotæ sunt. Subitò cecidit Babylon, & contrita est.* Primò videamus quomodo hoc illi Babyloni, quæ à Cyro, vt in historia diximus, subuersa est, ad literam conuenire possit. Ponamus eam ita funditùs euersam, quod tamen à multis Orientalibus negatur, vt non habitetur in finem, nec in generationem & generationem, vt requiescant ibi bestiæ, vt repleantur domus draconibus & struthionibus, vt sint in delubris voluptatis syrenæ, & alia monstrosa quæ ibi ponuntur. Nunquid tamen sicut Sodoma & Gomorra subuersa fuit? Nusquam enim cœlesti eam igne conflagrasse, sed humana manu captam, ruinis & vetustate collapsam & dissolutam legimus. Restat vt si quædam ibi ad literam impleta fuerint, reliqua pleniùs & veriùs in significato illius consummari credantur. Potest quidem ad literam verum esse, quòd ciuitas prius illa glorioſa in regnis, tanquam mero vicinas gentes & regna, inebriatas & commotas subiecerit, postmodum & ipsa tanquam inebriata, collapsa & contrita, monstrorum latibulum, non hominum habitaculum fuerit. Sed quia pleraque & ita vera sunt significantia, quòd & vera sunt eorum significata, sicut quòd Abraham duos filios habuit, verum fuit in re: nec eò minùs verum fuit, quòd hæc sunt duo testamenta in significatione. Qualiter mundo quæ de Babylone dicta sunt, conueniant, breuiter aperiemus. *Cecidit cecidit*, inquit Ioannes, *Babylon magna.* Esaias: *Cecidit cecidit Babylon, & omnia sculptilia deorum eius contrita sunt.* Et rursum: *Erit Babylon illa glorioſa, sicut subuertit dominus Sodomam & Gomorram, non habitabitur in finem, & confundetur à generatione vsque in generationem.*

Apocal. 18.

Psam. 9.

Apocal. 18.

NB.

Esai. 21.

Ibid. 13.

Ierem. 51.

Vaticinia in Babylonem de impijs esse accipienda.

Peruersorum enim ciuitas, quæ hic temporali gloria florens in dæmonum pompa, tanquam in Chaldæorum superbia inclyta in oculis suis fuit, non solùm à gloria sua tracta vsq; ad inferos corruet, sed & ad instar Sodomæ, sulphureo subuersa incendio, nunquam amplius ad priorum voluptatum desideria, tanquam ad habitationem pristinam reuersura, sine spe restaurationis in æternum ardebit. Quòd verò subsequenter ait: *Non ponet ibi tentoria Arabs, nec pastores requiescent ibi, sed requiescent ibi bestiæ, &c.* vel iuxta Ioannem: *dæmones spiritus immundi, volucres immundæ*: sic dictum videtur, quòd per Arabes & pastores, electi, sese proximosq; benè pascentes, qui præsentem mundum non quasi manentem ciuitatem, sed tanquam tentorium seu habitaculum inhabitant, accipiantur. Per bestias autem, pilosos, dracones, struthiones, syrenas, vlulas, volucres immundas, multiplex, & diuersum, spurcissimum illud immundorum spirituum collegium intelligatur. Reproba ergo illa ciuitas, quia ex quo illa cum capite suo diabolo æterno supplicio addicitur, non solùm ab electis, quos prius vt triticum palea premebat, mentium, sed & locorum interuallo separatur, rectè audiat, quòd non ponet ibi tentoria Arabs, nec pastores requiescent ibi, sed requiescent ibi bestiæ, &c. Nam quòd dicitur, *Cecidit cecidit Babylon, & omnia sculptilia deorum eius contrita sunt:* insinuatur quia quotquot res transitorias inordinatè amantes Deo præponimus, tot nobis quasi sculptilia fabricamus. Ruente ergo Babylone, conteruntur & sculptilia, dum transeunte mundo, eo acriùs plectendus quisque rapitur ad pœnam, quantò teneriùs Deo contempto propriam secutus est concupiscentiam.

CAPVT XXII.

De aureo calice Babylonis.

Mundus malorum illecebris repletus.

DEHINC qualiter iuxta Hieremiam, & itidem Ioannem, Calix aureus in manu domini Babylon, omnem terram, omnesq; reges cum illa fornicantes, de ira fornicationis suæ commouens & inebrians, ipsaq; ad vltimum collidenda & conterenda sit, tropologicè videamus. Habet Babylon aurum suum, habet sapientiam suam, per quod astutis cauillationibus, & argutis ac sophisticis argumentationibus simplices quosq; & vecordes quasi monstrato poculo allicit, allectos falsis promissionibus potando trahit, tractos in præcipitium inebriatos ducit. Et sicut in libro Sapientiæ habes, non solùm garrulitate, sed & cultu & gestu meretricio ad illicitos sui amplexus, quasi ad fornicationem illaqueatos in interitum deijcit. Est enim spiritualis fornicatio, qua vnaquæq; anima ab amore sui creatoris recedens, & diuersas dæmonum ludificationes amplectens, à deo suo fornicatur: iuxta illud, Perdidisti omnes qui fornicantur abs te. Quia ergo mūdus amatores suos inani sapientia pellicit, sed & diuersis desiderijs volutatos, quasi ad totidem immundorū spirituum fornicationes furiosa libidine subigit: rectè à duobus his primatibus dicitur, Babylon calice aureo omnem terram, omnesq; reges & gentes cum ea fornicantes, de ira fornicationis suæ inebriare. Sed videndum est quomodo calix iste aureus, omnem terram commouens, in manu domini esse dicatur. Nunquid eius nutu & voluntate mundus sic concutitur, sic illuditur, & postremò cum dilectoribus suis in interitum præcipitatur? Quod etsi eius beneplacito non fiat, sine ipsius tamen potestatis permissione, cui formāti lucem sic bonum placet, vt sine ipso creante tenebras, malum esse non possit, nequaquam euenire creditur. Est itaq; Babylon calix aureus in manu domini, quia non solùm eius (vt dixi) permissione concutitur, sed & ipsius dono aurum habet, quo inflata malè abutitur: iuxta illud prophetæ: *Dedi eis argentum & aurum, ipsi verò sacrificauerunt inde Baalim.* Babylon igitur quæ calice suo aureo omnes gentes commouerat, ad vltimum cadet & corruet: dum mundus nullum potentiæ seu sapientiæ suæ emolumentum in extremo examine, apud iustum & districtum iudicem inueniēs, potens potenter tormentis deputatus, in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius, mittetur.

Spiritualis fornicatio.

Osee 2.

Res mundanæ cum sint transitoriæ, spernenda. Sap. 5.

Ponamus ante oculos illud tempus quasi præsens, omnesq; Imperatorum seu regum ciuitatis illius ordines considerantes, in persona omnium cum Sapiente dicamus: *Quid nobis profuit superbia? aut quid diuitiarum iactantia contulit nobis? Transierunt omnia illa quasi vmbra, & quasi nuncius præcurrens, & tanquam nauis quæ pertransit fluctuantes*

& quasi nuncius præcurrens, & tanquam nauis quæ pertransit fluctuantes aquas, cuius cum præterierit, nõ est vestigium inuenire, neq; semitam carinæ illius in fluctibus: aut auis quæ transuolat in aere, nullum inuenitur argumentum itineris illius, &c. Sic & nos nati continuò desiuimus esse, & virtutis quidem signum nullum valuimus ostendere, in malignitate nostra autem consumpti sumus. Satis arbitror de fine illius ciuitatis, quæ iuxta beatum Iob, in bono ducens dies suos, & in puncto descendens ad inferos, operum suorum stipendium mortem immortalem sortietur, disputatum est. Restat vt de qualitate pœnarum eius dicamus. *Cap. 5.* *Iob. 21.*

CAPVT XXIII.

De qualitate pœnarum, & quid sit, Vermis eorum non morietur.

ITAQVE secundùm qualitatem operum, & diuersarum desideria voluptatum, extendi creditur & mensura pœnarum, iuxta illud in Apocalypsi: *Quantum glorificauit se, & in delicijs fuit, tantum date illi tormentum & luctum.* Et in libro Sapientiæ: *In eo quo quis peccat, & punitur.* Vnde diues ille qui deliciosè viuens, in lingua plus peccauerat, eandem apud inferos cæteris membris plus ardere demonstrans, gutta aquæ refrigerari petebat. Qualiter autem vnum eundemq; ignemq; diuersè sentiant, si quis scire cupit, in Augustino de Ciuit. Dei, pleniùs inueniet, vbi & quomodo damnati æternaliter in igne viuere possint, non solùm ex Dei omnipotentis potentia fieri posse, sed exemplo quorundam animalium, quæ in præsenti in igne viuunt, rationi non obstare declaratur. Nonnulli propter illam auctoritatem: *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur:* malos non solùm igne materiali apud inferos cremari, sed & verme vero excruciari æstimant. Alij vermem ac cruciatum conscientiæ interpretantes, duplex itidem tormentum, aliud spiritualiter intus, aliud materialiter foris ponunt. Alij spiritualiter vtrumq; accipientes, taliter reprobos igne vri, qualiter verme rodi putant: illud Augustini in auctoritatẽ ducentes, qui ait: *Talis flamma, qualis lingua.* Mihi autem meliùs sentire videntur, qui corpus vera flamma, animum cruciari dicũt cõscientia. Quia ergo de malè transacta vita immortalis mors rodet, conscientia ignis indeficiens sine fine aduret corpus & animam, benè dicit Propheta: *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur.* Sunt etiam qui dicant, ab igne inextinguibili ad frigus eos intolerabile rapi, iuxta illud in Iob: *A calore ignium transibunt ad aquas niuium.* Quod & dominus in Euangelio videtur velle, cum dicit: *Ibi erit fletus & stridor dentium.* Fletus enim ex calore, stridor dentium euenire solet ex frigore. Non desunt etiam qui ad maiorem miseriæ cumulum, his malis fœtorem adiungant, iuxta illud Prophetæ: *Et erit pro suaui odore fœtor.* Quidam verò his tribus pœnarum generibus sex alias adijciunt, atq; iuxta 1 x cœlestis curiæ ordines, totidem infernalis ergastuli puniendorum cuneos constituunt. De quibus omnibus curiosiùs non est inuestigandum, sed potiùs ne experiamur præcauendum: dum hoc tãtum constet, quòd omnium externorum & internorum miseriam miserrimus ille & infelicissimus status tam tormentorum magnitudine, quàm æternæ mortis mortem fugientis indefessa perpetuitate exuperet. *Apoc. 18.* *Sap. 11.* *Esa. 66.* *Marc. 9.* *Iob. 24.* *Math. 13. & 22.* *Esa. 3.*

CAPVT XXIIII.

Quomodo intelligendum sit, Eadem mensura qua mensi fueritis, &c. si temporaliter peccantibus æternæ pœnæ irrogantur:

SOLET autem quæri, qua iusticia temporaliter peccantibus æterna pœna debeatur, cum dominus dicat: *Eadem mensura qua mensi fueritis, remetietur vobis.* Vnde nonnulli inani pietate ducti, peccatores æternaliter puniri negabant, atq; ad argumentum sui erroris illud Psalmographi inducebant: *Nunquid obliuiscetur misereri deus aut continebit in ira sua misericordias suas?* Et illud: *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ, quam abscondisti timentibus te. Perfecisti autem eis qui sperant in te.* Hoc enim sic intelligendum putabant, quòd deus vbertatem dulcedinis, & copiosæ misericordiæ peccatoribus minas intentando, in hac vita abscondat, ad augendum timorem, & per ti- *Matth. 7.* *Iurẽe temporaliter peccantib. æterna pœna irrogentur.* *Psal. 86.* *Psal. 31.*

morem correctionem, sed in futuro veniam sperantibus reuelando perficiat. Alij omnè hominum, sed & dæmonum genus a pœnis liberandum post mille annos hæreticè dicebant. illud Esaiæ non rectè intelligentes: *Retrudentur in carcerem, & post multos dies visitabuntur.* Esa.24. Nos verò catholicæ veritatis normam sequentes, secundum ipsius domini testimonium, dicentis: *Ibunt hi in supplicium æternum*, reproborum pœnas æternas credimus. Si enim ad terrorem tantùm malorum pœnas æternas dixit, adulatoriè quoq; tantũ bonorum gloriam æternam prædixisse putandus erit: quod nequaquam stare posse, nemo qui ipsum veritatẽ & vitam esse cognoscit, dubitare permittitur. Nec auctoritates quæ positæ sunt, ab hoc sensu discrepant, cum miserator & misericors dominus, quandiu tempus est miserendi, patienter & longanimiter expectando, largam peccatoribus pœnitendi materiam tribuat: in ipsaque ira sua, hoc est in iudicio, miserationes suas non contineat, minus fortasse quàm meruerant puniendo, vel interdum refrigerij solatium in pœnis eis indulgendo. Hoc etiam videtur velle illa Esaiæ auctoritas, quæ eos post retrusionem in carcerem visitandos dicit, vt videlicet visitationem vocet quantulamcunq; consolationem. Illa verò quam rursum inducunt: *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ domine?* longè aliũ sensum requirit. Abscondit enim deus multitudinem dulcedinis suæ timentibus se, quia timor qui non est in charitate seruiliter Deum quærens, ad degustandam dulcedinem eius, quam in charitate radicati, spe gaudentes, in tribulatione patientes, ex meritorum cõscientia inueniunt, non peruenit. Spes siquidẽ, quæ sine præcedenti merito, vel saltem sine ea charitate, quæ operit multitudinẽ peccatorũ, procedit, non spes, sed præsumptio vocanda est. Vel certè & castè timentibus, in hac vita dulcedinem suam deus abscondit quam eisdem in futuro sperantibus, facie ad faciem seipsum videndum demonstrando perficit, vt sint idem timentes qui sperantes. Quid est ergo quod dicit: *Eadem mensura qua mensi fueritis, &c*, si temporaliter peccantium æternæ sunt pœnæ malorum? Qui scrupulus facilius enodatur, si deũ non solùm operum, sed etiam cordium esse scrutatorem intueamur. Remetietur itaq; eadẽ mensura qua mensi fuerint homines, dum eis facultate peccandi, non voluntate subtracta, in æterna malefaciendi voluntate morientibus, æterna supplicia irrogat.

CAPVT XXV.

An in pœnis positos, de transactis malis verè pœniteat, vel peccandi adhuc voluntatem habeant?

SED & hoc inquirendum videtur: Si tantis cruciatibus addictos, vel de transactis malis verè pœniteat, vel rursum peccandi si pœnis carerent, voluntatem habeant? Legitur enim in libro Sapientiæ: *Sap.5* *Videntes turbabuntur timore horribili, & mirabuntur in subitatione insperatæ salutis, dicentes intra se, pœnitentiam agentes.* Luc.16. Et in Euangelica parabola, diues ille de salute fratrũ solicitari inducitur, cum ait: *Rogo ergo te pater, vt mittas eum in domum patris mei: habeo enim quinq; fratres, vt testetur illis, &c.* Si enim eos, ne in locum tormentorum veniant, affectuosa sollicitudine præmoneri cupit, quantò magis semetipsum hoc velle præcauisse putãdus erit? Sed notandum est, diuersis modis accipi pœnitentiam. Accipitur interdum eo modo quo & describitur. Pœnitentia est commissa deflere, & deflenda non committere. Qualiter paulus quosdam pœnituisse gloriatur, quibus ait: *Pœnitentia duplex.* *Gaudeo vos contristatos esse, non quia contristati estis, sed quia contristatie stis ad pœnitentiam.* 2.Cor.7. Et de qua dominus in Euangelio. *Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum.* Matth.4. Talis siquidem pœnitentia vera & fructuosa est, per quam non solùm remissionem consequimur peccatorum, sed & meremur ad regnum peruenire cœlorum. Dicitur etiam pœnitentia, quasi pœnitudo: qualis est latronum & omnium sceleratorum in criminibus suis comprehensorum, ac supplicijs addictorum. Pœnitet eos enim nõ scelus perpetrasse, sed pro scelere tormento deputatos esse: nec vellent odio mali carere vitio, sed si fieri posset, post cõmissum crimen debito carere supplicio. Tali pœnitẽtia apud inferos agi malos credibile est, cum tam ex instantia horroris pœnæ propriæ, quàm ex æmulatione salutis & prosperitatis alienæ amplius conturbentur, & crucientur. Sic quippe Sapiens ille dixit: *Videntes scilicet, iustos in magna tranquillitatis constantia stantes, turbabuntur timore horribili, & mirabuntur* Sap.5.

tur

tur in ſubitatione inſperatæ ſalutis. Et tunc demum duobus his, videlicet propriæ damnationis, & alienæ ſaluationis conſideratione, dicunt intra ſe pœnitentiam agentes, & præ anguſtia ſpiritus gementes: *Hi ſunt quos aliquando habuimus in deriſum, & in ſignum improperij.* Exhinc liquet, Sapientem illum nõ de vera & fructuoſa pœnitentia, ſed de falſa & extorta pœnitudine, vel potius de dolore & indignatione locutum fuiſſe. Videamus etiam ſi prætaxatus ille diues vera pœnitenria ductus fuerit: *Rogo ergo te pater,* Luc.16. *vt mittas eum in domum patris mei, habeo enim quing, fratres, vt teſtetur illis,* &c. Non enim ait, vt teſtetur eis vitare malum, ſed moneat præcauere tormentum: nec ait, vt moneat eos, vt bona ſi qua faciunt virtutis agant amore, non ſeruili pœnæ timore. Sed ſi quis hoc quaſi parabolicum ad literam dicat non eſſe intelligendum, non eſt in determinatione eius valde deſudandum. Pœnitet ergo malos eſſe in tormentis, ſed non ſic, vt ſi redire ad priſtinam vitam permitterentur, vellent carere peccatis. Si quis verò contentioſus adeò eſt, vt putet eos verè ibi pœnitere, ſed effectu pœnitentiæ carere, iuxta illud Apoſtoli: *Ecce nunc tempus,* &c, quaſi nõ tunc acceptabile: non eſt cum 2.Cor. 6. eo litigandum. Quamuis non deſint qui dicant, Sicut boni cum deo in æterna gloria perfectè vnus ſpiritus effecti, non poſſunt, nec volunt velle niſi bonum: ſic & reprobos in ſupplicio capiti ſuo diabolo, velut plenè incorporatos, ita obſtinationi eius configurari, vt deinceps nec velint, nec poſſint velle niſi malum. Iuxta quorum ſenſum non ſolùm de tranſacta vita verè non pœnitet, ſed & ſi liceret, in peccatis adhuc manere vellent.

CAPVT XXVI.

An poſt iudicium extra infernum inferiorem ad leuiores pœnas locus remaneat? Et quid de paruulis, qui ſolo originali tenentur?

His dictis, indagandum puto, ſi tranſacto iudicio, extra infernum inferiorem ad leuiores pœnas locus remaneat. Eſſe quippe apud inferos locũ purgatorium, in quo ſaluandi vel tenebris tantùm afficiantur, vel expiationis igne decoquantur, quidam aſſerunt: iuxta illud patriarchæ: *Lugens deſcendam ad inferos,* & illud Apoſtoli: *Ipſe* Gen.37. *autem ſaluus erit, ſic tamen quaſi per ignem.* At ſi terminatis in iudicio cauſis ſingulorum, 1.Cor.3. pro qualitate meritorum æternis pœnis deputatis, nullus vltrà purgabitur, quomodo locus ille ſuperior purgatorius reſiduus erit? Si verò non remanebit, vt de alijs taceam, quid de paruulis, qui ſolo originali delicto tenentur, fiet? Nunquid in puteum inferni inferioris & ipſi retrudentur? Deniq; nonnulli tenebris tantùm eos ſicut antiquos patres, eò quòd in nullo rei inueniantur, niſi quòd ad gratiam baptiſmi, & ad agnitionem veræ lucis non peruenerunt, teneri affirmant: ad ipſas tantùm tenebras interpretantes, quòd mitiſſima pœna Auguſtinus eos plectendos eſſe teſtatur. Alij præfata verba Auguſtini duriùs accipientes, vera eos pœna, ſed mitiſſima puniendos dicunt. Quod ſi locus etiam ille ſuperior, non vt prius ad purgationem, ſed ad eorum vel minus malorum punitionem, perpetuam tamen, reſeruabitur: non huic æſtimationi oppoſitum, quòd poſt iudicium purgatorius locus non remaneat, cum non mutato loco, ſed officio, qui prius erat purgationis, tunc fiat punitionis: quãuis etſi loco illo penitùs abolito, in generalem pœnarum locum deputentur, non eſt incredibile, cum poſſit omnipotens manus dei eos in illo horribili incendio vel intactos ſeruare, vel minus afficere, qui quondam tres in camino ignis pueros illæſos conſeruauit. Nam & vno, eodemq; ſolis calore non omnes æqualiter vri, vel affici videmus. Cuius tamen rei aſſertionem, quia nondum certa auctoritate inuenimus, dei iudicio relinquamus.

CAPVT XXVII.

Quomodo ignis ibi ardeat, & non luceat.

Videndvm quoq; eſt de igne illo æterno, quomodo luce careat, cum veri ignis ſit natura non ſolùm vrere, ſed & lucere. Nam ſi lucet, quomodo ſunt ibi tenebræ exteriores, tenebræ palpabiles? Qua in re conſiderandum eſt, quòd naturæ creator Deus quaſdã ipſi cauſas & vires indidit: quas ſi certis rationibus, ſicut deus, quan-

doq; ſubtrahit, mirari non oportet: quia & ignis ille in fornace Chaldæorum habuit virtutem ſuam ad conſumenda puerorum vincula, ſed non habuit ad delenda ipſorum corpora. Et olim in rubo, quẽ ardere voluit, & non conſumi, ardebat, & nõ comburebatur: quia naturã ſuam ignis habebat ad lucem, non ad conſummationem. Sic econtrariò infernalis ignis virtute ſua in luce carebit, & plenariè eam habebit in exuſtione. Erit itaq; tormentũ ignis ibi ſine conſolatione lucis adurens, non illuminans, afficiens, non reficiens: vt omne genus miſeriæ plus quàm ne dicam edici, ſed nec excogitari poſſit, habeat, omniq; delectamento quo miſerrimi valeãt ſubleuari, careat.

CAPVT XXVIII.

De gloria & exaltatione ciuitatis dei.

TANDEM decurſo laborioſa diſputatione fine malorum, quaſi graui pelago enatato, ad ſuauem & iucundum ciuitatis Chriſti finem, ipſius freti gratia veniamus. Igitur ciuitate mundi Babylone miſerabiliter præcipitata qualiter ciuitas Chriſti Hieruſalem ſancta glorificetur, audiamus. Ioannes cũ de illa dixiſſet in Apocalypſi, quòd cum ſeductore ſuo diabolo, & pſeudopropheta ſuo Antichriſto miſſa eſſet in caminum ignis & ſulphuris, vbi cruciabuntur die ac nocte in ſecula ſeculorum, poſt pauca ſubiunxit: *Et vidi ciuitatem ſanctam Hieruſalem nouam deſcendentem de cœlo, à deo paratam ſicut ſponſam ornatam viro ſuo. Et audiui vocem magnam de cœlo dicentem: Ecce tabernaculum dei cum hominibus*, &c. Putãt Iudæi in aduentu Meſſiæ ſui, Hieruſalem terreſtrem magna cum gloria reſtaurari: ibiq; cum maxima rerum abundantia ſe cum illo regnaturos, omnis mundialis glorię delicijs affluere, ædificium illud Ezechielis in monte, necnon prophetiam Eſaiæ: *Surge illuminare Hieruſalem, quia venit lumen tuum, & gloria domini ſuper te orta eſt*, &c. ad literã intelligentes. Quorum errorẽ quidam ſub Chriſtiano nomine ſectati, regnum Chriſti in terra futurum putauerunt: ibiq; in Hieruſalem terreſtri, ſanctis cum ipſo deliciosè regnantibus, poſt mille annos ſoluendum Sathanam, at tunc demum præcipitandum, ſanctosq; in regnum cœleſte aſſumendos fore. A qua æſtimatione filij Zebedæi nondum virtute ex alto induti, non longè fuerunt, cùm mediante matre peterent, vt vnus ad dexteram, & alter ad ſiniſtram in regno Chriſti ſederent. Ioannes ergo vt omnes has opiniones & errores deſtrueret, primò damnationem reprobæ ciuitatis, eiusq; vltimum incendium enarrare ſtuduit, ac poſtmodum cœlo & terra innouato, de cœleſtis, non de terreſtris gloria Hieruſalem loquens, ſubiunxit: *Et vidi ciuitatem ſanctam Hieruſalem nouam deſcendentem de cœlo.* Quomodo enim ſanctam vocaret, quam propheta occidentem, & eos qui ad ſe miſſi fuerant, lapidantem, Babylonem prius nominauit? Quomodo nouam, quæ in vetuſtate legis adhuc manet, diceret? Quomodo poſtremò eam quæ ſemper in terra terrena fuit, de cœlo deſcendentem aſſereret? Vnde bene Apoſtolus eam quæ in terris eſt Agar comparans, ſeruire cum filijs ſuis ait: illam tamen quæ ſurſum eſt, matrem noſtram, & liberam atteſtans. Sed & Pſalmiſta cum iocundari ſe de hoc, quòd in domum domini, & atria Hieruſalem iturus eſſet, atteſtaretur: *Hieruſalem*, inquit, *quæ ædificatur vt ciuitas.* Non enim ciuitatem ædificari, ſed vt ciuitatem eam ædificari dicens: non more noſtro, nec noſtris lapidibus, ſed diuina virtute, viuisq; ex lapidibus ipſam ædificandam declarauit. Quòd etſi quis incredulus eſt, audiat quod ſequitur: *Cuius participatio eius in idipſum.* Quomodo enim caſuræ, non permanſuræ participatio eius in idipſum? Eſt ergo illius ciuitatis quæ mater noſtra eſt, & ſurſum eſt, participatio eius, qui dixit: *Ego ſum qui ſum, & qui eſt miſit me ad vos.* Eius dico in idipſum, id eſt, in diuinitate ſua æternaliter & incõmutabiliter ſemper vno eodemq; modo permanentis. Cuius quia tunc cum videbis eum ſicuti eſt, æternitatis & identitatis verè perfecteq; particeps eris, benè dicitur; *Cuius participatio eſt in idipſum.* Itaq; ſecluſo illorum errore, verba Apoſtoli proſequamur. *Vidi*, ait, *ciuitatem ſanctam Hieruſalem nouam deſcendentem de cœlo.* Res myſtica, & profunda, prorſusq; ingenium noſtrum excedẽs. Quid eſt enim quòd ciuitatem illam ſanctam, id eſt, ad incõmutabilitatem firmatã, nouam tanquam ab omni corruptione & mortalitate liberatam, & innouatam deſcendiſſe

Apoc. 21.

Iſa. 60.

Pſal. 122.

Exod. 3.

de

de cœlo dicit? An merces quæ in cœlis futura promittitur, in terra erit? Si enim iuxta Augustinum, nec in his cœlis visibilibus merces sanctorum reposita est, quantò magis nec in his inferius locanda erit? Quid ergo sibi vult; *Vidi ciuitatem sanctam Hierusalem nouam descendẽtem de cœlo?* Ego quidem quid senserit, & si debita veneratione tanquam sacrum secretum amplectar, ad plenum tamen me non intelligere profiteor, nisi fortè cœlum, ipsam superexcellentem diuinitatis naturam, de qua Psalmo *A summo cœlo egressio eius*, intellexerit. Vt sic dictum videatur, quòd gloria illius ciuitatis in solius Dei prædestinatione ab æterno collocata, ipsiq; soli nota, tunc demum ad sanctorum cognitionem plenariam, quando Deus omnia in omnibus erit, & videbitur sicuti est, descendat. Quòd enim in hac vita plenè, etiam ab electis illa superinæstimabilis beatitudo comprehendi non valeat, illo Prophetico & Apostolico probatur testimonio: *Oculus non vidit, auris non audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit deus diligentibus se.* Descendere ergo dicitur de cœlo cum ab arcano diuini consilij ad notitiam electorum, non solùm per scientiam, sed & per experientiam incomparabilis illa corona perueniet, à Deo paratam, sicut sponsam ornatam viro suo. Quem ornatum in spiritu propheta præuidens, immenso suffusus gaudio: *Gaudens*, inquit, *gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in Deo meo.* Causamq; gaudij deprimens: *Quia induit me*, ait, *vestimento salutis, & indumento iustitiæ circundedit me, quasi sponsum decoratum corona, & quasi sponsam ornatam monilibus suis.* Erit ergo ornatus eius corona, & monilia. Corona scilicet immarcescibilis perpetuæ immortalitatis & incorruptionis adornans gloria: monilia ineffabili cordis puritate, qua & Deus videtur, decorans eam munditia. Deniq; quia à factore suo non solùm vt factura æternaliter præscita, in cœleste habitaculum potentialiter introducitur, sed & vt sponsa decorata in eius regni thalamo amabiliter collocatur, bene de cœlo descendens, à Deo parata, & sicut sponsa ornata, narratur. Mira enim & ineffabili benignitatis affluentia, factura fit sponsa: cum eam quam mirabiliter ex nihilo creauit, ad famulatum mirabilius reformatam, ad cœlestis thalami iocundum assumet amplexum.

Ciuitas noua è cœlo descendens quæsit.

Psal. 19.

Esa. 64. 1. Cor. 2.

Esa. 61.

Et audiui vocem magnam de cœlo dicentem. Vox ista vox suauis, vox lætitiæ de alto sonans, de sublimi diuinitatis confessu dulciter increpitans, quid dicat audiamus: *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis.* Quod est illud tabernaculum Dei? An fortè inter illa reputabitur, de quibus dicitur: *Quàm pulchra tabernacula tua Iacob, tentoria tua Israel?* An potius inter illa quæ Psalmista concupiscens, alto suspirio proclamat: *Quàm dilecta tabernacula tua domine virtutum, concupiscit & deficit anima mea in atrio Domini?* Sunt enim tabernacula Iacob tabernacula luctantium in præsentis vitæ militia, agone & exercitio grauia, sed intuitu coronæ spectaculo pulchra, bona semper, sed non semper iocunda. Sunt & tabernacula Dei, tabernacula regnantium in cœlestis patriæ curia, omni calcato metu, plena tranquillitate, suauia, de percepta corona plenè gaudentia: non solùm bona semper, sed sine tristium intermixtione, sine laborum fatigatione semper læta & iocunda. Bene ergo illa pulchra, ista dilecta vocantur. Quid enim pulchrius, quàm spe coronæ cum vitiis & concupiscentiis luctam inire? Quid amabilius, quàm victoria peracta, de percepta corona gaudere? Sunt itaque tabernacula Iacob pulchra, tabernacula Dei dilecta: quia de labore certandi peruenitur ad fructum præmij percipiendi. Quia verò in cœlesti curia, diuersa sanctorum angelorum contubernia, charitatis nexu vnam faciunt rempublicam, bene quæ Psalmista dixerat tabernacula, hîc tabernaculum vocatur: quibus dum sanctorum agmina coniuncta vnam condunt vnius vrbis commanentiam, bene cum hominibus tabernaculum Dei ad æternam mansionem iunctum narratur. Sed inæstimabili dulcedine omnia prædicta exuperat quod subditur: *Et habitabit cum eis.* Si enim species tabernaculorum delectat, quantò magis inhabitatoris eorum, qui fecit illa, visio & mansio delectabilis erit? Habitabit ergo Deus in eis, pleno eos & vero gaudio replens, ne vsquam vacillare valeant, plenam eis suæ visionis noticiam largiens, atque omnibus omnia factus, perfectam eis beatitudinem tribuens. Vnde pulchrè subiungitur: *Et ipsi populus eius erunt, & ipse Deus cum eis erit eorum Deus.* In hac enim vita, terrena habitatio sensum multa cogitantem deprimit. Quotiens curis & solicitudinibus succumbimus, quasi totiens Deum, quem omnibus fluxis & transitoriis præ-

Apoc. 21.

Num. 24.

Psal. 84.

Apoc. 21.

ponere debueramus, deum noſtrum eſſe obliuiſcimur. In illa verò ciuitate, vbi ſic diuina contemplatio omnes in idipſum conglutinans beatificat, vt interno & æterno gaudio perfectè ſuffuſos, foras euagari non oporteat, ipſi populus eius erunt, & ipſe deus cum eis erit eorum deus. Vbi profectò quia ſic æternæ iocunditatis & lætitiæ vino inebrientur, vt omnis trãſactæ vitæ miſeria vltrà non afficiantur. Quod ſubſequenter declarat, cum ſubiungitur: *Et abſterget deus omnem lachrymam ab oculis eorum, & iam non erit neque luctus, neque clamor, neque dolor eius vltra quæ prima abierunt.* Porrò quòd alibi ciuitas ipſa ex auro mundo, fundamento omni lapide precioſo conſtare dicitur, XII portæ eius ex ſingulis margaritis, plateæ ex auro mundo tanquam vitro perlucidæ, ornatæ feruntur, quantam cœleſtis illius patriæ iocundiſſimam manſionem depromunt? Si enim ad literam intellecta, pulchra ſunt & decora, quantò magis ſpiritaliter intellecta, longè incomparabilius iocunda & delectabilia inueniuntur? Si precioſum eſt aurum, quãtò precioſius eſt quod ſignificatur per aurum? Luci enim comparata purior inuenitur ſapientia. Diximus vt potuimus, qualiter ſublato impio, ne videat gloriam dei, Chriſti ciuitas, ſancta Hieruſalẽ, glorificetur, pluribus quæ de tanta iocunditate dici poſſunt ſuppreſſis, dum ad ea quæ reſtant dicenda, feſtinamus.

CAPVT XXIX.

Qualia poſt reſurrectionem ſancti corpora habeant.

1. Cor. 15. *Ibid.* QVÆRI poteſt, qualia ſancti poſt reſurrectionem in illa ciuitate corpora habeant: Ait enim Apoſtolus: *Seminatur corpus animale, reſurget ſpirituale.* Et rurſum: *Caro & ſanguis regnum dei non poſſidebunt.* Vnde nonnulli in ſpiritualem ſubſtantiam corpora ſanctorum poſt reſurrectionem tranſmutari putauerunt. Alij tametſi corpora, non ſpiritus ea futura dicerent, tamen in tantam ſubtilitatem, vt nec palpari, nec excogitari poſſet, ipſa redigenda credebant. Quia verò iuxta domini exemplum, poſt reſurrectionem diſcipulis ſuis dicentis: *Palpate & videte, quia ſpiritus carnem & oſſa non habet, ſicut me videtis habere*, vera corpora in vera carnis ſubſtantia reſurrectura credimus, qualiter prędicta verba Apoſtoli accipienda ſint, videamus. *Seminatur*, inquit, *corpus animale, reſurget ſpirituale.* Sed intueamur ex ſubſequentibus quid per animale, quid per ſpirituale intellexerit. Cum enim dixiſſet, Seminatur corpus animale, reſurget ſpirituale, ſubſequenter adiunxit: *Si eſt corpus animale, eſt & ſpirituale: ſicut ſcriptum eſt: Factus eſt primus homo Adam in animam viuentem, nouiſſimus Adam in ſpiritum viuificantem: ſed non prius quod ſpirituale eſt, ſed quod animale eſt, deinde quod ſpirituale. Primus homo de terra terrenus, ſecundus homo de cælo cæleſtis. Qualis terrenus, tales & terreni: & qualis cæleſtis, tales & cæleſtes.* Nunquid his verbis, ſecundum hominem Chriſtum Ieſum, quem ſpiritualem vocauit & cœleſtem, veram carnẽ habere negauit? Spiritualẽ ergo ſeu cœleſtẽ dicens, nõ carne carere voluit: ſed ad differentiã primi, qui voluntatẽ carnis ſecutus, mandati dei prævaricator extitit, carnis operibus alienũ vita & doctrina eſſe declarauit. Vnde & dicit: *Primus homo de terra terrenus*, &c. ac ſi diceret: Primus homo terrenis operibus nos perdidit, ſed ſecundus cœleſti vita nos reparauit. Ideoq; ſubiunxit: *Igitur ſicut portauimus imaginem terreni, portemus & imaginem cæleſtis.* Ac deinde: *Hoc autem dico fratres, quia caro & ſanguis regnum dei non poſſidebunt*: id eſt, poſſidere non poteſt. Corpus itaq; quod ſeminatur animale, reſurget ſpirituale: cum ſubſtantiæ vitium ſubtrahitur, veritas naturæ relinquitur. Hoc eſt enim quod ſubdit: *Seminatur in corruptione, reſurget in incorruptione.* Ad hanc quippe vitam mortalem, per concupiſcentiam naſcentes, animales ſeminamur: ad illam verò vitam immortalem, per gratiam renaſcentes, ſpiritales reſurgimus. Huic aſſertioni & hoc ſuffragatur, quia cum dixiſſet, quòd caro & ſanguis regnum dei non poſſidebunt: ne de ſubſtantia carnis dictum putaretur, ſubiunxit: *Neque corruptio incorruptelam poſſidebit.* Habebunt ergo in illa ciuitate ſancti de vera carnis ſubſtantia vera corpora, ſed ab omni corruptione aliena, puritatis dignitate, & agilitatis ſubtilitate ſpiritibus non inferiora, ac ita concorditer ſpiritibus ſuis connexa, vt nuſquam eſſe velint, vbi eſſe non poſſint: nec vſquam ſint, vbi eſſe non velint. Nulla enim poterit eſſe diſcrepantia, quos diuinus

Luc. 24.

1. Cor. 15.

Corpora à reſurrectione ſpiritualia.

uinus ſpiritus intus alens, veræ pacis perfecta connectit concordia. Quapropter vbi ſint, quærere non oportet, cum iuxta dominicum exemplum, qui poſt reſurrectionẽ ianuis clauſis intrauit, tantæ ſint agilitatis, vt ſiue in cœlo, ſiue in terra iã innouati eſſe voluerint, in poteſtate habeãt, vbi nec volũtas facultati, nec facultas repugnat voluntati.

CAPVT XXX.

Qualiter præteritorum memoriam habeant.

NVNC inquirendum eſt, ſi in illa beata patria præteritæ vitæ memoriam, ſeu ſcientiam habeant? Ait enim prophetarum eximius Eſaias: *Non erunt memores priorum, nec aſcendent in corda illorum.* Sed quid eſt quod alibi dicit: *Egredientur, & videbũt cadauera mortuorum, qui præuaricati ſunt in me?* Nunquid credendi ſunt illas beatas ſedes relinquere, ac ad videndum malorum tormenta localiter exire? Abſit. Si ergo à fruitione æterni boni non recedentes, egredientur per ſcientiam, quomodo non erunt memores priorum? An ſcient pœnas alienas, ſuasq; tranſactas miſerias, vnde liberatori ſuo gratias habere deberent, obliuioni tradent? Qua in re ſciendũ eſt, duas eſſe ſcientias, duasq; obliuiones. Scit enim aliter eger infirmitatem per experientiam, aliter medicus per artis notitiam. Sic etiam aliter obliuiſcimur eorũ quæ experimento cognouimus, aliter illorum quæ artis tantùm induſtria inexperti comprehendimus. Sicut ergo ſancti habebunt omnium quæ delectare poſſunt, plenam memoriam: ſic nihil quod officere poſſit, eorum tanget conſcientiam, vt plenè habeant vnde redemptori ſuo gratias agant, & nihil recolant, vnde læſo corde de priorum recordatione doleant: ſed omnimodis deliciis affluentes, paceq́ue Dei, quæ exuperat omnem ſenſum, perfectè gaudentes, ſicut foris nulla pulſantur tentatione, ita intus nulla recordationis triſtium afficiuntur paſſione. Scient itaque ad maiorem beatitudinis ſuæ cumulum, redemptoris ſui largum recolendo beneficium, non ſicut experti tam ſuos actus, quam malorum apud inferos cruciatus, vt non ſolùm de ſua felicitate gaudeant, ſed & Deo ſuo eos de vna maſſa factos, ab illorum perditione miſericorditer ſeparanti gratias agere habeant. Scient, inquam, (vt dictum eſt) per omnia ſcientem, & ſua & aliena, non per experientiæ miſeriam, ſed per internæ & æternæ ſapientiæ ſupereffluentem gloriam. *Eſa.65.66.*

CAPVT XXXI.

De diuerſis in cæleſti curia manſionibus.

HIS decurſis, qualiter illa cœleſtis curia ordinata ſit inquiramus. Nunquid enim omnes æterna illa beatitudine pari modo, pariter omnes fruuntur, iuxta illud parabolicum, vbi omnes in vinea domini non æqualiter deſudantes, æqualem operis mercedem, tanquam ſingulos denarios recepiſſe feruntur? Sed quomodo intelligemus ipſius domini teſtimonium dicentis: *In domo patris mei manſiones multæ ſunt*: Et illud Apoſtoli: *Alia claritas ſolis, alia claritas lunæ; & ſicut ſtella differt in claritate, ſic erit & reſurrectio mortuorum?* Verum eſt igitur, quòd ſinguli ſingulos denarios accipiunt: & verum eſt quòd diuerſas manſiones inhabitantes, alius alio clarior exiſtat: quia omnes quidem in vnam beatitudinem recipientur, ſed pro qualitate meritorum, diuerſas ibi manſiones ſortientur. Nam & Dominus non in domibus, ſed in vna domo manſionum hanc varietatem eſſe dicens, vnam fore beatitudinem, ſed in beatitudinis fruitione diſtantias oſtendit. Quod etiam in præſenti videmus, vbi in vna eccleſia diuerſis dignitatum ordinibus, alium alio clariorem, alium alio ſuperiorem conſpicimus. Quam ad inſtar illius curiæ diſtinctam dominus Moyſi loquens oſtendit, cùm ait: *Vide vt omnia facias iuxta exemplar, quod tibi monſtratum eſt in monte.* Sunt itaque in domo illa diuerſæ manſiones, quas alius alio clarior, alius alio ſanctior habitet: quia tantò quiſq; viciniùs, & quaſi proximiùs diuini luminis ſplendore irradiatur, quantò ardentiùs & vehementiùs in præſenti vita ad eius amorem per idem operantẽ, ex dilectione inflammatur. Et ſicut pluribus ad vnum fontem cõfluentibus, ſimulq; vndam eius guſtantibus, qui plus ſitit, plus haurit: ita ad Deum fontem vitæ feſtinantes, tantò *Matth.20. Ioan.14. 1.Cor.15. Exod.25.*

largiùs ab vbertate domus eius torrente voluptatis suæ inebriantur, quantò eum ampliore sitis ardore vehementiùs & auidiùs præstolantur. Pro diuersitate igitur operum & capacitate singulorum, varia & vna beata tamen omnium erit gloria sanctorum.

CAPVT XXXII.

De tribus ternis angelorum.

PORRO quia ciuitas illa duobus parietibus compacta, ex angelis constat & hominibus, quis & qualiter inter eos ordo sit intueamur. Tres angelorum Hierarchias, id est, sacros principatus, præcipuus Theologorum ponit Dionysius: & vnamquamque in tres ordines subdiuidens, vt nouem angelorum ordines compleat, tria terna constituit. In prima hierarchia Seraphin, Cherubin, Thronos: in secunda Dominationes, Potestates, Virtutes: in tertia Principatus, Archangelos & Angelos ponit. Primam autem hierarchiam immediatè trinitatem circumstare, ab eaq; sola illuminari: secundam verò inter primam & vltimam mediam tam à superiore illuminari, quàm inferiorem illuminare asserit. Quorum sacratissimæ humanumq; ingenium trāscendentis naturæ causas rimari, supra nos est, nec præsens Opus exposcit. Ait nempe suprà nominatus Theologus: *Quanti quidem sunt & quales supercæleſtium essentiarum ornatus, & quomodo secundum eos hierarchiæ perficiuntur, solam diligenter scire dico contemplatiuam eorum perfectionis principem.* Quibus verbis cum solam diuinam sapientiam, à qua principium habent vt sint, & ad quam contemplandam respiciunt vt perfecti sint, scire dicat sacram eorum & superornatam ordinationem, temerarium de ipsorum natura videtur inuestigare, cum & ipsos angelos quales facti, vel qualiter dispositi sint, fateatur non posse comprehendere. *Propterea*, inquit, *dico & eos adhuc ignorare proprias virtutes & illuminationes, & suam sacram & superornatam ordinationem.* Vnde & subiungit: *Impossibile est enim nos scire supercæleſtium animorum mysteria, & sanctissimas eorum perfectiones, nisi ibi dixerit quis quæcunque per eos nos tanquam propria benè scientes diuinitas mysteria docuit.* Et est dictum: *Incassum ad comprehensionem supercæleſtium mysteriorum laboramus, cùm nec ipsos supercæleſtes spiritus, quorum reuelatione illa cognoscere deberemus, plenè illa posse comprehendere credamus.* Quid est autem, quòd suprà eos nescire affirmans, hìc nos per eos tanquam propria bene scientes, erudire diuinitatem dicit? nisi quòd sciunt propria mysteria quantum sufficit ad nostram eruditionem, sed non sciunt ad plenam & perfectam comprehensionem. Quamuis igitur ex proprio motu nil de eorum natura comprehendere valeamus, hoc tamen quod diuina eloquia de illis sacris ordinibus, necnon & iste Theologus testantur, indubitanter credamus. Ait ergo: *Omnis Theologia cæleſtes essentias nouem vocauit manifestatiuis cognominationibus.* Deinde ab egregio doctore gentium, magistro suo Paulo, qui ad tertium cœlum raptus arcana Dei audierat, quid edoctus sit, subsequenter adnectit dicens: *Has scilicet nouem cæleſtes essentias, diuinus noster sanctus profector in tres segregat ternas dispositiones.* Quod quia nusquam in Paulo legitur, ab eo familiari colloquio tanquam diuinus Philosophus didicisse innuitur. Nec repugnat, quòd arcana quæ audiuit, homini loqui licere Apostolus negat, cum nec homo, sed super hominem, velut huic vitæ funditus mortuus fuerit, vel qui docuit, vel qui didicit. Dicat ergo: Has diuinus noster profector in tres segregat ternas dispositiones. Et primam quidem esse dicit circa Deum existentem semper, & ante alias immediatè vniri traditam, sanctissimos thronos, & oculosos, & pennosos ordines, Hebræorum voce Cherubin & Seraphin nominatos. Quia enim Seraphin incendentes, Cherubin plenitudo scientiæ interpretatur, Cherubin oculosos propter contemplationis cognitionem, Seraphin pennosos propter ardentissimi amoris dilectionem, symbolicè nominat. Thronos verò, in quibus Deus sua iudicia decernit, quos alibi compactas & altissimas sedes, hìc sanctissimos Thronos anagogicè vocat. Altissimas sedes, propter dignitatem: compactas, propter iudicij veritatem: sanctissimas, propter incommutabilitatis firmissimam æternitatem. Est ergo proprium thronorum iudicij discretio, Cherubin veritatis cognitio, Seraphin cognitionis perfecta dilectio. Et quia in his tribus omnis constat perfectio, rectè amantes, cognoscentes, iudicantes, velut intus præsiden-

Hierarchiarum cæleſtiũ nomina & ordo.

fidentes, & ab interna contemplatione ad exteriora officia nunquam exeuntes, immediatè Deo vniri, & ante alias circa ipsum semper attentè existere dicuntur. Vltimos verò tres ad exteriora mitti, vt Angelos & Archangelos: vel dimittendis inuisibili potestate dispensare, vt Principatus, testatur. Porrò medios quæ à superioribus ad inferiores deferenda sunt, secundum dignitatem & officium suum administrare dicit. In quibus Dominationes, quasi solo imperio ad nuncianda formantes, primo: Virtutes, tanquam perceptum ab eis imperium Potestatibus edentes, secundo: Potestates, quasi conceptum mandatum in Principatibus, Archangelis, Angelis sibi ad operationem subiectis perficientes, tertio loco ponit. Qui verò post Angelos & Archangelos, Virtutes, & deinde Potestates, & sic Principatus constituunt, Virtutes eos, per quos signa & miracula fiunt, Potestates eos, qui aduersas virtutes spirituum comprimunt, ne tantum nocere possint quantum volunt, Principatus, qui etiam bonis spiritibus principantur, accipiunt, plus etymologiam nominum, quàm rationes officiorum secuti. Vsu enim nostro plus est potestate agere, quàm virtute. Deinde maior est principatus, quàm potestas. Non enim omnis potestas principatus, sed omnes principatus sunt potestates. Quòd autem amplius sit in principatu dominari quàm principari, nemo ambigit: & idcirco dominationes quasi principatibus dominantes in eminentiori loco posuerunt.

Quæstio.

Quid est autem, quòd cum suprema illa hierarchia immediatè circa Deum, & ita semper attentè, vt nunquam à iucundissima maiestatis eius præsentia foris prodeat, assistere credatur, ad mundanda labia prophetæ Seraphin exisse narratur, cum dicitur: *Volauit ad me vnus de Seraphin*, &c? Vbi profectò iuxta eundem Dionysium innuitur, quòd inferiori ordine missus, superioris ordinis vocabulũ ex officio est sortitus. Prophetæ quippe labia purgare, eiusq; mentem ad diuinitatis amorẽ accendere veniens, Seraphin, id est, incendentis vocabulum accepit. Quamuis nõ desint qui dicant, non incongruè ad alta consilia de altissimo ordine spiritus mitti, cum & ipse vnigenitus de sinu patris ad terras missus, magni consilij dictus sit angelus. Quòd enim omnes mittantur, testari videtur Apostolus, vbi ait: *Nonne omnes sunt administratorij spiritus in ministerium missi?* Vnde Michaelem, Gabrielem, Raphaelem, quos præ cæteris spiritibus ecclesia Dei veneratur, altissimorum illorum ordinum principes esse putant: nec idcirco eos ab intima diuinitatis præsentia recedere dicunt, cum tantæ subtilitatis eos, & inæstimabilis puritatis esse velint, vt sic ad exteriora prodeant, vt tamen in cœlis semper Deo assistant. Vnde est illud Gabrielis in Euangelio: *Ego sum vnus de illis qui semper assistunt ante Deum, & huc missus sum annunciare tibi.* Cum enim hoc diceret, ad terras missus fuerat, & tamen Deo se assistere dicebat. Porrò quòd quidã à superioribus eruditur, alij verò ab ipso Deo immediatè illuminentur, prophetica auctoritate probatur. Quidam enim mysterium incarnationis ignorantes, cum Iesum in gloria cœlos ascendete conspicerent, noui regis aduentum admirantes, à superioribus inquirebant dicentes, Quis est iste rex gloriæ? Sed & superiores non omnino ignorantes, sed immediatè ab ipso discere volentes, nec tamen ad interrogationem festinè præsilire audentes, primùm apud se deliberabant: *Quis est iste qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra?* Cumque ad doctrinam vltrò ipse se offerret dicens: *Ego sum qui loquor iustitiam:* tunc demum assumpta fiducia, ad ipsum quæstionem dirigunt: *Quare ergo rubrum est indumentum tuum, & vestimenta tua sicut calcantium in torculari?* In eo enim quòd interrogant, ostendunt se illuminationem appetere: in eo verò quòd inter se conferendo deliberant, significant quia diuinam in se processionem non audent præuenire. Vnde Theologus iste, apud se inquit: *Ipsas deliberant antè interrogare: ostendentes quia discunt, & deificam scientiam appetunt: non autem præsilientes per diuinam processionem inditam illuminationem.* Et notandum, quòd interrogatio spirituum illorum ad Deum, non est aliud quàm ipsa interrogationis perceptio, ipsaq; eius responsio: vel locutio non est aliud quàm illuminationis datio. Quia igitur ipsi non præueniunt illuminationem in perceptione, sed diuina eos gratia præuenit in datione, non antè interrogare dicuntur vt discant, sed ipse largitor & doctor offerre asseritur eis quid deceat. Et hoc est quod dicit: *Non præsilientes per diuinam processionẽ inditam illuminationẽ:* Presilirent enim inditam illuminationem, si humano more per studium inquisitionis

Lucæ.2.

Esa.63.

Interrogatio spirituum.

Hebr.1.

ad lumen peruenirent cogitationis: ſicq; proceſſio eſſet non dei ad ipſos, ſed ipſorum ad deum. Sed quia diuina proceſſio, hoc eſt à deo procedens datio, ſponte veniens in ipſos, ſic eos illuminat, vt nullum inquiſitionis ſtudium hanc illuminationem efficiat: benè dicitur, quòd inditam illuminationem per diuinam proceſſionem non præſiliunt. Hæc de angelorum natura, non de noſtro ſenſu, ſed de diuinis eloquijs prolata ſufficiant. In quibus nihil temerè diffiniendo, ſed ſecretum venerando indubitanter credimus, quòd ſiue omnes mittãtur, ſeu omnes omnia ſupercœleſtium ſciant arcana, vel non: indeficienti tamen iubilo omnes ſimul in creatoris ſui contemplatione iocundantur. Vnde item Dionyſius ad ſuperprincipale principium, & ad ipſum principium vniuerſaliter eos conuerti teſtatur. Qui etiam ad hoc vt ſupernæ hierarchiæ ſpiritus, ſic Deo ſemper aſſiſtant, vt nunquã ad externa officia foras prodeãt, & quod inferiores ſpiritus, quandoque ſecreta dei lateant, donec ſuperiorum reuelatione addiſcant, inclinatus videtur. Quod tamen etſi ita eſt, eorum beatitudinem non minuit: quia omnia ſcientẽ videntes, ſic in eo omnia ſciunt, vt quicquid expedit eos ſcire, ſcire velint: nec aliquid ſcire velint, quod ſcire eos non expedit.

CAPVT XXXIII.

Qualiter in eorum ordines ſancti proportionaliter aſſumantur.

QVIA de cœleſtium ſpirituum hierarchijs, eò quòd in eorum ordines electi aſſumendi, vnam rempub. facere creduntur, incidenter diſputauimus: ſupereſt vt adhuc qualiter in ipſorum conſortia proportionabiliter aſſumantur, inquiramus: Ait itidem de hoc ſepe nominatus optimus Theologus: Ad quas, id eſt, ſupercœleſtes eſſentias, *ſecundum differentiam progreſſionum, & incrementa illuminationum, proportionaliter nobis ipſis aſcendimus per gradus ſpiritualium profectuum in nobis, vel differentiam donorum inter nos.* Et eſt dictum, quòd ſicut in præſenti per dona gratiarum, & gradus dignitatum proportionaliter, hoc eſt, differenti & ordinata participatione diſponimur: ſic in cœleſtis curiæ contubernia promoueamur. Iuxta ipſius enim domini teſtimonium: Qui in modico fidelis eſt, ſupra multa conſtituetur: & qui bene miniſtrat, gradum bonum acquiret: & quia fideles diſpenſatores eccleſiæ tantò amplius coronantur in cœlis, quantò magis verbo & exemplo gregem Domini paſcentes, deſudauerunt in terris. Vnde qui accepto ad vſuram talento, plus fœnerauit, iuxta differentiam meritorum proportionaliter accipit ſtipendia retributionum: dum iſti dicitur; Tu eſto ſuper quinque ciuitates: & illi, Tu eſto ſuper decem. Aſcendent ergo ſancti per differentiam progreſſionum, id eſt, quantum bene operando progrediuntur: & incrementa illuminationum, id eſt, quantum bene docendo ſubditos illuminandos profecerũt, per gradus ſpiritualium profectuum, quod eſt de virtute in virtutem, non pedum, ſed mentium, in diuerſis dignitatibus progreſſus, vel differentiam donorum, quæ ſunt diuerſa dona chariſmatum, id eſt, diuerſos ordines beatorum ſpirituum. Quæ quoniam in ipſis & inter ipſos ſunt, iuxta illud Pſalmiſtæ: *Beatus vir cuius eſt auxilium abs te, aſcenſiones in corde diſpoſuit.* Bene Theologus iſte dicit, quòd ſecundum differentiam progreſſionum, & incrementa illuminationum proportionaliter nobis ipſis aſcendimus per gradus ſpiritualium profectuum in nobis, vel differẽtiam donorum inter nos, ad contubernia angelorum. Qualiter autem in ſingulos ordines beatorum ſpirituum, ſinguli quiq; electorum aſſumantur, vt non ſolùm mentis & corporis puritate, ſed graduum dignitate angelis ſimiles & pares in beatitudine fiant, beatus Gregorius mellifluo ore diſſeruit, tantùm iuxta illam auctoritatem: *Cõſtituit terminos populorum iuxta numerum angelorum Dei:* in illa ciuitate numerum electorum futurorum oſtendens, quantus ibi ſanctorum remanſit angelorum.

Pſal. 84.

CAPVT XXXIIII.

Quomodo ſtare poſſit quòd tantus numerus electorum quantus ibi remanſit angelorum, ſi iuxta decimam dragmam, decima tantùm pars angelorum perdita, per homines reſtauranda putabitur.

SED inquiri poteſt, cùm decima dragma tanquam angelorum pars, perdita per homines reſtaurari debeat, quomodo tantus fiat numerus electorum, quantus mãſit angelo-

angelorum? Quia in re profectò videndum est, quòd I.V.X C. & huiusmodi, in diuina pagina non semper numerum, sed significatum numeri ponunt. Quia enim denarius in sacra scriptura perfectionem significare solet, decima dragma periisse dicitur, cum reprobæ illius partis globus à deo exorbitans, à creationis suæ dignissima perfectione, ad propriæ voluntatis motum declinans, superbiendo corruit: vt dicant non quòd illa decima pars corruerit, sed quòd illa pars corruerit decima: id est, vt decima qualitatem suam seu substantiam verbi reddat verbo, vt non intransitiuè, sed substantiuè iungatur, cum corruit: quod est dicere, vt non numerum, sed literam, sed iuxta significationem numeri mysticum sensum respiciat: vt non sit aliud dicere, Corruit decima, quàm corruit perfecta, id est, in eo quòd perfecta: sicut solemus dicere, Video te sapientem, verbum iungendo transitiuè ad te substantiuè ad sapientem. Vel corruit decima, id est, perfecta, id est, à decima, vel à perfecta: vt sit ablatiuus decima seu perfecta, vel sensum habeat ablatiui. Sicut enim nominatiuus apud Grãmaticos frequenter substantiam sui: sic ablatiuus vel nominatiuus ex parte prædicati, semper qualitatem eiusdẽ nominis innuit: Vt cum dico, Martinus est homo, non prædico secundum Logicos hoc, sed ex hoc: sicut econuerso cum dico, Homo currit, non subijcio ex hoc, sed hoc. Nam si hac parabola, ad hoc vt decimam partem angelorum, quæ per homines restaurari debet, cecidisse credere compellimur: nihilominus etiam centesimam tamen partem ex parabola C ouium corruisse, cogemur confiteri. Prędictus ergo denarius, vel centenarius, quia (vt dictum est) non ad numerum, sed ad significatum numeri nos mittit: nec ad hoc cogit, vt decimã partẽ seu cẽtesimam corruisse credamus: nec ad hoc impellit, vt tantundem restaurandorum, quantum lapsorum numerum fore confiteamur: sed hoc tamen ostendit, quòd illorum miseria istorum felicitate, illorum imperfectione, istorum perfectione suppleatur. Neq; propter hoc quòd decima dragma perdita dicitur, x ibi ordines, quorum vnus corruerit, quandoq; fuerunt, sed de singulis I x illis ordinibus cadentes, vnum inordinati ordinis globum fecerunt. Quamuis si dicat quis, Gregoriũ hoc non sub assertione posuisse, non sit multum in eius determinatione laborandum: dum hoc tamen credatur, quòd verè in singulorum angelorum ordines, siue in numero pares, vel impares sint, beatitudine pares electi assumantur. Non enim Gregorius ait, ad quot tot ascensuros scimus, sed credimus. Hæc illa quã posui auctoritas, *Constituit terminos populorum, iuxta numerum angelorum.* huic sententiæ accommodata cernitur, cum ibi subsequenter dicatur: *Pars autem domini populus eius.* Quod sic teste Dionysio dictum videtur: Cæteræ nationes religionem angelorum sectãres, diuersam militiam cœli coluerunt: solus Israeliticus populus, vnius dei cultum seruãs, ipsi tanquam sua pars, & funiculus hæreditatis in possessionem peculiariter cessit. Vnde est illud Psalmistæ: *Notus in Iudæa deus, in Israel magnum nomen eius.* Si verò iuxta aliam translationem: iuxta numerum filiorum dei legatur, longè iterum alium sensum requirere innuitur, nisi eosdem filios dei, quos & angelos dixerimus, iuxta illud Geneseos, vbi alius trãslator filios dei, alius angelos ad filias hominum accessisse cõmemorat. Quod si iuxta nostrum vsum, iuxta numerum filiorum Israel dicatur, peregrinum penitus ab hoc intellectu erit. Igitur de re secretissima prorsus à nostris oculis remota iudicium prudentioribus relinquentes, ad ea quæ restant transeamus: hoc tamen credẽtes, quod in libro sapientissimæ præscientiæ dei, quã nullum fugit profundum, nullum fallit secretum, certus est numerus electorum, & verax corona pro meritis singulorum.

Psal. 74.

CAPVT XXV.

De beatitudine sanctorum.

NVNC videndum est, quæ illius patriæ sit beatitudo. Non enim credendum est, animas exutas corpore, vel post resumpta spiritalia corpora, angelicis spiritibus puritate ac dignitate non inferiores, rebus exterioribus sicut in hac vita delectari. Proinde sicubi sacra scriptura floridis & virentibus campis, amœnis locis, garritu auium, odoriferis rebus, vtpote cynamomo & balsamo, sensus eorum refici & affici dicit, spiritaliter hoc potius quàm carnaliter accipiendum videtur. Quamuis & pro-

pter ſimplices, qui lacte, non ſolido cibo alendi ſunt, quorum ſenſus nondum exercitati, ſpiritalẽ iocunditatem comprehendere nequeunt, hæc frequenter à quibuſdam doctoribus ponantur, vt ſic per viſibilia ad inuiſibilia cognoſcẽda & inquirenda mittantur. Eſt igitur beatitudo ſanctorum, viſio cõditoris ſui, iuxta illud dominicum: *Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te verum deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum:* intelligendum cum ſpiritu, qui eſt amborum. Hæc eſt inquit, vita æterna. Quid enim aliud eſt vita æterna, quàm beatitudo ipſa? Si enim eſſet vita temporanea, beata non eſſet, quæ de termino ſollicita foret. Rurſus quatumcunque diuturna, niſi omnis miſeriæ defectu carens, omnimodæ felicitatis afflueret abundantia, beata dici non poſſet, quæ aliquo næuo infecta eſſet. Eſt itaque illa vita æterna & beata, beata & æterna, vt cognoſcant te verum deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum. Vide quòd fruitionem beatitudinis, cognitionem dixit eſſe diuinitatis. Vnde fruſtra quidam ad comprehenſionem diuinæ ſubſtantiæ in hac vita laborant, quæ à ſanctis per ſpeculũ, & in ænigmate vix in præſenti viſa, ſicuti eſt videnda, pleniteréq; cognoſcenda, in futura eis tantùm vita promittitur. Delectantur igitur ſancti in plenè iocunda & æterna beata viſione dei, iuxta illud Pſalmiſtæ: *Benedictionem dabit qui legem dedit, ibunt de virtute in virtutem, videbitur deus deorum in Sion.* Quid maius, quid iocundius, quid glorioſius? Quanto deſiderio in tenebris poſiti deſideramus hunc ſolem? quanto ſtudio optamus hanc lucem? Quòd ſi hæc lux deſiderata cum gaudio ſuſcipitur, ſuſcepta cum admiratione inſpicitur, viſuſq; frequenter reuerberatur, rurſus ad videndum ſuſtollitur, nec vſu veſcit, nec frequentia faſtidium gignit: quam putas lux lucis videntibus ſe iocunditatem afferat, admirationem tribuat, nec tamen faſtidium inferat? Si reges, vel imperatores terrenos ingloria ſua fluxa & tranſitoria cum admiratione, & quadam hilaritate videmus, quàm inæſtimabili gaudio ſuffuſos, inæſtimabili iubilo mentis repletos æſtimabimus qui regem regum, creatorem vniuerſorum in decore ſuo, & gloria incomparabili & immarceſcibili, cœleſti angelorum & hominum ſtipatum militia videbunt? Nec videbunt tantùm, ſed & viſum amabunt, amatum laudabunt. Vnde pulchrè Pſalmiſta: *Beati qui habitant in domo tua domine, in ſecula ſeculorum laudabunt te.* Eſt ergo beatitudo videre deum, in quem deſiderant angeli proſpicere inceſſanter, ſine tædio viſum amare indefinenter, ſine faſtidio amatum indefeſsè laudare, ſine fatigatione, atq; de his in ineffabili cordis iubilo, gaudio inæſtimabili, ſine triſtiũ intermixtione in ſecula ſeculorum gaudere. Quod quia in hac vita plenè haberi non poteſt, illi cœleſti ciuitati dignè reſeruatur. Vnde rurſus Pſalmiſta: *Sicut lætantium omnium habitatio eſt in te.* Per hoc enim quòd non lætantium, ſed ſicut lætantium dicit, longè illud gaudium noſtro in hac vita ſuperexcellere oſtendit. Cum itaque plenè ac perfectè de viſione dei gaudio quod nemo tollere poteſt, gaudeant, quomodo rebus exterioribus delectari putabũtur, cum etiam in præſenti, vbi per ſpeculum, & in ænigmate gloria illa vix præguſtatur, nonnunquam ſancti contemplatione ſupernorum ſic ſubleuantur, vt omnibus ſenſibus proprijs officijs carentibus interna tantùm dulcedine ſuauiter afficiantur? Quare credendum non eſt, quòd etſi in cœlo nouo, & terra noua omnibus in melius mutatis, ſplendido decore cuncta clareſcant: tamen vt dictum eſt, ſanctos viſione ac laude creatoris ſui iocundantes, horum pulchritudine occupatos, ab illa lætitia reuocari. Nam quamuis iuxta Prophetam, tanta ibi claritas fiet lunæ, quanta nunc ſolis, ſoliſq; ſeptempliciter quanta nunc eſt: tamen alibi habes, q; ciuitas illa non eget ſole, neque luna, vt luceant in ea. Nam claritas dei illuminabit eam, & lucerna eius agnus eſt. Quòd ſi claritate dei illuminati, contemplationis, veræq; viſionis eius luce ineffabiliter perfuſi, ſupernis ad delectationis augmentum non egent luminaribus: multò minus inferioribus his, quibus ſenſus corporis (vt ſuprà dictum eſt) affici ſolent, ad delectamentum indigebunt. Quamuis non deſunt, qui dicant illam etiam ibi ad delectationem non deeſſe. Aiunt enim quòd omnimodis ibi delicijs affluant, & quanquam viſione dei plenè delectati, exteriora non deſiderent, illa tamen iſtam tanquam aſſeclæ aſſequantur: ſicut in ſanctorum libris nonnunquam ſecularis ſcientia, diuinam ſapientiam non affectata, tanquam pediſſequa comitari cognoſcitur. Erunt ergo hæc omnia ibi, ſi erunt, famulantia ad ornatum: ſed non erunt ibi ad neceſſitatis obſequium.

Beatitudo.

Ioan. 17.

Pſal. 84.

Ibidem.

Pſal. 87.

CAPVT

CAPVT XXXVI.

Qualiter deus videatur.

RESTAT indagare, Vtrum deus ibi corporis oculis simul & spiritalibus videatur, vel spiritalibus tantùm, iuxta illud: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Matth. 5. Quod nonnulli sic intelligunt, vt deum tantùm corde, tantùm etiam illic in suæ naturæ simplicissima puritate videndum asserant. Quibus intantum accommodatus videtur Augustinus, vt in libro de Ciuitate dei, dicat, durum esse credere, quòd illic oculos claudere non possimus: durius, vt clausis oculis deus ibi non videatur. Sed videndum est, multa in eodem opere prædictum patrem non sub assertione posuisse, sicut ipse testatur dicens: *Nam nec ego volo temerè credi cuncta quæ posui, quia nec à meipso ita creduntur, tanquam nulla de illis sit in mea cogitatione dubitatio.* Vnde cum de hac ipsa à cæteris redargueretur sententia, tanquam contra auctoritatem: *Quem visurus sum ipse, & non alius, & oculi mei conspecturi sunt,* dixerit: respondit se in hoc non peccasse, quòd deum istis oculis videndum negauit, cum aut ipsis non videatur, aut si videbitur, oculi illi nō sunt ipsi qui nunc sunt: quia longè in digniorem statum alterati. Quare non desunt, qui deum vtroque modo videndum affirmant. Dicunt enim plenam beatitudinem in visione dei consistere, à qua si tunc fraudarentur corpora, nequaquam sancti in vtroq; sed in spiritu tantùm summa beatitudine fruerentur. Nec multum ab hoc statu ille distaret, cum & nunc corporibus in terra putrescentibus, spiritus & animæ iustorum in cœlo deum videant. Nec repugnat quod dicitur: *Beati mundo corde, quia ipsi Deum videbunt:* quem profectò non impuri, sed soli mundi cordis videre merebuntur. Verum ergo est ex parte subiecti, solum mundo corde deum videre: sed non verum est ex parte prædicati, deum videbunt mundi corde solùm. Verbi gratia, verum est, Pater est solus deus: sed non est verum, solus pater est deus. In priori propositione ponitur alius deus non esse à patre, quod verum est: in secunda ponitur deus non esse alius à patre, quod falsum est: quia filius deus est, & alius à patre personaliter, sed non alius deus. quare & à theologis negatur Deus dici singularis, vel solitarius. Siue igitur mente tantùm, siue ad maiorem beatitudinis cumulum, vt duplici stola vestiti in vtroq; corpore scilicet ac spiritu saginati, vtrisq; deum oculis videant, hoc constat, quia reuelata facie ipsum sicut est videbunt: in ipso, & de ipso gaudebunt, ipsum in secula seculorum laudabunt. Hæc est octaua quæ sabbatum, vesperam non habēs, subsequitur, vel potiùs continuat. Hæc enim vespera non in noctem vergendo tenebrescit, sed in prima sabbati, quæ octaua non terminata animarum requie, sed receptis corporibus duplicata lucescit. Hæc requies ex requie, sabbatū ex sabbato, mēsis ex mense. Hæc erit in fine sine fine. En habes diuina sapientia maliciā semper vincendo, quàm fortiter à fine ad finē attingat, q̄ suauiter omnia disponat. Quid enim fortius, q̄ diabolo cum membris eius in abyssum putei inferioris præcipitato, ad supercœlestia gaudia membra sua perducere? Quid suauius, quàm cuncta hæc sine aliquo perturbationis motu peragere? A fine igitur ad finem, id est, à principio vsque ad consummationem, vnde Alpha & Ω vocatur, fortiter attingit: hoc est vtrisque diuersa meritorū stipendia iustè distribuit, vel à fine bonorum ad finem malorū. Vnde Propheta: *Qui sedes super cherubin, intueris abyssos.* Psal. 80. Sedet enim tanquam incommutabilis super altissima, & intueatur tanquam iustus discretor infima. Sedet, quia cum tranquillitate iudicando suauiter omnia disponit. Intuetur desuper Cherubin abyssos, quia à fine ad finem fortiter attingit. Attingit intuendo, iusteq; moderando finem: quo nihil inferius: à fine; quo nihil superius: finem; quo nihil amarius: à fine, quo nihil suauius: finem; quo nihil miserius: à fine; quo nihil beatius. Hæc est hæreditas seruorum dei. Ibi vt ait Augustinus, vacabimus, videbimus, amabimus, laudabimns. Erit autem iuxta Prophetam, nomen ciuitatis ex illa die, *Dominus ibidem.* Ezech. 48.

CAPVT XXXVII.

De fine vtriusq; ciuitatis.

HÆc de fine ciuitatis Christi, iuxta capacitatem sensus nostri, dicta sufficiant: in quibus (vt verbis vtar Dionysij) quædam prætermisimus, commensurationi sermonis prouidentes, simul & honorificantes secretum quod supra nos est, cum silentio. Est enim gloria regum, celare verbum: & maiestatem minuit, qui mystica vulgat. Noui quippe sic magna dici oportere, vt semper supersit, quod cum diligentia inquiratur: ne vile appareat, si totum vulgariter pandatur. Proinde sicut ea, quæ non de nostro sed Scripturarum sensu, quamuis inculto prolata eloquio, charitati tuæ deuotè offerimus: sic nolentibus & spernentibus impudenter non ingerimus. Nam vt supra de Augustino dixi, nonnulla ibi non sub assertione, sed opinione & inuestigatione posita sunt, finitiuæq; sententiæ examen prudentioribus relictum. Tuum verò erit minus dicta supplere, malè dicta corrigere, superflua resecare, meq; in hoc salo mundi peccatis oneratum laborantem, orationum tuarum remedijs subleuare.

CHRONICORVM OTTONIS LIBRI octaui & vltimi, FINIS.

EPILOGVS AD LECTOREM.

Epilogus hic in quibusdã codicibus reperitur.

Rogo autem te lector, si tamen præ domina inuidia audeas, ne huius Opusculi laborem vilipendas. Ego nẽpe vigilaui, vt tu dormires: ego laboraui, vt tu quiesceres: tuus solummodo labor erit, vt perlegendo intelligentia replearis, & scientia præditus clarus ab omnibus habearis. Si autem (quod magis spero) tabido corde & nebuloso his floscul is ornatè contextis liuidum dentem imprimis, & rosigerum sertum candidis liliis connexum, venenata lingua carpis: inuidia quidem te, vt proprium mancipium, caliginii ignorantiæ inuoluit: me autem benevolentia per lumen ad gloriam perducat.

II
OTTONIS DE S. BLASIO, AD LIBRVM SEPTIMVM CHRONICI OTTONIS FRISINGENSIS EPISCOPI, CONTINVATÆ historiæ Appendix, deducta in annum salutis M. C C. X.

Nunc primùm è tenebris in lucem prolata, ac typis edita.

DE CHRONICI OTTONIANI APPENDICE IVDICIVM.

ABSOLVTO *præsenti historicorum syntagmate, sic vt nihil obstare videretur, quò minus illud, vrgentibus typographis, officinæ committi posset: ecce vetusti duo Codices Ottonis Frisingensis, in membranas descripti, ad me perferuntur, quos è maioris templi Tigurini bibliotheca,* CL. *Theologus,* D. LVDOVICVS LAVATERVS, *amicus singularis, petenti mihi* φιλοφρόνως *cõmunicauit, vt eos cum editis exemplaribus, Pithœano præsertim, conferre possem. In eorũ altero, & quidem vetustioris capite adnotatum erat, librum eum duarum marcarum pretio æstimatum, à quodam M. Andrea, Sanpetrino eiusdẽ vrbis pastore, prædictæ ecclesiæ Canonicis, anno* ϑ Θεανθρώπου *1280, dono datum esse: è quo (vt videtur) cænobita quispiam familiæ Dominicanæ, domus Tigurinæ, alterum postea transcripserat. Collatis iis ad Ottonẽ editum, deprehendi, excusum manuscriptis pleniorem & emendatiorem: non tamen sine diuersitate, maximè quò ad capitũ distinctionem & seriem, in primis libro septimo. Codices enim Tigurini 15 & 16, similiter 22 & 23: item 24, 25, 26, 27 capita libri prædicti Ottonis impressi, in singula conducebant: postremum autem, de Religiosorum ordinibus, penitus omittebant. Præterea in ijsdem caput vicesimum nonũ tricesimo primo subijciebatur: deniq; in 31, 32, 33, 34 capitibus, nonnihil varia lectio cõspiciebatur. Atenim cum in Pithœano (vt dixi) pleniora essent omnia, nihil immutare visum est. Sequentia autem Appendicis s. capita, etsi sine vlla vel noui auctoris mentione, vel transitionis aut* δευτερογραφίας *nota præcedentibus subiuncta, librum octauum Chronici antecederent, quo nomine diutius latuisse, ipsosq; etiam possessores fefellisse videntur: ab Ottonis tamen episcopi contextu separare libuit, quòd certum sit, ea ab alio quopiam interserta esse. In iis enim rerũ per orbem gestarum, ac in primis Cæsarum historia, vsq; ad annum salutis 1210, quinquaginta quatuor annis post Frisingensis episcopi mortem, deducitur.*

Cogitanti autem mihi de Supplementi auctore, dubium protinus incidit, de Ottone à sancto Blasio, quem illustris Frisingæ præsulis Chronicõ continuasse, & circa annum 1190 floruisse, pridem legeram & audieram. Dumq; in ignoti vestigatione pergo, ac è contextu quasdã optatæ rei notas eruere conor, occurrere nonnullæ coniectationem meam verisimilem reddentes, nempe, quòd Appendicis τελεσιουργὸν, *illorum temporum, quorum historias tractat, æqualem, & patria Alemannum seu Sueuum fuisse, perspicuè colligere poteram. Iis verò ad certi hominis* σημείωσιν *neutiquam sufficientibus: Nauclerus tandem non ignobilis Scriptor, quem multis veteribus libris instructum fuisse constat, omnem hæsitandi scrupulum exemit, libro 2, generatione 39, vbi talia de Hugone comite Palatino Tubingensi, à Guelfone Bauaro in vincula tracto, itemq; de victoria archiepiscopi Moguntini proximè Tusculum à Romanis reportata, iisdem propemodum verbis refert, qualia in huius Continuationis 19 & 20 capitibus continẽtur: quas historias non aliunde quàm à Sanblasiano sumptas esse, Nauclerus disertè testatur. Cuius sanè viri auctoritas, & prædictorum locorum cum præsenti Appendice consensus, de auctore amplius dubitare non patiuntur.*

Eundem porrò Sanblasianum & alia quædam elucubrasse, Io. Heroldum, ciuem Basiliensem φιλάρχαιον, *testem producere possum, qui in epistola quadam ad Casparem primũ S. Blasij Abbatem scripta, & in neglecta multarum chartarum farragine abs me reperta, sic scribit.* Peruenit ad manus nostras liber, hoc titulo: Ottonis à sancto Blasio Chronica prima. Libri series omnes sacræ historiæ genealogias, ad Timotheum Titumq; Pauli discipulos vsque figuris pulchrè distinguit. Opus sanè & elegans & non contemnendum. Exordium eius sic sonat: Considerans historiæ sacræ prolixitatem, nec non & difficultatem, &c.

Est autem S. Blasius insigne monasterium ordinis Benedictini, proximè Albam fluuium Hercyniæ syluæ, in diœcesi Constantiensi, sub Ottone magno Imperatore inchoatum: è quo cùm fortè præsens scriptor prodierit, Sanblasianus dici voluit.

AD

AD LIBRVM SEPTIMVM CHRONICI OTTONIS EPISCOPI FRISINGENSIS, *incerti sed contemporanei auctoris*

APPENDIX.

CAPVT I.

ANNO Dominicæ incarnationis M. CXLVI, summus Pontifex Eugenius ecclesiæ transmarinæ paternè condolens, multos ad Ierosolymitanum iter accendit, ac venerabili Bernhardo Clareuallensi abbati onere prædicationis vice sui impositio, ex omnibus mundi partibus cismarinis innumerabilem exercitum coadunauit. Venerabilis itaque pater Bernhardus inductus virtute Spiritus ex alto, ad iniunctum sibi prædicationis officium non segniter accingitur, virtuteq; verbi, omni gladio ancipiti penetrabiliori, miraculorum comitante incomparabili gloria, totam Galliam & Germaniam peragrauit, & ad expeditionem transmarinam innumerabiles accendit.

CAPVT II.

ANNO dominicæ incarnationis M.CXLVII, Conradus rex, mortuo fratre suo Friderico Sueuorum duce, filio eiusdem nominis Ducatum cõcessit, ac pariter cum ipso crucc peregrinationis accepta, Ierosolymam adijt. Præterea Welfo dux, Hēricus Noricorum dux, & multi alij nostrarum partium principes, & episcopi cum innumerabili diuersæ conditionis exercitu, eandem viam aggressi, per Vngariam & Græciam iter arripuerunt, ac Francorum regi Ludouico cum multis principibus suæ gentis illuc tendenti cõsociantur. In itinere itaq; multa pericula passi, pluri misq; diuerso modo consumptis, Cunradus rex cum suis, mari emenso, Ptolemaidam applicuit, ac inde itinere terreno Ierosolymam veniens, cum maximo tripudio, à Patriarcha, à rege & vniuersis ciuibus suscipitur. Post hoc quoque Ludouico Francorum rege cum reliqua parte exercitus pari honore susceptо: contra Sarracenos procinctum mouent. Regione itaq; paganorum diuersis modis igne ferroq; profligata, Damascum obsidione cingunt, ipsam vrbem, paganis pro posse resistētibus, toto nisu impugnant. Itaq; pagani vim Christianorum non sustinentes, conditiones, militibus templi mediantibus, pro velle principum statuunt, sicq; obsidione soluta exercitus Christianorum discessit, ac Ierusalem veniens cum triumpho suscipitur.

Fridericus barbarossa Sueuorum dux.

Conradi Cæs. in Syriam expeditio.

His diebus Petrus Baiulardus praua de Trinitate dogmatizans, hæresin Arrianam resuscitare molitur: contra quem venerabilis abbas Bernhardus, velut contra ecclesiæ hostem, insurgens, viua voce scriptisq; ipsum magnificè conuincens, hæreticū probauit, scriptisq; eius synodaliter examinatis ab Apostolico & damnatis, ipsi de cætero silentium imposuit.

Petrus Abelardus.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 136:Leibn. Marg. 136, Stück 1, [215] - 197
PUBLIC DOMAIN

CAPVT III.

ANNO incarnationis Dominicæ M.C.XLVIII, Cunrado rege repatriante, Henricus Noricorum dux, filius Leopaldi, sororius Henrici imperatoris, frater Cunradi regis, filiam imperatoris Constantinopolitani, prius sibi in itinere desponsatam in matrimonium accepit, & ex ea Leopaldum, patrem Leopaldi ducis Orientalis & Friderici fratris sui, qui trans mare obijt, ducem strenuissimum, genuit. Hic Henricus dux bello cum Vngaris habito victor extitit, ipsosq; de terminis suis, multis ex eis occisis, gladio fugauit.

CAPVT IIII.

ANNO Dominicæ incarnationis M.C.LII, Chunradus rex moritur, eodem scilicet anno, quo hospitatus est in ciuitate Friburgẽsi, Spiram deportatus exequijs regalibus sepelitur, anno regni sui XV.

Gisilberti Pictauiensis scripta reprobata.

His temporibus Eugenius papa synodum episcoporum congregauit, cui per se præsidens, multaq; praua corrigens, inter cætera librum Gisilberti Pictauiensis episcopi suspectum, eo præsente examinauit, in quo super verba Boetij de Trinitate, sana quidem & canonica, malè commentatus est, hoc modo: *Pater est veritas, id est verus: Filius est veritas, id est verus: Spiritus sanctus veritas, id est verus. Et hi tres simul non tres veritates, sed vna veritas, id est vnus verus.* Quæ expositio Papæ cæterisq; episcopis peruersa visa est, omninoq; suspecta: quòd secundùm Augustinum, Deus non nisi ea magnitudine magnus est, quæ est quod ipse: & nõ nisi ea veritate verus est, quæ est quod ipse, alioquin illa erit maior magnitudo vel veritas, qua Deus magnus vel verus est, quàm ipse: quod fateri absurdissimum est. Hanc expositionem venerabilis abbas Bernhardus in libro suo super Cantica canticorum, capitulo LXXXI, sic correxit: *Pater est verus, id est veritas: Filius est verus, id est veritas, Spiritus sanctus verus, id est veritas.* Sicq; verbis tantùm transpositis, sanus est intellectus. Idem liber in nonnullis à vera fide visus est discrepare, & ideo synodaliter reprobatus & damnatus est, episcopo libri ipsius auctore humiliter consentiente, ipsumq; ore proprio damnante: sicq; solutum est Concilium.

CAPVT V.

ANNO Dominicæ incarnationis M.C.LIII, Fridericus dux Sueuorum, mortuo Conrado patruo suo, à principibus rex creatus, nonagesimus quartus ab Augusto regnauit. Eugenius papa obiit, cui Anastasius successit. Eodem anno piæ memoriæ beatissimus Bernhardus abbas Clarevallensis, doctor egregius, ac multorum monasteriorum pater, XIII Calend. Septembris migrauit ad Dominum.

Anastasius papa obijt, cui Adrianus successit, in ordine centesimus sexagesimus.

CAPVT VI.

ANNO Dominicæ incarnationis M.C.LIIII, Henricus dux Saxoniæ, filius auunculi Friderici regis, filius Henrici ex filia imperatoris Lotharij, ducatũ Noricum

Lis de ducatu Bauariæ sublata.

sui iuris hæreditate paterna affectans, cum Henrico filio Leopaldi, patruo Friderici regis qui eundem Ducatum beneficij loco à rege Cunrado acceperat, toto nisu contendit: Henrico non minore ambitione sibi resistente. Quorum litem Fridericus rex sedare cupiens, vtrunq; enim linea consanguinitatis tangebat, consilio Principum taliter definitum est, vt Marchia Orientalis, quæ prius ducatui Norico iure beneficij subiacuit, à Ducatu seiunctam, per se subsistens nulloque respectu iuris duci Bauariæ subiacens, Ducatus iure & nomine constaret, hocque Henricus filius Leopaldi Principis iure & Ducis nomine & honore sublimatus, contentus esset: ducatu Norico Henrico duci Saxoniæ cedente. Ad hęc vtroque consentiente, lite decisa, qui prius Marchio,

Austria Ducatus titulo decoratur.

Marchio, Dux Orientalis deinceps dictus est. Sicque Henricus fratruelis Welfonis ducatu Bauariæ & Saxoniæ potitus, hæreditatem paternam consequitur.

CAPVT VII.

ANNO Dominicæ incarnationis M.C.LV, Fridericus rex contra Ducem Polonorum procinctum mouens, regionem ipsius armata manu ingressus est: transitoq; præter spem quodam fluuio cum exercitu, regione deuastata, ipsum ad deditionem coëgit, ac censum iam per aliquot annos neglectum, reddere compellens, & expeditionem Italicam ipsi indicens, omnimodam subiectionem sacramento sibi firmari fecit. Quo promisso omnimode frustratus est. Nam post regressum regis periurus effectus, nec expeditioni interfuit, nec cætera quæ sacramentis firmauerat, custodiens, iram denuo regis promeruit. *Polonia Cæsari tributaria.*

Eodem anno dispositis pro voluntate sua in Gallia & Germania rebus vniuersis, Fridericus rex, contracto ex omnibus regni visceribus exercitu validissimo, procinctum mouit in Italiam: vbi multis pro libito consummatis, omnibusq; rebellibus subactis, Terdonam, quæ sola restabat, obsidione cinxit, expugnatamque cepit & destruxit. Exin ad Vrbem tendens, Romanis resistentibus vrbe arcetur, quos forti aggressione in breui expugnans, multis occisis, fauente sibi Adriano quarto Apostolico, vrbem ingreditur, ab eoque consecratus, Imperatoris & Augusti nomen, nonagesimus quartus ab Augusto, sortitur. Romanis interim seditione mota, cum exercitu Imperatoris confligentibus, tandem fugatis & victis ad deditionem coactis, omnibusque ibidem benè dispositis, suadentibus Colonienſi archiepiscopo, & Hermanno Constantienſi episcopo, & quibusdam aliis Principibus, ad vlteriora contra Wilhelmum filium Rogerij, qui Apuliam vsurpato regio nomine tenebat, progredi disposuit. Sed ab aliis dissuasus, hoc in posterum differens, ad cisalpina reuertitur: in quo itinere insidias à Veronensibus passus, ipsis non impunè talia licere necessariò iratus, sic ostendit. Ponte enim eius iussu ad transponēdum exercitum per Athesim fluuium à Veronensibus nauibus compactis structo: quidam Albericus ex ipsa ciuitate & aliunde latronum manu in immensum conflata, præparatis quibusdam natatilibus instrumentis, in superioribus fluminis insidias tetendit, vt parte exercitus fluuium transeunte, ipsi iisdem instrumentis compage nauium dissoluta, reliquam partem exercitus citra remanentem, pugna inuaderent. Sed sicut conatus eorum inuanum, sic euentus cessit in periculum. Machinati enim, vti dictum est, vbi statuerant Imperatorem inuadere, ipse iam copiis ex toto fluuio transpositis, progressus fuerat, iamq; cum omni exercitu ad Alpes tendebat. Illi itaq; per notum sibi compendium præcurrentes, in angustiis alpium, parte exercitus iam progressa, Imperatorem cum reliquis offendunt: ac nisi pecunia se redimat, viam sibi intercludi belloque congredi minantur. Imperator itaq; semper & vbiq; imperterritus, tale pactum cum latronibus Imperatorem inire dedecorosum existimans & hoc protestans, cum exercitus parte quæ substitit, restabat, ac se ad confligendum modis omnibus præparauit. Igitur Otto Palatinus de Witilisbach senior, pater Ludouici Ducis, qui postmodum Bauariæ dux effectus est, lectis de exercitu strenuis, valle gyrata, hostibus insciis, signo retecto, mōtana ascendit, ipsosq; à tergo signo dato cum clamore inuadens, in præcipitium compulit: sicq; omnibus morti datis, captos ex eis XII præcipuos Imperatori tradidit: ex quibus XI patibulo suspensi, vno dimisso, qui reliquos illaqueauerat. Imperator per vallem Tridentinam triumphans gloriosè repatriauit, iamque alpibus transmissis exercitum ad propria remisit. *Friderici inauguratio.* *Veronenses Imperatori viam præcludere tentant.*

CAPVT VIII.

ANNO Dominicæ incarnationis M.C.LVI, episcopus Lundonienſis, cum quodam alio episcopo collega suo, à Romana curia recedens, ac per Burgundiam repatriando iter faciens, à quibusdam capitur, rebusque omnibus denudatus, lucri gratia in custodiam mittitur, dissimulante Imperatore, querimoniamque pro *Lundonēsis episcopus in Burgundia capitur.*

hac re parui pendente. Qua de causſa dominus Apoſtolicus legatos ſuos ad Imperatorem miſit. Qui Biſuntium, vbi generalem curiam tunc temporis Imperator habebat, venientes, literas Apoſtolicas Imperatori coram Principibus repræſentant: in quibus pro diſſimulata captiuatione Lundonienſis epiſcopi redargutus, imperium de manu Apoſtolici ſe recepiſſe admonetur. Quo audito, Imperator & omnes præſentes Principes maxima indignatione accenſi, quòd quaſi iure beneficij ſub homagio Cæſarem imperium à ſe ſuſcepiſſe Papa gloriaretur: & cum clamoris maximo ſtrepitu in legatos omnes inuecti, vix manibus temperabant; indignum ducentes, tali contemptu Romanos gloriari. Vnus autem legatorum quaſi pro Apoſtolico loquēs, ſtolidiſſimè his ita reſpondit: Si ergo à domino Apoſtolico non habet, à quo habet? Quibus verbis commotus Otto Palatinus de Witilinsbach, qui gladium maieſtatis Imperatori aſtans tenebat, ipſo gladio euaginato impetu in Cardinalem facto, vix ab Imperatore retentus eſt, quin exitio Cardinalem dederit. Tandem multis iniuriis impetiti, à conſpectu Cæſaris eliminantur, diuertendiq; ad epiſcopia vel cœnobia quæſtus gratia, occaſione omnino interdicta, via regia Romam reuerti iubentur. Qui reuerſi, Apoſtolico iniuriam ſibi irrogatam conqueruntur, ſeque vix mortem euaſiſſe proteſtati ſunt. Imperator autem miſſis literis in omnes regni terminos, cunctis Principibus irrogatam imperio à Papa & Romanis calumniam, conqueſtus eſt, & vlciſci dedecus Imperij ſummopere nititur.

Papa legati in aula imperiali male tractati.

CAPVT IX.

ANNO ab incarnatione domini MCLVIII, Principes verentes, ne controuerſia inter regnum & ſacerdotium in immenſum conflata, Rempublicam inuolueret exitio, Apoſtolicum per epiſcopum Babinbergēſem & alios Romam directos, eadem de cauſſa conueniunt, & vt Imperatorem literis minoribus & aliis nunciis, de notabili priorum literarum arrogantia, ſe excuſans, placaret, dant conſilium. Apoſtolicus autem audiēs, nuntios Cæſaris, Cancellarium videlicet & Ottonem Palatinum Italiam intraſſe, negotiaq; imperij potenter diſponere (nam conuentus imperatorios abſque Imperatore, imò curias ſi dici fas eſt, cum Epiſcopis Italiæ, qui XV numero quodam conuentu congregati erant, & cum aliis Italiæ principibus celebrabant) timens quoque ſuperuenturum Cæſarem; ſalutifero eorum conſilio conſenſit, ac ſupplicibus literis, cum condigna ſalutatione, per idoneos legatos de obiectis ſe excuſans, mediantibus Principibus Cæſarem placauit, & à priori indignatione reuocatum, animo æquiorem reddidit: ſicq; Imperatoris ira contra Romanos excitata, ad tempus quieuit.

Papa Imperatorē placat.

CAPVT X.

CIRCA hæc tempora Fridericus Imperator generalem Curiam cū maxima Principum frequentia apud Conſtantiam habuit, ibiq; coram Hermanno epiſcopo in choro Cōſtantienſi, vxorem ſuam, filiam Marchionis de Vohiburch, Adelheidam nomine, cauſſa fornicationis ſæpius infamatam, repudiauit, eiq; poſtmodum filiam Reginboldi principis ac excellentiſſimi Comitis Burgundiæ, nomine Beatricem, ſuperduxit. Ex hac Beatrice genuit, Fridericum ducem Sueuiæ, Henricum Imperatorem, Cunradum ducem, Ottonem comitem Burgundiæ, Philippum regem, qui omnes in breui perierunt.

Fr. Imperator vxorem repudiat.

Liberi Imperatoris.

CAPVT XI.

ANNO dominicæ incarnationis MCLVIII, Fridericus contra Wilhelmum, Rogerij filium, inuaſorem Apuliæ, Calabriæ, Siciliæ, expeditionem inſtaurans, à Mediolanenſibus rebellantibus multis iniuriis affectus, in ipſos arma cōuertit, & per vallem Tridentinam ſubitò in Italiam exercitum duxit, ac ad plana perueniens, præcipuè Papienſium & Cremonenſium ope, Italico exercitu admodum roboratus, Mediolanenſes hoſtes pronunciauit, totaq; Liguria igne ferroq; profligata, Cremenſes Medio-

Mediolanensium fautores, obsidione cinxit: multisq; diebus diuersisque modis attritos, tandem per conditionem suscipiens, vt vita donati prouincia cederent. Ciuitate tradita, ipsam funditus euertit, ac deinde contra Mediolanenses aciem direxit. Itaque signis contra Mediolanum erectis, Imperatore nesciente mille de exercitu milites instructissimi contra Mediolanenses prorumpentes, ciues ante portas ad bellum ordinatos, offendunt. Quos incautè aggredientes, alacriter à ciuibus suscipiuntur, pugnaq; conserta, multis hinc inde occisis, milites Cæsariani, præ paucitate sui vim ciuiũ non ferentes, fugã ineunt. Quo peccato militum Cæsar irritatus, à vindicta vix se continuit, ac interdicta tali præsumptione in posterum, militibus data venia, vrbem obsidione vndiq; vallauit. Cecidit in hac congressione ex parte Cæsaris, Egebertus comes de Butingon & alij plures. Itaq; ciues Cæsaris industria vndiq; arctati, fortiter resistũt, ac illatum sibi damnum viriliter recompensantes, portis sæpiùs erumpunt, patratisq; hinc & inde præclaris facinoribus, hinc inde multis occisis, non sine maximo exercitus damno portis recipiuntur. Quadam enim eruptione cum Cæsarianis, vbi Italicis militibus obsidebantur, congressi, Wernherum Italicum Marchionem præstantissimum, cum multis aliis occiderunt, de cuius nomine dicitur adhuc, Wernheri marchia. Ex ipsis autem ciuibus quotidie multi passim machinis & congressionibus petimebantur, ac diuersa sorte pessundati, multis malis atterebantur.

Mediolanũ obsessum.

Marchia Wernheri.

Ciues itaq; Cæsaris impetum non sustinentes, arcta quippe obsidione, omnibusq; bellicorum instrumentorum machinis impugnatos, admodum attriuerat: conditiones pacis, mediãte Friderico duce de Rotinburch, Henrico duce Bauariæ & Saxonię, Bertolfo duce Zaringiæ, nec non & rege Bohemiæ, ab Imperatore quærunt, multoq; auri pondere imperatrici collato, nec non infinita pecunia Imperatori, vix impetratam pacem tali modo accipiunt. Pace data dies statuitur, in qua ciues se suaq; omnia in manus Cæsaris contraderent, sicque obtentu Principum gratiam eius inuenirent. Qua veniente, Imperator procul à ciuitate per quatuor fermè miliaria Latina secessit, inque tribunali ambitiosissimè instructo, cum frequentia Principum resedit, cuncto exercitu per turmas suas tractu longissimo à ciuitate vsque ad locum tribunalis extento, totiusque militaris gloriæ apparatu decentissimè instructo. Via itaq; per medium exercitum vsque ad Imperatorem ciuibus patefacta: primò procedit archiepiscopus, sacerdotalibus indutus, nudis pedibus, cum omni clero & cæteris ordinibus ecclesiasticis, simili habitu, lugubri facie reliquias sanctorum gestantes. Post hos Consules aliarumq; dignitatum barones, cum omnibus liberæ conditionis ordinibus, nudis pedibus, sagis induti, exertis gladiis collo impositis. Post hos seruilis conditionis cum omni vulgo torque collo innexo, eadem via suo quisq; ordine venientes, pedibus Imperatoris prouoluuntur, seque maiestatis reos verbis & gestibus profitentur. Principibus ergo pro eis supplicantibus, subiectioneque omnimoda sacramentis firmata: Imperator ad misericordiam flectitur, ipsosq; vitæ & ciuitati, pristinisq; honoribus redditos, de malis peiores (sicut in sequentibus ostendemus) reddidit: sicq; soluta obsidione cum exercitu discessit.

Mediolanenses Friderico se dedunt.

CAPVT XII.

His diebus Petrus Lombardus & Petrus manducator apud Parisios magistri insignes claruerunt, multaq; ecclesiæ profutura conscripserunt: è quibus Lõbardus librum Sententiarũ quatuor distinctionibus ordinatũ, confecit. In prima distinctione de Trinitate, quæ est, subtilissimè tractans: in secunda, de creatione rerum primordialium: in tertia, de incarnatione verbi: in quarta, de Sacramentis ecclesiasticis. Præter hæc in Apostolũ, nec non Psalterium continuas glosas luculenter admodum exposuit, Deoq; digna conuersatione degẽs, apud Parisios vita decessit. Librum scholasticæ historiæ vtilissimũ confecit, à principio Geneseos incipiẽs, Pentateuchũ, librũ Iosuæ, Iudicũq; & Ruth continuauit: libroq; Regum Paralipomenon includẽs, cum vltimis Esaiæ Tobiã complectitur, transmigratione cũ morte Godoliæ & visionibus Danielis descripta, Esdram, Hester, Iudith, librũq; Machabæorũ diligẽter persequitur. Exin Iosephum sequutus, à Iohanne Hircano vsq; ad regnum Herodis, natiuitatemq;

Liber Sententiarum P. Lõbardi.

Historia Scholastica.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 136:Leibn. Marg. 136, Stück 1, [219] - 201 PUBLIC DOMAIN

Christi historiam deducit, Euangelioque complexo in actibus Apostolorum post totum concludit: obscura quæq; dilucidans, ambigua certa faciens, traditionesque Hebraicas cum incidentiis historiarum notas faciens, ecclesiasticarum traditionum diuersas species inducit. Præter hæc librum sermonum mira subtilitate composuit, in quo præter alia vtilia, moralitatem mentibus mortalium miro modo inculcauit.

CAPVT XIII.

Schisma de Papatu.

ANNO dominicæ incarnationis, M.C.LX, Adriano Papa mortuo, factū est schisma in electione, quibusdam Octauianum Cardinalem, Victorem vocatum, eligentibus: aliis Ruolandum cancellarium, Alexandrum dictum, inthronisantibus. Diuisis itaq; tali schismate Cardinalibus, nouem numero in parte Victoris, vndecim in parte Alexandri consistentibus, res ad Imperatorem refertur. Qui habito Principum consilio, ab ipsis tale schisma maiestate imperatoria sedandum esse, data sententia generalem curiam omnibus regni Principibus, ad ineundum pro statu ecclesiæ concilium, Papię in epiphania indixit. Missisq; literis suis omnibus cismarinis regibus, vtpote regi Vngariæ, Angliæ, Daciæ, & omnibus regibus Hispanię, vt episcopos suorū regnorum ad hoc Concilium, pro status ecclesiæ necessitate, dirigerent, rogauit. Extant diuersæ ad diuersos vtriusq; partis de hac causa epistolæ, suū quæq; pars electū canonizare cupientium, sicut in gestis ad Ottonem Frisingensem episcopum plenariè describitur.

Concilium Papiæ pro schismate sedando.

NB.

Igitur ex omnibus mundi partibus ecclesiasticarum & secularium Principum personis, cum infinita multitudine clericorum, laicorum, nobilium siue ignobilium, ad hanc curiā Papiā confluentibus: concilio ab episcopis habito, exclusis primùm cū Imperatore laicis, Octauianus qui & Victor, cū sua parte, iudicio istius Concilij se præsentauit, seq; iudicium ecclesiæ humiliter subire profitetur. Ruolandus autem qui & Alexander cum sua parte se canonicè vtpote à maiori & saniori parte electum affirmans, nec summum pontificem à laico citari, omnesq; ipsius iudicio subiacere, & ipsum à nemine iudicari debere contestans, huic Concilio se absentauit, nec responsales aliquos pro se destinauit. Cuius absentatione Concilio præsidentes permoti, electionem domini Victoris canonicam iudicantes, Alexādro reprobato, ipsum in summum Pontificem, fauente Imperatore, omnibus præsentibus, receperunt: omniq; obedientiæ reuerentia ei exhibita, pedibus eius vtpote apostolici cum oblationibus osculatis, Concilium soluitur: ascendentiq; Imp. strepam pro sacerdotali reuerētia tenens, se fauorem & auctorem promotionis ipsius ostendit. Alexander autem cū maiori parte Cardinalium, vim Cæsaris nō sustinens, vrbe cessit, ac in partes Apuliæ, Calabrię & Sicilię, apostolica nihilominus vtēs auctoritate, se cōtulit, fautoresq; Victoris cū Concilio Papiensi detestans, in potestate Wilhelmi regis Siciliæ mansit aliquādiu.

Victor Papa à synodo approbatur.

CAPVT XIIII.

ANNO ab incarnatione domini M.C.LX, Fridericus Imperator conuocatis omnibus Italicis baronibus, generalem Curiam apud Roncaliam, cum maximo Principum conuentu celebrauit: ibiq; renouatis antiquis legibus, nouas de suo promulgauit, ac diuersis imperij negotiis expeditis, iura desueta in consuetudinem reduxit, & quo iuris genere ciuitates Italicæ subiacerent imperio, iudicialiter exquisiuit. Quod à Principibus & legum dominis diligenter examinatum, generali omnium sententia iudicatur: omnia regalia ciuitatum, vtpote monetas, telonea, nauigia, nec nō & dignitates potestatum, consulum, iudicium ad ius spectare imperij, electasque à ciuibus ad has dignitates personas, de manu Imperatoris iure beneficij easdem suscipere, nec sine eius consultu suspectas deponere. In hac etiam Curia, iam per multa tempora obliuioni & neglectui datos, ad x x millia talētorum annuos reditus imperio acquisiuit. Præterea vectigalia antiquitus constituta, nec non exactiones pro imperij necessitate exigendas in rationem Cæsaris, vbi, quando, & à quibus, & quomodo tractentur, decretum est, & edicto confirmatum.

Quo iure Italica vrbes imperio subsint.

Fridericus imperij iura in Italia renouat.

Ad quæ promulganda & instituēda nūcij imperiales per Italiā destinātur: inter quos præcipui

præcipui Cancellarius, Otto palatinus de Witilinsbach, Wido comes Blãderatensis, Gozuinus comes fuerũt. Qui peragratis eadẽ de causſa pluribus ciuitatibus, Mediolanum venerunt, conuocatisq; in concionẽ ciuib. decreta imperialia pandunt, & ad hæc exequenda constanter insistunt ciues, vtpote italium insueti, edicta imperialia spernunt, expulsisq; cum dedecore legatis, rebellionem toto nisu denuò moliuntur. Igitur legati vix fuga elapsi, ad Imperatorem redeuntes, suam iniuriã rebellionemq; Mediolanensium referunt, ipsumq; ad vlciscendum summopere incitauerunt. Qui nil moratus, ignominiam imperij principibus conquestus, militem instaurat, contra Mediolanum procinctum mouens, igne ferroq; cuncta demolitur. Liguribus itaq; pro posse resistentibus, Cæsar inito cum Papiensibus consilio, ipsos ad rapienda Mediolanensiũ in pascuis pecora immisit, se cũ lectissimis militibus in insidijs collocans. Papienses itaq; ad raptum pecorũ effusos eaq; abigentes, totis viribus Mediolanẽses insequuntur, Cæsarẽq; ordinatis legionibus ex insidijs erũpentem incidunt, eiq; necessitate cogente bello cõgrediuntur. Cuius impetũ ferocitatẽq; Teutonicorũ in acie non ferentes, multis occisis, quingentis & nobilioribus captis fugam ineunt, & se in ciuitatem recipiũt: sicq; Imperator victoria potitus, magnificè de Mediolanẽsibus triumphauit, ac castellũ Trecense, vbi præsidia eorũ fuerant, aggressum expugnauit, captisq; vel occisis castellanis, suos inibi collocauit. Ligures, Cęsare exinde digrediente, ciuitate effusi, expugnatum castellũ funditus diruunt, captisq; Cæsarianis, Latinos tormentis adactos occidunt, Teutonicis reseruatis.

Mediolanũ à fide Imp. defecit.

Clades Mediolanensiũ.

CAPVT XV.

ANNO Dominicæ incarnationis, M.C.LXI, Fridericus imperator vires Imperij omnibus Italicis, in Mediolanenses ostensurus, coacto in vnum exercitu, ad futurum certamen se modis omnibus præparauit: missisq; ad cisalpina literis, ex omnibus imperij finibus auxilia contraxit. Rex quoq; Vngariæ cohorte militum cum sagittarijs Cæsari missa exercitũ ampliauit. Itaq; ex diuersis regnis & regionibus exercitu coadunato, primò in auxiliarios Mediolanensiũ arma conuertit, ac Placentinos in multitudine turrium suarum confidentes, obsidione cinxit, fortiq; aggressione expugnatam, turribus vniuersis deiectis, ciuitatẽ ipsam solo coæquauit. Exinde ad Mantuanos diuertens, cunctis ad eos pertinentibus igne ferroq; profligatis, ipsos ad deditionem coẽgit, omnesq; ciuitates Mediolanẽsibus fauẽtes, aut dedi fecit, aut funditùs euertit: nouamq; Laudam inter Mediolanũ & Placentiam, ad receptionem exercitus à fundamentis ædificauit, & in ea sedem belli contra Mediolanenses constituit. Igitur Mediolanẽses vndiq; bello vidẽtes se impeti, futuris cladibus idoneos omnimodis se prę parant, fossatis, muris, turribus ac diuersis missilium machinis, armis, ac ciborum ad ferendam obsidionem necessarijs, ciuitatem suam totam industria muniunt, seq; ad resistendum summo nisu instruxerũt, sed inaniter. Nam animositatem Cæsaris pondusq; imperij ferre nõ prævalens, contra impetum fluminis conari esse periculosum, maiestatiq; non cedere stultum, Mediolanum ciuitas egregia caput Liguriæ, totiusq; Italiæ flos funditus euersa, liquidò demonstrauit.

Apparatus cõtra rebelles Mediolanenses.

CAPVT XVI.

ANNO incarnationis Dominicæ M.C.LXII, Imperatrix, comitante eam Cunrado Augustensi episcopo, nec non & Welfo dux, multiq; nostrarum partium nobiliores cum militia transalpinantes, imperatori coniunguntur, coactoq; in vnũ corpus exercitu, & ad c millia pugnatorũ computato: Mediolanũ denuò obsidione cingitur, ac diuersis magnis tota industria impugnatur. Ciues autem necessitate cogente (nihil quippe necessitate pugnacius) pro patria, pro parẽtib. pro liberis & vxoribus, postremò pro vita, sæpiùs audacissimis erũpẽtes incursib. fortiter resistũt: missilibus insuper sagittis, iaculis de propugnaculis hostes arcẽtes. Cæsar autẽ dispositis vndiq; cõtra incursus eorum pręsidijs, ipsos diuersis missilium machinis, balistis, arietibus, omniq; telorũ genere aggreditur, militibus in cõspectu Cæsaris pro gloria, honore, præmio, ambitione, ostentatione alacriter pugnantibus, multis hinc inde passim procũbentibus. Tandem diuersis attriti cladibus, miseri ciues dextras petunt, ac multis modis

Secunda Mediolani obsidio.

iram Cæſaris ſedare tentantes, nullo modo niſi hac ſola cõditione proficiunt, ſcilicet, vt traditis armis vrbem relinquẽtes egrediantur, vita tantum rebusq; neceſſariis, licet exiguis, ſibi indultis. Quo pacto accepto, cũ maximo luctu egreſſi, hoſtibus ciuitatem relinquunt, ac ſub oculis dilecta mœnia omnimodis deſtrui cõſpiciũt. Ingreſſus enim Imperator cum toto exercitu, immenſa ac ditiſſima ſpolia, in eccleſiaſticis theſauris aliisq; rebus pretioſis, diripuit, reliquiisq; ſanctorũ, quibus hęc ciuitas egregiè nobilitata fuit, per eccleſias collectis, ac cũ magna reuerentia aſportatis: tres Magos, qui cum muneribus ſtella duce Chriſtum in cunabulis adorauerunt, inibi inuẽtos, Reginoldo Colonienſi epiſcopo, qui in hac obſidione cum ſua militia præcipuè claruit, dono dedit: quos venerabilis Pontifex ad ciſalpina trãsferens, Colonienſi eccleſię intulit, hisq; patronis totam Germaniã illuſtrans, vniuerſam Teutonicorũ gentem magnificè nobilitauit. Incorrupti enim & quaſi adhuc viui in ſingulis de pretioſo metallo ſarcophagis, in eadem eccleſia hactenus reſeruatur. Igitur Cæſare, vt præſcriptum eſt, Mediolanum ingreſſo, nunc diruto, turribus deiectis, totam ciuitatẽ à fundamentis ac omnibus modis inhabitabilẽ reddens, igne poſtremò reliquias omnino conſumſit, diuiſisq; in quatuor partes ciuibus, regione inculta ipſis ad inhabitandũ conceſſa, quatuor eos oppida ædificare iuſſit, ipſosq; vti dictum eſt, per partes diuiſos ea incolere fecit.

Mediolanũ ſubuertitur.

Tres Magi Colonſam deportati.

Igitur confecto bello Ligurico, Imperator Principibus grates pro induſtria referens, militibusq; dona pro meritis liberaliter largiens, nobili triumpho repatriauit, ac multis diebus deſolatam ſua præſentia Germaniam, cum inæſtimabili totius exercitus tripudio, demum reuiſit, ac aliquandiu cis alpes manens, colloquia diuerſa in diuerſis regni locis pro negociis imperij cum Principibus habens, cuncta pro libito benè diſpoſuit, ac iudicia exercuit.

CAPVT XVII.

Tertia Imperatoris in Italiam profectio.

ANNO Dominicæ incarnationis M.C.LXIII, Fridericus imperator tertia vice, ſed ſine inſtructu bellico, Italiam ingreditur, ibiq; ſicut & in Germania diuerſis placitis, cum Italicis baronibus per loca habitis, negotia imperij inducialiter exercuit, ac per aliquod tempus cum eis quietus permanſit.

CAPVT XVIII.

ANNO Dominicæ incarnationis M.C.LXIIII, Victore vno Pontificum Romæ defuncto, Paſchalis ab his, à quibus & Victor prius electus eſt, ſubſtituitur, Alexãdro adhuc ſedente. Eodem anno Hugo Palatinus de Tuingin tres latrones, quorum duo ſui homines erant, tertius ducis Welfonis, apud Moringen capiens, ſuos abire permiſit, ſuſpenſo illo qui Welfonis erat. Pro quo Welfiunior permotus, maxima indignitate in Palatinum exarſit, & igne ferroq; acceptam iniuriam vlciſcitur. Palatinus itaq; à Duce arctatus, ad Fridericum ducem de Rotinburch, filium Cunradi regis ſe contulit, auxiliumq; eius contra Welfonem nanciſcitur. Igitur Welf Bertoldo duce de Zeringin in adiutoriũ aſcito, ac ab vtroq; ſummo ſtudio exercitu cõgregato, contra Palatinum & ducem Fridericum procinctum mouent, ipſosq; apud Tuingin inuadunt, à quibus non ſegniter excipiuntur cum expeditis militibus: conſertaq; pugna Duces à Palatino fugantur, captis de eorum exercitu nongentis militibus. Quo infortunio filij Welf ſenior inflammatus, militem inſtaurat, veniẽteq; Bertoldo duce cum militia ſibi in adiutorium, cunctis rebus Palatini igne ferroq; profligatis, caſtrũ Chelmuntz obſedit, ac poſt aliquot dies expugnatũ funditus deſtruxit. Exinde ad caſtrum Hildratshuſin diuertens, ſimili modo expugnatum deſtruxit, ac inde per Gilſtin trãſiens, turres eccleſiæ pro caſtello munitas à fundamẽtis euertit. Deinde caſtrum Wilare obſidione circundedit, vbi aliquantiſper moratus, caſtrum forti aggreſſione captum, deſtruxit, omnibusq; Palatini prorſus igne conſumptis, dimiſſo duce Bertolfo, cum victoria in Sueuiam rediit. Interim dux Fridericus de Rotinburch, educto Bohemico exercitu, Welfonem inſequitur, ac apud Gaizibron morantem, primæ noctis vigilia de repente facto incurſu, Welfonem expergefactum cum ſuis in caſtrum Rauensburch fugauit. Sed non impunè ceſſit eis hæc temeritas. Nam quidam de nobiliſſimis

Bellũ inter Sueuos & Palatinos.

bilissimis Bohemicis baronibus Henricus de Landsberch in ipso impetu occiditur, inibiq; cum maximo planctu à suis sepelitur: succensisq; quibusdam Welfonis territoriis, ad propria reuertuntur.

CAPVT XIX.

ANno incarnationis Dominicæ M.C.LXV, auditis per Principes in cisalpinis partibus regni deuastationibus, Fridericus imperator ex Italia regreditur, eiusq; iussu dimissis à Palatino captiuis militibus Welfonis, generalis curia in quadragesima apud Vlmam principibus indicitur. Quo Welf cum fratruele suo Henrico duce Saxoniæ & Bauariæ, & Bertolfo duce de Zeringin, ac multis aliis terræ maioribus, perueniẽs, ab Imperatore honorificè cum filio suscipitur: ac Palatinus, vt sine omni conditione in manus ipsorum se tradat, pro iniuria ipsis illata, aut regno cedat, ab Imperatore iubetur. Qui tribus vicibus corã duce Welfin terram cortuẽs, ipso suscipere dedignante, tandem receptus capitur, captusq; in exilium Rhetiam Curiensem, ad castrum Nuinburch transportatur. Sicq; Welfone placato, Imperator inde digreditur.

Hugo Tubingensis à Cæsare in vincula conijcitur.

CAPVT XX.

ANno incarnationis Dominicæ M. C. LXVI, Fridericus Imperator sedata, vti dictum est, Principum controuersia, ac bene dispositis in Germania rebus, ex omnibus regni visceribus congregato exercitu Alpes iam quarta vice transcendens, procinctum mouet in Italiam, indeque Apenninum transiens, ac per Tusciam exercitum ducens, in Marchiam Anconitanam diuertit, & Anconam vrbem rebellem obsidione cinxit. Interea Reginoldus Colonien sis archiepiscopus, antea pro negotiis imperij ab eo digressus, dum cum sua militia rediret ad Cæsarem, in castrum Tusculanense iuxta Romam aliqua tractaturus diuertit. Quod ab exploratoribus Romæ compertum, Romani tota vrbe effusi, & ad XXX millia pugnatorum computati, archiepiscopum in castro, in ignominiam Cæsaris, obsidione repente cõcludunt. Quod Imperatori Anconę nuntiatum, conuocatis Principibus, vtrum episcopo dimissa Anconitana obsidione subueniendum esset nec ne, consuluit: quod à quibusdam Principibus & maximè laicis, sinistram famam de obsidione soluenda metuentibus, dissuadetur. Hac dissuasione Principum egregius archiepiscopus Magũtiæ Christianus accensus, indigneq; ferens, quòd laici Principes se & suos compares ita paruipensos periculo relinquerent: conuocatis suis aliis, quos prece vel pretio potuit adipisci, quingentos milites & Cæsarianos octingentos, ad bellum instructissimos, coadunauit, sicque contra Romanos versus Tusculanum, ad liberandum archiepiscopum, iter flectit. Quo perueniens, locatis ex opposito illorum castris, Romanos ea die, tantum ad quietem exercitus sui, pro pace per internuncios interpellat, virtutem liberalitatis antiquorum Romanorum eis ad memoriam reducens, per hoc postulata ab eis adipisci existimãs. Ipsi autem in his & in aliis omnibus antiquis omnino dissimiles, se nolle acquiescere postulatis, respondẽt: sed ipsum omnemq; eius exercitum volucribus cœli & bestijs terræ in escam super faciem terræ ea die se daturos, arrogantissime minantur: & sic dimissa obsidione, XXX millia pugnatorum cõtra quingentos milites Teutonicos, in aciem deducunt. Archiepiscopus autem tali respõso ab eis recepto, nequaquam territus, nec enim inexpers fuit ante laborum, suos quamuis respectu illorum paucissimos, sed tamen admodum exercitatos, ad bellum promissis, minis, tota industria hortatur, & ne spem in fugam ponant, vtpote à patria & exercitu Imperatoris, ad quam confugiant, remotissimi, sed genuinæ fortitudinis suæ, & innatæ hostium ignauiæ memores, pro vita totis viribus decertent, exhortando magnanimiter concionatur.

Quarta Imperatoris in Italiam profectio.

Moguntinus Coloniensi liberãdo se accingit.

Videns autem milites Teutonica animositate alacres (nam hortatu eius insuperabilis quodammodo alacritas mẽti eorum incidit) acies ordinant, & qui primi committant, qui consertos hostes à latere irrumpant, qui subsidia pondere prælij laborantibus ferant, semetipsum ad ferenda cũ lectissimis subsidia collocans, ordinanter dis-

Romanorũ exercitus à Moguntino funditur.

ponit. Et sic signis erectis, extensisq; in longum cohortibus, Deo spem suam committens, contra Romanos ad bellum procedit. Archiepiscopus autem Coloniensis cum castellanis & suis omnibus, qui ad c c c milites benè armis instructos erant computati, ad subueniendum se modis omnibus pręparauit, & in castro vsq; ad cõgressionem silẽter delituit. Igitur bello commisso, fractisq; primitus militari concursu lanceis, res gladijs agitur: sagittarijs partis vtriusq; sagittis lucem diei in modum niuium obtenebrantibus. Et ecce Coloniensis cum expeditis militibus castello erumpens Romanos à tergo inuadit, eisq; fortiter cædendo instat: sicque bello ante & retro circundati, vndiq; impugnantur. Romanis itaque tantum multitudinis impressione pugnantibus, Christianus episcopus cum suis aciem illorum à latere irrupit, eosq; medio tenus diuidens, tribus in locis artificialiter disiunctos cecidit. Itaq; multis occisis, pluribus captis, Romani superati, fugam ineunt, ac vrbem versus à victoribus insequuti, cruentissima cæde mactantur. Præsules itaq; militibus à cæde reuocatis, ad locum belli redeunt, ac cum maxima lætitia triumphantes, noctem illam duxerunt.

XV millia Romanorũ occisa.

Mane facto, Romani ad tollẽda cadauera occisorum, ad locum belli properantes, per Pręsules, immissis in eos militibus, fugantur: reuersiq; ad Vrbem, vix euadunt. Tandem missis ad Præsules nuncijs, vt amore sancti Petri & respectu Christianitatis eis mortuos suos tollere liceret, suppliciter obsecrant. Quod à præsulibus hac conditione est concessum, scilicet vt occisorum vel captiuorum eo prælio numerum ex sua parte computantes, sub attestatione iurisiurandi ipsis scripto præsentarent, & sic demum pace data, mortuos suos ad sepulturam tollerent. Qua computatione facta, inuenerunt occisorum seu captiuorum de suis hoc prælio numeratorum ad x v millia: dataq; licentia, cadauera occisorum demum cum maximo eiulatu tollentes, sepelierunt.

Roma à Friderico vi capta.

His auditis apud Anconam Cæsar & omnis exercitus, Ancona dedititia facta, soluta obsidione contra vrbẽ cum copijs tendunt, ipsam forti aggressione impugnantes. Ciues itaq; superiori bello exhausti & viribus eneruati, inprimis vtcũq; mœnia defendentes, Cæsari totis viribus vrbem irrumpenti, maxima suorum clade accepta, cedunt, & ad ecclesias & ad quæque munita confugiunt: præcipuè ad sanctam Mariam ante sanctum Petrum, & ad ecclesiam beati Petri (quæ quasi castelli vice munierant) cõgregati, denuò pro posse resistũt. Milites autẽ Cęsaris ecclesias armata manu aggressi, valuas ecclesię beati Petri in securi & ascia deiecerũt, ipsamq; ductore Friderico de Rotinburch, infesta signa vsq; ad altare ferente, occisione multorũ polluerunt: sed & ecclesiam beatæ Mariæ igne succendentes, profligatis occisione siue captiuitate inibi repertis, multa rapientes spolia profanauerunt: vt breui illud Psalmistę ad literam impletum esse videatur: *Quasi in sylua lignorum securibus exciderunt ianuas eius in idipsum, in securi & ascia deiecerunt eam: Incenderunt igni sanctuarium tuum in terra, polluerunt tabernaculum nominis tui.* Facta est hæc irruptio vrbis per Fridericum Cæsarem, in Iulio mense, anno ab incarnatione Domini, M.C.LXVI.

Psal. 74.

Cæsar itaq; hac vtinam non consequuta victoria potitus, coronata Imperatrice ab vrbe recedit, statimq; pestilentia tactum exercitum penè omninò extinxit. Nam à maioribus incipiens, iuxta illud Ezechielis: *A sanctuario meo incipite*, primò in mortem principum grassans, consumptoq; in principibus capite, deinde in reliquum corpus desæuiit dira pestis. Nam Reginoldus archiepiscopus Coloniensis, & Eberhardus Ratisponensis, & Godefridus Spirẽsis episcopi obierunt. Pręterea in partibus Tuscię, dux Fridericus de Rotinburch, filius Cunradi regis, Berengerus princeps de Sultzbach, & antea apud Sienem Welf iunior, Welfonis ducis filius, cum aliis principibus, comitibus, liberis, principumq; ministerialibus, cum multitudine vulgi de exercitu hac pestilentia tacti, occubuerunt. Ossa itaq; Welfonis in Alemanniã translata, à patre Welfone cunctisq; ipsius terræ maioribus apud Staingadin cum maximo planctu reconduntur, nec non & Frid. ducis de Rotinburch simili modo apud Hebera tumulantur.

Ezech. 9. Pestis Imp. exercitum populatur.

Staingaden cœnobium ord. Præmonst. diœcesis August.

Videntes Mediolanenses vires Augusti in exterminio exercitus concidisse: mutatione rerũ animati pręsente Augusto in sua vicinia, ex omnibus quibus dispersi erãt locis congregati, ad ruinas vrbis suæ conuersi sunt, ipsamq; totis nisibus ac sumptibus reædificauerũt. Imperator verò morte suorum quamuis sauciatus admodum, tamen ignomi-

ignominiam talem à Mediolanensibus sibi exhibitam, ex necessitate temporis nõ dissimulauit: sed per episcopatum ipsorum transiens, cuncta igne ferroq; profligauit. Ipsi verò iniurias suas vlcisci cupientes, Imperatorem ad montana tendẽtem, armati insequuntur. Apprehendẽs itaq; Imperator obsides, quos ab eis acceperat, dum Mediolanum eorũ ciuitatem subuerteret, eosq; in locis diuersis suspendi præcepit. Quos cum Cæsarem insequentes inuenissent suspensos, nimio terrore perculsi, vnusquisq; cadauer chari sui cum lamento reducens, Cæsarem insequi omiserunt.

Obsides Mediolanensiũ suspenduntur.

Veniens igitur Imperator in ciuitatem Susam, quæ sita est in ingressu Alpium, fraude ciuium occidi tentabatur. Ipse autem ab hospite suo pręmonitus, dolos eorum sic euasit. Ipsa enim nocte, cùm mane ad mortem quærendus esset à ciuibus, militem quendam sibi similem, nomine Hartmannum de Sibeneich, in lectu suo collocari fecit, & ipse in habitu serui cum duobus egressus est. Mane autem facto, ciues venientes Imperatorem quærebant, & responso accepto à cubiculariis, eum dormire, moram non patientes, fores effringunt, ipsoq; non inuento, cognouerunt eum effugisse. Dissimulata itaq; ira propter metum Imperatoris elapsi, exercitũ abire permiserunt, sicq; euadens Imperator, transcensis Alpibus exercitum morte, morbo, omniq́ue miseria confectum, in patriam reduxit. Et cum post hæc in Italiam rediisset, prædictam ciuitatem Susam funditus euertit.

Cæsaris periculum.

CAPVT XXI.

ANNO dominicæ incarnationis M.C.LXVII, Paschali papa defuncto, Calixtus ab his, à quibus prius Paschalis & Victor, substituitur, Alexãdro in potestate sui vsq; adhuc consistente. Eodem tempore Fridericus Imperator reuersus ad cisalpina, totam terram & vniuersam substãtiam Friderici de Rotinburch ditissimi, fidelis in possessione prædiorum Principis fratruelis sui, hęreditaria possessione possedit, ac multorum baronum possessiones postmodum in suam potestatem cõtraxit. Welf verò dux orbatus hærede in amisso filio, tactusq; dolore cordis intrinsecus, Henricum ducem Saxoniæ & Bauariæ fratruelem suum in hæredem adsciuit: ab eoq; pro hoc quantitatem pecuniæ exigẽs, dum consequi putat, frustratur promissis. Dux.n. Henricus quorundam prauorũ consilio, Welfonem iam grandæuũ citò moriturum præsagiens, argentũ pro constituto dare distulit. Welf iratus, Imperatori Frid.* sororio suo, recepta ab eo prius pro libito suo pecunia, primo beneficiis, scilicet ducatu Spoleti, Marchia Tusciæ, principatu Sardiniæ ipsi resignatis, omnia prædia sua ipsi cõdidit, eaq; vsq; ad terminũ vitæ pluribus aliis abditis recepit. Simili modo Rudolfus comes de Phullendorf, sororius comitis Rudolfi de Bregantia, omnia prædia sua hæredis loco Imperatori tradidit. Pro his Imperator Alberto comiti de Habsburch, qui filiã comitis Rudolfi in matrimonio habebat, concessit Turicensem comitatũ, & aduocatiam Seckingensis ecclesiæ, cum prædiis conquisitis de Biedertan. Præter hæc multorũ nobilium, qui hæredibus carebant, prædia, donatione vel pretio acquisiuit: vtpote illius de Suabegg, de Warthusin, de Bibra, de Horningen, de Swanhusin, de Biedertan, de Lenzeburch & de Werde, multorumq; aliorum in aliis regionibus, quæ nobis incerta sunt. Hæc enim omnia in sola Alemannia acquisierat.

Imperator Frid. de Rotinburch succedit.

** i. filio sororis.*

Comitatus Phullẽdorf.

Præter hæc Burgundiam ingressus, terram soceri sui Reginaldi comitis, qui iã obierat, in ditionem suam redegit, ac regnum Burgundiæ cũ archisolio Arelatensi, quod duces de Zeringen quamuis sine fructu, tantũ honore nominis iure beneficij, ab imperio iam diu tenuerant, à Bertolfo duce extorsit: præstitis sibi trium episcopatuũ aduocatia, cum inuestitura regalium, sc. Lausanensis, Geneuensis, Sedunensis. Supradictorum etiam aliorum, quorũ prædia in ius Cęsaris cesserant, omnia beneficia quæ ab ecclesiasticis Principibus, episcopis, abbatibus sub hominio habuerant, filiis suis præstari faciens, pacatiuè possedit, liberosq; suos omnes literis apprimè erudiri faciẽs, eos facultatibus reddituum, excellentiis dignitatũ per sortitas prouincias delegaliter sublimauit. Nam Friderico, qui secundus natu erat filiorũ, ducatu Sueuiæ cũ hæreditate Welfonis, & prędiis Rudolfi comitis de Phullendorf, concesso: Cunrado verò dignitatibus, beneficiis & prædiis Friderici ducis de Rotinburch ditato, Ottone archisolio

Regnum Arelatense.

Imperator filiis terras suas distribuit.

Arelatensi cum Burgundia, Reinaldi aui sui terra, sublimato, Henricũ, qui prior natu erat, regem post se designauit. Philippo adhuc infantulo, præter hæc omnia, res ecclesiarum ab episcopis vel abbatibus sibi concessas vendicans sub iure hominij. Multa amore filiorum contraxit, quibus singulos cum delegata sibi dignitate admodũ ditauit.

CAPVT XXII.

ANNO dominicæ incarnationis, M. C. LXX, Mediolanenses animum Imperatoris sæpius experti, ipsumq; pro præsumptione reædificatæ ciuitatis suæ nimium metuentes, omnibus Italię ciuitatibus cõfœderati, pręter Cumanos, Papien. Cremonen. cũ aliquibus ciuitatibus sibi fauentibus, qui cũ Imp. sentiebant, ad futurã imperatoriæ vltionis cladem se modis omnibus præparabant: spretoq; in ignominiã Cæsaris pontifice Calixto, Alexandro Papę iã diu exuli obedientia firmata, ipsoq; in Apostolicum suscepto, subiiciuntur, ac territorium Palẽse fossatis firmissimis & profundissimis cingentes, adductis electis ex omnibus sibi fauentium ciuitatum burgẽsibus in hanc colonis, ciuitatem firmissimã, vtpote paludibus vndiq; circundatam, non procul à Vercellis, Alexandriam, Alexandri Papæ nomine nuncupatam, construxerunt, ipsamq; cibariis, omnibusq; ad futuram obsidionẽ necessariis abundãtissimè cõfertam, ad sustinendam imperij vim, ac econtra vires totius Italiæ demonstrandas, studiosissimè munierunt. Imperator itaq; his compertis, eis non impunè talia licere, dignum necessariumq; existimans, vndiq; contracto validissimo exercitu, quinta iam vice Italiam ingreditur, confluentibusq; ad eum ciuitatibus auxiliariis, procinctum Alexandriam versus mouit, ipsamq; ciuitatem obsidione cinxit.

Alexandria condita.

Cæsaris quinta expeditio in Italiam.

CAPVT XXIII.

ANNO dominicæ incarnationis M. C. LXXI, obsessa est ciuitas. Hæc obsidio nulli priorum comparanda, tum loci munitione, tum ciuium resistentium atrocitate, tum militum Cęsarianorũ oppressione & occisione, tum temporis diuturnitate. Nihil enim calamitati & periculis idoneum hic defuit: nihil patrandis in alterutrum immanissimis facinoribus impediens fuit. Nam Cæsare forinsecus balistis, arietibus, missilibus, omniq; telorum genere, ac diuersis machinarum instrumentis, turribus insuper ligno cõpactis ciuitate supereminẽtibus admotis, impositis militibus & sagittariis fortiter vrbem impugnante obsessi, non minori virtute & industria similiũ machinarum instrumentis illatũ sibi damnũ recõpensantes, magnanimiter vindicabãt: ac sæpissimè ordinatis agminibus portis erumpentes, Cæsarianis gladiotenus congrediebantur, sępe repentinis incursibus maxima patratis audacia, hostes adoriebantur.

Interea Mediolanenses & Veronenses conflato ex ciuitatibus sibi fauentibus exercitu, cum Cæsare in obsidione ciuitatis posito, congredi statuerunt, vt & his qui obsidione premebantur opportunè occurrerent, & rursus ab eis adiuti faciliùs Imperatorem superarent. Quo comperto, Cęsar obsidionem soluit, & à ciuitate recessit, quoniam eã superare nequiuit. Ciues enim turres ligneas, quas Cæsar ad expugnationem ipsorum fecerat, cum armatis desuper consistentibus, per suffossionem his deiectis, igni concremârunt, magnumq; ex hoc detrimentum exercitui intulerunt.

Obsidio Alexandria solustur.

Cæsar itaq; omnem reliquum apparatum, quem ad expugnationem ciuitatis fecerat, scilicet talpas, vulpeculas, ericios, cattos (talibus enim censentur nominibus) exuri præcepit, venientiq; exercitui obuiam processit, vt ante videlicet cum eis congrederetur, quàm cum Alexandrinis coniungeretur. Cum itaq; iam ad inuicem propinquassent, Italici Teutonicorum metuentes audaciam, missis ad Principes nunciis Cęsarem de pace rogabant, se suaq; omnia dedentes. Cæsar igitur paci studẽs, eos in gratiam recipere statuit. Ipsi igitur se suaq; omnia in manus Cæsaris offerentes, dediticios rursus ostendit. Principibus igitur pro eis supplicantibus, subiectioneq; omnimoda sacramentis firmata, in gratiã Imperatoris recipiuntur. Cæsar igitur cũ exercitu Papiam se recepit. Italicis ad sua loca remeãtibus, rege verò Bohemiæ cũ suis repatriante. Imp. cũ consiliariis suis cepit tractare, quomodo ciuitates, quas in gratiam receperat, disponeret, vt imperialia decreta conseruarent, definitoque consilio, nuncios suos ad hæc promouenda direxit.

Lombardi Cæsari se dedunt.

Medio-

Mediolanenſes itaq; videntes exercitum Cæſaris defluxiſſe, rurſus rebellare prę- *Mediolanẽſes iterum Cæſari reſiſtunt.*
ſumunt. Imperator igitur anguſtatus legatos in Germaniam pro ſupplemento exercitus direxit, ſimulq; ad Henricum auunculi ſui filium, ducem Saxoniæ & Bauariæ, vt Clauennæ ad colloquiũ ſibi occurreret: venientiq; obuiam procedens, vt periclitanti imperio ſubueniret, plus quàm imperialem decet maieſtatem, humiliter efflagitauit. Dux igitur Henricus, vtpote ſolus ad ſubueniendum imperio hoc tempore potentia & opulentia idoneus, Goſlariam ditiſſimam Saxoniæ ciuitatem iure beneficij pro donatiuo ad hoc expetiit. Cæſar autem tale beneficium ſibi inuito extorqueri ignominioſum exiſtimans, minimè cõſenſit. Pro quo Henricus iratus ipſum in periculo conſtitutum recedens reliquit. *Henricus Bauarus Cæſari auxilium denegat.*

Imperator verò Papiam ingrediens, ipſos & Cremonenſis cum Cumanis toto ſtudio ad bellum ingruens confortauit. At illi congregata militia hoſtes alacriter prę- *Cæſar à Lõbardis infiſtolantur. Igitur Wormatienſis epiſcopus cum aliis baronibus de inferioribus Rheni* *gam agitur.*
partibus in Italiam tranſiens, cum inſtructa militia Cæſari cõiungitur, ordinataq; acie hoſtibus ex aduerſo cum infinito exercitu conſiſtentibus (nam ad c millia pugnatorum computabantur) bellum committitur: freti Italici multitudine, Cęſare aũt peritia cum fortitudine. Itaq; Cæſarianis alacriter pugnantibus, ac iam de victoria ſperantibus, acies Brixienſium in inſidiis ad ſubſidium collocata, repente erupit, exercitumq; Cæſaris à latere irrumpens, diſiunxit, ipſumq; multis captis vel occiſis, fugere coëgit. Ligures itaq; nobili victoria potiti, fugientes, Cæſare vix euadente, perſequuntur, ſpoliisq; egregiè ditati. Capti ſunt hoc bello præter alios de Cumanis fere quingenti, multiq; de Teutonicis. Quo infortunio Cæſar accepto, in ciuitatibus ſibi ſubditis ſe recepit. Mortuo interim Calixto Papa ſchiſmatico, epiſcopi Germaniæ de concordia imperij & ſacerdotij Imperatorem alloquuntur, voluntateq; ipſius diem apud Venetias condixerunt: datoq; conductu Papæ Alexandro veniendi ad colloquium, mediante Chriſtiano Maguntinenſi epiſcopo, & Cunrado Saltzburgenſi, maximè autem Wicmanno Hildesheimenſi cum cæteris epiſcopis, ſacerdotium & imperium concordatur, quibuſdam epiſcopis ſchiſmaticis ſedes ſuas propter iuſtitiæ cenſuram cedẽtibus. In hac etiam compoſitione Mediolanenſibus treugæ XIIII annorum donantur, iiſ omnes captiuos reddentibus.

His diebus beatus Thomas Cantuarienſis archiepiſcopus, à rege Anglorũ Hen- *Thomas Cantuarienſis occiſus.*
rico, multis iam diebus ſede ſua pro iuſtitia pulſus, ab eodem occiſus, in confeſſoris & martyris morte faciem matris eccleſiæ decorauit.

CAPVT XXIIII.

ANno dominicæ incarnationis M.C.LXXVII, Alexander Papa ſedato ſchiſmate, ſedem apoſtolicam obtinens, Concilium quod Lateranenſe dicitur, congregauit, in quo ſchiſmaticos officio priuatos depoſuit.

Imperator in Germaniam redire diſponens, Italicorum fidei ſe credere non au- *Cæſar in Germaniã redit.*
debat, ſed miſſis nunciis ad Bertoldum ducem de Zeringen, petiit vt Italiam cum exercitu ſibi occurreret, vt eò ſecuriùs trãſalpinaret. Quo veniente, per montis Iouis anguſtias regreſſus, in Alemanniam venit. Itaq; memor contemptus à duce Henrico apud Clauennam ſibi exhibiti, in ipſum vehementiſſimè exarſit, & quòd Italicis hoſtibus Reipublicæ contra imperium faueret, vniuerſis Principibus conqueritur. Dataque ei curia apud Vlmam ipſum ad iudicium ſubeundum imperiali more citauit. Quo non veniente, curiam ſibi ſecundam Ratiſponæ præfixit: quam paruipendens, tertiam nihilominus apud Herbipolim ſibi datam ſuperſedit, ibiq; ſententia Principum ducatu Norico cum Saxonico & omni prædiorum & beneficiorum poſſeſſione, feudali pœna multatus, priuatur. Ipſe autem more paterno maieſtati cedere, regalemq; gratiam quærere dedignatus, dum ſe exiſtimat ſtare, cecidit, perditumq; ſtatum dignitatis vſque ad terminum vitæ nunquam recuperauit. Nam Imperator prædiis & beneficiis cedentibus, Ottoni Palatino de Witlinsbach ducatum Noricum conceſſit, ac Bernhardum comitem de Anehalde ducatu Saxonico ſublimauit, procinctumq; mouit contra Henricum ducem, omneſq; ciuitates & caſtella cunctaq; *H. dux Saxonia & Bauaria à Cæſare exauctoratus.* *Anhaldini ducatu Saxonico potiuntur.*

iuris ipſius in Sueuia,& Bauaria,& in Saxonia,ditioni ſuæ ſubiugauit. Deinde contra ciuitatem munitiſſimam Brunſwich aciem dirigens, eam obſedit, ciuibusque acriter reſiſtentibus,cum minimè proficeret,cęteris omnibus cis Albim fluuium ei ſubiectis, ſoluta obſidione diſcedit. Acta ſunt hæc anno Dominicæ incarnationis M. C. LXXVIII.

CAPVT XXV.

Soldanus Iconij Cæſaris filiam vxorem petit.

ANNO dominicæ incarnationis M.C.LXXIX,Soldanus rex Iconij,miſſis ad Fridericum Imperatorem legatis quamuis paganis, cum ſuis omnibus fœdus cum eo pepigit,filiamque eius matrimonio ſibi coniungi poſtulauit, ac ſe Chriſtianum cum gente ſua fieri,ſi adipiſceretur Imperatoris filiam, ſponte promiſit. Imperator autem licet filiam,tenerè diligeret,vixq; poſtulata concederet: tamen conſenſit, eamq; ſibi dare promittens. Prius tamen mortuam luxit,quàm petenti dederit.

Circa hæc tempora Alexander Papa CLXXI obiit,cui Lucius ſucceſſit.

CAPVT XXVI.

Conuentus imperij Moguntia celeberrimus.

ANNO dominicæ incarnationis, M. C.LXXXIIII,Fridericus Imperator ſedatis in Germania cunctis bellorum turbinibus,generalem curiam cūctis regni optimatibus in Pentecoſte apud Maguntiam edixit:ibiq; filios ſuos,Hēricum ſcilicet regem, & Fridericum Sueuorum ducem gladio accingi,armisq; inſigniri diſpoſuit. Ad hanc curiam totius imperij Principes,vtpote Francorum,Teutonicorum,Sclauorum,Italicorum,ab Illyrico vſq; ad Hiſpanias congregātur. Sed & vicinorum regnorum proceres,inuitante imperij dignitate conuenerunt, incredibilisq; multitudo hominum diuerſarum regionum vel linguarum ibi coadunata eſt.Itaq; foris ciuitatem in campi planitie,palatio cum ampliſſimo oratorio ad diuerſorium Imperatoris ex ligni materia facto,domus Principum proceriſsimæ conſtructæ ſunt in circuitu ſingulis ad oſtendendam ſuæ dignitatis magnificentiam ſumptus ambitioſiſſimè conferentibus. Præterea tentoriis diuerſicoloribus numerum excedentibus, erectis, velut maxima ciuitate conſtructa,tota planities ambitur: nihilque hic ad oſtendendam mundanæ miſeriæ gloriam, abundantia victualium, varietate veſtium, phaleramentis equorum,delectatione ſpectaculorum defuit, filiis huius ſeculi prudentia ſua, quæ ſtultitia eſt apud Deum,in generatione ſua abutentibus: quod euidenti indicio diuina potentia futura præſagiens,demonſtrauit. Nam ſacræ noctis crepuſculo ventus validiſſimus ab Occidente ortus, palatio Imperatoris oratorium eius contiguum, multaque alia ædificia, inhabitantibus vix euadentibus, funditus euertit, maximoque terrore perculſos vt penè loco ceſſiſſent,omnes dubitantes reddidit. Quod à ſapientibus non pro bono omine ſuſceptum,eis omnino diſplicuit. Craſtina itaque ſacra die cum maxima lætitia ſolenniter celebrata, exquiſitisque conuiuiis ſumptuoſiſſimè exhibitis,gloriosè peracta:feria ſecunda celebratis mane Miſſarum ſolenniis,filij Imperatoris Henricus rex & Fridericus dux armis præcincti, militariq; palæſtra alacriter exercitati,militiæ cingulum ſumpſerunt:tractatisq; diuerſis imperij ab Imperatore negotiis,quarta die ad propria cum gaudio receſſerunt.

Prodigia.

CAPVT XXVII.

Beatricis imperatricis obitus.

ANNO dominicæ incarnationis M. C.LXXXV, Lucius Papa vita deceſſit, eiq; Vrbanus tertius ſucceſſit,in ordine CLXXIII. Eodem anno Beatrix imperatrix obiit,& apud vrbem Spiram regalibus exequiis, præſente Henrico rege filio ſuo offenſo,ſepelitur.

Conuentus Conſtantię.

Circa idem tempus Fridericus Imperator apud Conſtantiam in Pentecoſte generali curia celebrata,legatos Mediolanenſium, omniumq; ciuitatum Italiæ ſibi rebellantium,ſubiectionem vltroneam inſigniaque ciuitatum cum clauibus aureis offerentes,

ferentes, ac per hoc se dediticios demonstrantes, suscepit: ipsosque indulta venia, gratiam imperialem pacemq; patriæ reportantes, cum gaudio remisit.

CAPVT XXVIII.

ANNO dominicæ incarnationis M. C. LXXXVI, Fridericus Imperator missis legatis ad Wilhelmum Siciliæ regem, filium Rogerij, sororem eius filio Henrico regi desponsari fecit, ac per hoc regnum Siciliæ, cum ducatu Apuliæ, principatuq; Capuæ Henrico regi dotis nomine, post mortem à socero de legato recipiens, Romano imperio restituit, quod post mortem Lotharij quondam Imperatoris, à Rogerio, capto Papa Innocentio, regioq; nomine ab eo extorto, imperio ablatum fuerat. Igitur sexta vice cum maxima Principum frequentia Italiam ingressus, rogantibus Mediolanensibus, vt in signum adeptæ imperialis gratiæ, nuptias filij apud Mediolanum celebraret, ad recuperandum imperio eorum obsequium, cuius viribus admodum attriti erant, consensit, omnibusq; Italicis baronibus generalem curiam apud Mediolanum indixit. Ad quam curiam de cisalpinis regionibus ac de omni Italia, Tuscia, Cãpania, Apulia, Sicilia coadunati Principes, filiam Wilhelmi, Henrici regis sponsam, cũ maximo apparatu regaliq; pompa, cum Imperatore & sponso obuiam procedentes, suscipiunt, ac cum maximo regni fastigio nuptias peregerunt. In hac curia Italicis plenariè gratiam Imperatoris adipiscentibus, paceq; ad integrum reformata, ἀμνηστία, id est malorum obliuio, obsequiis eorum multifariè delibutus, in æternum mansura stabilitur. Solutaq; curia, Imperatore cum filio eiusq; vxore transalpinãte, omnes cum gaudio ad propria reuertuntur. Igitur sicut de Theodorico Gothorũ rege legitur, vniuersis per circuitum rẽgibus affinitate seu fœdere, seu subiectione Fridérico Imperatori consociatis, imperij status multis modis eo imperante exaltatur. Nam regi Frãcorum confœderatus, regisq; Siciliæ filia filio suo coniuncta, regem Vngarorum prono obsequio deuotissimum semper habuit: regisq; Hispaniarum filiam alteri filio suo Conrado, licet inefficax permanserit, desponsauit. Præterea ante hæc omnia in curia Tholensi, iuxta Bisuntium, regi Danorum corona imposita, regnum sub hominio concessit, & ducem Bohemiæ in dignitatem regiam extollens, ius nomenq; regium corona imposita ei contulit.

Henricus Cæsaris F. Siculam vxorem ducit.
NB. de regno Sicilia.
VI expeditio Friderici in Italiam.
Nuptiæ Henrici VI.
Dania ducatum in regnũ cõmutatur.
NB. Prædicta de rege Bohemiæ per anticipationem intelligenda sunt.

CAPVT XXIX.

HIS temporibus Baldewinus rex Hierosolymorum moriens, filiam nubilem (nam filio carebat) regni reliquit hæredem: quod meritò in seipsum diuisum peccatis exigentibus desolandum & à paganis conculcandum erat, quia in manus puellæ non bono omine regnandum deuenerat. Nam Principum ipsius regni quisq; regnare gestiens, eandem puellam cum regno hæreditario sibi, si cõiugio carebat, vel filio si coniugatus, vel proximo filio carens, iungi desiderabat: hacq; de caussa maxima inter eos conflata inuidia regnum dedit exitio. Ipsa autem spretis indigenis, Widonem comitem Ascalonis, aduenam videlicet elegantis formæ spectataeq; fortitudinis virum adsciuit, eumq; regno induens fauente Patriarcha, nec non militibus templi sibi in matrimonium coniunxit. Vnde reliqui Principes valde permoti sunt, maximè comes Tripolitanus, eum regem habere qui peregrinus erat, indignè ferens: Sarracenos accepto pretio regno induxit, traditisq; ei castellis quibusdam & ciuitatibus, ad obtinendam Hierosolymam accendit. Ad quod animum intendentes, quosdam de militibus Templi, cum quibusdam terræ ipsius maioribus precio corruptos, illata à se regno sæpius latrocinia (ne videlicet eis latrocinia exercentibus vi obsisterent) dissimulare fecerunt: sicq; maximam regionis partem quantocyus obierunt.

Christianorum æmulatio regnum Hierosol. pessundat.

CAPVT XXX.

ANNO dominicæ incarnationis, M. C. LXXXVII, Saladinus rex Sarracenorum apud Damascum habitans, nequissimum Christianorũ animaduertens cõmercium, eosq; discordia, inuidia, auaritia infectos considerans, tẽpus opportunũ ratus ad

obtinendam totam Syriam & Palæstinam, intendit animum: congregatoq; validissimo de omni Oriente Sarracenorum exercitu, procinctum cõtra Christianos mouit, eisq; per totam Palæstinam igne ferroq; instans, castella multa ciuitatesq; occisis vel captis Christianis, expugnauit, Sarracenosq; ibi ad habitandum collocauit. Rex itaq; Hierosolymorum, nec non egregius princeps Antiochẽsis Reinaldus, alijq; Christianorum proceres contracto grandi exercitu, dominica cruce exercitum præcedente, Saladino occurrunt, eiq; bello congrediuntur. A quo superati, multis Christianorum millibus occisis, cruce dominica, proh dolor, capta, Christiani fugãtur, rexq; nec non Reinaldus illustrissimus Princeps cum multis aliis Christianis capti, Damascum ducuntur, ibiq; idem rex & præfatus Princeps in confessione veræ fidei decollantur.

Saladini victoria & successus in Palæstina.

Hac victoria insolescentibus paganis, omni prouincia deuastata, cunctisq; ciuitatibus Christianorum dirutis, excepta Tyro & Sidone, Tripoli & Antiochia, ac paucis aliis ciuitatibus & castellis munitissimis & inexpugnabilibus, capta prius Accaron vbi portus est, quod vnicum & speciale Christianorũ refugium hactenus fuit & est, Hierusalem obsidione cinxerunt, ac destructis in circuitu ecclesiis, Bethleemitana videlicet & Oliuetana, multisq; aliis: tãdem eiectis per conditionẽ Christianis, Hierusalem capitur, sanctaq; redemptionis nostrę loca profanata, à paganis incoluntur. Nec silendum arbitror, q, obsessa Hierusalem paganis irruentibus, vna turrium occisis plærisq; Christianis, impositio Saladini vexillo, capta est, vnde ciuibus orta desperatio, relicta murorum defensione, eadem die ciuitatem in ore gladij exterminandam pene dederat exitio. Quod videns quidam miles Teutonicus, ex desperatione sumẽs audaciam, quosdãq; circa se hortatus, impetu magnanimiter in hostes facto, turrim vi obtinuit, occisisq; in ea paganis, vexillum Saladini truncata hasta deiiciens, de eminentia turris in lutum proiecit, ciuibusq; fiduciam resistendi hoc facto conferens, ad defensionem murorum eos quãtocyus reduxit. Post quam ciuitate per conditionem, vt dictum est, tradita, sepulchrum Domini à paganis quæstus gratia in veneratione habetur.

Hierosolyma à Sarracenis occupatur.

Teutonici militis fortitudo.

Facta hæc est terræ sanctæ lamentabilis desolatio, anno ab incarnatione Domini, M.C.LXXXVII, ab aduentu verò Francorum, quando eadem terra à paganis per Gotfridum ducem liberata est, anno LXXXVIII. Sicq; Saladinus Palæstina subacta, ecclesiam transmarinam miserabiliter attriuit, ipsaque regio per multos annos paganis subdita gemit.

Eodem anno Vrbano papa mortuo, Gregorius successit. Quo infra dies quasi decem defuncto, Clemens substituitur, in ordine CLXXIIII. Qui lamentabili de subuersione transmarinæ terræ accepto nuncio, omni ecclesiæ ad placandum Deum indicta pœnitentia, legatos suos Cardinales, episcopos & presbyteros, in omnes cismarinæ ecclesiæ fines direxit: filiis ecclesiæ matris confusionem paterno conquerens affectu, & vt matri vim patienti, memores vberum, quorum lacte primitiua ecclesia in Ierusalem nutrita, in eis virili robore cõualuit, subueniant, obtestatur: cruceq; accepta in remissionem peccatorum, crucis seruos se gloriantes, crucis ignominiam quæ à paganis capta tenebatur, in laudem & gloriam vindicent crucifixi, verbo prædicationis magnanimiter hortatur.

Clemens III crucem contra Sarracenos prædicari curat.

CAPVT XXXI.

ANno dominicæ incarnationis M.C.LXXXVIII, Fridericus Imp. generalẽ curiam in media Quadragesima Maguntiæ celebrauit, ibiq; per totam Germaniã sedatis bellorum turbinibus, pace vndiq; reformata, Reip. negotia tractauit. Ad quam legati sedis Apost. venientes, Imperatori desolationem transmarinæ ecclesiæ scriptis & verbis, ex persona domini apostolici ac totius ecclesiæ conquesti, repræsentauerunt, patrociniũq; Rom. imperij per eius auxiliũ implorauerunt. Qui habita deliberatione ad subueniendũ se obtulit: acceptaq; cum filio, Friderico sc. Sueuorũ duce peregrinationis cruce in remissionem peccatorum, crucis ignominiam se vindicaturum publicè denunciauit: & ad id negotiũ sui exemplo multos regni optimates cũ multitudine diuersæ conditionis & ætatis accendit. Cardinales autem his patratis à curia digressi, verbo prædicationis per diuersas imperij partes instabant, multisque relinquere patrem & matrem, vxorem & filios & agros, propter nomen Christi, & crucem tollere, ipsum

Fridericum & F. filium cruce signantur.

ipſum ſequi in expeditionẽ tranſmarinam, perſuaſerũt, & innumerabilem exercitum contraxerunt. Quibus omnibus Imperator ſequentis anni Maio tempus profectionis conſtituit, pauperioribus ad minus trium marcarũ expenſam, ditioribus pro poſſe expenſas præparare, indicens. Egẽtibus aũt pondo trium marcarũ ſub anathemate profectionem fecit indici, nolens exercitum vulgo minus idoneo prægrauari. His in Romano imperio patratis, Apoſtolicus á latere ſuo Cardinales regi Francorũ Ludouico, nec non Richardo regi Anglorum dirigens, ad idem opus cruce impoſita accendit, multoſq; de prædictorum regnorum finibus in eandem militiam coadunauit.

Hac tempeſtate Colonienſes maximis ſtudiis & ſumptibus ciuitatem ſuam munientes, eam muro cinxerunt firmiſſimo: quæ res imperatori ſuſpecta diſplicuit, eisq; excidium interminans, munitiones diſſipare, rupto per quatuor loca muro, eos minaciter coëgit.

His diebus nuncij Soldani regis Iconienſis ad Imperatorẽ venerunt, fœdusq; (quãuis in dolo) renouantes, commeatum per totã Ciliciam cũctoq; exercitui, ſi pacificus veniret, ex parte domini ſui obtulerunt: per Ciliciam enim Imp. terram Soldani, cuius caput Iconium eſt, cum exercitu tranſiturus erat: ideoq; pagani terræ ſuæ metuẽtes, fœdere quæſito pacem quàm bellum malebant, licet aliter optatis eũenerit.

CAPVT XXXII.

Annis vndenis demptis de mille ducentis,
Chriſtus vt eſt natus, tranſit mare rex Fridericus.

ANNO dominicæ incarnationis M. C. LXXXIX, Fridericus Imp. in Pentecoſte generalem curiam Presburch in Marchia Vngariæ celebrãs, exercitum peregrinorum in militiã Chriſti coadunauit, traditisq; regalibus Henrico regi filio ſuo, diuiſisq; pro velle ſuo inter filios prædiorum ſuorum redditibus, cum collatis dignitatibus, omnibus bene diſpoſitis, cunctis valedixit, & cũ filio equiuoco Sueuorũ duce, nec non & Marchione de Miſſen, cum Saxonib. & multis aliis Principib. & epiſcopis, exercitu omni militari apparatu admodũ inſtructo & copioſiſſimo, in Orientem contra Saladinum Sarracenorum regem, & omnes crucis Chriſti inimicos procinctum mouit, ac per Vngariam iter arripiens, multis muneribus à rege Vngariæ liberaliter honoratus, datis etiam exercitui victualibus in copia farinę, vini, carniumq; in Bulgariam copias tranſpoſuit: ibiq; negata ſibi ab incolis regia via, eam vi obtinuit: occiſaq; multitudine reſiſtentium, multos ex eis captos ex vtraq; parte viæ ramis arborum illaqueatos ſuſpendit, ſeq; per hoc non in pera & baculo, ſed in lancea & gladio ſepulchrum Domini viſitare oſtendit, ſicq; tranſita Bulgaria Græciam applicuit. Græci itaq; Bulgaris inhumaniores, ſubtracto exercitui omni humanitatis neceſſitate, ſimulq; rerum venalium commeatu, iuſſu Imperatoris Conſtantinopolitani, milites ſancti ſepulchri neceſſariis defraudauerunt, ſeq; in munitiones congeſtis rebus omnibus vndiq; recepérunt. Cæſar itaq; hæc à Chriſtianis pati ægrè ferens, exercitum ad rapinam data licentia relaxauit, Græcisq; velut paganis vtendi, quorum fautores his actibus ſe oſtendebant, edicto conſtituit. Qua occaſione totus effuſus exercitus, ciuitatem opimatiſſimam Philippopolim forti aggreſſione captam, expugnauit, opimaq; præda ibi direpta, caſtrum munitiſſimum, Themut dictum, ſimili impetu obtinuit, hocque terrore multa caſtella & ciuitates Græcorum ſibi ſubiecit, profligataq; regione, opulenta præda ditati, reliquos ad commeatum coëgerunt. His circa finem menſis Auguſti geſtis, Auguſtus conuocatis Principibus, eorum conſilio in Græcia hyemare ſtatuit, omniq; in circuitu ſubiecta ſibi terra, montem quendam acceſſu difficilem ad receptionem exercitus muniuit, eumq; Teutonico idiomate *Chunigisberc* nuncupauit. Vbi contra faciem Conſtantinopolitanæ ciuitatis potenter reſidens, omniaq; neceſſaria exercitui à ciuitatibus finitimis conuehi faciens, Græcam aſtutiam Romana potentia Germanicaq; fortitudine deuicit: totaq; hyeme vſq; ad Paſcha anni ſequentis inibi manſit, Græcis cum Imperatore ſuo ſemper à facie eius fugam conſtitutis.

Fridericus in militiam ſacram profiſcitur.

CAPVT XXXIII.

ANNO Dominicæ incarnationis M. C. X C, Clemens Papa obiit, eiq; Celeſtinus in ordine CLXXV ſucceſſit. Eodem anno Leopaldus dux Orientalis & exercitus Colonienſis, multiq; de inferioribus partibus Rheni cruce peregrinationis accepta, à Brunduſio mare tranſuecti, Accaron applicuerunt, illucq; iam rege Anglorum Richardo, nec non & rege Francorum Ludouico cum inſtructa militia tendentibus, Piſanis cum Italico exercitu eandem vrbem iam obſidentibus, conſociantur, ipſamq; totis viribus impugnant, Saladino ſumma induſtria obſeſſis opem ferente.

Frid. filius Imperator creatur.

Eodem anno filius Friderici imperatoris Henricus rex contracto exercitu Alpes tranſcendens, Italiam ingreditur, indeq; ad Vrbem tendens, à Celeſtino papa glorioſè ſuſceptus, ab eoq; omnium Romanorum fauore, vnà cum coniuge, in die ſancto Paſchæ coronatus, Imperatoris & Auguſti nomen, nonageſimus quintus ab Auguſto, ſortitur. Hunc fauorem Romanorum auaritiæ eorum maximis muneribus ſatisfaciens promeruit, ac Tuſculanenſe caſtellum, quòd aſylum imperij cõtra omnes inſultus eorum hactenus extitit, ipſis tradens, imperium in hoc non mediocriter dehoneſtauit. Qui ſtatim tota vrbe effuſi, in ipſa die paraſceue, caſtellum funditus deſtruxerunt, dirutiſq; turribus & muris, igne poſtremò conſumpſerunt, in vindictam cladis à Chriſtiano Maguntienſi epiſcopo ſibi inibi quondam bello illatæ.

Caſtrum Tuſculanũ demolitum.

Igitur Imperator Conſtantinopolitanus vim Cæſaris Friderici ferre non præualens, animum eius, pro commiſſis fatisfaciens, placauit, paceq; data exercitum omni opulentia victualium collata, animæquiorem reddidit: ſicq; reconciliatus Auguſto, accepto fœdere poſt Paſcha præſentis anni, ſtructis ſummo ſtudio nauibus, ipſum cum exercitu per Propontidem tranſuexit.

CAPVT XXXIIII.

ITAQVE Henrico Imperatore imperio Occidentis ſortito, Fridericus Auguſtus viribus Germanorum Orientem aggreditur, ingreſſusq; cum exercitu Aſiam, proſperis ſucceſſibus ad tempus inceſſit, omnibus ei in tota Romania pro voto parentibus. Igitur Soldanus rex Iconij appropinquante Auguſto cum exercitu fœdus infringens, victualia cum aliis rebus per totam Ciliciam in munitiones comportari fecit, mercatumq; exercitui, vtpote barbarus & Scytha perfidiſſimus, conferre noluit. Qua de re maxima fames exercitui inhorruit, ac plæroſq; mulos, aſinos & equos cibum inſolitum manducare coëgit. Præter hæc exercitu paganorum latenter immiſſo, extremis pabulatoresq; Chriſtiani exercitus latronum more aſſiduis incurſionibus, aliquibus interdum occiſis, inequitabant, ſæpiùs ſe publicè ordinatis agminibus oſtendentes, noſtris æquo Marte eis congredi cupientibus, retrocedebant, conſererēque nullo modo volebant.

Fames in exercitu Chriſtianorum.

Auguſtus ergo tali incommodo exercitum fameq; & omni penuria laborantem, reſpectu pacti fœderis cum Soldano, à deuaſtatione ac rapina refrenabat, æſtimans hoc ante ignorante aut inuito Soldano committi. Vbi verò per veredarios hæc de induſtria Soldani, publicata eius perfidia, fieri cognouit: iratus, Soldano hoſte pronunciato, exercitum ad vltionem relaxauit: totaq; Cilicia cum Pamphilia, Phrygiaq; proſcripta, cædibus, rapinis, igne ferroq; vtens, profligauit cuncta: paganis, licet procinctim incedentibus, ſemper tamen in fuga conſtitutis. Hac itaq; relaxatione recreato cum exercitu Iconium verſus, totius Ciliciæ metropoli, Soldaniq; archiſolium, aciem direxit, eamq; inaudita celeritate expugnauit. Deniq; ciuitas hæc populoſiſſima maximo murorum ambitu turriumq; proceritate munitiſſima, arcem inexpugnabilem in medio ſui complectēs, omnibus ad obſidionem neceſſariis referta fuerat, cuncta extrinſecus regione victualibus nudata, ne ſuperueniens Auguſtus militem ibi aliquandiu ſuſtentare poſſet. Sed Deo conatum paganorum in contrariũ vertente, res aliter euenit. Nam ante horam diei tertiam Auguſtus ciuitatẽ ſubitaneo incurſu cum maximo impetu aggreſſus, multitudine paganorum reſiſtentium occiſa, ante nonam

Iconium Ciliciæ metropolis à Cæſare capitur.

nam expugnatam irrupit, innumeris vtriusq; sexus & ætatis in ore gladij trucidatis, rege Soldano cum nobilioribus in arcem fugiente. Sicq; ciuitate potitus, eadem die arcem obsidione vallauit. Videns itaq; Soldanus viribus Germanorum cuncta cedere, eosq; diuina quadam virtute fultos, ac mortis terribilium rerum contemptores: sine cunctatione cuncta inuadere resistentia talibus cedere periculoso doctus experimento, necessarium ratus, dextras ab Augusto petiit, & vt ei mereretur colloqui, seria ductus pœnitentia, desiderauit. Quo concesso, arce cum suis descendit, ac pro velle Augusti factus dediticius, datis obsidibus, reconciliatur, restituta sibi cum regno ciuitate Iconio. *Sultanus Iconij Cæsari se se dedit.*

CAPVT XXXV.

HIs ita peractis, exercituq; spoliorum opulentia ditato, Augustus motis castris ab Iconio discessit cum triumpho, principibus Armeniorum vndique ad eum confluentibus, & præcipuè Leone, illarum regionum nobilissimo Christianorum principe, qui in montanis habitabat: à quibus lætanter susceptus, ac condignis gratiarum laudibus pro suo aduentu & expugnatione paganorum ei exhibitis, cum magno tripudio & gloria versus Tarsum, Pauli apostoli natiuitate insignem proficiscitur, cunctis ei ad libitum inclinatis. Nam terra siluit in conspectu eius. Sed terribilis in consiliis super filios hominum Deus, nondum venisse tempus miserendi Sion ostendens, solidissimam nauiculæ Petri anchoram, in Augusto Friderico, rupto fune spei, post tales tantosq; prosperitatum euentus, succidit, ipsamq; nauiculam in mediis huius mundi procellis quassari flagellariq; nõdum ad purum defœcatam permisit. Nam egregius Cæsar Fridericus Tarsum tendens, amne quodam parte exercitus transposita, refrigerandi gratia (æstus quippe erat nimius) ingressus (nandi enim peritus erat) subitaneo frigore naturalem calorem extinguẽte, deficiens, submergitur, miserabili morte Imp. terra mariq; potens finem vitę sortitur. Fertur à quibusdam, hoc in Cidno amne accidisse, in quo & Alexander Magnus simili quidem modo, sed non morte, periclitatus. Nam Cidnus Tarso contiguus est. Obiit anno regni XXXVIII, imperij autẽ XXXV, incarnationis Dominicæ anno M. C. XCI, cuius morte totus Christianorum exercitus irremedicabiliter sauciatus, plãctu intolerabili, Augustum si vixisset omni Orienti metuendum, luxit: sepultisq; intestinis eius cum carne reliqua apud Tarsum, ossa Antiochiam translata cultu regio officiosissimè reconduntur. *Fridericus Cæsar submergitur.*

Igitur Fridericus Sueuorum dux filius eius, nobilis hęres, thesauris paternis exercitui liberaliter erogatis, militiæ Christianæ decus & spes vnica, exercitum mœrore confectum consolatus, recreauit: eductoq; de hoc fatali loco & inuiso milite, Antiochiam peruenit, vbi statim pestilẽtia, desecto capite in morte Augusti, per totum corpus grassatur, diuites & pauperes simul in vnum exitiali tabe inuoluens, maximaq́ue pars exercitus morte infausta consumpta, Antiochiæ & in eius finibus sepelitur. Itaq; cœlesti censura inopinabiliter tali exercitu penè defluxo, Fridericus dux reliquis assumptis, Christianis in obsidione Accaron desudantibus associatur, ab eisq; gloriosè susciptur: vbi modico manens tempore febre corripitur, immaturaque morte raptus, cum maximo planctu ibidem sepelitur. Sicque nobilis illa & inclyta virtus imperatoria, spes totius ecclesiæ, in patre & filio ad nihilum deuenit, tanquam aqua decurrens. Vt bene lamentatio Hieremiæ huic calamitati possit aptari, vbi in Threnis filios Siõ (nã & hi filij Sion, vtpote peregrini sepulchri domini) deflet, ita dicẽs: *Filij Sion inclyti & amicti auro primo, quomodo reputati sunt in vasa testea, opus manuũ figuli?* Hi si vixissent cũ tali exercitus apparatu, tanta prudẽtia, tantaq; fortitudine instructi in vnum corpus cũ Accaronica militia coacti: quę gens, q̃ regio, quis regũ fortissimus, imò quæ multorum regũ virtus in omni Oriente, Italiæ potentiã, Franciæ alacritatẽ, bellandiq; scientiã, & quod his omnib. supereminet Germaniæ animositatẽ & fortitudinẽ, indomitũq; regni caput sustinere posset? Sed non est consiliũ, neq; virtus prẽter dominum. *Nisi. n. dominus ædificauerit domũ, inuanũ laborauerunt qui ædificant eã. Nisi dominus custodierit ciuitatem, frustra vigilat qui custodit eã.* Ergo tu exurgẽs domine misereberis Sion, quando & quomodo, & per quos volueris, cùm venerit tempus miserendi eius. Quia *F. Sueuorũ dux moritur.* *Thren. 4.* *Psal. 126.*

si humana virtute liberari debuisset, te permittente Fridericus huius victoriæ titulum obtinuisset. Itaq; quoniam si voluisses sacrificium sanguinis sui in honorē sancti sepulchri & sanctæ crucis tuæ dedisset: vtinam holocausto peregrinę mortis sue delecteris, animamq; eius spiritibus beatorum in cælesti Ierusalem sociare digneris, Amen.

CAPVT XXXVI.

Francum ab obsidione Accaronis discedit.

IGITVR Accaron à Christianis obsessa per regem Francorum, regemque Anglorum, Leopaldumq; ducem, ac per reliquos Principes diuersis machinarum instrumentis, balistarumq; tormentis, fortiter terra mariq; impugnatur: Pisanis cum Genuensibus, Venetianisq; à parte maris instantibus, quòd nauium assueti erāt. Interim rex Francorum sinistro nuntio de inuasione regni proprij accepto, cum multis aliis relicta obsidione discessit, amans plus terrenum quàm cœleste regnum: emensoq; mari per Apuliam rediens repatriauit. Sed rex Angliæ egregiusq; dux Leopaldus, reliquiq; egregij bellatores aratro laborantes Dominico retro non respexerunt, donec agrum Accaron cadaueribus paganorum fructiferum reddiderunt.

Saladinus Christianos Accarō obsidentes obsidet.

Saladinus itaq; ad liberandos Accaronitas animū intendens, tota industria exercitum congregauit, Christianosq; obsidione pellēdos comminatur. Christiani autem audito aduentu Saladini, duobus fossatis latissimis & profundissimis cinxerunt se, binas habentes portas, ad excurrendum si opus esset vltra fossata cōstitutas, victualibus ad ferendam obsidionem vndiq; comportatis. Igitur Saladinus valido exercitu contracto, contra Accaron aciem direxit, Christianosq; ciuitatem obsidentes, forinsecus obsedit, castris in quodam colle non longè à ciuitate locatis: oppidanisq;, cū à Christianis impugnabantur, signum per signum & fumum ei ostendentibus. Quibus ilicò subueniēs, extrinsecus sagittis, balistis, omniq; telorum genere Christianos impugnabat. Christiani verò ordinalibus agminibus vltra fossata sæpius egressi, ei publico bello congredi cupiebant, ipso semper cedente bellumq; detrectāte. Tandem ciuitatem Saladino præsente totis viribus inuadentes, ipsam vi obtinuerunt, omnesq; paganos viros ac mulieres, cuiuscunq; ætatis & conditionis, in ore gladij occiderunt, Saladino aspiciente, & cum maximo dolore recedente: paucis de maioribus captiuatis.

Accaron capitur.

Discordia inter Christianos.

Capta igitur ciuitate, rex Anglorum signa triumphalia sui exercitus turribus affigi præcepit, titulum victoriæ extorto sibimet ipsi satis arroganter adscribens. Hacque de caussa cum per ciuitatem transiret, vexillum ducis Leopaldi turri, quam ipse cum suis obtinuerat, affixum vidit, suumq; non esse recognoscens, cuius nam sit percontatur. Qui Leopaldi ducis Orientalium esse accepto responso, eumq; ex parte ciuitatem comperiens, maxima indignatione permotus, vexillum turre deiici lutoq; conculcari præcepit: insuper ducem verbis contumeliosis affectum, sine caussa iniuriauit. Præterhæc p̄da cōmuni vniuersorū sudore acquisita, inter suos tantū distributa, reliquos priuauit, in seq; odia omnium concitauit. Omnibus enim fortiori militū robore præstabat, & ideo pro velle suo cūcta disponens, reliquos Principes paruipēdebat. Attamen Teutonica militia cum Italica his admodum exasperata, regi in faciem restitisset, nisi auctoritate militum templi repressa fuisset. Anglicam itaq; perfidiam detestātes, Angliæq; subdi dedignantes, ascensis nauibus simul cum duce Leopaldo repatriauerūt, rege cum suis adhuc remanente, quotidieq; paganos impugnante.

Accaron Christianorum metropolis in terra sancta.

Itaq; ciues Hierosolymitani omnesq; qui paganos ex vrbibus vicisq; euaserunt, Accaron congregati, vrbem ipsam summo studio munientes, receptaculū Christiani exercitus sedemq; belli contra paganos constituerunt, eamq; pro dignitatum varietate diuidentes habitationibus templariorum, hospitalariorū, sepulchri dominici canonicorum cum sede patriarchali distinxerunt, ac sæpiùs cum exercitu egressi, paganisq; congressi, pluribus ciuitatibus castellisq;, quę perdiderant, receptis, paganis magnanimiter resistebant: repatrianteq; rege Anglorum, Hēricum comitem Cāpaniæ, data sibi vidua Vidonis regis, regem sibi creauerunt: ficq; collecto quotidianoq; crescentes numero, prælia domini præliabantur, multis de cismarinis partibus in auxilium eorum vicissim transfretantibus. Sed his dicta sufficiant, stylo ad imperium nostrum redeunte.

CAPVT

CAPVT XXXVII.

ANNO dominicæ incarnationis M. C. XC, Henricus imperator, vt prælibatum est, à Celestino Papa cum coniuge coronatus, ipsam secum ducens, Apuliam Siciliamq́; mortuo Wilhelmo possidere volens, in Campaniam cum exercitu diuertit, rebellantemq́; sibi totam terram inuenit. Nam mortuo Wilhelmo rege quidam consanguineus eius de genere Rogerij, Tancredus nomine, tyrannidem in Sicilia, quæ nutrix tyrannorum ab antiquo fuit, sub regio nomine arripiens, cum consensu omnium ipsius terræ baronum, ciuitatumq́; imperatori violenter restitit, ipsumq́; de hæreditate coniugis quoad vixit, constantissimè propulsauit. Imperator itaque Neapolim rebellem Campaniæ vrbem obsidione vallauit, cuncta in circuitu terræ igne ferroq́; vastata. Quò rex Francorum de transmarina expeditione rediens, ad eum venit, ipsiq́; confœderatus, honorificè dimissus in Franciam suam rediit. Pestilentia itaque exercitum tangente, nihil proficiens imperator de repatriatione disposuit: in qua mora à quibusdam baronibus Apuliæ propinquis suis imperatrix capitur, & cum maxima diligentia custodita, in captiuitate detinetur tempore aliquanto. Flebili ergo principio ad obtinendam Apuliam imperator dehonestatus, sed meliori postmodum fortuna vsus, ad cisalpina regreditur, facta prius Apostolico de captiuitate coniugis querimonia. Apostolicus autem commotus præsumptores huius rei, terra eorum sub interdicto posita, anathemate constrinxit, Imperatricemq́; captiuitate relaxari coëgit, quam postmodum ad cisalpina reuertentem, imperator recepit, die vltionis in corde eius cum nimia indignitate statuta. Reuersus igitur ad cisalpina Henricus imperator, Cunrado fratri suo ducatum Sueuiæ concessit. Hic Cunradus fortis agrestisq́; naturæ homo, sed liberalis admodum animi erat, ideoq; magna appetens, illicitaq́; semper faciens, vicinis & remotis terrori fuit.

Tancredus Siculus Hẽricum Cæs. regnum inire prohibet.

Imperatrix capitur.

Cunradus dux Sueuiæ.

CAPVT XXXVIII.

HAC tempestate rex Anglorum Richardus de expeditione transmarina rediens, per Vngariam in fines Ducis Leopaldi, paucis comitatus, deuenit: memorq́; iniuriarum eidem Duci apud Accaron à se exhibitarum, ipsum nimis metuentem, dimisso regali obsequio, priuato habitu furtim celeriterq́; transire cupiens, in quoddam diuersorium apud Viennam ciuitatem necessitate prandij diuertit, sociis præter paucos à se dimissis. Itaque seruili opere ne agnosceretur in coctione pulmentorum per se dans operam, altile ligno affixum propria manu vertens assabat, annulum egregium digito oblitus. Quidam igitur de familia Ducis, qui cum Duce apud Accaronitas visum regem notum habebat, de ciuitate fortuitò egressus, tabernam regali coquo insignem, intrauit, & ex consideratione annuli ipsum respiciens & recognoscens, agnitum dissimulauit: concitoq́; cursu in ciuitatem reuersus, Ducem, qui tum fortè aderat, de præsentia regis certificans, admodum exhilarauit. Igitur sine mora ascensis equis cum frequentia militum dux accurrens, regem frixam carnem manu tenentem captiuauit: irrisumq́; tali opere in ciuitatem duxit, eumq́; arctissimæ custodiæ mancipauit, digna recompensatione reddẽs ei quod meruit. Attamen multi pro hoc facto Duci detrahentes, ac pro sacrilegio in peregrinum sepulchri Dominici commissum computantes detestantesq́;, improbabant: licet hæc improbatio captiuo Regi parum profuisset.

Anglus à duce Austriæ capitur.

Imperator itaque captum Anglorum regem audiens, missis ad Ducem nuntiis regem sibi præsentari iussit, præsentatumq́; Wormatiam asportari, vinctum ferroq́; onustum præcepit, dans sibi induciis deliberandæ redemptionis: ad quem multi suæ terræ maiores visendi gratia venerunt, & diuersas rerum species Domino suo obtulerunt. Itaque pro captiuatione peregrini Regis Leopaldus dux à summo pontifice excommunicatus, ne simili ausu peregrini sancti Sepulchri à quoquam impetiti, à subuentione transmarinæ ecclesiæ deterrerentur. Tandem datis in redemptionem suam imperatori multis millibus centenariorum auri & argenti, nec non & duci Leopaldo auro & argento pro libito çollato, eisq́; pace & reconciliatione sacramento ab eo fir-

Rex Angliæ λύτρῳ persoluto euadit.

mata, captiuitate exuitur, sicq; multatus rediit in terram suam. Certum autē pretij pondus quodcontulit explicare distuli, ne cuiquā incredibile visum falsitatis arguerer. Hoc autem sciendū, quòd ecclesiastici thesauri per omnes Anglię ecclesias collecti, huius census pars maxima constabat calicibus, crucibus, aliisq; diuersis speciebus conflatis.

Imperator itaque tanto pretio donatiua liberaliter erogans, exercitum egregiè stipendiatum, præfectis sibi ducibus Marquardo dapifero de Annewil, & Bertoldo de Cunisberch misit in Apuliam, quorum industria multa castella ciuitatesq; in deditionē accepit: ibiq; Bertoldus iactu baliste percussus interiit. Tancredo interim mortuo, optimates terræ ipsius contra Imperatorem vnanimiter conspirauerunt, subdiq; dedignantes, omnes aduenas Teutonicos de ciuitatibus suis expulsos eiecerunt.

CAPVT XXXIX.

ANno dominicæ incarnationis M.C.XCIII multi de cismarinis regionibus cruce peregrinationis accepta, ad auxilium transmarinæ ecclesiæ accenduntur.

Henrici VI secunda expeditio in Italiam.

Eodem anno Henricus imperator contracto exercitu secunda vice Alpes transcendit, transitaq; Italia & Tuscia in Campaniam arma conuertit. In quo itinere Richardum de Scerre comitem ditissimum, à Theobaldo de Reggatart captum sibiq; presentatum, apud Capuam patibulo suspendit, capite deorsum verso: digna indignatione pro capta imperatrice in eum effrenatus. Deinde omnes ciuitates Campaniæ, Apuliæq; aut expugnatas destruxit, aut in deditionē accepit: inter quas præcipuè Salernum, Barletum, Barram, multasque alias ciuitates fortissimas nimia inflammatus ira, peruasa inæstimabili præda, subuertit: nec fuit ciuitas aut munitio, quæ eius impetum sustinere valeret: militia peregrinorum, quæ in procinctu transmarinæ expeditionis constituta, cum eo transalpinauerat quæq; interim confluebat, opem ei summo nisu conferente. Itaq; tota Apulia cum Campania in prouinciam redacta, in Calabriam & Siciliam copias trāsposuit, profligataq; regione, Henricum marscaldum de Kallindin cum instructo ad bellum exercitu, versus ciuitatem Catinensium duxit, vbi omnes ipsius terræ optimates cum innumerabili exercitu ordinata acie offendit: eisq; incunctanter congressus, & victoriam multitudine occisa adeptus, fugientes insequutus, ciuitatem cum eis irrupit: captoq; episcopo, qui præcipuè rebellauerat cum multis nobilibus, ciuitatem igne succēdit, nec ecclesijs parcens. Ecclesiam S. Agathæ cum multitudine vtriusque sexus & ætatis, quæ in eam confugerat, miserabiliter incendio cōsumpsit: sicq; ad imperatorem, nobiles in triumphō trahens captiuos, redijt. Optimates igitur vltima desperatione adacti, dolo occidendum Cæsarem deliberauerunt. Et vt hoc consequi valerent, se & omnia sua potestati eius contradiderunt. Quibus in fidem susceptis, familiariterq; habitis, dolum & insidias eorum vincere statuit: quāuis tamē perfidiam perfidia vindicare dedecus sit. Deniq; se detectos minime putantes, ab imperatore citati conuenerunt ad eum: quos omnes captos, in vincula coniecit, & exquisitis supplicijs affectos, miserabiliter enecauit. Nam Margaritam archipiratam potentissimum illius terræ baronem, cum quodam Comite Richardo, literis apprimè erudito, oculis priuauit, & quendam læsæ maiestatis conuictum, pelle exutum decoriauit: quendam verò regno aspirantē, coronari, coronamq; per tempora clauis ferreis transfigi præcepit: quosdam stipiti alligatos, piraq; circundatos exurēs, crudeliter extinxit: quosdā vecte perforatos, ventre tenus humo agglutinauit: ac per hoc omnibus in circuitu nationibus, non solùm in cismarinis, sed etiam in transmarinis partibus seueritatem eius metuentibus, maximum terrorem incussit.

Henricus Cæsar regnum Sicilia occupat.

Cæsar fautores in regno Siciliæ supplicijs affecit.

CAPVT XL.

ANno dominicæ incarnationis M.C.XCIIII, Imperator contra Palermum ciuitatem in vltimis finibus Siciliæ sitam, quæ caput Siciliæ archisoliumq;, nec non ærarium thesaurorum regum eiusdem terræ hactenus extitit, aciem direxit, castrisque ante faciem locatis, eam expugnare disposuit, hortumque regalem amplissimum vndiq;

vndiq; circundatum, omniq; bestiarum genere delectabiliter refertum, irrumpi iussit, feris in vsum exercitus multifariè consumptis. Itaque ciues animositatem Cæsaris nimium metuentes, sine omni mora dediticij dextras petunt, conditionesq; pacis, sese suaq; omnia offerentes, suppliciter quærunt. Quibus consentiens, ciuitate tradita eos recepit in gratiam, signis imperialibus moribus vndiq; insignitis: statutaq; die processionis, quo à ciuibus imperator imperiali fastu susciperetur, exercitum omni affluẽtia delitiarum resolutum, gazisq; spoliorum egregiè ditatum, securũ reddidit: palæstraq; militari exercitij gratia, omniq; spectaculorũ magnificentia interim exhilarauit. Tandem summa industria ciuium, cum maximis sumptibus triumphali pompa præparata, tota coronatur ciuitas tapetibus sertisq; diuersi generis & pretij, compita illustrantibus, thure, myrrha, aliisq; speciebus odoriferis, intus & extra ciuitatem redolentibus plateis: amotoq; à ciuitate procul imperatore cum exercitu, ciues per turmas suas, secundùm modum dignitatum, conditionum, ætatisq; differẽtia, egressi, nobiles in sua cohorte, seniores ætateq; prouecti in suo ordine, & his minoribus robustiores, exin iuuentus cum imberbi adolescentia imbecillicq; pueritia, omni phaleramẽto equestri vestiumq; varietate adornati, ordine stationario in obuiam procedebãt: singulis quibusdã pro suo modo vel arte cum omnibus Musicæ disciplinæ instrumentis, plausum exhibentibus. Imperator autem non minore industria cõposito exercitu militari disciplina, omniq; præsumptione Teutonica prorsus interdicta, contemptoribus mutilationem manuum interminatus, omni armorum splendore rutilantem militiam exhibuit, binis longo tractu ciuitatem versus pedetentim incedentibus. Ipse autem cum Principibus imperiali gloria & ornatu subsequutus, ciuitatem ingreditur, cunctis laudes affatim acclamantibus, vulgoq; quod plateas circũstabat, viso Augusto iuxta morem illius terræ prono vultu in terra corã eo corruente: sicq; in regiam receptus, quieti dedit operam. Itaq; multis muneribus à ciuibus est honoratus, scilicet præstantissimis sellis aureis, frenis phaleratis, ac diuersis ex auro, argento, serico speciebus, quæ omnia exercitui liberaliter largiens, primò Principibus regalia dona contulit: dein militibus pro meritis extans munificus, eos omnimodis ad obsequiũ suum illexit. Inæstimabili igitur pecunia in thesauris regiis auri argentiq; reperta, ærariũ publicum Triuels confertissimum reddidit, aliaq; imperialia triclinia ex his admodum ditauit. Nam diuitias Apuliæ, Calabriæ & Siciliæ, quæ feracissimæ metallorum sunt, patriæ inuehens, lapidum pretiosorum ac diuersarum gemmarum gloriã cum infinitis thesauris cõgessit: vxoremq; Tancredi cum filia, nec non filium ipsius cum sua sponsa filia scilicet Constantinopolitani imperatoris captiuos nobilissimos trahens, mirificè triumphauit.

Henricus Cæsar Panormi suscipitur.

Tancredi vxor & filium à Cæsare capiuntur.

Igitur tali modo confecto bello Samnico, Apulienſiq; cum Calabrico, redactaq; in prouinciam tota Sicilia cum Sardinia: Henricus imperator bellicosissimus exercitum peregrinorum, multis muneribus illustratum, à se dimisit, & cum ipsis è suo latere publici ærarij stipendiarios quingentos milites in adiutoriũ transmarinæ ecclesiæ direxit. Qui à Siponte & Brundusio mare Tyrrhenum transuecti, Accaron applicuerũt, & à Christianis cum gaudio susceptis sunt: quorum auxilio multa castella Christiani recipientes, paganos pacem petere coẽgerunt, multis vtrinq; congressionibus prius habitis, Christianis semper victoribus. Itaq; pace constituta, pagani summa industria ciuitates & castella, quæ obtinuerant, muniuerunt, & præcipuè Hierusalem duplici muro, ante murali opposito, ac fossatis profundissimis cingentes, inexpugnabilẽ reddiderunt, dato Christianis securissimo conductu visendi sepulchrum dominicum quæstus gratia: quod dominus Apostolicus, ne pagani oblationibus Christianorũ abuterẽtur, omnimodis interdixit, transgressoresq; anathematis vinculo innodauerunt.

Pax Christianorum cum Sarracenis.

His temporibus Petrus cantor Parisiensis, & Alanus & Præpositinus magistri claruerunt. Horum prior librum distinctionum, librum Psalmorum, Euangeliumq; vnum ex quatuor, per continuas glossas subtiliter compilauit, & præter hæc alia multa. Alter verò multa conscribens exposuit: inter alios librum qui intitulatur Anticlaudianus, & regulas cœlestis vitæ, & contra hæreticos, & librum de vitiis & virtutibus, & de arte prædicandi, librumq; suorum, & multa alia sana & catholica conscripsit. Tertius nihilominus summam sententiarum cum multis aliis conscripsit. Iisdem temporibus Lumbertus Mediolanensis librum, qui sic intitulatur, *Frumenta cæ-*

lestis meßis, & ita incipit: *Colligite frumenta ne pereant*, quantitate & subtilitate insignem, scripsit.

CAPVT XLI.

Tancreds F. in castro Emps carceris mancipatur.

ANNO Dominicæ incarnationis, M.C.XCV, Henricus Imperator apud Tarentum constitutus, nauibusque omnium necessariarum rerum affluentia onustis, per mare Christianorum exercitui transmissis, repatriare disposuit: nobilesque captiuos triumpho reseruans, in Germaniam præmisit: locis opportunis exiliatos conseruari præcipiens. Nam filium Tancredi regis adhuc puerum in Rhetiam Curiensem perductum, oculis priuari, & in castro Amiso, perpetuæ captiuitati addictum, custoditi præcepit. Qui vbi ad virilem ætatem peruenit, de transitoriis desperans, bonis operibus (vt fertur) æterna quæsiuit, cœlestibus inhiando, quòd terrenis non potuit. Nam de actiua translatus coactè, contemplatiuæ studuit, vtinam meritoriè. Sponsam verò ipsius, filiam Constantinopolis Imperatoris, Imperator Philippo fratri suo desponsauit: reginamque Apuliæ, vxorem Tancredi, Sibiliam nomine, filiamq; eius apud monasterium virginum, Hohinburch dictum, in Alsatia custodiæ mancipauit. Margaritam verò archipiratam & Richardum comitem imperatricis consanguineum, luminibus (vt dictum est) priuatos, æternis vinculis apud Triuels deputauit: sicque victoriosissimus terra matique potens Augustus in Germaniam rediens, repatriauit.

Puer & filia in cœnobio Hohenburg.

Welfo dux senior, & Lupoldus Austriæ morsuntur.

Welf dux obiit. Leopaldus etiam dux Orientalis, nato apostemate in crure, ipsoq; crure propter intolerabilem dolorem præciso, ingrauescente dolore, vitam cum dolore terminauit. Eodē tempore Richardus rex Anglorum in obsidione cuiusdam castri sagitta occiditur: succedente ei in regno fratre eius Iohanne.

CAPVT XLII.

Tertia Germanorum in Syriam expeditio.

IISDEM diebus tertia expeditio transmarina mota, multos nostrarum partium Principes ad Hierosolymitanum iter cum multis aliis accendit. Inter quos primatum habebant venerabilis Maguntinensis archiepiscopus Cunradus, nec non & Cunradus cancellarius, episcopus Herbipolensis illustris. Huic expeditioni interfuerunt Fridericus dux Orientalis, filius Leopaldi, pro patris animæ remedio suam positurus eadem via in mortem, sed temporalem vt sperandum est, animam: succedente sibi in ducatu Leopaldo fratre suo: nec non Henricus Palatinus Rheni, filius Henrici ducis Saxoniæ, sororius regis Angliæ, frater Ottonis Imperatoris, cum Duce Brabantiæ de Löuin, multisque aliis præclaris baronibus, cum expedita militia crucem suam tollentes, Christumq; sequi cupientes, ad auxilium transmarinæ ecclesiæ transfretauerunt, ibique adhuc de priori expeditione multos inuenerunt. Quibus coniuncti, à paganis, quotidie igne ferroque instantes, plurimam peruasæ terræ partem receperunt, castrumq; Torolts natura & arte munitissimum obsederunt: quod & cepissent, si non auri sacra fames in mente quorundam Christo præponderans, id impediuisset. Nam sicut fertur, quidam de militibus templi à paganis corrupti pecunia, animum Cunradi cancellarij, qui in hac ipsa obsidione præcipuè clarebat, cum quibusdam aliis, inflexerunt, eisq; auri maximo pondere collato, obsidionem soluere persuaserunt: sicq; vendito Christo, tradito paganis per castellum, sicut olim Iudæis, recesserunt: nec tamen de pretio taliter acquisito aliquod emolumentum, sicut nec Iudas de triginta argenteis, consequuti sunt. Siquidem pretio corrupti, corruptum à paganis aurum metallo sophistico, auro in superficie colorato, receperunt: sicque in opprobrium sempiternum cum nota infamiæ meritò cōsequuti sunt. Id sanè castellum, si captum Christianorum potestati cessisset, vim paganorum in ea regione admodum contriuisset. Sed statim eodem Cunrado cancellario repatriante, emenso mari ad Wirziburc sedem suam rediit: ibiq; postmodum contra regnum conspirans, & montem sanctæ Mariæ in ipsa vrbe pro castello muniens, publicè rebellauit, rebus ecclesiæ multifariè dilapidatis, à quibusdam ipsius ecclesiæ ministerialibus, quos in

Cunradi Herbipol. episcopi cades.

guerra

guerra cum ipsis habita admodum iniuriauerat, in ipsa ciuitate occiditur. Dicitur tamen de eo, quòd in corpore ipsius quædam castigationis indicia inuenta sint, quibus districtæ conuersationis ipsi pœnitentia sit ostensa.

Sed vt ad digressa redeamus, exercitus peregrinorum apud Accaron constitutus, conuersatione Templariorũ, Hospitalariorũ reliquorumq; terræ baronum scandalizatus, taleq; commercium & quandã quodammodo secretam familiaritatem eorum cum paganis detestans, se ab eorum auctoritate ducatúque alienauit, auctoritate propria regi cœpit, & multis tam publicis quàm priuatis congressionibus cum paganis habitis, victoriam sæpius consequutus, actibus præclaris admodum enituit. Videntes itaq; conpatriotæ militiam peregrinorum alacriter incedere, eisq; pro voto cuncta succedere, sicut ab his qui eidem expeditioni interfuerũt, audiuimus: plus eorum dustriam quàm paganorum in malitiam metuentes, insidias parant, peregrinosque omnes dolo occidendos cõspiratione cum paganis habita, deliberant, Henrico rege eorum in id ipsum consentiente. Verebantur enim, ne si peregrini paganis prævalerent, eos patria pulsos arcerent, eãq; vi obtinentes possiderent. Hacq; de caussa mortem vel captiuitatem eorum machinati sunt. Nam quæ sua sunt, non quæ Iesu Christi quę tempore tantis exercitibus parentes, regionem maritimam quæ fertilissima est, propter rerum vbertatem tantum obtinere delectãtur, Ieruſalem sepulchrumq; domini parui pendentes ideoq; tantorum proficientibus, Ieruſalem conculcatur à gentibus. Igitur Henricus rex cum suis fautoribus in feneſtra altissimæ turris apud Accaron residens, vt fertur, & qualiter auxilio paganorum peregrinos morti exponeret, capiens consilium, diuinum iudicium, in quod horrendum est incidere, expertus est, ac de feneſtra cui insidebat pessima tractans, nutu Dei forinsecus corruens, quassatoq; membratim corpore, spiritum exhalauit: sicq; prauorum dissipato consilio, res vt proposuerant caruit effectu.

Christianorum amulatio pernitiosa.

CAPVT XLIII.

Henrici VI. tertiam Italiam expeditio.

His diebus Henricus imperator, Friderico filio suo infante adhuc, rege post se designato, contracto exercitu tertia vice Italiam intrauit, ac Pyrenæum transiens, cunctaq; in Tuscia & in Campania pro libito disponens, in Apuliam & Calabriam diuertit, ibiq; potenter residens, ad obtinendam Græciam imperiumq; Constantinopolitanũ intendit animum. Nam bello intestino fraternaq; discordia pro regno exhaustam Græciam considerans: quo id modo fieret sagaci mente tractabat. Inter hæc imperator Græcorum, missis ad eum legatis auxilium ipsius contra fratrem suũ quæsiuit. Qui habita deliberatione, omnes ad id voluntarios auroq; Græcorum sollicitatos milites illuc direxit: salutem ipsorum in hoc negotio fortunæ committens. Itaq; multi spe lucri eandem militiam aggressi, in Græciam transuecti sunt, illucq; auxilio intenti, vbi se sperabãt liberaliùs appretiari. Interea Græcorũ imperator à fratre captus luminibus priuatur, & arcta custodia seruatur: ipseque imperium cum vrbe Constantinopolitana nactus, militiam Teutonicorum ad se vocatam, in gratiam Cæsaris liberaliter habuit, ipsorumq; adiutorio prosperatus, regnum Græcorum obtinuit, filio excæcati eum pro posse impugnante. Huius cæci regis filiam, filio Tancredi, vt supra retulimus, desponsatam, imperator Henricus apud Palermum repertam, Philippo fratri suo desponsauerat: hacq; de caussa idẽ cæcus Imperator desperatis rebus ipsum Philippum cum filia hæredem regni, à fratre ablati, adoptauerat, & vt hoc consequeretur, opem Augusti assiduè sperabat.

Græcum Imp. à Latino auxilium contra fratrem petit.

His Constãtinopoli ita gestis, Hẽricus Imperator in Sicilia manẽs, imperij negotia in eisdem regionibus pro velle suo disposuit, iudices regionibus, iura ciuitatibus, leges potestatum dignitatibus constituens: insuper insulas maris vectigales faciens, imperium admodum dilatauit: exercitu eius cum instructis nauibus & munitis galinis maritima percurrente.

CAPVT XLIIII.

Philippus dux Alemannie.

ANNO dominicæ incarnationis M.C.XCVI, Henricus Imperator, mortuo fratre Cunrado, Philippo fratri ſuo qui in Sicilia interim cũ eo manebat, data ſibi ſponſa ſua, filia Conſtantinopolitani Imperatoris, ducatum Alemanniæ conceſſit, ipſumq; cum eadem ſponſa ſua in Germaniam deſtinauit. Qui in Alemanniam perueniens, apud Auguſtam vrbem in Pentecoſte armis cinctus, nuptias magnificè celebrauit, in loco qui Gunzinlech, à quibuſdam concio legum, dicitur: ac poſtea aſſumptis militibus alpes tranſcendens, in Siciliam ad Imperatorem rediit, citatus ab eo, negociis ſuis per omnem ducatum Diethelmo Conſtantienſi epiſcopo commendatis.

CAPVT XLV.

Hen. VI Imperatoris obitus.

ANNO dominicæ incarnationis M.C.XCVII, Hẽricus Imperator, hoſtibus imperij circunquaq; ſubactis, terra mariq́ue potens, in vltimis Siciliæ finibus conſtitutus, immatura morte præuentus eſt. Cuius mors genti Teutonicorum omnibusq́ue Germaniæ populis lamentabilis ſit in æternum: quòd aliarum terrarum diuitiis eos claros reddidit, terroremq́ue eorum omnibus in circuitu nationibus per virtutem bellicam incuſſit, eosq; præſtantiores aliis gentibus nimium oſtendit futuros, ni morte præuentus foret: cuius virtute & induſtria decus imperij in antiquæ dignitatis ſtatum refloruiſſet. Itaque apud Meſſanam ciuitatem Siciliæ defunctus, ibidem cum maximo totius exercitus lamento cultu regio ſepelitur, filium ætatis annorũ quatuor relinquens.

Philippus Cæſaris frater cum periculo Italiam enadit

Poſt cuius mortem Philippus dux Sueuiæ maximo periculo inſidias illorum prouincialium declinans, vix repatriauit. Nam (vt prælibatum eſt) ab Imperatore prius citatus erat hac de cauſa, vt filium ipſius ex Apulia perduceret in Germaniam, vbi à Principibus in regem electus à Colonienſi epiſcopo inungeretur, vt moris eſt. Imperator enim in Italiam migrans, eundem filium ſuum cum conſenſu Principum cũctorum, præter Colonienſis epiſcopi, regem poſt ſe deſignauerat: qui tamen poſtea reſipiſcẽs, puerum in regem collaudauit. Hoc itaq; negotio Philippus dux in Italiam profectus, cùm veniſſet Romam, mortuum Imperatorem percepit: ſtatimq; regrediens, in Tuſcia & in Italia inſidiis diuerſorum periclitatus, vix euaſit: ſicq; negotium hoc inefficax permanſit, puero in Sicilia cum matre remanente.

Iiſdem temporibus compatriotæ earundem regionum, ſcilicet Apuliæ, Calabrię, Siciliæ, memores iniuriarum, quas ab Imp. Hẽrico ſuſtinuerant, in gentem Teutonicam maxima ſunt inuidia efferati, acceptã iniuriam pro poſſe in eos vindicantes: eaq; de cauſſa multos peregrinos gentis Teutonicæ de tranſmarina expeditione remeantes per terram illam, mortuum Imperatorem neſcientes, multis modis iniuriabant: nullusq; ſine iniuria illæſus tranſire poterat, abſq; armis & ſine comitatu multitudinis: multisq; diebus hæc durauit inuidia.

CAPVT XLVI.

ANNO dominicæ incarnationis M.C.XCVIII, Celeſtino Papa decedente, Innocentius tertius ſubſtituitur.

Igitur mortuo H. Imperatore, Philippus dux Sueuiæ frater ipſius, regreſſus in Alemanniam de partibus Tuſciæ, ſatagebat omnimodis, vt Principes electionẽ quam circa filium Imperatoris fecerant, ratam haberent. Oriẽtales itaq; Principes, videlicet dux Bauariæ & Bernhardus Saxoniæ, cum cæteris baronibus, & epiſcopi Magdeburgenſis, & Salzaburgenſis, cum cæteris epiſcopis Orientalibus diem colloquij in partibus Turingiæ apud villam Arniſperc præfixerunt. Quo veniente Philippo duce cum cæteris quos ſupra diximus, habito conſilio, ipſum in defenſorem impetij eligere decreuerunt, quoad vſq; nepos ſuus, Imperatoris filius, dudum tam ab ipſo quàm à cæteris Principibus electus, in Alemanniam deueniret. Soluto ergo colloquio, ad oppidum Mulnhuſen venientes, promiſſa ſibi ſubiectione digreſſi ſunt.

Philippus dux in imperij tutorem delegitur.

Archi-

Archiepiſcopus verò Colonienſis & Treuerenſis & quidam epiſcopi, & Henricus palatinus Rheni, cum aliis baronibus illarum regionum aggregati, electionem filij Imperatoris caſſantes, vocauerunt ducem Bertoldum de Zaringē, ipſum in regem eligere volentes. Qui cum ad diem condictam Coloniam veniſſet, diſſuaſus à conſiliatiis, ne electioni eorum conſentiret, propter contradictionem Principum Orientalium, & electionem filij Imperatoris iam factam, promiſit ſe de his deliberaturū. Regreſſus igitur ab eis, datis obſidibus die cōſtituto reuerſurum ſe promittens. Quo non reuerſo, retentis obſidibus, pecuniam quam ſub conditione promiſerat, obſides dare coëgerunt: mittentesq; comitem Emichonem de Liningen, vocauerunt Ottonem, Henrici quondam ducis Bauariæ & Saxoniæ filium. quem veniētem regem creauerunt, fauentibus quibuſdam illarum partiū ciuitatibus: Sic ergo diuiſis contra ſe regni Principibus, regnum ciſalpinum contigit plurimùm deſolari. Principes etenim, qui electionibus regum non interfuerant, poſtmodum ſe viciſſim ad alterum eorū conferebant, Lupoldus videlicet dux Orientalis & rex Bohemiæ, nec nō etiam Lantgrauius de Duringin, & Bertoldus de Zaringin ad Philippum: dux Brabantiæ ad Ottonem & quidam alij.

Bertoldus Zeringenſis oblatam imperialem electionem reſpuit.

Otto Saxo à quibuſdam rex eligitur.

Itaq; vterq; regum pro principatu ſuo agens, bellum hoc ciuile penè per XII annos pertinaciter protelarunt. Nā Philippus regalia tradente ſibi Imp. fratre ſuo tenens, omnesq; theſauros ipſius, poſſeſſionesq; prædiorū, aliorumq; fratrum ſuorum, ditiſſimorum videlicet Principum, ipſorum hæres, ſolus obtinēs, Principes Ottoni fauentes, quoſdam minis, quoſdam promiſſis & donis, in ſui partem tranſduxit, & innumeras expeditiones ſæpiſſimè contra Ottonem promouit, ciuitates caſtellaq; per diuerſa loca expugnans, rebellantes vndiq; ad deditionem coëgit. Otto verò auxilio fretus Henrici Palatini fratris ſui, & Colonienſium, impetus Philippi conſtanter ſuſtinuit, archiſoliumq; quod Aquiſgrani eſt adeptus, à Colonienſi epiſcopo cooperante Treuerenſi, qui ad hoc ſpecialiter priuilegiati ſunt, in regem vnctus, gloriabatur, ſe etiamſi non regalia iura tamen & loca regalia retinere.

Bellum ciuile in Germania.

Otto in regē Rom. ſingitur.

CAPVT XLVII.

Hīs temporibus, vt veraci relatione comperiuimus, ſacerdos quidam ſanctæ conuerſationis, nomine Volco, in Francia, in Pariſienſi diœceſi, cuiuſdam eccleſiæ parochianus, verbo prædicationis per omnes Franciæ partes inſtans, gratia miraculorum mirificè claruit: ac præcipuè in Pariſienſi ciuitate vitia Deo odibilia & maximè auaritiam eiusq; accidens vſuram, Sodomiticumq; ſcelus, reprehendit: & nunc minis, nunc blanditiis, nunc increpationibus, omnes verbum audientes ad pœnitentiam inuitauit: atq; (ſicut percepimus ab his qui interfuerunt) laborantibus variis languoribus per impoſitionem manus contulit ſanitatem, reddens cęcis viſum, ſurdis auditū, claudis greſſum, mutis loquelā. Hæcq; ſic euidenter & confidēter egit, vt in digito Dei hęc eum operari non dubitaretur. Ergo tam præclara tamq; multa miracula per eū Deus oſtendit, vt antiquis ſanctis omnimodis poſſet in hoc dono Dei æquiparari. Nō ergo temerè opus prædicationis aſſumpſit, ſed auctoritate domini Papæ epiſcoporumq; præcepto ad hoc acceſſit: aſſerens, q; beata virgo Maria ſibi apparens, ad hoc eum officiū informauerit, & vt pœnitentiam populo prædicaret, admonēs, datam ſibi à Deo gratiam ſanitatum intimauit. Igitur pauca de pluribus (ſicut Bertoldus de Oſinberc Henrico cuſtodi Argentinenſis eccleſię de Veringin, poſtea eiuſdem eccleſiæ epiſcopo tranſcripſit, qui his interfuit) in medium producentes, declarabimus: ad oſtendendum, cum quali confidentia ea operatus eſt. Allatis deniq; ad eum mutis, ſicut idem Bertoldus oculis ſuis vidit, ora eis aperiens inſufflauit, eisq; vt loquerentur imperauit. Qui ſi aliquandiu morarentur, eos in maxilla cedendo, quaſi per vim ſpiritus ſancti verbum ab eis violenter extorſit, ſtatimq; loquentes reddidit. Contigit quoq; eū quadam die cauſſa quadam ad regē Franciæ pergere: cui occurrentes milites, quendam adoleſcentem cognatum ſuum debilem & contractū obtulerunt, & vt ei manū imponeret, ſuppliciter petierunt. Quos ille de pompali admodū ſuperfluitate acriter reprehendens, contracto, vt equo quo ſedebat deſcenderet, imperauit. Itaq; puer omnino debilis, cū ſe mouere non poterat: iteratò ſacerdos ei dixit: In nomine dñi Ieſu Chriſti

Miraculoſa vita Volconis ſacerdotis Galli.

Bertoldi baronis de Veſinberg epiſtola.

præcipio tibi vt descendas. Cùm nec ad hãc vocem eger posset descendere: dominus Volco (nam & ipse equo sedebat) equum ad eum vrgens, quasi eum percussurus baculum quem manu gestabat eleuauit: ægroq; per hoc stuporem incutiens, eumq; pre timore de equo corruentem eleuans, sanum continuò reddidit, eumq; per aliquod campi spatium coram se gaudentem currere fecit. Inter cętera virtutum eius insignia, fœneratorem quendam ditissimum videns in spititu ad vitam esse prędestinatum, occasione prandendi cum eo ad salutẽ eius sumpta, domum eius ingressus est. Ad quem vir Dei: Quid, inquit, pransuri sumus hodie? Cui diues: Non est necesse domine nos hoc inquirere: quòd quicquid ciuitas optimum habere poterit in cibis, nobis hodie non deerit: Quare vir Dei clericis qui secum venerant assumptis, coquinam eius intrauit, & coquo vt singula fercula se præsente exponeret, iussit. Quod dũ faceret (mirũ dictu) pro variis & pretiosis quæ imposuerat, aut ranas de singulis aut serpẽtes exposuit. Quo viso, omnes qui aderant in stuporem conuersi sunt, & pręcipuè diues ille se peccatorem agnoscens, pedibus eius prouoluitur: se peccatorem, se criminosum proclamans, & vt sibi viam vitæ per indictam pœnitentiam ostendat, summopere precatur. Ad quæ sacerdos: Immundus es tu, & omnia quæ habes. Et nisi omnia quæ ex vsuris vel quolibet modo iniustè acquisiuisti, reddideris, ac deinde omnibus iustè acquisitis in pauperes erogatis, per eleemosynam peccata tua redemeris, indulgentiam non mereberis. Cui diues obediens, ac septimanas nihil agens, hæc deuotus impleuit. Dehinc ad virum Dei reuersus, nihil sibi remansisse indicauit. Quidam autem ex amicis eius astãs, se adhuc in vase x x maltra tritici de reb. eius reseruasse indicauit, quæ diues alia expendens oblitus erat. Sacerdos igitur assumpto diuite, turba clericorum amicorumq; eius & multorum aliorum comitante, ad vas accessit, ipsumq; aperiens, bufonibus, serpentibusque plenum reperit. Sacerdos autem ad diuitem versus: Si vis, ait, perfectus esse, & certus de diuina misericordia & venia, vas istud ingredere nudus, & ego tibi vitam æternam promitto. Cui ille magna fide obediens, coram omnibus in remissionem peccatorum suorum nudus intrauit: clausoque vase ac signato super eum, sacerdos omnes vsque in crastinum abesse præcepit. Itaque sequenti die, cum eis qui hoc viderant & cum multis aliis ad locum venit, & aperto vase, nihil præter humana ossa, super niuem candida, inuenit. Quæ in medium proferens, sancta & veneranda esse protestatus est, & cum gaudio & admiratione omnium in loco honesto reposuit. Meretricum autem sectam, quæ infami commercio vitam suam probrosè, pstituerãt, omnimodis in ea regione deposuit, easq; verbo prędicationis cõuersas, plures truncatis crinibus, habitu religionis induit, professione perpetuæ castitatis. Alias autem quæ continere non præsumebant, casum ex fragilitate timentes, data eis in dotem non modica pecunia, legitimo connubio reformauit. Ad quod efficiendum Parisienses scholares ducentas quinquagintas libras erogauerunt argenti, burgenses quoq; mille & amplius.

Huius sacerdotis conuersatio non multum simulata religione fuit. Vestes enim pro consuetudine ipsius terræ habens, barbam frequenter radebat, caput decenti pileo cooperiens. Vadens ad prædicandum equo vtebatur: & in quãcunque domum receptus est, modo iusti prædicatoris comedit & bibit quæ sibi apponebãtur. Magistrum etiam Petrum, virum apprimè eruditum, ad officium prædicationis assumpsit, eiq; gratiam curationum à domino impetrauit: reliquos magistros, vt compendiosas, & dulces, & vtiles in timore domini discipulis facerent lectiones, adhortans. Dialecticos enim inutilia abiicere, vtilia in hac arte monuit reseruare. Decretistas quoq; de multis inutil[illegible] & lectionem grauantibus concordantiis reprehendit. Theologos autem de longis continuationibus & sophisticis disputationibus redarguit: reliquarumq; artium magistros simili modo increpans, eos de multis inutilibus correxit, atque ad necessaria tractanda & docenda informauit. Hic sacerdos quid egerit his peractis, vel quo fine defecerit, ignoratur: sapientioribus, quia de eius transitu nihil memoria dignum, ex hoc admodum scandalisatis. Sed hoc frustra, cum possit multipliciter honestè defendi.

CAPVT

CAPVT XLVIII.

IGITVR Innocentius Papa Philippo iam antea offensus, eò quòd in Tuscia existẽs quoddam patrimonium sancti Petri inuaserat, ipsum in regem eligere non consensit, sed Ottoni fauens, ipsum in defensorem Romanæ ecclesiæ collaudauit. Veruntamen procedente tempore videns vires Ottonis ablatas, & fauore principum admodum concidisse, Philippum verò, subiectis Ottonis fautoribus, prævaluisse ipsi, duos Cardinales ex latere suo, Hugonem videlicet Ostiensem & Velletrẽsem episcopum, & Leonem tituli sanctæ crucis in Ierusalem presbyterum Cardinalem ad eum direxit, vt auctoritate apostolica ad litem terminandam data ab vtrisq; pace, ad diem & locum condictum reges conuenirent, ibiq; mediantibus Cardinalibus aliisq; Principibus, qualicunque conditione pax inter eos reformaretur. Itaq; die condicta in inferioribus Rheni partibus, non procul à Colonia, conuenientes, post multa passim tractata, Ottoni à Philippo per Cardinales offertur, vt accepta in vxorem filia eius cum ducatu Alemanniæ, aliorumq; prædiorum suorum redditibus, regio nomine depositio ipsi de cætero vt regi parêret, Philippo ex hinc sine controuersia regnante. Adhæc Otto, quamuis iam desperatus, indignè ferens aliqua sibi pro regno offerri, se regnum non nisi cum morte depositurum protestatus, Philippo vt sibi cederet multò maiora obtulit. Taliq; ambitione non conuenientes, infecto negotio ab vtroq; discessum est: cardinalibus ad regem Philippum se conferentibus, eiq; fauorem domini apostolici offerentibus.

NB. factum Pontificis.

Inter Philippum & Ottonẽ pax tentatur.

CAPVT XLIX.

ANNO Dominicæ incarnationis M. CC. V, dux Venetiarum cum marchione de Monteferrato, ac multis Italicis, nec non & comes Flandrensis, plurimiq; de regione Galliarum, Hierosolymitanæ ecclesiæ subuenire nitentes, cruce accepta per Græciam iter arripiunt, vbi à Græcis maximè à Constantinopolitanis multis versutiis & iniuriis irretiti sunt. Vnde permoti, profligata circa vrbem regiam vniuersa regione, belloq; cum Imperatore habito, ipsoq; cum multis occiso, vrbem obsessam expugnantes irrumpunt, in rapinam q; efferati, nec ecclesiis parcentes, auri & argenti aliarumq; rerum inæstimabiles thesauros diripuerunt: Venetianis cum Pisanis, Ianuensibusq;, ac de multis de omni Italia, Vngaria, Germania, Gallia, Hispania, ad auxiliũ eorum spe lucri tendentibus. Itaq; multis occiduis regionibus diuitiæ Græcorum inuectæ sunt: ac præcipuè ornatus templi, quod Iustinianus Imperator in honorem sanctę Sophiæ quondam construxit, multo auri extans pondere cum reliquiis sanctorum innumerabilium, quibus hæc ciuitas præstabat omni Orienti, Venetiam ex maxima parte translatus est: aliis regionibus ciuitatibusq; eisdem reliquijs thesaurisq; admodũ ditatis. Præterea abbas quidam nomine Martinus, Cistertiensis ordinis, de monasterio Perisio, quod situm est in Alsatia, eandem expeditionem aggressus, huic expugnationi Constantinopoleos interfuit: indeq; maximam partem viuificę crucis, aliarumque reliquiarum Dominicarum, cum multis sanctorum reliquiis, ornatis auro & argento & lapidibus pretiosis in patriam transtulit: hisque totam Germaniam cum Alsatia admodum nobilitauit.

Latini Constantinopolim occupant.

Martinus abbas inuehit reliquias Alsatiæ.

Sic itaque districtus iudex omnipotens Deus iniurias peregrinorum suorum vindicauit, quæ à Græcis ab antiquo omnibus Ierusalem per fines suos tendentibus, semper irrogata est. Deus vltionum dominus, reddens retributionem superbis: nec tamen in ira suæ misericordiæ oblitus, quòd hoc flagellum non à paganis, sed à Christianis, super filios pestilentiæ induxit: hoc nimirum meritis sanctorum exigentibus, ne præclaræ eorum reliquiæ manibus paganorum polluerentur, sed à Christianis aliò translatæ, debito colerentur honore. Itaque Latini nec non Teutonici pulsis seu occisis Græcis ciuitatem regiam obtinentes, comitem Bonifacium regem creauerunt, totamque Græciam deuastantes, variis præliorum euentibus cum Græcis decertarunt. Sed de his hactenus.

Bonifacius comes rex Constant. creatur.

CAPVT L.

ANNO dominicæ incarnationis M. CC. VIII, Philippus rex subiectis sibi multis modis omnibus penè Ottonis fautoribus, ipsum postremò persequi deliberat, cõtractoq; valido exercitu contra Brunswic ire disponens, in ciuitatẽ Babinbergensem diuertit, exercitu iam in procinctu constituto: ibiq; phlebotomatus aliquandiu quiescere voluit. Itaq; Otto palatinus de Witilinspach, remordente memoria iniuriæ sibi in ablatione filiæ à Philippo rege exhibitæ (desponsatam enim illi filiam prætenta cõsanguinitatis propinquitate negauerat) tempus opportunum ratus, atq; instigatione Marchionis de Anedehse animatus, in vindictam exarsit, sociorumq; frequẽtia stipatus, quasi in expeditionẽ iturus, *Babinberc* ad regem Philippum diuertit, & quasi ei in aurem loquuturus cubile regis familiariter pulsauit, gladio sub veste latẽte. Intromissus igitur continuò exerto gladio regem inuasit, vnoq; ictu capite letaliter vulneratũ occidit: vulnerato etiam Henrico dapifero de Walpurg, qui eum comprehensum retinere voluit: sicq; cubili erumpens, ascenso equo cum sociis secessit, rege statim expirante. Exercitus igitur audiens regem occisum, veloci regressu repatriauit, sibi rebusq; suis quasi prospiciens. Nam quaquauersum omnes in rapinam efferati, ciuitates adius Philippi spectantes plerasq; rebus direptis, succenderunt, monasteriis villisq; vndiq; spoliatis: nullusq; sine armis multoq; comitatu securo itinere incedere valebat.

Philippi regis cades.

Occiso igitur Philippo, anno belli huius ciuilis duodecimo, Otto regnum, pro quo diu conflixerat, tandem obtinuit. Sed quia admodũ attenuatus fuerat, paulatim conuersis ad se Principibus confortatur. A natiuitate itaque sancti Iohannis Baptistæ, quando videlicet occisus est Philippus vsq; ad Autumnum, attrahendis sibi regni possessionibus & conciliandis Principibus instans, circa festum sancti Martini curiã apud Frankinfurt habuit. Itaq; lege pacis promulgata, regnum turbatum pauliſper tranquillauit. Post hoc apud castrum Noricum colloquium habẽs, à Bauaria in Alemanniam peruenit, ibiq; in Epiphania Domini apud Augustam colloquium habens, Ottonem palatinum de Witilinspach nec non Marchionem de Anadehse lege Bauarica sententialiter, propter occisum Philippum, proscripsit, eosq; dignitatibus, beneficiis, ac prædiorum suorum reditibus, sine spe recuperationis, iudicialiter priuauit, dignitates eorum in alios transferens, aliisq; beneficia concedens, reditibus prædiorum hæredibus eorũ delegatis: captisq; ibidem V pacis violatoribus, vno decollato, quatuor suspensis. Vbi etiam legatis ciuitatum Italiæ ad eum venientibus insignia ciuitatum cum clauibus aureis & multis aliis donis, offerentibus, ac per hoc subiectionem profitentibus, susceptis, in Saxoniam perrexit.

Otto regnũ pacatè possidet.

Cæsarù percussores prosertuntur.

CAPVT LI.

ANNO dominicæ incarnationis M. CC. IX, Otto rex generale colloquium in Quadragesima habens apud Hagenowe, expeditionem in Italiam principibus edixit: ibiq; occisum esse Ottonem palatinum de Witlinsbach à Marscalco Henrico à Kallindin, in vindictam Philippi regis, nuncium accepit. Igitur fortuna prosperis successibus arridente, ne principes qui cum Philippo fuerant, & hi qui Ottoni prius adhærẽtes demum apostatauerant regem conscientia remordente suspectum haberent, medium quoddam necesse fuit interponi: ne occasione, vt fieri solet, alicuius discordiæ conflata, in pristinum rursus exitium regnum inuolueretur. Ad hoc nullũ magis idoneum inueniri potuit, quàm vt Otto rex acciperet in matrimonium Philippi filiam, quæ connexione insolubili concordiã inter regem & principes stabiliret. Et quia hoc sine licentia apostolicæ auctoritatis fieri non licuit, cognatione impediente (nam pater Ottonis auunculus fuit Friderici imperatoris, patris Philippi) missi sunt à sede apostolica Cardinales duo, Hugo Ostiensis & Velletrensis episcopus, & Leo tituli sanctæ Crucis in Ierusalem presbyter Cardinalis, qui priore anno viuente Philippo pro eadẽ caussa (vt prælibatum est) legatione functi erant, vt necessaria dispensatione connubium hoc gratia pacis & cõcordiæ, auctoritate beati Petri, ex apostolica conniuentia initum, ratum & legitimum statuerent, idq; remoto omni scandalo, ecclesia dispensante

Conuentus imperij Hagenoia.

Coniugium inter Ottonem Cæs. & Philippi filiam.

sante probabile confirmarent. Qui ad regem venientes, eumq; apostolica benedictione salutantes, causſam legationis suæ vt relatum est, aperiunt, eumq; libenti animo consentientem ad hoc, ad defensionem Romanæ ecclesiæ inuitauerunt.

Itaque ad hæc exequenda generalis curia à Principibus apud Herbipolim indicitur, in octaua Pentecostes. Principes igitur ex diuersis regni partibus ad hãc curiam conuenerunt, legatiq; ciuitatum Italiæ subiectionem offerentes, interfuerunt, Ottonemq; regem regali ambitione coronata ciuitate, cum maximo tripudio susceperũt, ibique in palatium regale congregati, extructo tribunali, rex conscendit. Cardinales habens collaterales, reliquis Principibus circumsedentibus. Itaq; Hugo Ostiensis episcopus Cardinalis primò exorsus, de causſa regalis connubij pro qua conuenerant, rationabiliter Latino idiomate allegauit, interpretem habens Witziburgensem episcopum, regiq; Ottoni, vt pro bono pacis & concordiæ ad abolendam præteritorum malorum memoriam, cum filia illustrissimi principis Philippi matrimonium cõtraheret, auctoritate Dei & beati Petri, per apostolicam obedientiam, in remissionẽ peccatorum suorum, præcepit. Rege igitur ad hoc deuoto animo cõsentiente: abbas Morimundensis, Cistertiensis ordinis, surrexit, omniumq; Abbatum aliorumq; claustralium vtriusq; ordinis, Cluniacensis videlicet & Cistertiensis, personam assumens, delictum hoc connubio contra consuetudinem ecclesiæ quamuis dispensatoriè committendum, monastico ordini auctoritate apostolica imposuit: regi per hoc iniungẽs pœnitentiam, vt monasteriorum, aliarum ecclesiarum pro posse defensor existeret, viduis & pupillis iusto iudicio præesset, monasteriumq; Cistertiensis ordinis in fundo proprio ædificaret, ac post hæc ecclesiæ Hierosolymitanæ in propria persona subueniret. His omnibus rege obediente: puella iam nubilis à duce Leopaldo orientali & Ludeuico duce Bauariæ adducta, tribunali sistitur, ac de consensu interrogata, verecundata admodum rubore perfusa, se libenti animo consentire profitetur. Mox à duce Leopaldo cognato suo, per manus Cardinalium lege Francorum, regi Ottoni desponsatur, à quo amãtissimè amplexata, publici signo oscŭli, mutationeq; annulorũ subarratur: tractatisq; diuersis regni negotiis, à curia digrediuntur, reginaq; Saxoniam perducta apud *Brunſwich* aliquandiu mansura collocatur.

Conuentus Herbipoli regalis connubij.

NB.

CAPVT LII.

IISDEM diebus Otto rex generalem curiam, circa festum apostolorũ Petri & Pauli, apud Augustam Vindelicam celebrans, præmissis prius ad apostolicum Cardinalibus, expeditionem mouit in Italiam, & per vallem Tridentinam ducens exercitum, Veronam peruenit: ibiq; à ciuibus, ponte nauibus compacto, per Athesim cum toto exercitu transductus, fauorabiliter excipitur. Dispositis itaq; inibi negotiis imperij, Gardam castellum ab imperatore Henrico VI Veronensibus quondam traditum, ab ipsis recepit, & in eo præsidia imperij more antiquorum posuit. Exin Bononiam copias traiiciens, generalem inibi curiam cum principibus Italiæ celebrauit, ac inde Mediolanum peruenies, honorificè à ciuibus suscipitur. Vbi moram faciens negociaq; Reipublicæ disponens, validum ex omni Italia contraxit exercitum. Pyrenæum trãsiens Tusciam applicuit, nuntios ad dominum apostolicum patriarchã Aquileiensem & episcopum Spirensem cancellarium suum, Romam præmisit. Qui ex persona regis compositione imperialis consecrationis cum Apostolico facta, ad regem regrediuntur, ipsumq; cum vniuerso exercitu ex parte domini apostolici filiali affectu compositionem consecrationis intimantes, salutauerunt. Qui mox ad Vrbem tendens exercitum castrametari ante portas vrbis fecit: ipseq; crastina die Dominica ante festũ sancti Michaelis, quæ eo anno V calend. Octob. euenit, à domino papa Innocentio & à Romanis honorificè susciptur, datoq; sacramento, coram ecclesia se iustum iudicẽ ac viduarum & orphanorum tutorem, nec non ecclesiarum & præcipuè patrimonij sancti Petri, defensorem pro posse existere, ab apostolico consecratus coronatur, imperatorisq; & Augusti nomen, nonagesimus sex tus ab Augusto sortitur. Cõsecrationem igitur desideratam adeptus, cum magno tripudio ab vrbe recedens, in partes Tusciæ diuertit.

Otto Cæſar in Italiam mouet.

Ottonis consecratio & coronatio.

NB. Sacramentũ imperatorum.

FINIS.

III

HERMANNI CONTRACTI E COMITIBVS VERINGENSIBVS, MAIORIS AVGIÆ MONACHI, CHRONICON DE SEX MVNDI ÆTATIBVS: in quo veteri editioni alia quædam, priore & locupletior & emendatior, è regione respondet.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 136;Leibn. Marg. 136, Stück 1, [247] - -
PUBLIC DOMAIN

HERMANNI CONTRACTI VITA.

HERMANNVS cognomento Contractus, ex illustri Comitũ Veringensium, in alpibus Sueuiæ & ad Danubium supra Riedlingam oppidum ditionem habentium, familia prognatus fuit, iis (vt videtur) annis, quibus Henricus sanctus Romani imperij clauum tenuit. Parentes eius qui fuerint, subiecta stirpis Veringensis διαγράφη ostendet. Comitatu eo Hohenzolrenses dynastæ hodie potiuntur. Contracti nomen accepit, à vitio membrorum, quibus ab infantia captus fuit: quam fortè ob causam monasticæ vitæ traditus, linguis, artibus ac disciplinis tantò fideliorem nauauit operam, vt corporis defectus, mentis viribus opibusq; sarciret. Nauclerus de illo proditũ refert, eum natura hebeti ingenio præditum, multis precibus à Deo optionem impetrasse, vel sani & inuiolati corporis: vel membris omnibus præter linguam inualidi, ingenij tamen sapientia & eruditione exculti: eumq; posterius illud delegisse. Sane in infelici corporis structura, felicissimũ ingenium delituisse, lucubrationibus suis testatum fecit: & Bertoldus σύγχρονος & continuator eius de eo scribere non veretur, omnes illũ sui temporis viros sapientia & virtutibus præcelluisse. Trithemius verò eũ triũ linguarũ, Græcæ, Latinæ & Arabicæ peritißimũ fuisse perhibet.

Monachus fuit regalis cœnobij Augiæ maioris (vulgus à diuitijs die Reichenow appellat) siti in insula lacus Cellensis seu inferioris, qui Acronij vel Bodamici appendix est, ordinis Benedictini: in quod olim non nisi principum, comitum atq; magnatum liberi recipiebantur, exclusis ingenuis & humilioris gradus hominibus. Atq; in eo monasterio auctorem hunc & vixisse & floruisse, præter manuscripti codicis διάγραφον, quæ illum Augiensem monachum disertè testabatur, ex aliquot huius Chronici locis rectè colligi ac comprobari posse videtur. Vt sub anno domini 1048, inquit: Imperator Augiam NOSTRAM ingressus, & mox: festo S. Marci apud NOS acto, &c. Item, sub anno 1053 ait: Werinharius frater MEVS Augiensis monachus, &c. Quamobrem opinionem abbatis Spanheimensis, cœnobitam S. Galli eum facientis, neutiquam admitto: præter exemplaris fidem suffragatorem hac in parte habens Sebastianum à Rotenhan, equitem Francum, in epistola, Reginonis à se edito subiecta. Prædictus abbas è libris Contracti abs se repertis, sequentes recenset: Chronicon præsens, de Musica, de Monochordo, de cõpositione Astrolabii, de eiusdem vsu, de computo ecclesiastico, de eclipsibus, de quadratura circuli, de conflictu rythmomachiæ, de Physiognomia, de sanctorum vitis libros singulos, hymnos denique varios tam prosa quàm ligata oratione conceptos.

Ex hisce libris vnicus hic de sex mundi ætatibus, in doctorum manus prodiit, quem fortè veterum, vtpote Eusebii, Hieronymi & Bedæ Chronologiarum continuandarum consilio, earundem quinetiam imitatione, ad suam vsq; ætatem pertexuit, sic tamen vt non vno tempore elaboratus esse videatur. Quem enim hactenus excusum vidimus, ex antiquo exemplari cœnobii Sangallensis in Heluetia, transcriptus esse dicitur, qua fortè coniectura Contractus Sangallensis monachus habitus fuit. Quem autem in præsentiarum damus, apographum est veteris codicis, in bibliotheca S. Georgij Hercyniæ syluæ quondam reperti. Qui cùm non solùm plenior, sed & emendatior, cæterisq; Chronographis magis consentiens esse videatur: idcirco arbitror auctorem hunc fœtum illum primò vtcunque formatum, lambendo deinceps magis politum & exactum reddidisse, atque adeo exemplum illud prioris, hoc verò posterioris manus esse censendum. Ego, ne meo iudicio nimium tribuisse videar vtrunque coniunctim edere volui. Obiit Hermannus, anno salutis 1054, in quem vsque hocce Chronicon perduxit, humatusq; traditur Alschhusæ in prædio suo, quod ordinis Teutonici per Alsatiã & Burgũdiã magistro hodie paret.

FAMILIA VERINGENSIS.

Wolferadus comes in Veringen Bertha vxor.

- Wolferadus, obiit 1069. Hiltrud vxor, ♀ 1052.
  - Lutpoldus, infans extinctus.
  - Hermannus Contractus, monachus.
  - Wolferadus comes, ♀ 1065.
- Manegoldus, ♀ 1104. Leuthildis vxor. ♀ 1106, fundatores cœnobij Isnensis.
  - Waltherus, periit in bello ad Idungsheimium 1109.
  - Wolferadus.
- Irmingardis comitissa de Veringen --- Manegoldus.

Anno 1357 vixêre Mangoldus comes à Veringen, & Eberhardus filius eius.

HERMANNI CONTRACTI COMITIS VERINGENSIS, MONACHI AVGIÆ CHRONICON.

De sex mundi ætatibus.

PRIMA est mundi huius ętas, ab Adam vsq; ad Noe, continens annos, iuxta Hebraicam veritatem, M. DC. LVI: iuxta Septuaginta interpretes, M.M.CCXLII, generationes iuxta vtramque editionem numero decem. Quæ vniuersali deleta est Diluuio: sicut primam cuiusque hominis obliuio demergere consueuit ætatem. Quotus enim quisq; est, qui suã recordetur infantiam? *Ad Gerbum ferè è Chronicis Bedæ presbyteri.*

Secunda ætas, à Noe vsq; ad Abraham, generationes iuxta Hebraicam veritatem complexa decem, annos autem CCXCII. Porrò iuxta Septuaginta interpretes, annos M.LXXII, generationes verò vndecim. Hæc quasi pueritia fuit gentis populi Dei, & ideo in ea lingua inuenta est, id est Hebræa. A pueritia namque homo incipit loqui nosse, post infantiam, quæ hinc appellata est, quòd fari non potest.

Tertia ab Abraham vsque ad Dauid, generationes iuxta vtranque auctoritatem quatuordecim, annos verò DCCCXLII complectẽs. Hæc quædam velut adolescentia fuit populi Dei, à qua ætate quia incipit homo posse generare, propterea Matthæus Euangelista generationum ex Abraham sumpsit exordium: qui etiam pater gentium constitutus est, quando mutatum nomen accepit.

Quarta à Dauid vsque ad transmigrationem Babylonis, habens annos iuxta Hebraicam veritatem CCCCLXXIII: iuxta Septuaginta translationem, duodecim amplius, generationes iuxta vtrosque codices septendecim, quas tamen Euangelista Matthęus, certi mysterij gratia, quatuordecim ponit. A qua velut iuuenili ætate in populo Dei regum tempora cœperunt. Hæc namq; in hominibus ætas apta gubernando solet existere regno.

Quinta quasi senilis ætas, à transmigratione Babylonis, vsque in aduentum domini *& incarnationem* saluatoris, est generationibus & ipsa quatuordecim, porrò annis DLXXXIX extenta, in qua vt graui senectute fessa, malis crebrioribus plebs Hebræa quassatur.

Sexta quæ nunc agitur ætas, nulla generationum vel temporum serie certa, sed vt ætas decrepita ipsa totius seculi morte consummanda. Has ærumnosas plenasque laboribus mundi ætates, sancti quique felici morte vicerunt, septima iam sabbati perennis ætate susceptí, octauam beatæ resurrectionis ætatem, in qua semper cum Domino regnent, expectant.

¶PRIMA igitur ætate seculi nascentis, prima huius die, fecit Deus lucem, quam appellauit diem. Secunda, firmamentum cœli in medio librauit aquarum, ipsis aquis ac terra cum cœlo superiore, ac virtutibus, quæ in eo conditorem laudarent, ante horum sex dierum exordium creatis. Tertia die, congregatis aquis in suum locum, quæ cuncta contexerant, aridam iussit apparere. Quarta, sydera in firmamento cœli posuit, quæ nunc quantum æquinoctij cõiectura colligimus, XII Cal. Aprilium dies vocatur. Quinta, natatilia & volatilia creauit animalia. Sexta, animalia terrestria, & ipsum hominem formauit Adam, de cuius latere dormientis matrem omnium viuentium produxit Euam: quæ nunc, quantum mihi videtur esse credibile, x Cal. Aprilium dies appellatur. Vnde meritò creditur (si non verior sententia vincit) quòd beatus Theophilus cum cæteris, non solùm Palestinæ, sed & permultis aliarum regionum episcopis, de Pascha disputans, scripsit, eodem decimo Calend. Aprilium die Dominum fuisse crucifixum. Decebat enim vna eademq;, non solùm hebdomadis sed mensis die, secundum Adam, pro generis humani salute viuifica morte sopitum, de productis è latere suo sacramentis *Prima nascentis mundi ætas.*

cœleſtibus, ſponſam ſibi ſanctificare eccleſiam : qua videlicet die primum Adam, patrem videlicet humani generis ipſe creauerat, eiq́ue de latere coſtam tollens, ædificauit mulierem, cuius adiutorio genus propagaret humanum.

Adam annorum CXXX genuit Seth, cui ſuperuixit annis DCCC. Verùm ſeptuaginta interpretes ante natum Seth poſuêre annos CCXXX, poſtea DCC. Seth interpretatur reſurrectio, ſignificans reſurrectionem à mortuis Chriſti, cuius mortem illatam à Iudæis, ſignificat Abel, qui dicitur luctus, à fratre Cain occiſus. *Anni mũdi.* 130

Seth annorum CV genuit Enos, cui ſuperuixit annis DCCCVII. Porrò ſeptuaginta ante natum Enos annos CCV, poſtea poſuêre DCCVII. Enos interpretatur homo, de quo bene dicitur: *Iſte cœpit inuocare nomen domini.* Quod hominum eſt proprium, vt ſuæ fragilitatis memores, inuocent conditoris auxilium, eorum duntaxat, qui in fide Chriſti viuentes, filij reſurrectionis eſſe lætentur. 235

Enos annorum XC, genuit Cainam, cui ſuperuixit annis DCCCXV. Sed ſeptuaginta ante natum Cainan CX annos, poſtea DCCXV poſuêre. 325

Cainan annorum ſeptuaginta genuit Malaleel, poſt cuius ortum vixit annos DCCCXL. Septuaginta ante natum Malaleel CLXX, poſtea dixêre DCCXL. 395

Malaleel annorum LXV, genuit Iared, cui ſuperuixit annis DCCCXXX. Septuaginta ante natum Iared CLXV, poſtea poſuêre annos DCCXXX. 460

Iared annorum CLXII genuit Enoch, cui ſuperuixit annis DCCC. In hac generatione nuſquam vtrique codices diſcrepant. Hunc Enoch nonnulla diuina ſcripſiſſe, Iuda Apoſtolo atteſtante, comperimus. Sed vt beatus Auguſtinus dicit: *Non fruſtra non ſunt in eo Canone ſcripturarum, qui ſeruabatur in templo Hebræi populi, ſuccedentium diligentia ſacerdotum: niſi quia ob antiquitatem ſuſpectæ fidei iudicata ſunt, nec vtrum hæc eſſent quæ ille ſcripſiſſet, poterat inueniri. Vnde illa quæ ſub eius nomine proferuntur, & continent illas de Gigantibus fabulas, quòd non habuerint homines patres, rectè à prudentibus iudicantur non ipſius eſſe credenda.* 622

Enoch annorum LXV genuit Mathuſalam, poſt cuius ortum ambulauit cum Deo trecentis annis. Septuaginta ante natum Mathuſalam poſuêre CLXV annos, poſtea CC. Et bene in ſeptima generatione Enoch (qui interpretatur dedicatio) tulit à mortalibus Deus: quia ciuitas electorum in ſex huius ſeculi pro Deo laborans ætatibus, in ſeptima ſabbati futuri gloriam dedicationis expectat, atq; reprobi ſola præſenti ſunt felicitate contenti. Cain ciuitatem quam ſtatuit, non in ſeptima generatione, ſed in primogenito Enoch filio conſecrat. 687

Mathuſalam annorum CLXXXVII genuit Lamech, cui ſuperuixit annis DCCLXXXII, id eſt vſq; ad diluuium. Septuaginta ante natum Lamech CLXVII ponunt annos, poſtea DCCC & II. Qui numerus, vt lector facillimè videbit, iuxta Hebraicam veritatem viginti annis, iuxta ipſorum verò auctoritatem XIIII annis, diluuij tempora tranſit. De qua famoſiſſima quæſtione doctiſſimi patres, Hieronymus in libro quæſtionum Hebraicarum, Auguſtinus in libro de ciuitate Dei 15 pleniſſimè diſputant. 874

Lamech annorum CLXXXII genuit Noe, qui ſuperuixit annis DXCV. Septuaginta ante natum Noe ponunt annos CLXXXVIII, & poſtea DLXV. In hac ſola generatione ſumma vniuerſitatis diſcrepat, quia viginti & quatuor annis plus vixiſſe Lamech in Hebræis, quàm in ſeptuaginta tranſlatorum codicibus inuenitur. 1056

Noe anno DC venit diluuium, menſe ſecundo, decima ſeptima die menſis. Sane de differentia annorum inter Hebræam & ſeptuaginta interpretum auctoritatem, ne quis nos laceret, nouas mouiſſe quæſtiones, legat præfatorum patrum memorata opuſcula, & intelliget hanc iam olim notiſſimam fuiſſe diſtantiam. Cuius originem diſtantiæ cum beatus Auguſtinus ſolertiſſimè quæſiſſet, dixit in libro ſupraſcripto, capitulo tredecimo, inter alia ſic: *Credibilius ergo quis dixerit, cùm primò de bibliotheca Ptolemæi deſcribi iſta cæperunt, tunc aliquid tale fieri potuiſſe in codice vno, ſed primitus inde deſcripto, vnde iam latius emanárit. Vbi potuit* 1656

Anni mũdi. *tuit quidem accidere etiam scriptoris error, sed hoc in illa quæstione de vita Mathusalæ non absurdum est suspicari.* Et post aliquanta: *Rectè fieri,* inquit, *nullo modo dubitauerim, vt cùm diuersum aliquid in vtrisque codicibus inuenitur, quandoquidem ad fidem rerum gestarum vtrumque esse non potest verum, ei linguæ potius credatur, vnde est in aliam per interpretes facta translatio.*

¶ Secvnda seculi ætate, prima huius die, quæ est xxvii mensis secundi, egressus est Noe de Arca, in qua pauci, id est octo animæ, saluæ factæ sunt per aquã. Quod memorans in epistola beatus Apostolus Petrus, mirificè statim exponere curauit, cùm subiunxit: *Quod & nos nunc similis formæ saluos facit Baptisma, non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio in Deum, per resurrectionem Iesu Christi, qui est in dextera Dei.* In aqua diluuij baptismum, in Arca & iis quæ continebat Ecclesiam, & fideles illius, in octonario animarum numero mysterium dominicæ resurrectionis, in cuius fide baptizamur, docens esse figuratum. *Secunda ætas mundi pubescentis, 1. Pet. 3.*

1658 Sem centum annorum genuit Arphaxad, biennio post diluuium. Ab Arphaxad Chaldæos originem duxisse, Hieronymus scribit. Superuixit autem Sem, nato Arphaxad, quingentis annis, id est vsque ad quinquagesimum annum natiuitatis Iacob.

1693 Arphaxad annorum xxxv genuit Sale. Hîc septuaginta Interpretes vna generatione plus quàm Hebraica veritas, posuêre: dicentes, quòd Arphaxad, cùm esset annorum cxxx v, genuit Cainan, qui cùm cxxx annorum tuerit, ipse genuerit Sale. Quorum translationem Euangelista Lucas hoc loco videtur esse sequutus. Verùm Chronographi Græcorum, cùm generationum seriem ad authoritatem Hebraicam castigassent, ablata vna generatione Cainan, nec tamen numerum annorum in generationibus, quas eis habuêre communes, ad eorum auctoritatem castigare curassent, propriam sequuti auctoritatem, dederunt huic ætati annorum summam, minorem quidem septuaginta Translatorum editione annis lxxx*: sed Hebraica veritate annis dcl maiorem, id est annorum dccc & xlii*. *al. 130. *al. 942.

Vixit autem Arphaxad post natum Sale annis ccc & tribus: cui tamen Septuaginta post natum Cainan adscribunt annos ccccxxx, & Cainan post natum Sale ccccxxxviii.

1723 Sale annorum xxx genuit Heber, cui superuixit annis ccciii. Septuaginta ante natum Heber posuêre annos cxxx, postea cccxxx. Ab hoc Heber Hebræorum nomen & genus oritur.

1756 Heber annorum triginta quatuor genuit Phalech, cui superuixit annis ccccxxx. Septuaginta ante natum Phalech annos posuêre cxxxiiii, postea *cclxx. Phalech interpretatur diuisio, cui propterea tale nomen imposuêre parentes, quòd tempore natiuitatis ipsius, terra per linguarum confusionem diuisa est. Cuius diuisionis Arnobius Rhetor in expositione Psalmi cii, ita meminit: *Sem primogenito Noe, pars facta est à Perside & Bactris vsque in Indiam longè, & vsque Rhinocozuras: quæ spacia terrarum habent linguas sermone barbarico viginti & septem. In quibus linguis gentes sunt patriarum cccc & vi; non diuersarum linguarum, sed (vt dixi) diuersarum patriarum. Verbi gratia, cum vna lingua sit Latina, sub vna diuersæ sunt patriæ, Brutiorum, Lucænorum, Apulorum, Calabrorum, Picentum, Tuscorum, & his atque huiusmodi similia si dicamus. Cham verò secundus filius Noe, à Rhinocozuris vsque Gadira habens linguas, sermone Punico, à parte Garamantum: Latino à parte Boreæ: barbarico, à parte meridiana Æthiopum & Ægyptiorum, ac barbaris interioribus vario sermone, viginti duabus linguis, in patriis cccxciiii. Iaphet autem tertius, à Media vsque Gadira ad Boram. Habet autem Iaphet flumen Tigridem, quod diuidit Mediam & Babyloniam, in patriis ducentis, sermone vario, linguis viginti & tribus. Fiunt ergo omnes simul linguæ lxxii: patriæ autem generationum mille, quæ in tripartito seculo hoc ordine sitæ sunt. Habet autem, vt diximus, Iaphet flumen Tigridem, quod diuidit Mediam & Babyloniam: Sem autem Euphratem: Cham verò Geon, qui vocatur Nilus.* *al. 269.

Anni mũdi.

Phalech annorum xxx genuit Reu, cui ſuperuixit annis cc ix. Septuaginta ante natum Reu cxxx annos ponunt, poſtea *ccviii. 1786
*al. 209.
His temporibus primùm templa conſtructa, & quidam principes gentium tanquam dij ſunt adorati.

Reu annorum xxxii genuit Saruch, cui ſuperuixit ccvii. Septuaginta ante natum Saruch cxxii ponunt annos, poſtea ccvii. 1818

*Tanaus. Scytharum regnum dicitur exortum, vbi primus regnauit *Tanaus.

Saruch annorum xxx genuit Nachor, cui ſuperuixit annis cc. Septuaginta ante natum Nachor ponunt annos cxxx, poſtea cc. 1849
Ægyptiorum dicitur imperium inchoare, primò eis regnante Vexore.

Nachor annorum xxix genuit Thare, cui ſuperuixit annis cxix. Septuaginta ante natum Thare ponunt annos lxxix, poſtea cxxix. 1878
Aſſyriorum Sycioniorumque regnum naſcitur: his primùm Belo, illis Ægialeo regnante.

Thare annorum lxx genuit Abraham, cui ſuperuixit cxxxv annis. Hactenus ſecunda ætas ſeculi protenditur, cuius tota ſerie recenſita, beatus Auguſtinus libro de ciuitate Dei decimo ſexto, capitulo decimo, hoc modo concluſit: *Fiunt itaque anni à diluuio vſque ad Abraham, mille ſeptuaginta duo, ſecundum vulgatam editionem, hoc eſt interpretum Septuaginta. In Hebræis autem codicibus longè pauciores annos perhibent inueniri, de quibus rationem aut nullam aut difficillimam reddunt.* 1948

Tertia ætas mundi. ¶Tertia mundi ætas à natiuitate cœpit Abraham Patriarchæ, qui lxxv annorum cùm eſſet, relicta gente patria ad imperium Dei venit in terram Chanaan, accipiens promiſſionem naſcituri de ſuo ſemine Saluatoris, in quo benedicerentur omnes gentes, ſimul & ſeipſum in gentem magnam eſſe futurum: quarum vna ſpiritalis, altera eſt promiſſio carnalis. 2023
His temporibus Ninus & Semiramis Aſſyriis regnant.

Abraham annorum lxxxvi genuit Iſmael, à quo Iſmaelitę. Genuit autem Iſmael duodecim duces, & vixit annis cxxxvii. 2034

Idem Abraham annorum centum genuit Iſaac, qui primus & ſolus in tota Teſtamenti veteris ſerie legitur octauo die circumciſus, quod non ſine magno myſterio priuilegium eſt filio promiſſionis donatum. 2048

Iſaac annorum lx genuit Eſau & Iacob, Patriarchas Idumeæ & Iſraeliticæ gentis: poſt quorum ortum vixit annis cxx. 2108
His temporibus primus apud Argos regnauit Inachus annis l, cuius filia Io, quam Ægyptij mutato nomine Iſidem colunt.

Iacob cxxx annorum deſcendit in Ægyptum in animabus ſeptuaginta. 2238
Huius temporibus Memphis in Ægypto ab Api Argiuorum rege condita.
Sparta quoq; à Sparto filio Phoronei regis Argiuorum conditur.

Habitatio filiorum Iſraël, qua manſerunt in Ægypto, fuit cccxxx annorum: quibus expletis, eadem die egreſſus eſt omnis exercitus domini de terra Ægypti, vt ſcriptura teſtatur Exodi: Quorum tamen ſummam annorum Chronographi à ſeptuageſimo quinto anno natiuitatis Abraham, quando terram repromiſſionis intrauit, computant: ſequentes editionem ſeptuaginta Interpretum, quæ dicit: *Habitatio autem filiorum Iſrael, qua habitauerunt in Ægypto & in terra Chanaan, ipſi & patres eorum, anni* cccxxx. Quam neceſſariò ſequendam & ipſa veritas Hebraica oſtendit, quæ narrat, Caath filium Leui, quem natum eſſe conſtat in terra Chanaan, vixiſſe annos cxxxiii, & filium eius Amram, patrem Moſis, annos cxxxvii, & ipſum Moſen lxxx annorum fuiſſe tempore egreſſionis de Ægypto: quam nimirum horum ſummam annorum conſtat cccc & xxx implere non poſſe. Annuit autem horum translationi & Apoſtolus cùm ait: *Abrahæ dictæ ſunt promiſſiones & ſemini eius. Non dicit, & ſeminibus, quaſi in multis: ſed quaſi in vno, & ſemini tuo qui eſt Chriſtus. Hoc autem dico teſtamen-* 2453
Galat. 3.

tum

Anni mūdi *tum confirmatum à Deo, quo post quadringentos & triginta annos facta est Lex, non irritum facit, ad euacuandas promissiones patrum.*

2493 Moses annis XL eductum ex Ægypto regit populum Israël in deserto: quorum primo anno tabernaculum domino constituit, & septem mensibus opus perficiens, mense primo anni secundi, prima die mensis erexit.

Hucusque, vt Eusebius commemorat, quinque libri Mosi continent gesta annorum III MDCCXXX, secundum septuaginta Seniorum interpretationem. Quot verò annos huius temporis Hebraica veritas contineat, Iosephus in primo contra Appionem Grammaticum libro, ita commemorat: *Neque igitur innumera apud nos habentur volumina, inter se inuicem discordantia: sed duo tantùm & viginti sunt libri, qui omnium temporum seriem continent, qui & iustè creduntur diuinitùs inspirati. Ex quibus quinque sunt Mosi, continentes leges vitæ & successionis humanæ prosapiam, vsque ad ipsius Mosi terminum pertendentes, qui paulo minus ad tria millia annorum continentiam gerunt.*

2519 Iosue annis viginti sex regit populum Israel, vt Iosephus docet: nam scriptura sancta quot fuerint anni ducatus illius tacet. Quare verò Eusebius in Chronicis viginti septem posuerit, infra dicemus. Primo autem ducatus sui anno, Iosue primo mense, decima die mensis, populum patefacto Iordanis alueo in terram repromissionis induxit: quo videlicet anno (vt in Chronicis præfati beati Eusebij reperimus) principium erat quinquagesimi primi Iubilæi secundum Hebræos, id est II MD erant ab initio mundi completi, singulis iubilæorum ordinibus per quinquagenos annos deputatis. At verò hanc temporis huius esse summam, nostra inquisitio nequaquam inuenire valuit. Constat enim, quòd M D C L V I ad diluuium vsque fuêre anni: inde ad Abraham CCXCII, qui septuaginta quinque erat annorum, quando promissionem Dei accepit. Promissionis anni CCCCXXX, ducatus Mosi anni quadraginta. Qui profecto numerus non II MD, sed septem minus, id est II MCCCCXCIII, vt prænotauimus, annos implet.

2559 Othoniel annis XL de tribu Iuda primus Israëli iudex, Domino iubente, constituitur.

Huius temporibus primis filij Israël seruiêre Chusanrasathaim regi Mesopotamiæ octo annis.

2639 Aoth annis LXXX, filius Gera, filij Iemini, qui vtraque manu vtebatur pro dextera: cuius in primis temporibus seruiuit Israël Eglon regi Moab, annis octodecim, donec eum ipse: percusso Eglon, liberauit.

Hoc tempore Cyrene ciuitas condita est in Lybia.

2679 Debora annis XL, prophetissa de tribu Ephraim, cum Barach de tribu Nephtalim, cuius in initio ducatus oppressit filios Israël Iabin rex Chanaan viginti annis, qui regnauit in Asor. Sed occiso ab Israël principe militiæ eius Sisara, humiliatus tandem ac deletus est.

Hoc tempore Miletus condita.

2719 Gedeon annis quadraginta, ex tribu Manasse. Sub quo seruiuit Israël Madianitis & Amalechitis *octo annis: sed Gedeon pugnante liberatus est. *al. septem*

Tyrus condita ante templum Hierosolymorum annis CCXL, vt scribit Iosephus.

2722 Abimelech annis tribus, filius Gedeonis, qui regnabat in Sichem.

Hercules Ilium vastat.

2745 Thola annis XXIII, filius Phua, patrui Abimelech, vir de tribu Isac, qui habitabat in Sanir montis Ephraim.

Bellum Lapitharum & Centaurorum, quos scribit Palæphatus, primo de Incredibilibus libro, nobiles fuisse equites Thessalorum.

In Troia post Laomedontem regnauit Priamus.

2767 Iair annis XXII, ex tribu Manasse.

Anni mũdi.

Hercules agonem Olympiacum constituit, à quo vsque ad primam Olympiadem supputantur an. ccccxxx.

Iephthe Galaadites annis sex. 2773

Philistini & Ammonitæ deprimunt Israël; ex quibus Ammonitæ debellantur à Iephthe: qui in libro Iudicum ab ætate Mosi vsque ad semetipsum ait supputari annos trecentos.

Abessan de Bethlehem annis septem. 2780

Agamemnon imperat Mycenis annis xxxv, cuius anno decimo quinto Troia capitur.

Achialon Zabulonites annis decem. Hic cum annis decem suis in septuaginta Interpretibus non habetur. Pro quorum damno supplendo, Eusebius Iosue filio Nun, Samueli & Sauli, quorum annos scriptura non dicit, plures annos quàm in Iosepho legebat, annotauit: quatenus ab egressu Israël ex Ægypto vsque ad ædificationem templi *cccclxxx annorum summam, quam scriptura prædicat, haberet. 2790

*480.

Abdon de tribu Ephraim annis octo. 2798

Huius anno quarto Troia capta est: completis à primo anno Cecropis, qui primus apud Atticam regnauit, ccccLxxv annis.

A xliii anno regni Nini Assyriorum regis, anni dcccxxv.

Mortuo Abdon seruiuit Israel Philistæis annis xl.

Samson de tribu Dan, annis xx. Hactenus Iudicum liber tempora signat, habens annos ccxcix, iudices autem duodecim. 2818

Latinis qui postea Romani nuncupati sunt, post tertium annum captiuitatis Troiæ, siue (vt quidam volunt) octauum, regnauit Æneas annis tribus. Post quem Ascanius annis xxxviii. Ante Æneam, Ianus, Saturnus, Picus, Faunus, Latinus in Italia regnauerunt annis circiter cl. Ascanius Æneæ filius Albam condidit vrbem.

Heli sacerdos annis xl. In Hebræorum libro quadraginta anni inueniuntur: in septuaginta autem interpretatione xx. 2858

Hectoris filij Ilium receperunt, expulsis Antenoris posteris, Heleno sibi subsidium ferente.

Latinorum tertius Syluius, Æneæ filius, regnat annis xxix: qui quia post mortem patris editus, ruri fuerat educatus, & Syluij & Posthumi nomen accepit, à quo omnes Albanorum reges Syluij vocati sunt.

Sicyoniis reges defecerunt, qui ab Ægialeo vsque ad Zeuxippum regnauerunt dcccclxii: post quos sacerdotes Carni constituti sunt.

Samuel annis xii, vt docet Iosephus: in scriptura enim sancta quam diu præfuerit, minime patet. Ab hoc tempora Prophetarum incipiunt. 2870

Latinorum Æneas quartus Syluius, annis xxxi regnat.

Saul primus Hebræorum rex annis xx. Et huius (quia in Canonica scriptura non habetur) de Antiquitatum libro Iosephi tempus regni notauimus. 2890

In Lacedæmone regnauit primus Eurystheus, annis xlii.

Corinthi primus Alethes, xxxv.

Quarta ætas mundi.

¶ Quarta mundi ætas non solùm cum inchoato gentis Iudææ imperio, sed cum innouata promissione, quæ patribus olim data est, imperij Christiani sumit exordium, iurante domino Dauid veritatem: *De fructu ventris eius sedere super sedem eius.*

Dauid primus ex tribu Iuda, rex annis xl. 2930

Latinorum quintus, Latinus Syluius, annis l.

Ephesus condita ab Andronico.

Carthago condita est, vt quidam volunt, à Carchedone Tyrio: vt verò alij, à Didone filiâ eius, anno * ccxliii post Troianum excidium.

*alij 143.

Solomon filius Dauid annis quadraginta. Qui quarto regni sui anno, mense secundo, templum Domino ædificare cœpit in Hierusalem, collectis ab egressu 2970

Anni mũdi.

egreſſu Iſraëlis ex Ægypto annis CCCCLXXX, vt Regum quoque liber teſtimonio eſt. Quod in figura vniuerſi temporis, quo in hoc ſeculo Chriſti ædificatur eccleſia, quæ in futuro perficitur. Septem annis perficit, & ſeptima octaui anni menſe dedicauit.

Latinorum ſextus, Alba Syluius, Syluij Æneæ filius, regnat annis XXXIX.

Regina Saba venit audire ſapientiam Solomonis.

2987 Roboam filius Solomonis, annis XVII.

Hieroboam de tribu Ephraim ſeparauit decem tribus à domo Dauid & à domino, in figuram hæreticorum, qui ſuos ſequaces à Chriſto & eccleſia ſegregant.

Huius quinto anno Seſac rex Ægypti veniens Hieroſolymam templum ſpoliauit.

Latinorum ſeptimus rex, Ægyptus Syluius, Albæ ſuperioris regis filius, regnat annis XXIIII.

Samus condita, & Smyrna in vrbis modum ampliata.

2990 Abiæ filius Roboam tribus annis. Hic pugnantem contra ſe Hieroboam ſuperauit, occiſis de exercitu eius millibus quinquaginta, eò quòd ſperaſſet in domino.

3031 Aſa filius Abia annis XLI. Ab hoc conductus Benadab rex Syriæ Damaſci contra Iſrael, percuſſit omnem terram Nephthalim.

Latinorum octauus Capys Syluius, Ægypti ſuperioris regis filius, regnat annis XXVIII.

Aſa idola deſtruit, templum mundat, egredientem cõtra ſe Zara Æthiopem cum ſuo ſternit exercitu.

Amri rex Iſraël emit montes Samariæ, à Somer, duobus talentis argenti, & ædificat eam.

Achiel de Bethel Hiericho inſtaurat.

3056 Ioſaphat filius Aſa annis XXV. Helias Thesbites tres & ſemis annos pluuiam continuit, propter peccata Achab & populi Iſraël. Et inter cætera magnalia Heliſæum filium Saphat, qui erat de Abelmeula, pro ſe vnxit in Prophetam.

Latinorum nonus, Capetus Syluius, ſuperioris Capys regis filius, regnauit annis XIII. Poſt quem filius eius Tiberinus Syluius, annis octo: à quo & fluuius appellatus eſt Tiberis, qui priùs Albula dicebatur. Poſt quem Agrippa Syluius filius eius annis XL. Ioſaphat fecit rectum coram domino.

3064 Ioram filius Ioſaphat annis octo.

Helias curru igneo rapitur quaſi vſq; in cœlum, & Heliſæus, hæres prophetiæ derelictus, primo miraculo aquas Hiericho ſanat.

In diebus Ioram receſſit Edom, ne eſſet ſub Iuda, & conſtituit ſibi regem. Ambulauit autem Ioram in viis domus Achab: filia quippe Achab erat vxor eius.

3065 Azarias filius Ioram anno vno. Ionadab filius Rechab clarus habetur.

Azariam cum filio ſuo Ioas & nepote Amaſia, ob enormitatem ſcelerum, & quia nec patrem filiúmve quiſpiam eorum bonum habebat, Euangeliſta Matthæus à domini Saluatoris genealogia ſecludit.

3071 Athalia mater Azariæ annis VI. Quæ videns interfectum ab Hien rege Iſraël filium ſuum Azariam, interfecit omnem ſtirpem regiam domus Ioram, præter ſolum Ioas filium Azariæ, quem Ioſabeth ſoror Azariæ, vxor Ioiadæ Pontificis furata eſt de medio filiorum regis, cùm interficerentur. In ſeptuaginta Interpretibus ſeptem annis regnaſſe Athalia narratur.

3111 Ioas filius Azariæ annis quadraginta. Iſte bono principio, & fine vſus peſſimo. In principiis ſui regni templum innouat: in extremis, inter cætera facinora Zachariam quoq; filium Ioiadæ, tutoris quondam ac regnificatoris ſui, inter templum & altare lapidari præcepit: quem ob meritorum gratiam dominus in Euangelio filium Barachiæ, id eſt, benedicti domini, cognominat. *Matth. 23.*

Latinorum duodecimus Aremulus Syluius, Agrippæ ſuperioris regis filius, regnauit annis XIX: qui præſidium Albanorum inter montes, vbi nũc Roma eſt, poſuit.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 136:Leibn. Marg. 136, Stück 1, [255] - 237 PUBLIC DOMAIN

Huius filius fuit Iulius, proauus Iulij Proculi, qui cum Romulo Romam commigrans, fundauit Iuliam gentem. *Anni mũdi.*

Amasias filius Ioas annis XXIX. 3140

Helisæus propheta defunctus, sepelitur in Samaria.

Azahel rex Syriæ afflixit Israel.

Latinorum XIII Auentinus Syluius, Aremuli superioris regis maior filius, regnauit annis XXXVII, atq; in eo monte, qui nunc pars vrbis est, mortuus ac sepultus, æternum loco vocabulum dedit.

Azarias qui & Ozias, filius Amasiæ annis LII. 3192

Assyriorum trigesimus sextus, Thonosconcoleros, qui vocatur Græcè Sardanapalus, Tarsum atq; Anchialen condidit, & in prælio victus ab Arbace Medo, semetipsum incendio concremauit. Vsq; ad id tempus fuisse reges Assyriorũ historia refert, & fiunt simul anni MCXCVII. Omnes autem anni regni Assyriorum à primo anno Nini supputantur MCXL.

Latinorum XIIII Procas Syluius, Auentini superioris regis filius, regnauit annis XXIII. Post quem XV Amulius Syluius annis XLIIII.

Arbaces Medus, Assyriorum imperio destructo, regnum in Medos transtulit, vbi primus ipse regnauit annis XXVIII.

Macedonum regnum inchoat, primum habens regem Caranum, annis XXVIII.

Lacedæmoniorum reges deficiunt: Lydorum incipiunt.

Ioatham filius Oziæ annis XVI. 3208

Olympias prima ab Eliensibus constituitur, post annum Troianæ captiuitatis CCCCV.

Romulus & Remus generantur Marte & Ilia.

Ioatham inter cætera virtutum bonarum opera, portam domus Domini sublimissimam ędificauit, quę in actibus Apostolorum Speciosa vocatur: omnes siquidem portæ templi in terra fuerunt, excepta Speciosa, quæ pendebat: quæ ab Hebræis porta vocabatur Ioatham. *Act. 3.*

Achaz filius Ioatham annis XVI. Ab hoc conductus Theglathphalasar rex Assyriorum, Rasin regem Syriæ interfecit, & habitatores Damasci transtulit Cyrenem. 3224

Roma condita in monte Palatino, XI Cal. Maias, à geminis Remo & Romulo, filiis Rheæ Syluiæ, quæ erat filia Numitoris, fratris regis Amulij, virgo Vestalis, sed constuprata.

In Salibus ludis Sabinæ raptæ, anno ab vrbe condita tertio.

Remus rastro pastorali, à Fabio Romuli duce, occisus.

Ezechias filius Achaz annis XXIX. Huius anno sexto, Salmanassar rex Assyriorum, capta Samaria, transtulit Israel in Assyrios, cuius regnum à primo Hieroboam steterat annis CCCLX. 3253

Mortuo Romulo, qui XXXVII annis regnauit, per quinos dies Senatores rempublicam rexerunt, atq; ita vnus expletus est annus. Post quos Numa Pompilius annis XLI, qui Capitolium à fundamentis ædificauit.

Manasses Filius Ezechiæ annis LV. Hic ob scelera sua catenatus & compeditus in Babyloniam ducitur: sed ob pœnitentiam & preces restituitur in regnum. 3308

Romanorum tertius Tullus Hostilius regnauit annis XXXII, qui primus regum Romanorum purpura & fascibus vsus est, & adiecto monte Cælio vrbem ampliauit.

Amon filius Manassæ annis duobus. In Hebraica veritate duobus annis, in septuaginta legitur regnasse XII. 3320

Histrus ciuitas in Ponto condita.

Amon à seruis suis interficitur.

Iosias filius Amon annis XXXI. Hic mundata Iudæa & Hierusalem, templo etiam innouato, post abiectas idololatriæ sordes, Pascha domino celeberrimum facit, decimooctauo anno regni sui, & cum Nechaone Ægypti rege congressus, occiditur in campo Mageddo, qui nunc Maximianopolis vocatur. 3341

Roma-

Anni mũdi.

Romanorum quartus, Ancus Martius, Numæ ex filia Nepos, regnauit annis viginti tribus: qui Auentinum montem & Ianiculum vrbi addidit, & supra mare sedecimo ab vrbe miliario, Ostiam condidit. Post quem Tarquinius Priscus annis triginta septem, qui Circum Romæ ædificauit, numerum Senatorum auxit, Romanos ludos instituit, muros & cloacas ædificauit, Capitolium extruxit.

In Hebræo triginta vno annis regnasse Iosias, in septuaginta interpretibus, triginta duobus legitur. Sed Eusebius inter regnum eius & Ioachim, alium de suo adiicit annum, propter menses bis ternos, quibus Ioachas vel Ioachim regnauerat. Verùm quid veritas habeat Hieremias pandit, qui se à tredecimo anno Iosiæ, vsque ad annum quartum Ioachim, XXIII annis prophetasse perhibet, & Nabuchodonosor quarto anno Ioachim regnare cœpisse, decimo nono autem regni eius anno Hierusalem destructam fuisse.

3352 Ioachim filius Iosiæ, annis XI. Post Iosiam regnauit Ioachaz filius eius tribus mensibus, quem Nechao vinctum ducens in Ægyptum, Ioachim regem constituit. Huius anno tertio à Nabuchodonosor capta Hierusalem & pluribus captiuatis, in quibus erant Daniel, Ananias, Azarias & Misaël, partem vasorum templi Babyloniam transfert. A quarto Ioachim anno scriptura regnum Nabuchodonosor computat, quia ex eo non solùm Chaldæis & Iudæis, sed & Assyriis, Ægyptiis, Moabitis, aliisq; innumeris gentibus incipit regnare Ioachim, qui & Iechonias, filius Ioachim, mensibus tribus ac diebus decem. Hic circundata à Chaldęis Hierusalem exiit ad regem Babylonis & mater eius, & ductus est in Babylonem cum populo, anno octauo regni Nabuchodonosor.

3363 Sedechias, qui & Matthias, filius Iosiæ, annis vndecim. Huius anno vndecimo, regis autem Babylonis decimo nono, Iudæa captiuata in Babyloniam, & templum domini incensum est, anno ex quo fundari cœpit, quadringentesimo trigesimo. Qui autem reliqui fuerunt Iudæi, transfugerunt in Ægyptum, qua post annos quinque percussa à Chaldæis, in Babyloniam sunt & ipsi transmigrati.

¶ QVINTA mundi ætas ab exterminio cœpit regni Iudaici, quod iuxta prophetiam Hieremiæ septuaginta annis permansit.

3377 Anno XIIII postquam percussa est à Chaldæis ciuitas, qui est XXV annus transmigrationis regis Ioachim, cum quo & Ezechiel captiuatus est, ipse Ezechiel in visionibus Dei adductus in terram Israël, vidit renouationem ciuitatis ac templi, ceremoniarumq; eius.

Romanorum sextus Seruius regnauit annis XXXIIII, qui tres montes Vrbi addidit: Quirinalem, Æsquilinum, Viminalem, fossas circum muros duxit, census Romanorum ciuium primus instituit.

3389 Anno vigesimo sexto post euersionem Hierosolymorum, qui est annus tricesimus septimus transmigrationis regis Ioachim, subleuauit Euilmerodach rex Babylonis, anno quo regnare cœpit, caput Ioachim regis Iudæ de carcere, & posuit thronum eius super thronum regum qui erant in Babylone. Meminit huius temporis adhuc futuri propheta Hieremias, ita scribens: *Ecce ego mittam & assumam vniuersas cognationes Aquilonis (ait Dominus) & Nabuchodonosor regem Babylonis seruum meum, & adducam eos super terram istam, & super habitatores eius, & super omnes nationes eius, quæ in circuitu illius sunt: & interficiam eos, & ponam eos in stuporem & in sibilum, & in solitudines sempiternas: & seruient omnes gentes istæ regi Babylonis septuaginta annis. Cumque impleti fuerint anni septuaginta, visitabo super regem Babylonis, & super gentem illam in solitudines sempiternas.* Et alibi, scribens ad transmigrationem, quam transduxerat Nabuchodonosor de Hierusalem in Babylonem cum Iechonia rege: *Cùm cœperint* (inquit) *impleri in Babylone septuaginta anni, visitabo vos, & suscitabo vos super verbum meum bonum, & reducam vos ad locum istum*, ait DOMINVS. *Hierem. 25.* *Hier. 29.*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 136:Leibn. Marg. 136, Stück 1, [257] - 239

Anni mũdi.

2. Par. 36. Rursum, eiusdem temporis iam præteriti verba dierum ita recordantur: *Si quis euaserat gladium, ductus in Babylonem seruiuit regi & filijs eius: donec imperaret rex Persarum, & compleretur sermo domini ex ore Hieremiæ, & celebraret terra sabbata sua. Cuncti enim diebus desolationis non egit sabbatum, vsq; dum complerentur septuaginta anni. Anno autem primo Cyri regis Persarum ad explendum sermonem domini, quem locutus fuerat per os Hieremiæ, suscitauit dominus spiritum Cyri regis Persarum,* &c. Quibus verbis ostenditur, quia vastata Chaldæi Iudæa non vt Assyrij in Samariam alios misêre colonos, sed desertam reliquêre terram, donec ipsi post annos LXX in eam redîêre Iudæi. Consentit his Iosephus, in decimo Antiquitatum libro scribẽs, templum & Hierusalem & omnem Iudæam septuaginta annis permãsisse desolatam. Qui rursum enumerando reges Babylonis (si tamen ipse sic scripsit, & non codex fallit mendosus) centum ferè annos ab euersa Hierusalem vsq; ad euersionem regni Chaldæorum facit colligi. Scribit enim, post Nabuchodonosor (qui, teste Scriptura sacra, XXV post euersam Hierusalem vixit annis) Euilmerodach filium eius regnasse annis XVIII, post quem Hegesar filium eius annis quadraginta, cui successisse filium eius Labosordach mensibus nouem: hoc defuncto, ad Balthasar, qui Naboan nuncupatur, transisse imperium, qui cùm iam decem & septem regnauerit annis, captam à Cyro Persarum, & Dario Medorum rege Babyloniam. Et sequitur: *Darius autem Astyagis filius, qui Babyloniorum destruxit imperium, cum Cyro cognato suo agebat annum sexagesimum secundum, cùm Babylon fuisset inuasa, qui tamen alio nomine vocabatur à Græcis. Is Danielem prophetam sumens ad se in Mediam duxit, & omni eum honore celebrauit.* Huius Darij ipse Daniel ita meminit: *In anno primo Darij filij Asueri, de semine Medorum, qui imperauit super regnum Chaldæorum, ego Daniel intellexi in libris numerum annorum, de quo factus est sermo domini ad Hieremiam Prophetam, vt complerentur desolationis Hierusalem* LXX *anni.* Eusebius in temporum libro triginta annos ab euersione Hierusalem, vsque ad initium Cyri regis Persarum: Iulius autem Africanus LXX, computat. Porrò Hieronymus in expositione Prophetæ Danielis, ita dicit: *Tradunt enim Hebræi huiuscemodi fabulam vsque ad* LXX *annum, quo Hieremias captiuitatem populi Iudæorum dixerat esse soluendam.* De quo & Zacharias in principio voluminis sui loquitur: irritam putans Dei pollicitationem Balthasar, falsumq; promissum, versus in gaudium fecit grande conuiuium, insultans quodãmodo spei Iudæorum & vasis templi Dei, sed statim vltio sequuta est.

Iosephus Antiq. lib. 10, cap. 12.

Dan. 9.

Persarum primus Cyrus regnauit annis XXX. Hic, vt impleretur verbum domini ex ore Hieremiæ, primo sui regni anno, laxata Hebræorum captiuitate, quinquaginta ferè hominum millia regredi fecit in Iudæam, restituens eis vasa templi domini aurea & argentea V. M. CCC C. Qui congregati in Hierusalem, mense septimo ædificauerunt altare, & à primo die mensis eiusdem cœperunt offerre holocaustum domino. Anno autem secundo aduentus sui, mense secundo, templi fundamenta iecerunt: anno incensionis eius, iuxta Africanum, LXXII: iuxta autem Chronica Eusebij XXXII. Sed impedientibus Samaritis, intermissum est opus, vsque ad annum Darij secundum, qui etiam Asueri in regno & Artaxerxis, scripserunt accusationem aduersum Iudæos, & rescripsit Artaxerxes, ne ædificaretur Hierusalem. 3423

Romanorũ VII Tarquinius, regnauit annis XXXV, qui caussa Tarquinij iunioris, filij sui, qui Lucretiam corruperat, à regno expulsus est.

Cambyses Cyri filius annis VIII. Hic deuicta Ægypto cunctam eius religionem abominatus, ceremonias eius & templa deposuit, Babylonem in Ægypto ædificauit. Hunc aiunt à Hebræis secundum Nabuchodonosor vocari, sub quo Iudith historia inscribitur. 3431

Fratres Magi mensibus septem. 3432

Iesus sacerdos magnus & princeps gentis.

Zorobabel, Aggæus, Zacharias & Malachias Prophetæ claruerunt.

Pythagoras Physicus Philosophus clarus habetur.

Darius annis XXXVI. Inter Darium & Cambysen regnasse duos fratres Magos, 3468

Anni mūdi.

gos, in libris Chronicorum Eusebij reperimus. Verùm Hieronymus in expositione Danielis scribit, post Cambysen Smerden magum regnasse, qui Panthapten (inquit) filiam Cambysis vxorem duxit, qui cùm à septem Magis fuisset occisus, & in locum eius Darius suscepisset imperium, eadem Panthaptes nupsit Dario, & ex eo Xerxen filium genuit. Secundo anno Darij septuagesimus captiuitatis Hierusalem annus impletur, vt vult Eusebius, testem adhibens Zachariam Prophetam, apud quem secundo Darij anno loquitur angelus: *Domine exercituum, vsque quo tu non misereberis Hierusalem, & vrbium Iuda, quibus iratus es? Iste ⌣ septuagesimus annus est.* Item quarto Darij regis anno dicit idem Propheta: *Cùm ieiunaretis & plangeretis per hos* LXX *annos, nunquid ieiunium ieiunastis mihi?* Zach. 1. Zach. 7.

Sexto Darij anno Templi ædificatio cõpletur, die tertia mensis Adar, qui est quadragesimus sextus annus, ex quo eius sub Cyro fundamẽta sunt iacta. Vnde in Euangelio dicunt Iudæi: *Quadraginta & sex annis ædificatum est templum hoc.* Cœperũt autem ædificare anno secundo Darij, mense sexto, die *XXIX: & anno sexto (vt dictum est) mense XII, die tertia, compleuerunt. Ex quo apparet, opus templi & antea ex parte non parua peractum: annos autem LXX à destructione illius, vsq; ad perfectam restaurandi licentiam, esse computandos. Ioan. 2. *al. 24.

Pulsis vrbe regibus, qui imperauerant annis CCXLIII, vix vsq; ad decimum quintum lapidem Roma tenebat imperium. Romę post exactos reges primùm Consules à Bruto esse cœperunt, deinde Tribuni plebis ac Dictatores, & rursum Cõsules remp. obtinuerunt, per annos fermè CCCCLXXIIII, vsq; ad Iulium Cæsarem, qui primus singulare arripuit imperium, Olympiade CLXXXIII.

3488 Xerxes filius Darij annis XX. Hic Ægyptum quæ à Dario discesserat, capit, & aduersus Græciam pugnaturus DCC millia armatorum de regno, & *CCCC de auxiliis, rostratas etiam naues mille ducentas, onerarias autem tria millia numero habuisse, narratur. Attamen victus patriam refugit. *CCC habet Beda.

Herodotus historiarum scriptor, Zeuxis pictor agnoscitur.

3489 Artabanus mensibus septem. Socrates nascitur.

3529 Artaxerxes qui & Longimanus, id est μακρόχειρ, annis XL.

Huius anno septimo, prima die mensis primi, Esra sacerdos & scriba legis Dei ascendit de Babylone cum epistolis regis: & in prima mensis quinti venit in Hierusalem, cum viris MDCC. Et inter alia strenuè gesta, castigauit filios transmigrationis ab vxoribus alienigenis.

Eiusdem anno decimo quinto, Neemias pincerna de Susis castro aduenies, murum Hierusalem LII diebus restituit, & ducatum genti XII annis præbuit.

Hucusq; diuina scriptura temporũ seriẽ continet: quæ verò post hæc apud Iudæos sunt gesta, de libro Machab. & Iosephi atque Africani scriptis, exhibentur, qui deinceps vniuersam historiam vsq; ad Romana tempora persequuti sunt. Et quidem Africanus in quinto temporum volumine huius temporis ita meminit: *Mansit itaque imperfectum opus vsque ad Neemiam, & vigesimum annum regis Artaxerxis. Quo tempore regni Persarum centum & quindecim anni fuerunt euoluti, captiuitatis autem Hierusalem* CLXXX *& quintus annus erat. Et nunc primùm ⌣ Artaxerxes iussit muros extrui Hierusalem, cui operi præfuit Neemias, & ædificata est platea & muri circundati. Et ex illo tempore si numerare velis* LXX *annorum hebdomadas vsq; ad Christum, poteris inuenire.*

Xerxes menses duos. Post quem Sogdianus menses septem.

Plato nascitur. Hippocrates medicus insignis habetur.

3548 Darius cognomento Nothus annis XIX. Ægyptus recessit à Persis. Reuersis de captiuitate Iudæis, non reges, sed Pontifices præfuerunt, vsq; ad Aristobulum, qui cum dignitate Pontificis etiam regale sibi cœpit vsurpare vocabulum.

3588 Artaxerxes, qui cognominatus est Mnemon, Darij & Parisatidis filius annis XL. Sub hoc rege videtur Hester historia completa. Ipse quippe est, qui ab Hebręis Asuerus, & à septuaginta interpretibus Artaxerxes vocatur.

Athenienses viginti quatuor literis vti cœperunt, cum antea sedecim tantùm literas haberent.

Anm mũdi.

Carthaginenſium bellum famoſum.
Galli Senones duce Brenno Romam inuaſerunt, excepto Capitolio, & incenſam ſex menſibus vaſtauerunt. Tribuni militares pro Conſulibus eſſe cœperunt.
Ariſtoteles auditor eſt Platonis, decimum octauum ætatis annum agens.
Artaxerxes, qui & Ochus, annis XXVI. Ipſe Ægyptum ſuo iunxit imperio, 3614
Nectanebo rege in Æthiopiam pulſo, in quo Ægyptiorum regnum deſtructũ eſt.
Demoſthenes Orator omnium rumore celebratur.
Romani Gallos ſuperant.
Plato moritur: poſt quem Academiam Speuſippus tenuit.
Artaxerxes Ochi filius, annis quatuor. 3618
Iudæorum põtifex maximus Iaddus clarus habetur: cuius frater Manaſſes tẽplum in montem Garizi conſtruit.
Speuſippus moritur, cui ſuccedit Xenocrates, quarto anno Ochi.
Alexander, Philippi & Olympiadis filius, vigeſimum ætatis annum gerens, Macedonibus regnare incipit.
Darius Arſami filius annis VI. 3624
Alexander aduerſum Illyrios & Thraces feliciter dimicans, ſubuerſis Thebis in Perſas arma corripuit, & apud Granicum flumen regiis ducibus oppreſſis, vrbem Sardis capit. Idem capta Tyro Iudæam inuadit, à qua fauorabiliter exceptus, Deo victimas immolat, & pontificem templi Iaddum honoribus plurimis proſequitur, Andromacho locorum cuſtode dimiſſo: ac ſeptimo regni ſui anno Alexandriam in Ægypto cõdidit. Nec mora, Babylonem obtinuit, interfecto Dario, in quo Perſarum regnum deſtructum eſt, quod ſteterat annis CCXXXI. Quo tempore etiam Latini à Romanis perdomiti ſunt.
Alexander poſt mortem Darij annis V regnauit: nam antea ſeptem. Alexander Hircanos & Medos capit, reuertensq; in Hammone condidit Parætonium. 3629
Idem Indicum vſque Oceanum victoriis potius quàm bellis peruenit, ac Babylonem reuerſus, trigeſimo ſecundo vitæ, regni autem ſui duodecimo anno, veneni hauſtu periit. Poſt quem tranſlato in multos imperio, Ægyptum Ptolemæus Lagi tenuit filius: Macedonas Philippus qui & Aridæus, frater Alexandri: Syriam & Babylonem & omnia regna Orientis Seleucus Nicanor: Aſiæ regnauit Antigonus, qui apud Danielem per quatuor hirci, qui arietem contereret, cornua deſignantur.
Ægypto primus regnauit Ptolemæus Lagi filius, annis XL. 3669
Appius Claudus cæcus Romæ clarus habetur, qui aquam Claudiam induxit, & viam Appiam ſtrauit.
Ptolemæus Hieroſolymis & Iudæa in ditionem ſuam dolo redactis, plurimos captiuorum in Ægyptum tranſtulit.
Iudæorum Pontifex maximus Onias Iaddi filius clarus habetur.
Tredecimo Ptolemæi anno, Syriæ & Babyloni & ſuperioribus locis regnare incipit Seleucus Nicanor: à quo tempore Machabæorũ Hebræa hiſtoria Græcorum ſupputat regnum, à quo & Ediſſeni ſua tempora computant.
Seleucus Seleuciam, Laodiceam, Antiochiam, Apameam, Ediſſam, Berrœham, & Pellam vrbes condidit.
Iudæorum pontifex maximus, religioſiſſimus atq; piiſſimus Simon, Oniæ filius clarus habetur. Poſt quem Eleazarus frater eius ſuſcepit templi miniſterium, filio eius Onia paruo admodum derelicto.
Seleucus in eas vrbes quas extruxerat, Iudæos trãsfert, ius eis ciuium & municipalem ordinem cum Græcis, æquali honore concedens.
Ptolemæus Philadelphus annis XXXVIII. 3707
Soſtratus Gnidius Pharum in Alexandria conſtruxit.
Ptolemæus Iudæos qui in Ægypto erant liberos eſſe permiſit, & Eleazaro Pontifici multa Hieroſolymam, & in templi donaria vaſa tranſmittens, ſeptuaginta interpretes petit, qui ſcripturam ſanctam in Græcum verterent eloquium.
Aratus cognoſcitur.

Iudæo-

Anni mũdi.

Iudæorum pontificatum post Eleazarum auunculus eius Manasses accepit. Tantæ autem potentiæ fuisse narratur Ptolemæus ille Philadelphus, vt Ptolemæum patrem vinceret. Narrant enim historiæ, habuisse eum peditum ducenta millia, equitum viginti millia, curruum duo millia, elephantos, quos primus adduxit ex Æthiopia, quadringentos, & cætera his similia.

3733 Ptolemæus Euergetes frater superioris regis, annis viginti sex. Qui inde Euergetes ab Ægyptiis est vocatus, quia capta Syria & Cilicia, & propemodum vniuersa Asia, inter innumera argenti pondera ac vasa pretiosa, quæ cepit, etiam deos eorum, quos Cambyses capta Ægypto in Persas portauerat, retulit.

Iudæorum Pontifex Onias Simonis Iusti filius, clarus habetur: cuius item filius Simon, non minori gloria fulget. Sub quo Iesus, filius Sirach, Sapientiæ librum componens, quem vocant Panareton, etiam Simonis in eo fecit mentionem.

3750 Ptolemæus Philopator, filius Euergetis, annis XVII. Antiochus rex Syriæ victo Philopatore Iudæam sibi sociat.

Iudæorum Pontifex maximus Onias, filius Simonis, insignis habetur, ad quem Lacedæmoniorum rex Areus legatos mittit.

3774 Ptolemæus Epiphanes, filius Philopatoris, annis XXIIII.

Secundus liber Machabæorum apud Iudæos huius temporis gesta continet.

Onias sacerdos assumptis Iudæorum plurimis fugit in Ægyptum, & à Ptolemæo honorificè susceptus, accepit eam regionem, quæ Heliopoleos vocabatur, & concedente rege templum extruxit in Ægypto, simile templi Iudæorum, quod permansit vsque ad imperium Vespasiani annis CCL. Sub occasione igitur Oniæ Pontificis, infinita examina Iudæorum in Ægyptum confugerunt. Eo tempore & Cyrene eorum multitudine repleta est. Hæc autem vel Oniæ vel cæteris fuit caussa Ægyptum petendi: quia pugnantibus contra se magno Antiocho & ducibus Ptolemæi, posita in medio Iudæa in contraria studia scindebatur, aliis Antiocho, aliis Ptolemæo fauentibus.

3809 Ptolemæus Philometor annis XXXV.

Aristobulus natione Iudæus, Peripateticus philosophus agnoscitur, qui ad Philometorem Ptolemæum explanationum in Mosen commentarios scripsit. Antiochus Epiphanes, qui post Seleucum cognomento Philopatorem annis vndecim regnauit in Syria, Iudęorum legem impugnans, omniaq; sordibus idolorum complens, in Templo Iouis Olympij simulacrum ponit. Sed & in Samaria super verticem montis Garizi, Iouis peregrini delubrum ædificat: ipsis Samaritanis, vt id faceret, precantibus. Verùm Mathathias sacerdos leges patrias vindicat, aduersus Antiochi duces arma corripiens: Quo mortuo, ducatum Iudæorum suscepit filius eius Iudas Machabæus, anno CXLVI regni Græcorum, XX autem Ptolemæi, Olympiade CLV: qui mox Antiochi duces de Iudæa expellens, & templum ab Idolorum imaginibus emundans, patrias leges post triennium suis ciuibus reddidit. Vnde post secessum Oniæ sacerdotis in Ægyptum, de quo suprà diximus, & mortem Alchimi, qui effugato Onia pontificatum indignus inuadere tentabat, omnium fauore Iudæorum Machabæo sacerdotium decernitur: quod post mortem eius frater Ionathas sortitus, & nouendecim annis summa ministrauit industria.

3838 Ptolemæus Euergetes annis XXIX.

Ionathas dux Iudæorum & pontifex, cum Romanis & Spartiatis amicitias facit: quo à Tryphone interfecto, in sacerdotium frater Simon assumitur, anno regis Euergetis septimo, quod octo annis strenuissimè regens, filio Ioanni reliquit. Hic aduersum Hircanos bellum gerens, Hyrcani nomen accepit, & à Romanis ius amicitiæ postulans, decreto Senatus inter amicos relatus est. Samariam, quæ nostro tempore Sebaste vocatur, obsidione captam solo æquauit: quam postea Herodes instaurans, Sebasten in honorem Augusti appellari voluit.

3855 Ptolemæus Physcon, qui & Soter, annis XVII.

Cicero Arpini naſcitur, matre Heluia, patre equeſtris ordinis, ex regio Volſcorum genere. Annī mūdi.

Hyrcano in pontificatum, quem ipſe viginti ſex annis tenuit, Ariſtobulus ſuccedit annum vnum, qui rex pariter & pontifex primus apud Iudæos diadematis ſumpſit inſigne, poſt quadringentos octoginta quatuor annos Babylonicæ captiuitatis. Poſt quem regnauit Ianneus, cognomento Alexander, annis viginti ſeptem, qui Pontificatum quoque adminiſtrans, crudeliſſimè ciuibus præfuit.

Ptolemæus, qui & Alexander, annis x. Huius anno ſeptimo Syria in Romanam ditionem ceſſit, capto Philippo à Gabinio. Expulſus de regno Ptolemæus Phyſcon per matrem Cleopatram, in Cyprum ſecedit. 3865

Ptolemæus, qui à matre fuerat eiectus, annis octo: regreſſus de fuga regnum obtinuit: quia Alexandrum, qui ante eum fuerat, ob interfectionem matris ciues pepulerant. 3873

Sylla Athenienſes vaſtat.

Ptolemæus Dionyſius annis triginta. Ab huius anno quinto Alexandra, vxor Alexandri pontificis, poſt mortem eius regnauit Iudæis annis nouem. Ex quo tempore Iudæos rerum confuſio & variæ clades oppreſſerunt. Poſt cuius mortem Ariſtobulus & Hircanus filij eius contra ſe de imperio dimicantes, occaſionem præbuêre Romanis, vt Iudæam inuaderent. Itaq; Pompeius Hieroſolymam veniens, capta vrbe & templo reſerato, vſq; ad ſancta ſanctorum accedit: Ariſtobulum vinctum ſecum abducit, pontificatum confirmat Hircano. Deinde Antipatrum Herodis Aſcalonitæ filium procuratorem Palæſtinæ facit, manſitq; in Pontificatu Hircanus annis XXXIIII. 3903

Virgilius Maro in pago, qui Andes dicitur, haud procul à Mantua naſcitur, Pompeio & Craſſo Coſſ.

Pompeius captis Hieroſolymis tributarios Iudæos facit.

Virgilius Cremonæ ſtudiis eruditur.

Cæſar Germanos & Gallos capit, & Britannos quoq;, quibus ante eum ne nomen quidem Romanorum cognitum fuerat: victos, obſidibus acceptis, ſtipendiarios facit.

Cleopatra ſoror Ptolemæi annis viginti duobus. Orto enim bello ciuili inter Cæſarem & Pompeium, victus Pompeius Alexandriam petit, ibiq́ue ab ipſo, à quo ſperabat auxilia, Ptolemæo percuſſus interiit. Mox Cæſar Alexandriam venit: ipſi quoque Ptolemæus parare inſidias voluit, vnde bello ei illato, victus in Nilo periit. Cæſar Alexandria potitus, regnum Cleopatræ dedit, cum qua conſuetudinem ſtupri habuerat: cuius regni tertio anno, ipſe primus Romanorum ſingulare obtinuit imperium, à quo Cæſares Romanorum Principes appellati. Cleopatra regio comitatu vrbem ingreſſa eſt. 3925

Cæſar ob inſolentiam morum, coniurantibus in eum ſexaginta vel amplius Senatoribus equitibúsve Romanis, in curia confoſſus interiit, poſt annos quatuor & menſes ſex quàm regnare cœperat. 3929

Caſſius Iudæa capta templum ſpoliat.

Octauianus Cæſar Auguſtus Romanorum ſecundus, regnauit annis quinquaginta ſex, & menſibus ſex, à quo Auguſti appellati reges Romanorum, quorum quindecim viuente Cleopatra, quadraginta & vnum poſtea vixit annos. 3944

Vndecimo Auguſti anno, deficiente in Iudæa pontificum principatu, Herodes nil ad eum pertinens, vtpote Antipatri Aſcalonitæ & matris Cypridis Arabicæ filius, à Romanis Iudæorum ſuſcepit principatum, quem tenet annis triginta ſex. Qui, ne ignobilis fortè & à Iudæorum ſemine argueretur extraneus, combuſſit libros omnes, quibus nobilitas gentis in templo ſeruabatur adſcripta, vt deficientibus probamentis, & ipſe ad hanc pertinere putaretur. Inſuper etiam, vt ſuam ſobolem regio illorum generi commiſceret, proiecta

Anni mũdi.

proiecta Doſide fœmina Hieroſolymitana, quam priuatus acceperat vxorem, & nato ex eo filio Antipatro, ſociat ſibi Mariamnem, filiam Alexandri, neptem Ariſtobuli fratris Hyrcani, qui ante eum rex erat Iudæorum. Hæc quinque ei filios genuit: quorum duos, Alexandrum & Ariſtobulum ipſe necauit in Samaria. Nec mora, poſt etiam matrem illorum, qua nil charius nouerat, ſimili ſcelere peremit. E quibus Ariſtobulus Herodem ex Beronice ſuſceperat filium, quem Actibus Apoſtolorum ab Angelo percuſſum legimus.

Tertio inter Auguſtum & Antonium orto bello, quòd Antonius qui Aſiam & Orientem tenebat, repudiata ſorore Auguſti, Cleopatram duxiſſet vxorem, Antonius & Cleopatra victi ſemet interficiunt. A quo tempore quidam primum annum Auguſti monarchiæ ſupputant. Hactenus qui vocabantur Lagidæ in Ægypto regnauerunt, annis CCXCV.

3952 ¶ Anno Cæſaris Auguſti XLII, à morte verò Cleopatræ & Antonij, quando & Ægyptus in prouinciam verſa eſt, anno XXVII, Olympiadis centeſimæ nonageſimæ tertiæ, anno tertio, ab vrbe autem condita DCCLII anno, id eſt eo anno, quo compreſſis cunctarum per orbem terræ gentium motibus, firmiſſimam veriſſimamque pacem ordinatione Dei Cæſar compoſuit: IESVS CHRISTVS filius Dei, ſextam mundi ætatem ſuo conſecrauit aduentu. *Sexta ætas mundi.* Anno imperij Auguſti XLIIII, Herodes morbo intercutis aquæ, & ſcatentibus toto corpore vermibus, miſerabiliter & dignè moritur. Pro quo ſubſtitutus ab Auguſto filius eius Archelaus, regnauit annis nouem, id eſt vſque ad ipſius Auguſti finem: tunc enim non ferentibus vltra, ſed accuſantibus apud Auguſtum ferocitatem eius Iudæis, in Viennam vrbem Galliæ relegatur, & ad minuendam Iudaici regni potentiam inſolentiamque domandam, quatuor fratres eius pro eo ſunt Tetrachæ creati: Herodes, Antipater, Lyſias & Philippus: quorum Philippus & Herodes, qui Antipas prius nuncupabatur, etiam viuente Archelao, Tetrarchæ fuerant ordinati.

3980 Tiberius priuignus Auguſti, hoc eſt Liuiæ vxoris Auguſti ex ſuperiore genitus coniuge filius, regnauit annis XXIII. Huius anno duodecimo, Pilatus Iudææ procurator ab eodem dirigitur.

Herodes Tetrarcha, qui Iudæorum principatum tenuit annis viginti quatuor, in honorem Tiberij, & matris eius Liuiæ, Tiberiadem condidit & Libiadem.

3983 Anno decimo quinto imperij Tiberij, dominus poſt baptiſmum, quod prædicauit Ioannes, mundo regnum cœlorum annuntiat: peractis à mundi principio, ſecundum Hebræos, annis (vt Euſebius in ſuis Chronicis ſignat) quatuor millibus: annotando, quòd decimo ſexto anno Tiberij, principium fuerit LXXXI Iubilæi, ſecundum Hebræos. Quare autem noſtra ſupputatio vnde viginti minus ponendos æſtimauerit annos, facilè, qui ſuperiora libelli huius legerit, inueniet. Iuxta verò Chronica eadem, quæ ipſe Euſebius de vtraque editione, vt ſibi videbatur, compoſuit, anni ſunt quinquies mille, CCXXVIII.

3986 Anno XVIII imperij Tiberij, dominus ſua paſſione mundum redemit, & prædicaturi per Iudææ regiones Apoſtoli, Iacobum fratrem domini Hieroſolymis ordinant epiſcopum, ordinant & ſeptem diaconos. Et lapidato Stephano, eccleſia per regiones Iudææ & Samariæ diſpergitur.

Agrippa cognomento Herodes, filius Ariſtobuli filij Herodis regis, accuſator Herodis Tetrarchæ, Romam profectus, à Tiberio in vincula coniicitur, vbi plurimos ſibi aſciuit ad amicitiam, & maximè Germanici filium Caium.

3993 Caius cognomento Caligula, regnauit annos tres, menſes decem, dies octo. Hic Herodem Agrippam amicum ſuum vinculis liberatum, regem Iudææ facit, qui permanet in regno annis ſeptem, id eſt, vſque ad quartum Claudij annum: quo ab Angelo percuſſo, ſuccedit in regnum filius eius AGRIPPA, & vſque ad exterminium Iudæorum viginti ſex annis perſeuerat. HERODES TETRARCHA & ipſe Caij amicitiam petens, cogente

Herodiade Romam venit, ſed accuſatus ab Agrippa, etiam Tetrarchiam perdidit, fugiensque in Hiſpaniam, cum Herodiade mærore periit. *Anni mũdi.*

Pilatus qui ſententiam damnationis in Chriſtum dixerat, tantis irrogante Caio angoribus coarctatus eſt, vt ſua ſe manu peremerit.

Caius in Deos ſe referens, Iudæorum loca ſancta ſordibus idolorum profanat.

Matthæus in Iudæa prædicans Euangelium ſcripſit.

Claudius annos XIII, menſes VI I, dies XVIII. 4007

Petrus Apoſtolus, cum primis Antiochenam fundaſſet eccleſiam, Romam pergit, ibiq; vigintiquinque annos cathedram tenet epiſcopalem, id eſt vſque ad vltimum Neronis annum.

Marcus Euangelium quod Romæ ſcripſerat, Ægypto, Petro mittente, prædicat.

Act. 11. Quarto Claudij anno, fames grauiſſima, cuius Lucas meminit, facta eſt. Eodem anno ipſe Britanniam adiens, quam neq; ante Iulium Cæſarem, neque poſt eum quiſquã attingere auſus fuerat, ſine vllo prælio ac ſanguine intra pauciſſimos dies plurimam inſulæ partem in deditionem recepit. Orcadas etiam inſulas Romano adiecit imperio, ac ſexto quàm profectus erat menſe, Romam rediit. Nono regni ſui anno Iudæos tumultuantes Roma expulit, quod & Lucas refert.

Sequenti anno fames maxima Romam corripuit.

Nero annos XIII, menſes VII, dies XXVIII. Huius ſecundo anno Feſtus 4021
Iudææ procurator ſucceſſit Felici, à quo Paulus Romam vinctus mittitur, & biennium in libera manens cuſtodia, poſt hæc ad prædicandum dimittitur, necdum Nerone in tanta erumpente ſcelera, quanta de eo narrant hiſtoriæ.

Iacobus frater domini cum triginta annos rexiſſet Hieroſolymorum eccleſiam, ſeptimo Neronis anno lapidatur à Iudæis, vindicantibus in illo, quòd Paulum interficere nequiuerant.

Feſto magiſtratui Iudææ ſuccedit Albinus, Albino Florus, cuius luxuriam & auaritiam cęteraq; flagitia non ferentes Iudæi, contra Romanos rebellauerunt. Aduerſum quos Veſpaſianus magiſter militiæ tranſmiſſus, plurimas vrbes Iudææ cepit.

Primus Nero ſuper omnia ſcelera ſua etiam Chriſtianos perſequitur: quorum eximios, Romæ Petrum cruce, Paulum occidit gladio. Hic in re militari nihil omnino auſus, Britanniam penè amiſit: nam duo ſub ea nobiliſſima oppida illic capta atq; euerſa ſunt.

Veſpaſianus annos IX, menſes XI, dies XXII. Hic apud Iudæam Imperator 4031
ab exercitu appellatus, & bellum Tito filio commendans, Romam per Alexandriam proficiſcitur, qui ſecundo anno Iudææ regnum ſubuertit, templumq; ſolo ſtrauit, poſt annum primæ ædificationis eius, MLXXXIX. Conſummatum eſt bellum annis quatuor, duobus Nerone viuente, & duobus aliis poſtea.

Veſpaſianus inter alia magnorum operum in priuata adhuc vita in Germaniam, ac deinde in Britanniam à Claudio miſſus, tricies & bis cum hoſte conflixit, duas
**al. Hecla* validiſſimas gentes, viginti oppida, inſulam *Hectam, Britanniæ proximam, imperio Romano adiecit.

Coloſſus erigitur, habens altitudinis pedes CVII.

Titus annos duos, menſes duos, vir omnium genere virtutum mirabilis, adeò 4033
vt amor & deliciæ humani generis diceretur. Hic Amphitheatrum Romæ ædificat, & in dedicatione eius quinq; millia ferarum occidit.

Domitianus frater Titi iunior, annos XV, menſes quinq;. Hic ſecundus poſt 4049
Neronem Chriſtianos perſequitur, ſub quo Apoſtolus Ioannes in Pathmum inſulam relegatus eſt, & Flauia Domicilla, Flauij Clementis conſulis ex ſorore neptis, in inſulam Pontianam ob fidei teſtimonium exiliatur.

Regnum

Anni mũdi. ¶ *Regnum Romanorum.* Anni Dom.

Anno XLII Octauiani Augusti Cæsaris, ex quo anno Ægyptus in prouinciam redacta est, & Cleopatra cum Antonio victa, XXVIII anno, ab vrbe verò condita DCCLII, Olympiadis CXCIII, anno tertio, dominus noster Iesus Christus in Bethlehem Iudæ nascitur: transactis ab initio mundi, secundum Hebraicam veritatem, annis tribus millibus DCCCCLII: secundum Septuaginta verò interpretes, quinq; millibus CXCIX.

43
44 Augustus Tiberium & Agrippam in filios adoptauit.
Herodes infantes occidit.
45 Iudas Galilæus ad rebellandum Iudæos cohortatur.

46 Asinius Pollio Orator moritur.
47 Herodes rex Iudææ cum magno cruciatu moritur, pro quo Archelaus regnauit, annis nouem.
48 Fames magna Romæ facta.
49
50 Tiberius Cæsar Dalmatas Sarmatasq; subegit.
51 10

52
53 Iani portæ duodecim annis ab Augusto clausæ aperiuntur.
54 Messala Coruinus Orator moritur.
55 Eclipsis Solis facta est.
56 Archelaus in Viennam Galliæ vrbem ab Augusto relegatur, & Iudæa tetrarchis committitur, & Augustus moritur, anno ætatis 76.
¶ TIBERIVS secundus, priuignus Augusti, regnauit annis 23.
1 Herodes tetracha Iudæorum regnum tenuit annis 24.
2 Mathematici vrbe pelluntur.
3 Liuius historiographus moritur.
Ouidius poëta in exilio moritur.
4 Germanicus à Tiberio missus Germanos vicit.
5 Tredecim vrbes terræmotu corruerunt.
Germanicus Cæsar moritur. 20

6 Fenestella historiographus & poëta moritur.
7 Tiberius multos reges ad se dolo vocatos nunquam remisit.
8 Pompeij theatrum incensum est.
9 Tiberius Drusum cõsortem regni fecit, qui eodem anno veneno periit.
10
11
12 Pilatus præses Iudææ à Tiberio mittitur.
13
14
15 Dominus IESVS CHRISTVS à Iohanne Baptizatur, tricesimo anno ætatis suæ secundum carnem inchoante, & prædicare cœpit. 30

16
17 Ioannes Baptista ab Herode tetrarcha decollatur.
18 Dominus in Hierosolymis passus est, & resurrexit. Eclipsis solis & maximi terræmotus facti sunt.
19 Iacobus frater domini, Hierosolymorum episcopus ab Apostolis ordinatur, sedit annis triginta.
Stephanus lapidatur.
Paulus Apostolus de cœlo vocatur.
20 Pilatus imaginem Cæsaris in templo statuens, seditionem Iudæis excitauit. 35

Anni mũdi. ¶ *Regnum Romanorum.* Anni Dom.

21 Scianus præfectus Tiberium, vt Iudæos deleat, cohortatur.
Pilatus Romam venit, & de miraculis domini Cæsari nunciauit.
22 Agrippa Herodem tetrarcham Romæ accusans, à Tiberio in vincula mittitur.
Tiberius ea quæ à Pilato audierat Senatui nunciauit, sed Senatus contempsit.
23 Tiberius pop. Rom. grauiter afflixit, & ipse veneno periit.
al.3. ¶ CAIVS Caligula III, annos *4, menses 6, dies 8, vir sceleſtiſſimus.
1 Herodes Agrippa rex Iudæorum à Caio constitutus, regnauit annis 7.
2 Iudæi apud Alexandriam profligãtur: pro quibus Philo clariſſimus scriptor apud Caium interpellans, nihil profuit. 40

3 Pilatus semetipsum interfecit, magnis à Caio calamitatibus oppreſſus.
4 Matthæus Euangelium scripsit Hebraicè.
Caius occiditur à protectoribus suis.
¶ CLAVDIVS IIII, annos 13, menses 8, dies 28.
1
2 Petrus Apoſtolus Romam venit, ibiq; per 25 annos prędicans, episcopatum tenuit.
3 Herodes Agrippa ab Angelo percuſſus expirauit: pro quo filius eius Agrippa regnauit annis 26. 45
Marcus Euangeliſta in Ægypto Christum annuntiat.
Primus Antiochiæ episcopus Euodius ordinatur.

4 Fames magna facta eſt.
Claudius Britanniam subegit.
5 Noua insula triginta stadiorum in mari apparuit.
6 Ciues Romani à Claudio numerati sunt, sexagies nouies centena, & quadraginta quatuor millia.
7 Iudæorum in seditione triginta millia necantur, in diebus azymorum.
4000 8 50

9 Claudius Iudæos expulit vrbe.
10 Magna fames Romæ facta eſt.
11 Claudius Felicem procuratorem Iudææ facit.
12 His temporibus Simon magus, symoniacæ hæreſeos autor extitit.
13 Ægyptius quidam pseudopropheta Iudæorum plures seducens, à Felice opprimitur. 55

14 Claudius veneno mortuus eſt, anno ætatis sexageſimo quarto.
¶ NERO V, annos 13, menses 7, dies 28. Iſte flagitioſus in cunctis, primã in Christianos perſequutionem exercuit, in qua Romæ Proceſſus & Martinianus, XLVII à beato Petro baptizati, Torpes, Marcellus & Apuleius: Mediolani, Nazarius & Celſus: Aquileiæ, Hermagoras episcopus, Fortunatus diaconus, Felix cum Constãtia: Rauennæ: Apollinaris episcopus pro Christo coronantur.
1 Seditio in Cæsarea orta plures Iudæorum perdidit.
Feſtus Felici succeſſit.
2 Paulus Apoſtolus Romam à Feſto præside mittitur.
3 Hucusq; librum Actus Apoſtolorum, Lucas Euangeliſta perduxit, continentem annos à paſſione domini XXVII.
4 Statius Poëta clarus habetur. 60

5 Nero Agrippinam matrem suam & sororem patris interficit.
6 Nero infinita luxuria & laſciuia, ignauiaq; bacchatur.
7 Iacobus frater domini à Iudæis lapidatur.
Feſto præsidi Albinus in Iudæa succeſſit.

8 Marcus

Anni mũdi.	Regnum Romanorum.	Anni Dom.
8	Marcus Euangeliſta apud Alexandriam paſſus eſt: pro quo Ananias 23 annis.	
	Albino Florus ſucceſſit.	
9	Neronianæ thermæ à Nerone ædificantur.	
	Perſius & Lucanus Poëtæ moriuntur.	65
10	Nero vt ſimilitudinem Troiæ ardentis videret, magnam partem Romæ incendit.	
11	Nero Senecam magiſtrum ſuum interfecit.	
12	Veſpaſianus dux exercitus aduerſus Iudæos rebellantes à Nerone mittitur.	
13	Petrus & Paulus à Nerone propter Simonem magum trucidantur: & peſtilentia Romæ facta eſt, Neroq; ſeipſum interfecit.	
	LINVS I à beato Petro Papa ſedit annis 12.	
	Antiochiæ ſecundus epiſcopus ordinatur Ignatius.	
	¶GALBA VI, menſes ſeptem. Otho menſes tres. Vitellius menſes 8.	
1	Veſpaſianus in Iudæa pugnans, Imperator ab exercitu conſtituitur.	70
	¶VESPASIANVS VII, regnat annos 9, menſes 11, dies 22, vir militari virtute præcipuus.	
1	Titus Iudæos inenarrabili fame cruciatos, obſedit.	
2	Hieruſalem à Tito expugnata deſtruitur, anno à paſſione Domini 42, à prima verò conditione templi ſub Solomone 1089.	
3		
4		
5	Hoc tempore Ioſephus hiſtoriographus clarus habetur.	75
6		
7	Coloſſus erectus eſt, habens altitudinis pedes 107.	
8		
9	Peſtilentia Romæ facta eſt: & terræmotus tres ciuitates Cypri ſubuertit.	
10	Veſpaſianus profluuio ventris in villa circa Sabinos obiit.	
	¶TITVS VIII, Veſpaſiani filius, annos duos, menſes duos, vir omnium genere virtutũ mirabilis, ita vt delitiæ & amor humani generis diceretur.	80
1	Titus amphitheatrum Romæ conſtruxit, in cuius dedicatione 5000 ferarum occidit.	
2	ANACLETVS papa 11, ſedit annis 12.	
	Titus in eadem villa qua & pater obiit, anno ætatis 42.	
	¶DOMITIANVS IX, frater Titi, annis 15, menſibus 5. Hic omnibus infectus ſceleribus, ſecundò perſequitur Chriſtianos: cuius tempore paſſi ſunt Romæ, Eutyches, Victorinus & Maro: apud Amiterniam vrbem Victorinus epiſcopus.	
1	Domitianus eunuchos fieri prohibuit.	
2	Decreto Senatus Titus inter Deos refertur.	
3	Tres virgines Veſtæ ob ſtuprum damnantur.	85
4	Anianus primus poſt Marcum Euangeliſtã epiſcopus Alexandriæ, poſt annos 22 obiit: pro quo Abilius 11 ſedit annis 13.	
5		
6	Domitianus ſe Deum & dominum appellari iuſſit.	
7		
8	Quintilianus Rhetor Romæ clarus habetur.	90
9	His temporibus hæreſis Menandri Magi & Ebionitarum & Cerinthiorum & Nicolaitarum exoritur.	

In ſucceſſione pontificũ ſequitur Euſebium, non pontificalem libriũ à Damaſo Papa perſcriptum.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 136;Leibn. Marg. 136, Stück 1, [267] - 249

Regnum Romanorum.

Anni mũdi. *Anni Dom.*

10 Hoc tempore Romani mala plurima à Cæſare & ab hoſtib. pertulerũt.
11 Domitianus de Dacis & Germanis triumphat.
12 CLEMENS Papa III, ſedit annis 9.
Cornelia virgo Veſtalis ob ſtuprum viua defoſſa eſt.
13 Domitianus multos nobilium occidit. 95

14 Hoc tempore Ioannes Apoſtolus in Pathmos inſulam à Domitiano exilio miſſus Apocalypſim ſcripſit.
15 Domitianus Flauiam Domicillam cum multis aliis in exilium pro fide Chriſti relegauit.
16 Domitianus cùm multa mala egiſſet, crudeliter à ſuis interfectus eſt, anno ætatis 35.
¶NERVA X ſenex, anno vno, menſibus 4, diebus 7. Hic primum edicto ſuo omnes exules reuocauit.
4050 1 Sanctus Ioannes Apoſtolus ab exilio rediens Euangelium ſcripſit.
Nerua confectus morbo obiit.
¶TRAIANVS XI, genere Hiſpanus, annis 19, menſibus 6, diebus 15, vir Reipublicæ vtilis, ſed errore deceptus, tertiò perſequitur Chriſtianos.
1 Alexandriæ tertius Cerdo epiſcopus, ſedit annis 12. 100

2 Ioannes Apoſt. apud Epheſum dormiuit in pace, anno à paſſione Dñi 68.
3 *Liber S. Hieronymi de viris illuſtribus aſſerit, Clementem Papam hic obiiſſe, & quartum à beato Petro fuiſſe.*
4 EVARISTVS Papa IIII, ſedit annis 8, paſſus 6 Cal. Nouembr.
Traianus de Dacis & Scythis triumphat.
5 Traianus multas gentes Romano ſubiecit imperio.
6 *Hoc tempore Simeon Cleophæ filius, Hieroſolymis epiſcopus crucifigitur, anno ætatis 120: pro quo Iuſtus ordinatur.*
Ignatius Antiochiæ epiſcopus clarus doctor habetur. 105

7
8 Huius Traiani tempore terræmotus multas vrbes ſubuertit, & aurea domus Neronis incendio periit, & Pantheon fulmine crematum eſt.
Adhuc floruit Polycarpus Smyrnæ epiſcopus, Apoſtolorum diſcipulus.
9 *Hoc tempore Plinius Secundus Philoſophus clarus pro Chriſtianis Traianum mitigat.*
10 Hoc tempore Simeon Cleophæ filius, Hieroſolymæ epiſcopus crucifigitur, anno ætatis 120, pro quo Iuſtus.
Terræmotus multas vrbes ſubuertit. (ianum mitigat.
11 Hoc tempore Plinius Secundus Philoſopus clarus pro Chriſtianis Tra-
Ignatius Antiochiæ epiſcopus Romæ beſtiis traditur: pro quo Oron tertius conſtituitur. 110

12 ALEXANDER Papa V, ſedit annis 10, *qui quinto nonas Maij martyrio coronatus eſt.*
13 Alexandriæ Primus quartus epiſcopus, ſedit annis 12.
14 Poſt Iuſtum Hieroſolymæ epiſcopum Zacheus quartus ſedit: poſt quẽ Tobias quintus, & poſt hunc Beniamin ſextus, deinde Ioannes ſeptimus, poſt quem Mathathias octauus, cui ſuccedit Philippus 9.
15 *Terræmotus penè totam Antiochiam ſubruit.*
16 Traianus Armeniam, Aſſyriam & Meſopotamiam prouincias fecit.
Terræmotus penè totam Antiochiam ſubruit. 115

17 *Ignatius Antiochiæ epiſcopus martyrizatur.*
18 Iudæi commoti magnas cędes hominum faciũt, ſed in Alexandria victi ab omnibus vbiq; trucidantur.
19 Traianus apud Seleuciam profluuio ventris moritur, anno ætatis 64.
¶ÆLIVS

Anni mundi.

Regnum Romanorum.

Anni Dom.

¶ÆLIVS ADRIANVS XII, annis 21. Hic per Quadratum discipulum apostolorum, & Aristidem virum sapientem libris apologeticis edoctus, mitis efficitur Christianus.

Huius tempore passi sunt Romæ, Xistus papa, Getulius, Sabina & Seraphia virgines: apud Mesenam, Eleutherius episcopus cum Anthia matre: Parisius, Dionysius Areopagita episcopus: apud Tiburiã, Simphorosa cum septem filiis.

1 Adrianus Alexandriam publicis restaurauit expensis.

2 Adrianus iterum Iudæos profligat.
Traianum Senatus inter Deos refert. 120

3 XISTVS papa VI, sedit annis 10 [12.]
Adrianus plurima tributa relaxat.
Terræmotus factus est. Bellum contra Sauromatas gestum.

4

5 Adrianus in Lybiam, quæ à Iudæis vastata fuerat, Colonias deducit.

6 Alexandriæ *Iustinus V episcopus, sedit annis 11. *Vel Iustus
Adrianus Athenienses legem dedit.

7 Hierosolymis post Philippum episcopus Seneca X, & post hunc Iustus XI, deinde Leui XII, post quem Ephres XIII, postea *Iesses XIIII, & post hunc Iudas XV episcopi præfuerunt. *Vel Ioses. 25

8 Hoc tempore Aquila interpres habetur.

9 Adrianus Apologeticis nostrorum acceptis, literas pro Christianis misit.

10

11 His temporibus Saturninus & Basilides & Carpocrates hæresin condiderunt.

12 Adrianus Pater patriæ primus appellatur.
THELESPHORVS papa VII, sedit annis 11. 130

13 Antiochiæ constituitur Cornelius episcopus.
Nicopolis & Cæsarea terræmotu corruerunt.
Templum Veneris Romæ factum est.

14 *Xistus papa sub Adriano principe passus est, 8 Idus Aprilis.*

15 THELESPHORVS *papa septimus, sedit annis 7: iuxta Eusebij historiam, annis 11. Passus est 4 non. Ianuarij.*
Adrianus Athenas ampliauit ædificiis plurimis.

16 Iudæi in arma versi Palæstinam depopulantur.

17 Alexandriæ Eumenes VI episcopus, sedit annis 13. 135

18 Iudæi iterum commoti, magnis vbiq; cædibus enecantur.

19 Hierusalem ab Ælio Adriano reparata est, & ex eius nomine Ælia nuncupata, & Iudæis ne introirent interdicta.

20 Primus ex gentibus Hierosolymis episcopus Marcus ordinatur, cùm iam quindecim de Iudaica gente fuissent.

21 Adrianus morbo intercutis aquæ moritur, maior sexagenario. 140
¶ANTONINVS XIII, cognomento Pius, annis 22, mensibus 3. Iste per Apologeticum Iustini, Christiani philosophi & postea martyris, edoctus, clemens efficitur nostris.

1 HYGINVS papa VIII, sedit annis 4. *Hic discessit 4 Idus Ian.*

2 Antoninus Pater patriæ appellatur.

3 Valentinus & Cerdo, & post hos Marcion & Marcus ecclesiam hæresi impugnant.

4 Iustinus philosophus pro Christianis Apologeticon Antonino scripsit.

5 PIVS papa IX, sedit annis 15. *Obiit 4 Idus Iulij.* Sub hoc Hermes librum Pastoris scripsit.

Regnum Romanorum.

Anni mũdi.

6 Antiochiæ conſtituitur epiſcopus Heros v.

Anni Dom.

7
8
9 Alexandriæ Marcus VII epiſcopus, ſedit annis 10. 145
4100 10 *Pius Papa iuxta baptiſterium S. Praxedis conſecrauit titulum S. Hermæ, de quo Apoſt. ad Rom. Salutate Phlegonta, Hermam, cuius creditur eſſe liber ille Paſtoris,* *Rom. 16.*
licet apocryphus, qui apud Græcos multum vſitatur.
11 150

12
13 Apollonius & Baſilides Philoſophi illuſtres habentur.
14
15
16 155

17 Creſcens Cynicus Philoſophus, Iuſtino noſtro Philoſopho perſequutionem commouit, in qua ille pro Chriſto occubuit.
18
19 Alexandriæ Celadion VIII epiſcopus ſedit annis 14.
20 ANICETVS Papa X, ſedit annis 11. *Martyrio coronatus eſt 16 Cal. Maÿ: cuius temporibus memorat Egeſippus ſe Romam veniſſe, ibiq; vſq; ad Eleutherium Papam permanſiſſe.*
21 Hieroſolymis poſt Marcũ factus eſt epiſcopus Caſſianus XVII, Publius XVIII, Maximus XIX, Iulianus XX, Gaianus XXI, Symmachus XXII, Caius XXIII, Iulianus XXIIII, Capito XXV. 160

22
23 Antoninus Pius apud Lorium obiit, anno ætatis 72.
¶MARCVS ANTONINVS VERVS cum fratre Lucio Aurelio Cõmodo, annis 19, menſe vno.
1 Hi primùm æquo iure adminiſtrauerunt imperium.
2 Lucio Cæſari Athenis ſacrificanti, ignis ab Oriente ad Occidentem in cœlo ferri viſus eſt.
3 Vologeſus rex Parthorum prouincias populatur Romanas quaſdam. 165

4 Fronto Orator inſignis habetur.
Seleucia à Romanis capta eſt.
5 Cæſares de Parthis triumphant.
6 Sub his principibus quarta perſequutio orta, apud Aſiam Polycarpum Smyrnæ epiſcopum cum plurimis, & in Gallia multos ſanctorum coronauit: in qua paſſi ſunt, Romæ, Anicetus papa, Victor papa, Symmetrius presbyter, Felicitas cum ſeptem filiis, Iulius & Antoninus, Euſebius & Pontianus, Peregrinus & Vincentius: apud Sebaſten Armeniæ, quadraginta martyres ſub Agricola iudice: apud Spoletum, Concordius, Germanicus & Pionius: apud Apamiam, Alexander & Gaius: apud Cretam, Philippus epiſcopus: apud Bergamum Carpus epiſcopus, Papyrius diaconus: Lugduni Galliæ Irenæus epiſcopus cum multis. Photinus quoq; vrbis eiuſdem epiſcopus, & Blandina cum aliis 48. Epipodius & Alexander in Syria, Victor & Corona. Mediolani Fauſtus, *Cabillone Marcellus, item Valerianus. Alexandriæ Ptolemæus & Lucius. **Auinione.*
7 Hoc tempore lues maxima multas vaſtauit prouincias, & exercitum Romanum penè deleuit.
8 SOTER papa XI ſedit annis 8[9].
Antiochiæ Theophilus VI epiſcopus vir ſapiens ordinatur. 170

9

10 Alexan-

Anni mũdi | *Regnum Romanorum.* | Anni Dom.

10 Alexandriæ Agrippinus episcopus nonus, sedit annis 10.
Lucius Cæsar apoplexia extinctus est.
11 Cataphrygarum hæresis oritur.
12
13 *Cataphrygarum hæresis oritur.*
His temporibus Egesippus, Dionysius Corinthi episcopus, Modestus, Melito, Pynetus Cretæ episcopus, Theophilus Antiochæ episcopus, Apollinaris & alij plúrimi doctores clari habentur. 175

14 *Hoc tempore Tatianus Encratitarum hæresin condit.*
Antoninus imperator multa prælia per se & per duces suos contra Romanos inimicos exegit.
Antiochiæ VII episcopus* Maximus constituitur. *al. Maximinus.
15 Hoc tempore Tatianus hæresin Encratitarum condit.
Antoninus Commodum filium consortem regni fecit.
16 ELEVTHERIVS Papa XII, sedit annis* 13. *15.
Antoninus Commodum filium consortem regni fecit.
17 Imperatores de hostibus triumphant, & debita plebi relaxant.
18 Lucius Britanniæ rex ab Eleutherio Papa vt Christianus efficiatur, impetrat. 180

19 Antoninus in Pannonia moritur.
¶ L. ANTONINVS COMMODVS XV post mortem patris annos 13 regnauit.
Hic Germanos feliciter vicit: cæterum obscœnus & prauus fuit.
1 Alexandriæ Iulianus X episcopus sedit annis 10.
Commodus de Germanis triumphat.
2 Templum Serapidis Alexandriæ incensum est.
3 Hoc tempore Panthenus & Clemens Alexandriæ clari habentur.
4 Hierosolymis Maximus XXVI episcopus ordinatur: post quem Antoninus XXVII, Valens XXVIII,* Dulcianus XXIX, Narcissus XXX,* Dius XXXI, Germanio XXXII, Gordius XXXIII, & Narcissus XXXIIII. *al. Dulychianus. 185 *al. Ælium.

5 Commodianæ thermæ Romæ factæ sunt.
6 Origenes apud Alexandriam nascitur.
7 Hoc tempore Montanus quidam Cataphrygarum hæresin condit.
8 Irenæus Lugdunensis episcopus & alij doctores claruerunt.
9 Capitolium Romæ & Bibliotheca fulmine cremantur. 190

10 Commodus Colossi capite sublato, suæ imaginis caput iussit imponi.
VICTOR Papa XIII, sedit annis 13.
Alexandriæ Demetrius XI episcopus, annis 43.
11 Magna quæstio de Pascha oritur, & in Dominica die celebrari iubetur.
12 Serapion Antiochiæ episcopus VIII ordinatur.
Commodus multos nobilium interfecit.
13 Commodus cunctis incommodus, in domo Vestiliani strangulatur.
¶ ÆLIVS PERTINAX XVI, mensibus 6 [7] Hunc Iulianus jurisperitus occidens regnauit mensibus septem.
¶ SEVERVS XVII. genere Afer, annis 17. Hic Iulianum ciuili bello vicit, & se Pertinacem appellauit.
1 195

2
3 Hoc tempore Narcissus Hierosolymitanus episcopus, & Theophilus Cæsariensis, Policarpus quoq; & Bachilus Asiani & alij episcopi, insignes habentur.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 136:Leibn. Marg. 136, Stück 1, [271] - 253

4
5 Iudaicum & Samariticum bellum motum eſt.
6 Seuerus Parthos & Adiabenos Arabasq; ſuperauit & ſubiecit. 200

7
8 Thermæ Seuerianæ apud Antiochiam factæ ſunt.
Victor Papa martyrizatus eſt.
9 ZEPHYRINVS Papa XIIII, ſedit annis 18 [17] *qui diſceſſit 7 calen. Septembris.*
10 Seuerus quinta perſecutione plurimos ſanctorum coronauit, inter quos pater Origenis Leonides, cum multis alijs martyriſatur. 205
11

12 Perpetua & Felicitas hac perſecutione apud Carthaginem beſtijs deputantur.
13 Hoc tempore Symmachus & Theodotion interpretes habentur.
14 Seuerus vallum apud Britannos per 132 paſſuum millia à mari ad mare fecit.
15
16 Tertullianus Afer clariſſimus habetur. 210

17 Seuerus in Britannia moritur.
¶ ANTONINVS CARACALLA XVIII, annis ſeptem.
1 Antiochiæ nonus epiſcopus Aſclepiades conſtituitur.
2 * Hoc tempore Alexander XXXV. epiſcopus Cappadociæ à Narciſſo Hieroſolymitano epiſcopo conſtituitur.
3 Antoninus Caracalla propter genus veſtis quod Romæ erogabat, cognominatur. 215
4

5 Antoninus Romæ Thermas ſui nominis ædificauit.
6 Antoninus impatientia libidinis nouercam ſuam Iuliam duxit vxorem.
7 Antoninus interficitur, anno vitæ 43.
¶ OPILIVS MACRINVS XIX, annum vnum regnauit.
1 Macrinus cum filio Diadumeno occiditur.
Antiochiæ X Philetus epiſcopus conſtituitur.
¶ M. AVRELIVS ANTONINVS XX, annis quatuor.
1 CALLISTVS Papa XV, ſedit annis 5. *paſſus eſt ſub Alexandro Imperatore ſecundo, Idus Octobris.* 220

2 Hippolytus epiſcopus clarus habetur.
Heliogabalum templum Romæ ædificatur.
3 In Palæſtina Nicopolis, quæ prius Emmaus vocabatur, condita eſt.
4 Aurelius tumultu militari Romæ occiditur.
Huius tempore coronantur Romæ Calliſtus Papa, Vrbanus Papa, Cecilia virgo, Tiburtius & Valerianus, Calepodius presbyter, Palmarius Conſul cum vxore & filijs, & Simplicius ſenator.
¶ AVRELIVS ALEXANDER XXI, annis 13. Hic in matrem ſuam vnicè pius fuit, & cunctis charus.
1 Alexander Xerxen regem Perſarum vicit.
2 VRBANVS Papa XVI, ſedit annis 8 [9.] Hic multos nobilium ad Chriſti fidem conuertit, *octauo cal. Iunij obiit.* 225

4 Vlpianus iuriſconſultus inſignis habetur.
5 Neronianæ thermæ Alexandrinæ vocantur.
6 Geminus presbyter & Hippolytus & Beryllus epiſcopi & Boſtrenus clari habentur.

7. Anti-

* Secus aliquanto Euſebius habet.

7 Antiochiæ episcopus XI, Zebennus constituitur.
8 Mammea mater Alexandri Origenem celeberrimum doctorem ad se vocatum audire curauit. 230

9
10 PONTIANVS Papa XVII, sedit annis sex, *passus est sub Maximino Imperatore 12. cal. Decemb.*
11 Alexandriæ Heracleas XII episcopus vir sapiens, sedit 13 [14.]
12
13 Alexander tumultu militari occiditur.
¶ MAXIMINVS XXII, annis tribus. Iste Christianos & maximè rectores ecclesiæ sextus post Neronem persequitur. Sub quo apud Cæsaream Palæstinam Pamphilus & Maximus presbyteri coronantur. 235

1 *Alexander Hierosolymorum episcopus* XXXV.
2 Pontianus Papa, & successor eius ANTHERVS XVIII Papa post primum mensem Pontificatus, martyrio coronantur, *tertio nonas Ianuarij.*
3 FABIANVS Papa XIX, sedit annis 14.
Maximinus Aquileiæ occiditur.
¶ GORDIANVS XXIII, annis sex.
1
2 Pupienus & Albinus, qui imperium arripuerant, in palatio occisi sunt. 240

3 Hoc tempore Iulius Africanus chronographus clarus habetur.
4 Hac tempestate Origenes Theodorum & Athenodorum fratres, postea nobiles episcopos, diuina imbuit philosophia.
5
6 Gordianus cum victor à Parthis reuerteretur, haud longè à Romano solo interficitur.
¶ PHILIPPVS XXIIII, cum filio Philippo, annis septem. Hic primus omnium Imperatorum Christianus fuit.
1 Philippus Philippum filium suum consortem regni fecit. 245

2
3 Alexandriæ XIII Dionysius episcopus clarus doctor sedit annis * 19: *qui suo tempore Sabellianam hæresin apud Ptolemaidam asserit exortam.* *al. 17.
4200 4 Millesimus annus ab Vrbe condita festiuè celebratur.
5 Origenes presbyter his temporibus tanta scripsit, vt Hieronymus quodam loco quinq; millia librorum eius se legisse dicat.
6 250

7 Philippus senior Veronæ, iunior verò Romæ, occiditur.
¶ DECIVS XXV, anno vno, mensibus tribus. Iste septimam in Christianos persecutionem excitauit.
1 Hac & sequenti persecutione passi sunt, Romæ, Fabianus Papa, Xistus Papa, Laurentius, felicissimus & Agapitus diaconus, Abdo & Sennes, Hippolytus & Concordia, Irenæus & Habundius, Cornelius Papa, Victoria virgo, Miniates. Antiochiæ, Babylas episcopus Apolloniæ ciuitatis, Leacus, Tirsus, & Gallinicus. Hierosolymis, Alexander episcopus, Nazanzo Trypho. In Ægypto, ciuitate Tanais, Phileas episcopus, Philoromus: Babyloniæ etiam Ctesiphontes episcopus: Pamphiliæ, Nestor episcopus. In Corduba, Parmenius presbyter cum alijs: in Cyrienſi colonia, Marianus & Iacob: in Tyro, Anatolia & Audax: in Africa, Nemesianus, Felix, Rogatianus presbyter, Felicissimus, cum alijs. Antiochiæ, Asclepiades episcopus: Alexandriæ, Agatho, Serapion, Arsenius,

Anni mũdi. *Regnum Romanorum.* *Anni Dom.*

Dioſcorus cum alijs. Item Romæ, Stephanus Papa, Eugenia, Iouinus, Baſilius, Lucius Papa, Baſilla, Rufina & Secunda virgines, Tertullianus, Protus, Hyacinthus, Xiſtus Papa, Valerianus, Nemeſius, Symphorianus & Olympius. In Hiſpania, Teragone: Veronæ, Zenon epiſcopus, Fructuoſus epiſcopus, Augurius & Eulogius diaconi: Cæſareæ, Marinus & Artemiſius. In Africa, Maxima, Donatilla & Secunda virgines. In vico Mitanenſi, Priuatus epiſcopus, Theodorus cognomento Gregorius, Ponti epiſcopus. Sub Claudio verò & Aureliano, Proboq; & Caro Imperatoribus paſſi ſunt Romæ, Felix Papa, Marius & Martha coniunx eius, cum filijs, XLVII milites, qui baptizati ſunt à Dionyſio Papa, Cyrilla virgo. In Campania, Felix presbyter & Euſebius. Romæ item Eutychianus Papa, Theodora, Baſilides, Tripos & Mandalio: Lingonis, ſancti gemini: Loonio ciuitate, Conon: Cæſarea, Cappadociæ, Mammes. Apud Prænesſte, Agapitus. In ciuitate Salona, Anaſtaſius: Auguſtoduni, Simphorianus. In territorio Viuarienſi, Andeolus ſubdiaconus, Andochius presbyter, Thyrſus diaconus, & Felix. In caſtro Diuione, Benignus presbyter. Itē Romæ, Chryſanthus & Daria, Claudius & Hilaria vxor eius, cum filijs Iaſone & Mauro, & 70. militibus.

Fabianus martyrizatur, pro quo CORNELIVS Papa XX, ſedit annis tribus.

Decius cum filio ſuo in Thracia à Gothis occiditur.

Antonius monachus in Ægypto naſcitur.

¶ GALLVS XXVII, cum Voluſiano filio, annis duobus, menſibus 4.

1 Origenes anno ætatis ſeptuageſimo moritur.

Nouatus presbyter *Romanæ eccleſiæ hæreſis Nouatianorum autor, qui ſe Catharos dixerunt.*

Maxima peſtilentia facta eſt.

Antiochiæ * Demetrius XIIII ordinatur epiſcopus.

* *Demetrianus.*

2 Gallus & Voluſianus interfecti ſunt, Interamnæ.

¶ VALERIANVS XXVII, cum Gallieno annis 15. Iſte octauam perſecutionem in Chriſtianos exercuit.

1 Cornelius Papa martyr efficitur.

LVCIVS Papa XXI, ſedit menſibus 8, & martyr efficitur 4. non. Martij. 255

2 STEPHANVS Papa XXII, ſedit annis duobus. *Martyrio coronatus eſt 4. nonas Auguſti.*

3 Cyprianus doctor eximius Carthaginenſis epiſcopus martyrio coronatur.

4 XISTVS Papa XXIII, ſedit annis vndecim, *qui pro Chriſto decollatus eſt, 8 Idus Auguſti.*

Valerianus commota perſecutione, à Sapore rege Perſarum captus & oculis priuatus, in ſeruitute miſerabili conſeneſcit, & Gallienus territus, pacem Chriſticolis reddidit.

5

6 Antiochiæ XV, Paulus Samoſatenus, poſtea hæreticus, epiſcopus conſtituitur. 260

7

8 Germani Italiam, Alemanni Gallias & Italiam depopulantur.

9 Græcia, Macedonia, Pontus, Aſia depopulantur per Gothos, & alias plures prouincias Barbarorum quaſſauit irruptio.

10

11 Alexandriæ Maximus XIIII epiſcopus, ſedit annis 18. 265

12 Hoc tempore Theodorus, qui & Gregorius Neocæſariæ epiſcopus virtutibus claruit.

13 Hiero-

Anni mũdi. *Regnum Romanorum.* Anni Dom.

13 Hieroſolymæ XXXVII epiſcopus Hymenæus conſtituitur.
14 DIONYSIVS Papa XXIIII, ſedit annis 9. *diſceßit 6. cal. Ianuarij.*
Paulo Samoſateno hæretico depoſito, Domnus XVI Antiochiæ epiſcopus ordinatur.
15 Gallienus Mediolani occiditur.
¶ CLAVDIVS XXVIII, anno vno, menſibus 9. Iſte Gothos iam per annos 15 Illyricum Macedoniamq; vaſtantes, ſuperat.
1 Paulus de Samoſata Antiochenus epiſcopus hæreticus eſſe conuincitur. 270

2 Claudius Sirmio moritur, pro quo frater QVINTILIVS regnauit dies 17, & Aquileiæ occiditur.
¶ AVRELIANVS XXIX, annis quinq;, menſibus ſex. Hic Reipublicæ vtilis primò clemens Chriſtianus, poſtea perſecutor fuit.
Antiochiæ epiſcopus XVII Timæus efficitur.
1
2 Zenobia regina Orientis vincitur.
3 Aurelianum Romæ triumphantem Tetricus & Zenobia captiui præceſſerunt.
4 Aurelianus templum Soli ædificat, & nonam perſecutionem in Chriſtianos excitat. 275

5 Aurelianus diuino fulmine territus, inter Byzantium & Heracleam à militibus occiditur.
¶ TACIANVS XXX, menſibus ſex. Quo apud Pontum occiſo FLORIANVS regnauit dies 88, & apud Tharſum occiditur.
1 FELIX Papa XXV, ſedit annis quinq;: *martyrio coronatur 3. cal. Iunij.*
¶ PROBVS XXXI, annis ſex, menſibus quatuor.
1 Galliæ à Barbaris vaſtatæ, à Probo Romano reſtituuntur imperio.
2 Anatolius Laodiceæ epiſcopus clarus habetur.
3 Manes quidam genere Perſa inſanam Manichæorum hæreſin condit. 280

4 Antiochiæ epiſcopus XVIII, Cyrillus conſtituitur.
5 EVTYCHIANVS Papa XXVI, ſedit menſibus 10. *paſſus 8. calend. Auguſti.*
6 GAIVS Papa XXVII, annis 15.
Alexandriæ Theonas epiſcopus XV, annis 18.
Probus apud Sirmium tumultu militum occiditur.
¶ CARVS XXXII, cum filijs Carino & Numeriano, annis duobus.
1 Carus victor de Parthis ſuper Tigridem, fulmine ictus interijt.
2 Numerianus occiditur. Carinus apud Margum à Diocletiano interficitur.
Hucuſq; ab incarnatione Domini ſupputantur ſecundùm Dionyſium anni CCLXXXIIII.
¶ DIOCLETIANVS XXXIII, annis viginti. 285

1 Ab hoc anno Græci paſchales cyclos inchoabant.
2 Diocletianus Herculium Maximianum in conſortium regni aſſumit.
3 Maximianus in Gallia Amandum cum ruſticis vicit.
Carus ſumpta purpura Britannias occupauit.
4 Hoc tempore Carauſius Britannias, Narſes rex Perſarum Orientem, Ægyptum Achilleus, Quinque gentiani Africam vaſtauerunt.
5 290

6 Diocletianus Conſtantium Conſtantini patrem Cæſarem facit, qui regnauit annis ſedecim.

Anni mũdi. | *Regnum Romanorum.* | Anni Dom.

7 Diocletianus Galerium Maximianum Cæſarem facit.
8 Hoc tempore Pierius presbyter & Achillas & Melitius Alexandrinus clarũerunt.
9 His temporibus diuerſis & multis prælijs hoſtes diuerſi vincuntur.
10 295

11 Diocletianus ſe vt Deum adorari iuſſit.
12
13 Gaio Papa martyrizato, MARCELLINVS XXVIII ſucceſſit, *annis nouem, qui idem paſſus eſt, ſex. cal. Maij.*
14 Diocletianus victo Achilleo, Alexandriam Ægyptumq; recepit.
15 Conſtantius ſexaginta millia Alemannorum occidit.
Hieroſolymis epiſcopus Labdas ordinatur XXXVIII. 300

16 Alexandriæ XVI Petrus epiſcopus, ſedit annis 12.
Galerius Maximianus à Narſeo victus eſt.
17 Galerius Maximianus Narſeum ſuperauit, & vxorem ac liberos & ſorores eius captiuauit.
18 Antiochiæ XIX Tiramnus epiſcopus conſtituitur.
Diocletianus & Maximianus inſigni pompa de hoſtibus triumphant.
19 Diocletianus in Oriente, & Herculius Maximianus in occidente eccleſias ſubuertunt, libros diuinos incendunt, & Chriſtianos decima perſecutione poſt Neronem cruciauerunt.

20 Marcellino Papa martyrizato, EVSEBIVS XXIX ſucceſſit, menſibus octo. Quo item paſſo, triceſimus MILTIADES, ſedit annis quatuor.

Diocletianus Nicomediæ, & Maximianus Mediolani purpuras & regnum, ob ſenectutis defectum, ſponte deponunt.

In perſecutione Diocletiani, Maximiani, Conſtantij, Seueri, Galerij & Maximiani, paſſi ſunt Romæ, Caius Papa, Cyriacus diaconus, Largus, Smaragdus, Apronianus, Papias, Maurus, Claudius, & Prepedigna cum filijs, Gabinius presbyter, Caſtulus, Pancratius, Artemius cum vxore & filia, Sebaſtianus, Marcus, Marcellianus, Marcellinus presbyter, Petrus exorciſta, Tranquillinus, Nicoſtratus, Zöe vxor eius, Primus, Felicianus, Claudius, Caſtorius, Victorinus, Symphorianus, Baſiliſcus, Fauſtinus, Simplicius, Beatrix, Tiburtius filius Tromatij, Suſanna virgo, Ioannes, Criſpus, Geneſius, Felix & Adauctus, Lucia & Geminianus, Sergius & Bachus, Chryſogonus, Saturninus, & Siſinnus, quatuor coronati, Theodorus, Pontianus, Prætextatus & Thraſo.

Apud Spoletum, Gregorius presbyter, Sabinus epiſcopus, Exuperantius, & Marcellinus diaconus. Apud inſulas Parmarias, Anaſtaſia: Antiochiæ, Iulianus & Baſiliſſa: in Hiſpania ciuitate Cæſar auguſtana, Vincentius diaconus: in Barcinona, Eulalia virgo, Cucufas: apud Gerundam, Felix: in Cucumis, Iuliana virgo: apud Tyrum, Tyrannio, Syluanus, Peneleus & Linus epiſcopi, cum innumera multitudine. Apud Syrmium, Sirenus: Nicomediæ, Petrus, Lucianus presbyter Antiochenus, Antimus epiſcopus, Pantaleon, Ioannes, Adrianus, Dorotheus & Gorgonius, Eleutherius Smyrnæ, Irenæus epiſcopus. In Palæſtina ciuitate Gaza, Syluanus: Mediolani, Victor. In ciuitate Suſcia, Quirinus epiſcopus: apud Tharſum, Bonifacius: in Aquileia, Felix & Fortunatus: apud Ciliciam, Vitus & Modeſtus, cum Creſcentia & Lucia virgine. In Britannia, Albanus: in Maſſilia, Victor. Apud Auguſtam, Afra, in Rhetia prouincia: Nicæa Bithyniæ, Theodata cum filijs.

Anni mũdi. *Regnum Romanorum.* Anni Dom.

lſiijs. In ciuitate Compluto, Iuſtinus & Haſtar fratres: in Sicilia, Euplus diaconus: Pergamis, Alexander: in Chalcedone, Euphemia: in Neapoli Campaniæ, Ianuarius epiſcopus Beneuentanus, Soſius diaconus: Meſenate ciuitate, Fauſtus & Deſiderius. In Palæſtina, Peleus & Nylus epiſcopi: in Cyzico, Suaſta & Eulalius: in Agauno, Mauritius cum ſocijs: Antiochiæ, Cyprianus epiſcopus cum Iuſtina: apud Ægeam ciuitatem, Coſmas & Damianus: In caſtro Solodoro, Victor. Apud Coloniam Agrippinam, Gereon cum ſocijs: apud Tharſum, Carracus, Probus & Andronicus. In Venuſia Felix epiſcopus, Audax, Ianuarius presbyter: Sueſſionis ciuitate, Criſpinianus & Criſpinus. Apud Sidonem, Zenobius presbyter. In territorio Agaunenſi, Tiberius, Modeſtus, & Florentia. In Scythia Merinas: Antiochiæ, Romanus: Alexandriæ, Petrus epiſcopus. In Africa, Criſpina virgo: in Tuſcia, Barbara virgo: in Hiſpania, Leocadia: Emerita ciuitate, Eulalia & Iulia virgines.

¶ GALERIVS & Conſtantius Auguſti.

Maximinus perſecutor Chriſtianorum & Seuerus Cæſares eliguntur. 305

---

1 Conſtantius Auguſtus vir manſuetus in Britannia Eboraci obijt.

¶ CONSTANTINVS, Conſtantij XXXIIII ex concubina Helena filius, annis triginta, menſibus decem. Hic primus imperator, excepto Philippo Chriſtianus fuit, & ab hoc Chriſtiani imperatores cœperunt.

1 Maxentius, Maximiani Herculij filius, Auguſtus appellatur.
MARCELLVS *Papa ſedit annis quinq; paſſus eſt 17 cal. Februarij.*
2 Maximianus Herculius apud Maſſiliam turpiter interficitur.
3 Quirinus epiſcopus pro Chriſto paſſus eſt.
Occiſo Seuero Licinius Cæſar efficitur.
Galerius Maximianus Chriſtianorum perſecutor, diuina vltione tactus, parcere Chriſtianis iuſſit, & ipſe moritur.
4 Maximinus Cæſar perſecutionem reſtaurat, & ipſe moritur.
Melchiade [*Marcello*] Papa paſſo, SYLVESTER XXXI, ſedit annis 22. 310

---

5 Petrus Alexandriæ epiſcopus martyrio coronatur: pro quo Achillas XVII ſedit.
Magna fames & lues in perſecutores facta eſt.
6 *Euſebius Papa* XXX, *annis ſex: diſceſſit ſexto Non. Octobris.*
7 Perſecutio tandem poſt decem annos finita eſt.
8 Conſtantinus Maxentium ciuili prælio, Deo iuuante, apud pontem Miluium vicit.
Hieroſolymitanus epiſcopus Machatius XXXIX conſtituitur.
9 *Maximinus Cæſar cum magno cruciatu miſerabiliter & dignè moritur.* 315
Diocletianus moritur, & inter Deos refertur.

---

10 Plurimi perſecutorum & magorum trucidantur.
11 Criſpus & Conſtantinus, filij Conſtantini, & Licinius Cæſares appellantur.
Lactantius clarus habetur.
12 *Licinius Cæſar primò bonus Chriſtianorum vltor, praua contra Conſtantinum machinans, & Chriſtianos perſequens, victus bello interiit.*
MELCHIADES *Papa* XXXI, *ſedit annis 4: obiit quarto idus Ianuarij.*
13
14 Licinius Chriſtianos de Palatio ſuo expellit, & eos perſequitur. 320

Anni mũdi. | *Regnum Romanorum.* | Anni Dom.

Hoc tempore Alexandriæ presbyter Arius nefandam hæresim Arianorum condit, sub Alexandro episcopo, qui Achilli successit.

15 Alexandriæ Alexander XVIII episcopus ordinatur, à quo Arius presbyter de ecclesia eiectus, multos errori suo sociat, & ecclesiam hæresi impugnat.
SYLVESTER *Papa* XXXII, *sedit annos 23, menses 10: qui discessit pridie calend. Ianuarij.*
17 Concilium in Nicæa congregatur, CCCXVIII Episcoporum, sub Iulio [*Syluestro*] Papa, in quo Arius condemnatur, *& 70 capitula constituuntur, sicut Athanasius dicit, qui eidem synodo interfuit.*
18 Constantinus, filius Constantini, Cæsar efficitur.
Licinius occiditur.
19 Hoc tempore crux Dominica ab Helena Constantini matre in Hierosolymis reperitur, sub Machario eiusdem vrbis episcopo.
20 Vicennalia Constantini Romæ acta. 325

21

22 Antiochiæ post Tiramnum Vitalis vicesimus episcopus ordinatur: pro quo * Philogimius XXI, & post hunc Paulinus XXII, cui successit Eustathius XXIII. Quo ob fidem catholicam in exilium misso, Ariani episcopi vndecim numero, ecclesiam illam vnus post alium occupauerunt.
Constantinus vxorem suam Bausiam interfecit.
Donatus quidam Donatistarum hæresim condidit.
Constantinus Sarmatas, Gothos & multas nationes Romano subdit imperio.
24 Constantinus Byzantium vrbem reparauit, & ex suo nomine Constantinopolim appellauit, & sedem Romani regni eam esse voluit.
25 Alexandriæ Athanasius XIX episcopus ordinatur.
Romæ MARCVS XXXII Papa, sedit mensibus octo: pro quo IVLIVS XXXIII, annis 16, mensibus 9.
Porphyrius misso ad Constantinum volumine, exilio liberatur.
Templa idolorum destruuntur.
26 Hoc tempore Indi & Iberi efficiuntur Christiani. 330

* *al. Philogonius.*

27 Constans, filius Constantini, Cæsar efficitur.
His temporibus Eusebius Cæsarienſis episcopus, & Iuuencus poeta, & plurimi Doctores claruerunt.
28 Antonius monachus clarus habetur.
29 Constantia, Constantini soror, vxor Licinij moriens, Arianum quendam presbyterum fratri commendat.
30 Dalmatius Cæsar efficitur.
Constantinus in Arianum dogma labitur, ab Eusebio Nicomediense baptizatus.
31 Constantinus dum bellum in Persas pararet, apud Nicomediam obijt, anno vitæ 66. 335
¶ CONSTANTIVS XXXV, filius Constantini, cum Constantino & Constante fratribus, annis 24, mensibus 5, diebus 13 regnauerunt.

1 Constantius Ariana hæresi per Arianum presbyterum & Eusebium Nicomediensem polluitur, & catholicos persequitur.
2 Iacobus Nisibinus episcopus virtutibus claruit.
Dalmatius Cæsar occiditur.
Sapor rex Persarum Mesopotamiam vastat, & Christianos persequitur.

3 Con-

Anni mũdi. | *Regnum Romanorum.* | Anni Dom.

3 Constantinus bellum fratri Constantio inferens, iuxta Aquileiam occiditur.
4 Terræmotus multas vrbes obruit.
Audeus Syrius Audeanam hæresim condit.
5 Franci à Constanti perdomiti, in pacem recepti sunt. 340

6 Constantinopoli eiecto ab Arianis Paulo episcopo, Macedonius hæresiarches in locum eius substituitur.
7 Hoc tempore Maximinus Treuirorum episcopus, clarus habetur, à quo Athanasius Alexandriæ episcopus à Constantio profugus, honorificè susceptus est.
8 MARCVS *Papa* XXXIII *sedit annis duobus, discessit nonis Octobris.*
9 Athanasius episcopus ad Constantis literas Alexandriam regreditur.
10 Eclipsis Solis facta est, & terræmotus hoc tempore multas vrbes subuertit. 345
IVLIVS XXXIIII *Papa, annis quindecim.*

11 Bellum contra Persas graui Romanorum damno geritur.
Maximus XL post Macharium Hierosolymitanum episcopum, moritur: post quem Cyrillus expulso Heraclio & cæteri Ariani ecclesiam illam occupant.
12 Romæ LIBERIVS XXXIIII Papa ordinatur. Quo ab Arianis eiecto, Felix locum eius occupat, annum vnum: sed Liberius hæresi subscribens, redijt, & Felix eijcitur.
Constans haud longè ab Hispania interficitur, anno ætatis 30.
13 Magnentius qui Constantem occiderat, & alij. Rempublicam turbant.
14 Magnentio graui ciuili prælio victo, Gallus Cæsar efficitur.
His temporibus ossa Timothei & Andreæ apostolorum, & Lucæ Euangelistæ, Constantinopolim allata sunt.
15 Gallus multos Iudæorum deleuit, & ciuitatem eorum iubuertit. 350

16 Antonius Monachus centesimo quinto suæ ætatis anno in eremo moritur: quo tempore multi Eremitæ virtutibus claruerunt.
Magnentius seipsum occidit, & Decentius frater eius laqueo vitam finiuit.
17 Gallus Cæsar à Constantio patruele suo ob suspicionem occiditur.
Victorinus rhetor & Donatus Grammaticus Romæ insignes habẽtur.
18 Iulianus frater Galli Cæsar efficitur à Constantio.
Antonius Monachus CV ætatis anno obijt.
19 Liberius Papa & multi catholicorum episcopi ab Arianis expulsi sunt.
Magnæ Alemannorum copiæ apud Argentuarium deletæ sunt.
20 Ossa Andreæ apostoli & Lucæ euangelistæ & Timothei Constantinopolim allata sunt. 355
Iulianus Rhenogermanos vicit.

21 Paulinus Treuirorum episcopus in exilio obijt.
Hoc tempore Hilarius Pictauiensis episcopus & Athanasius Alexandrinus, & omnes catholici episcopi multa ab Arianis mala passi sunt.
22 Apud Ariminum synodus CCCC episcoporum Arianorum contra fidem facta est.
23 Iulianus bellorum successibus elatus, Augusti nomen vsurpat.
Constantius in Parthos bellum parat.
LIBERIVS *Papa* XXXV, *sedit annos sex. Quo expulso locum eius Felix Papa* XXXVI *vno anno occupauit: & iterum Liberius suæ sedi restituitur. Sanctus autem Felix Constantium imperatorem hæreticum esse declarans, martyrizatus est, 4 cal. Augusti.*

12. *Hæc codex ad annum 23. Constantij refert.*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 136;Leibn. Marg. 136, Stück 1, [279] - 261

Anni mūdi. | *Regnum Romanorum.* | Anni Dom.

24 Constantius Parthico bello dimisso, contra Iulianum arma sumens, moritur, anno ætatis 46.

¶ IVLIANVS XXXVI apostata, anno vno, mensibus octo. Hic ex Christiano lectore paganus factus, persequitur Christianos.

1 Alexandriæ Georgio Ariano episcopo à populo incenso, Athanasius ad sedem suam reuertitur, in parte Catholicorum Antiochiæ episcopus fit.

Pagani apud Sebasten sepulcrum S. Ioannis Baptistæ inuadunt. 360

2 Iulianus ad bellum Parthicum profectus, & Christianorum sanguinem dijs suis vouens, Dei iudicio, à quodam hoste occisus, interijt, anno ætatis 32.

¶ IOVIANVS XXXVII, mensibus octo. Iste iterum cum omni exercitu ad Christianitatem redit.

1 Iouianus in noua domo recubans, suffocatus odore prunarum & calcis moritur.

Synodus hæretica Antiochiæ facta est.

¶ VALENTINIANVS XXXVIII, regnauit annis vndecim. Hic ob fidem Christi tribunatu militum à Iuliano priuatus fuit.

1 Valentinianus Valenti fratri suo Orientis imperium dedit.

2 Romæ DAMASVS XXXV Papa ordinatur.

Valens ab Eudoxio Arianorum episcopo seductus & baptizatus, post mortem fratris orthodoxos persequitur.

Terræmotus per totum orbem factus est.

3 Gratianus Valentiniani filius, Ambianis Imperator efficitur. 365

Vera lana pluuiæ mixta de nubibus fluxit.

4 Athanaricus rex Gothorum Christianos in sua gente persequitur.

Hilarius Pictauis episcopus obijt.

DAMASVS *Papa* XXXVII, *sedit annis 18. discessit tertio idus Decembris.*

5 Eusebius Varcellensis episcopus moritur.

Laodiceæ Apollinaris episcopus plura scripsit, sed postea hæresim condit.

6 Magna fames in Phrygia.

Lucifer Calaritanus episcopus vir valde catholicus obijt.

7 *Maximinus præfectus annonæ Romæ multos nobilium occidit.

His diebus post Auxentij Ariani mortem, Ambrosius episcopus Mediolani ordinatur.

8 Valentinianus Saxones in regione Francorum cæde perdomuit. 370

9 Alexandriæ Petrus XX episcopus post Athanasium ordinatur.

Burgundionum octoginta ferè millia iuxta Rhenum consederunt.

Eunomius hæresiarcha extitit.

Didymus cæcus clarus habetur.

10 Magnentia quæ & Tecla Romanorum nobilissima Hierosolymam veniens, virtutibus & humilitate claruit.

Post Auxentium Arianum, Ambrosio Mediolani episcopo ordinato, Italia ad rectam fidem reuertitur.

11 Valentinianus bellum in Sarmatas parans, apoplexia obijt.

Multi monachorum martyrio coronantur.

¶ VALENS XXIX post mortem fratris cum Gratiano & Valentiniano annis quatuor regnauit.

Photinus hæreticus moritur.

Theodosius, Theodosij postea Imperatoris pater, & multi nobiles à Valente occisi.

1 Gratia-

* al. Maximus.

Anni mũdi.	*Regnum Romanorum.*	Anni Dom.
1	Gratianus triginta millia Alemannorum deleuit. Gothi depulsi ab Hunis, diffunduntur in Thraciam.	
2	Valens legem dedit, vt monachi militarent: nolentes, fustibus iussit interfici. Gothi datis à Valente hæreticis doctoribus, Ariani efficiuntur.	375
3	Gothi fame compulsi rebellant.	
4	Valens, à Gothis occiso exercitu, fugiens, in domo quadam viuus crematur.	

Hucusq; Chronicam Eusebij Hieronymus perduxit.

Antiquus codex.		Nouus seu Manuscriptus codex.
¶ GRATIANVS XL, cum Valentiniano fratre post mortem patrui, annis sex regnauit.	378	*Post mortem Valentis Arriani Imperatoris,* GRATIANVS *cum Valentiniano fratre suo, annis sex regnauit.*
1 Gratianus Theodosium genere Hispanum, Orientis Imperatorem fecit. Priscillianus episcopus hæresim condit.	379	*Gratianus Imp. Theodosium Orienti Imperatorem perficit.* *Priscillianus de Gallijs episcopus, hoc tempore sui nominis hæresin condit.*
2 Ab hoc anno Theophilus paschales circulos inchoat.	380	*Ab hoc anno Theophilus Alexandrinus episcopus paschales circulos inchoat.*
3 Synodus secunda CL Episcoporum Constantinopoli aduersus Macedonium congregatur sub Damaso Papa.	381	*Synodus secunda vniuersalis* CL *episcoporum Constantinopoli agitur, contra Macedonium hæresiarcham, ipsius vrbis episcopum, sub Theodosio Augusto & Damaso Papa: & post damnationem prædicti hæretici tres Canones constituũtur.*
4 Hoc tempore Theodosius multis prælijs Gothos, Hunos, Alanosq; superauit. Athanaricus Rex Gothorum moritur.	382	
5 Arcadius, Theodosij filius, Imperator efficitur.	383	*Archadius, filius Theodosii Augusti, à patre in consortium regni assumptus, regnauit annis* XXVI.
6 Maximus regnum sibi vsurpans, Valentinianum Italia depulit: Gratianus Lugduni occiditur. Romæ post Damasum VRSINVS XXXVI Papa, sedit annis quatuordecim.	384	*Maximus sibi regnum vsurpans, Gratianum Lugduni occidit.* *Romæ post Damasum Papam Siricius, qui in Chronicis Prosperi* VRSINVS *dicitur, Papa* XL *sedit annos quatuordecim.*
¶ THEODOSIVS XLI cum Valentiniano, post mortem Gratiani annis vndecim regnauit. 1 Theodosius vir omnibus virtutibus plenus, Valentinianum benignè susceptit. Priscillianus & alij hæretici sequaces eius, ab Euodio præfecto gladio addicti sunt.	385	*Hieronymus presbyter, iam in Bethlehem habitans, clarus habetur. Priscillianus hæreticus in synodo Burdegalensi damnandus, fugit: sed Treueris ab Ebodio præfecto interficitur.*
2 Ambrosius Mediolanensis Episcopus, & sanctus Martinus Turo-	386	*Hoc tempore Siricius Papa scripsit decretalia* XV *capitula Himerio Tarra-*

Anni mũdi.	Antiquus Codex.		Nouus seu Manuscriptus conensi Episcopo.
	nensis episcopus, & Hieronymus Bethleemites clarissimi habentur.		
	3	387	
	4 Maximus tyrannus à Theodosio victus, & captus, capite plectitur, & Victor filius eius ab Arbogaste interficitur, & Valentinianus regno restituitur.	388	*Theodosius Augustus Maxtyrannum Aquileiæ occidit.*
	5 Ithacius & Vrsacius episcopi, ob necem Priscilliani, quem accusauerant, Ecclesiæ communione priuantur.	389	*Ithacius & Vrsatius episcopi, ob necem Priscilliani quem accusauerant, Ecclesiæ communione priuantur.*
	6	390	*Hoc tempore S. Martinus, Ambrosius, episcopi: Hieronymus presbyter, Ioannes Chrysostomus, Augustinus & Seuerus aliqq; quàm plures Doctores claruerunt.*
	7	391	
	8 Valentinianus dolo Arbogastis suspendio perijt. Hieronymus vsque huc librum de illustribus viris Ecclesiæ perduxit.	392	*Valentinianus dolo Arbogastis, laqueo vitam finiuit. Hieronymus librum quem de viris illustribus, Ecclesiæ scripsit, huc vsq; perduxit.*
	9 Arbogastes Eugenium tyrannum Imperatorem constituit.	393	*Theodosius Imp. cum filiis Archadio & Honorio tres annos regnauit.*
	10 Ioannes heremita Theodosium victorem fore contra Eugenium prophetat.	394	*Ioannes Anachorita, cuius vitam Hieronymus descripsit, Theodosium Imperat. contra Eugenium tyrannum victorem fore, prædixit.*
	11 Augustinus Doctor facundissimus, Hippone regione Africæ, episcopus ordinatur.	395	*Theodosius Imp. Eugenium tyrannum vicit, & ipse eodem anno Mediolani in pace requieuit. Pro quo* ARCHADIVS & HONORIVS *filij eius, annis* XIII. *Augustinus Hippone ordinatur Episcopus.*
	Claudianus poëta clarus habetur.		
	Theodosius Eugenium tyrannum superauit, & ipse Mediolani in pace obijt.		*Ioannes Heremita migrauit ad Dominum.*
	¶ ARCADIVS XLII, filius Theodosij cum fratre Honorio annis tredecim.		

Hæc historia ab ascensione Domini, &c. ad obitu Theodosij Aug. pertingit.

Hucusq; ecclesiasticam historiam Eusebij Rusinus perduxit.

	1 Gildo Comes Africam sibi vsurpare audet. Ioannes Heremita obijt.	396	*Gildo Comes Africam sibi tyrannicè vsurpauit.*
	2 Concilium Carthaginense colligitur.	397	*S. Martinus episcopus migrauit ad Dominum, anno ætatis* LXXXI, *episcopatus verò* XXII, *cuius vitam & virtutes Sulpitius Seuerus egregiè composuit.*
	S. Martinus Turonorum episcopus, post multas virtutes migrauit ad Dominum, anno ætatis 81, Episcopatus verò 26.		
	3 Romæ ANASTASIVS XXXVIII Papa ordinatur, Ambrosius Mediolanensis Episcopus, doctor sapientissimus	398	*S. Ambrosius Mediolanensis archiepiscopus, doctor egregius, migrauit ad Dominum.*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 136;Leibn. Marg. 136, Stück 1, [282] - 264
PUBLIC DOMAIN

Anni mũdi.			
	simus, migrauit ad Dominum.		*Romæ Anastasius Papa* XLI *sedit annis quatuor. Gildo Comes pugna victus, interiit.*
	4 Templa idolorum destruuntur, & ludi gladiatorum tolluntur. *Mascezil Gildonem fratrem, Deo iuuante, superauit.	399	*Templa idolorum destruuntur, & ludi gladiatorum tolluntur.* *Mazelser. *Gothi Italiam deuastant.* *Hoc tempore Anastasius Papa sua decreta constituit & inuitos in vrbe Manichæos, damnauit. Corpora Prophetarum Abacuc & Micheæ à Domino reuelantur.*
	5 Gothi Halarico & Radagaiso Regibus Italiam ingrediuntur.	400	
	6 Ioannes Constantinopolitanus & Theophilus Alexandrinus illustres episcopi, sibi inuicem discordissimi, habentur. Hoc tempore corpora Prophetarum Abacuc & Micheæ à Domino reuelantur.	401	*Ioannes Constantinopolitanus & Theophilus clarissimi habentur, sed adeò discordes, vt molimine Theophili Ioannes in Pontum exilio sit relegatus.*
	7 Romæ INNOCENTIVS XXXVIII Papa, sedit annis 14. Gothi Stilicone cum Romano exercitu victum fugauerunt.	402	*Gothi Stiliconem Ducem cum Romano exercitu fugauerunt. Innocentius Papa* XLII *sedit annos 14, qui 57. cap. decretalia scripsit.*
	8 Carthaginense Concilium contra Donatistas habetur. His tẽporib. Orosius presbyter clarus habetur.	403	*Carthagini Concilium contra Donatistas habetur.*
	9	404	*His temporibus Innocentius Papa multa decreta fecit. Orosius presbyter clarus habetur.*
	10 Hoc tempore Radagaisus hostis crudelissimus, cum CC millibus Gothorum, Deo donante sine bello perijt. His diebus Innocentius Papa dedicauit basilicam Geruasij & Prothasij martyrum.	405	*Hoc tempore Radagaisus cum* CC *milibus Gothorum, Deo donante, est victus.*
	11 Vandali & Alani transito Rheno Gallias intrauerunt.	406	*Vandali, Sueui & Alani, traiecto Rheno, tertio cal. Ianuarij Gallias hostiliter ingressi sunt.*
	12 Constantinus tyrannus Gallias occupat. Pelagius Brito Dei gratiam impugnat.	407	*Innocentius Papa Archadium Imp. excommunicat, qui consensit, vt expelleretur Ioannes Chrysostomus.*
	13 Arcadius Orientis Imp. Constantinopoli moritur. Stilico cum filio Eucherio ab Honorio occiditur. ¶ HONORIVS XLIII cum Theodosio fratris sui filio, annis 15.	408	*Archadius Imp. Constantinopoli moritur, relicto prosefilio Theodosio, cum quo dehinc patruus* HONORIVS *annis 15 regnauit.* *Stilico dux fortis ab Honorio Aug. occiditur.*
	1 Attalus rex Imperator factus, qui mox priuatus regno Gothis cohæsit. Vandali Hispanias occupauerunt.	409	*Vandali, Alani, Sueui, tertio die Octobris Hispanias occupant.*

Anni mũdi.

2 Roma irrupta est à Gothis, Halarico rege, anno à conditione eius, M. LXIIII. Sed quia Christianus rex erat, clementer victoria vsus est. — 410 — *Alaricus rex Gothorum Romam obsedit & irrupit, anno ab vrbe condita* M. C. LXIIII: *& quia Christianus erat, locis sacratis, & ad ea profugis tantùm pepercit.*

3 Constantinus tyrannus victus & captus est, pro quo Maximus tyrannidem inuasit.
Athaulphus Placidiam, sororem Honorij, accepit vxorem.
Constantius Dux constituitur. — 411 — *Pestilentia, fames, & gladius barbaricus, miserum latè deuastant orbem.*

4 Gothi rege Athaulpho Gallias intrant. — 412 — *Gothorum maxima pars Gallias ingressa. Heros, S. Martini discipulus, Arelatensis episcopus, sanctus, innocens, sede sua pulsus est, & pro eo Patroclus ordinatur.*

5 Burgundiones partem Galliæ Rheno coniunctam tenuerunt. — 413 — *His temporibus Pelagius Brito, annitentibus Cælestio & Iuliano, liberum arbitrium plus iusto extollens, & hominem sine gratiæ auxilio, proprio nisu, perfectum fieri posse asserens, fidem ecclesiæ turbat. Cuius hæresin beatus Augustinus singulariter præ cæteris expugnat: & Papa Innocentius cum aliis hæreticis condemnat.*
Burgundiones partem Galliæ, Rheno contiguam, obtinuerunt.

6 Attalus in Gallijs tyrannidem exercet. — 414 — *Attalus, Gothis authoribus in Gallia tyrannidem inuasit.*

7 Corpora Stephani protomartyris, Gamalielis & Nicodemi, Luciano presbytero reuelantur. — 415 — *Gothi Hispanias petunt, quorum præsidio Attalus destitutus, à Romanis est captus.*
Corpora sanctorum Stephani protomartyris, Gamalielis & Nicomedi Luciano presbytero diuinitus reuelata, inueniuntur.

8 Romæ ZOSIMVS XXXIX Papa, sedit annis tribus. — 416 — *Romæ Zosimus Papa* XLIII, *sedit annis tribus. Qui etiam sua ad Ecclesiæ statum decreta promulgauit Yscio episcopo, sub quatuor capitulis.*

9 Honorius Attalum tyrannum exilio damnauit.
Quæstio de huius anni pascha sub Zosimo Papa oritur. — 417 — *Honorius Aug. Romam triumphans ingreditur, Attalo currum eius præcedente, & in exilium postea misso.*
Quæstio & dissensio de huius anni Paschа oritur, sub Zosimo Papa.

10 Synodus Carthaginensis congregatur CCXVII Episcoporum, contra Pelagium & cæteros hæreticos sub Zosimo Papa.
Eclipsis Solis facta est, 14 Calen. Augusti Cometa usq; ad mensem Septemb. visa est. — 418 — *Carthagini Concilio episcoporum* CCXVII *collecto, & à Zosimo Papa confirmato, Pelagius aliiq; hæretici damnantur.*
Eclipsis Solis 14 cal. Augusti facta est.

11 Honorius Constantium in regni consortium sumpsit. — 419 — *Honorius Aug. Constantium Ducem consortem facit Imperij.*

Bo-

Anni mũdi.			
	BONIFACIVS XL Papa, annis quatuor.		*Romæ Bonifacius Papa* XLIIII. *sedit annis quatuor, qui etiam quatuor decreta fecit, cum quo ab aliis Papa ordinatur Eulalius, qui tamen ab Augusto deponitur.*
	12 Hieronymus presbyter Bethleemites, incomparabilis doctor obijt, anno vitæ 91.	420	*Bethleem Hieronymus presbyter, egregius interpres, anno ætatis* XCI, *obijt.*
	13 Constantius Imperator moritur.	421	*Constantius Imp. Rauennæ moritur.*
	14 Exercitus contra Vandalos ad Hispanias mittitur.	422	
	15 Placidia à fratre Honorio cum filijs ad Orientem mittitur, & Honorius moritur.	423	*Romæ Celestinus Papa* XLV *sedit annis 9, qui 22 cap. decretalia Episcopis Galliarum scripsit.*
	Romæ CELESTINVS Papa XLI annis 9 sedit.		*Placidia Augusta à fratre Honorio pulsa, ad Theodosium Augustum in Orientem proficiscitur.*
	¶ THEODOSIVS XLIIII minor, Arcadij filius annis 26.		*Honorius Imp. Occidentis Rauennæ moritur, & Ioannes tyrannus regnum eius occupauit.*
	1 Theodosius Valentinianũ Placidiæ filium consobrinum suum Cæsarem facit, & cum matre ad Occidentis imperium mittit.	424	*Theodosius, Valentinianum amitæ suæ Placidiæ filium Cæsarem faciens, ad regnum occidentis cum matre possidendum remittit.*
	2 Valentinianus Ioannem tyrannum extinxit, Hunosq; per Aëtium patritium superauit.	425	*Valentinianus cum matre Ioannem tyrannum Rauennæ oppressit.*
	3 Patroclus Arelatensis Episcopus à tribuno quodam innocens occiditur.	426	*Patroclus Arelatensis episcopus, à tribuno quodam barbaro innocens trucidatur.*
	4 Gens Vandalorum à Gothis exclusa, de Hispanijs ad Africam transit.	427	*Bonifacius in Africa pollens, duces quosdam contra se dimicantes occidit, contra quem euocatis barbaris, mare ad id tempus ignotum, peruium efficitur.*
	5 Nestorius Constantinopolitanus Episcopus hæresim condit, sanctam Mariam Θεοτόκον negans, cui Cyrillus Alexandrinus episcopus, & Celestinus Papa multum resistunt.	428	*Nestorius Episcopus Constantinopolitanus duas in Christo personas prædicans, hominemq; puerum ex virgine natum Deitatem postea accepisse affirmans, à Cyrillo Alexandrino episcopo, & Papa Celestino hæreseos arguitur.*
	Aëtius multis Francis cæsis, partem Galliæ quam possederant, recepit.		
	6	429	*Agricola hæreticus Pelagianista, Britannias suo inficit errorem.*
	7 Sanctus Augustinus Hipponensis Episcopus & doctor facundissimus in ciuitate sua à barbaris obsessus, obijt.	430	*Sanctus Augustinus Hipponensis Episcopus, in ciuitate sua à barbaris obsessus, cum intra ipsas angustias obsidionis, pro Ecclesia sollicitus, Iuliani argutiis, pro gratia Dei pugnans, respondisset: ipsa gratia Dei ne ruinam suorum videret, subtractus, 5. calend. Septemb. migrauit ad Dominum, anno ætatis*

Anni mũdi.			
			LXXVI, *episcopatus seu presbyteratus* XL.
	8 Palladius epis. à Celestino Papa ad Scotos credentes Christo mittitur. Romæ XISTVS, XLII Papa sedit annis 8. Hoc tempore tertia synodus vniuersalis in Epheso congregatur, c Episcoporum contra Nestorium sub Celestino Papa.	431	*Tertia synodus vniuersalis* CC *Episcoporum apud Ephesum congregatur, sub Celestino Papa: vbi inter alias hæreses Nestorius cum secta sua damnatur, & 12 capita contra eundem scribuntur.*
	9	432	*Romæ Sixtus Papa* XLVI *sedit annos octo.*
	10	433	*Valentinianus Aug. multa Ecclesiis dona dedit.*
	11	434	*Vandali iam nouem annos Africam infestantes, pactum à Romanis postulant.*
	12 Pax cum Vandalis facta, data eis Africæ portione. Aëtius Gundicarium Burgundionum regem vicit, quem Huni pòst peremerunt.	435	*Pax cum Vandalis facta.*
	13 Gothi pacem turbant, & per Litorium ducem Romanum pelluntur.	436	*Gothi Narbonam obsessam fame premunt.*
	14 Ginsericus rex Vandalorum Arrianus, catholicos in Africa persequitur. Valentinianus filiam Theodosij in matrimonium accipit.	437	*Bellum à Romanis contra Gothos geritur.*
	15	438	*His temporibus S. Prosper Regiensis episcopus, contra librum Cassiani, de protectione Dei scripsit, in quo eundem liberum arbitrium nimis extulisse probauit.*
	16 Iulianus Athelensis episcopus, Pelagianista iactantissimus, ecclesiam multa arte insequitur: sed à Xisto Papa damnatur. Bellum aduersus Gothos Hunis auxiliatoribus geritur, & Litorius dux Romanus ab eis capitur. Ginsericus dolo Carthaginem cepit.	439	*Iulianus Arelatensis Episcopus Pelagianista iactantissimus, Ecclesiæ communioni surrepere tentans, à Xisto Papa denuò damnatur.*
	17 Ginsericus Siciliam grauiter afflixit. Romæ LEO XLIII Papa constituitur.	440	*Romæ defuncto Sixto, Leo vir doctrina & moribus insignis Papa* XLVII, *sedit annis 22, qui Euthychianam & Nestorianam hæreses condemnauit, & 49 decreta conscripsit.*
	18 Theodosius Imp. bellum contra Vandalos inefficaciter mouit.	441	*Theodosius Imp. contra Vandalos per duces suos bellum mouet.*
	19 Huni Tracias & Illyricum vastauerunt. Pax cum Ginserico facta est.	442	
	20 Leo Papa multos in vrbe Mani-	443	*S. Briccius Turonorum episcopus de-*

chæos

Anni mũdi.

chæos inueniens publicauit & correxit. Et ſanctus Briccius Turonenſis epiſcopus obijt, cui S. Euſtathius ſucceſſit.

21 Attila rex Hunorum *Bledlam fratrem interfecit, & eius populum ſibi ſubiecit.

De huius anni paſcha Proterius & Paſchaſinus Leoni Papæ ſcribunt.

22

4400 23 Britanni contra Scotos & Pictauos auxilium ab Aëtio & Romanis petunt, nec impetrant.

24 Eutyches Conſtantinopolitanus condidit, & ſuffragante Theodoſio Imperatore & Dioſcoro Alexandrino epiſcopo, Flauianum Cõſtantinopolitanum epiſcopum catholicum multis iniurijs affecit.

25 Theodoſius Leonem Papam pro Eutychete ad ſe vocat.

26 Qui à populo Romano venire prohibitus, nuntios mittit.

Theodoſius Imperator Orientis moritur.

¶ MARTIANVS XLV cum Valentiniano annis 7.

1 Aëtius cum Romanis, Gothis auxiliatoribus, Attilam ſuperauit.

ceſſit, cui ſanctus Euſtochius ſucceſſit. *Leo Papa multos in Vrbe Manichæos publicauit, & libros eorum incendit. Idem conſtituit, vt monacha velamen capitis ab epiſcopo benedictum nullatenus acciperet, niſi prius virginitas illius probata foret. Vnde & Auguſtinus aſſerit, nec illam inter virgines ſacras conſecrandam fore, ſi qua eſſet & ante baptiſmum corrupta.*

444 *Attila rex Hunorum Bleldam fratrem ſuum regnique conſortem interemit.* *Bledam.

De huius anni Paſcha Proterius & Paſcaſius Leoni Papæ ſcribunt.

445 *His temporibus Leo Papa inter alia bona baſilicas ſanctorum Petri & Pauli renouauit.*

446 *Apud Epheſum ſeptem dormientes, qui ſub Decio multa pro Chriſto tormenta paſſi, in ſpelunca quadam obdormierant, poſt 196 annos expergefacti ſunt, & confirmata fide reſurrectionis, iterum obdormierunt.*

447 *Euthices presbyter & abbas Conſtantinopolitanus, confuſa in Chriſto diuinitatis & humanitatis ſubſtantia, vnã in eo naturam dogmatizans, annitente Theodoſio iuniore Aug. & Diſcoro Alexandrino epiſcopo, reſiſtentem ſibi Flauianum Conſtantinopolitanum archiepiſcopum expulſum, ad mortem vſq; perſequuntur. Contra quam hæreſim Leo Papa legatos miſit.*

448 *Theodoſius Imp. Leonem Papam pro defenſione Euthycetis ad ſe vocat: qui à populo Romano venire prohibitus, legatos pro ſe miſit.*

449 *Iterum Catholici ab Imperatore Theodoſio ad audientiam vocati.*

450 *Leo Papa legatos ad confutandam hæreſim mittere curauit. Theodoſius Imperator moritur, pro quo* MARTIANVS *Orientis imperium adeptus, & 7 annis regnans Euthicetem cum ſuis ſequacibus damnat.*

Placidia Auguſta obijt.

Romani Etio duce, Gothis auxiliatoribus Attilam vicerunt regem Hunorum.

Anni mũdi.

2 Attila Aquileiam vi magna cepit, cum quo Valentinianus pacem fecit. — 451 — *Attila rex collectis viribus Aquileiam magna vi cepit. Ad quem Valentinianus Imp. Leonem Papam mittens, pacem cum eo fecit.*

3 Attila Hunorum rex moritur. — 452 — *Attila rex Hunorum in suis sedibus moritur. Hoc tempore quarta synodus vniuersalis* DCXXX *Episcoporum in Chalcedone contra Euthicen & omnes hæreticos congregatur, ibique damnatis hæreticis 27 Canones statuerunt.*

Hoc tempore quarta Synodus DCXXX Episcoporum in Chalcedone congregatur, sub Leone Papa contra Eutychen.

4 Valentinianus Aëtium patricium, Reipublicæ vtilem, manu sua occidit. — 453 — *Valentinianus Imp. Etium patricium manu sua in palatio fraudulenter occidit.*

5 Valentinianus ab amicis Aëtij in campo Martio occiditur: pro quo Maximus menses duos regnauit, & à militibus occiditur. Post quem Auitus sumpsit Imperium. — 454 — *Valentinianus Imp. in campo Martio ab amicis Etij interimitur: pro quo Maximus inuadens Imperium, infra duos menses à militibus occiditur: post quem Auitus sumpsit imperium.*

Eodem anno Ginsericus Romam opibus cunctis expoliat. — *Ipso anno Gensericus rex Wandalorum Romam cunctis opibus expoliat.*

Hucusq; Prosper Chronica sua perduxit, qui & Epistolam Leonis Papæ de vera Domini incarnatione contra Euticen creditur composuisse.

6 Auitus Imperium Placentiæ deposuit: pro quo Maiorianus regnauit. — 455 — *Auitus imperium Placentiæ deposuit: pro quo Maiorianus regnauit annis quatuor.*

7 Martianus Orientis Imperator obijt. — 456 — *Martianus Imp. Orientis obijt: pro quo* Leo *Imp. annis 17 regnat. Ab hoc anno Victorius paschales cyclos, sed errore plenos, inchoat, iubente Papa Hilario.*

Ab hoc anno Victorius Paschalem circulum, sed mendosum, inchoat, iubente Papa Hilario.

¶ Leo xlvi, annis 17 Orienti imperat.

1 Maiorianus Imperator Occidentis, in Africam — 457 — *Maiorianus Imp. Occidentis in Africam contra Wandalos mouit procinctum.*

2 mouit procinctum. — 458

*Theodoretus.

3 Hoc tempore *Theodorus Cyriæ episcopus clarus habetur. — 459

4 Ricimer Maioriano occiso Seuerum constituit. — 460 — *Maiorianus Imperator à Richimere patricio fraudulenter perimitur.*

5 Hilarivs Papa xliiii, sedit annis 6, mensibus — 461 — *Seuerus Rauennæ à Richimere Imperator effectus, quatuor annos regnauit.*

Turonis beatus Perpetuus episcopus factus, corpus sancti Martini transtulit.

6 tri-

Anni mũdi.			
	6 tribus, diebus decem.	462	*Romæ Hilarius Papa* XLVIII, *sedit annis sex, mensibus tribus, qui hæreses Eutycianam & Nestorianam damnauit, & inter alia bona etiam duas Bibliothecas in vrbe condidit, & sex synodica cap. constituit.*
	7 Rex Alanorum Beorgor à Ricimere patricio victus interijt.	463	*Rex Alanorum Italiam petens, apud Pergamum à Richimere patritio pugna interijt.*
	8 Seuerus fraude, vt aiunt, Ricimeris veneno perijt.	464	*Seuerus Imp. fraude, vt aiunt, Richimeris veneno perijt.*
	9	465	
	10 Anthemius Imperator Occidentis à Leone mittitur.	466	*Leo Imp. Anthemium de Constantinopoli ad regendum Occidentis Imperium Romam misit, qui regnauit annis quinq;.*
	11 Marcellinus in Sicilia occiditur. SIMPLICIVS XLV Papa sedit annis quindecim, mensevno, diebus septem.	467	*Tolosæ vbi sedes regni Gothorum erat, in medio ciuitatis sanguis è terra prorumpens, tota die profluxit.*
	12 Arabundus imperium tentans, ab Anthemio in exilium mittitur.	468	*Arabundus imperium tentans, iussu Anthemij Imperator. exilio deportatur. Romæ Simplicius Papa* XLIIII *sedit annis 15, mensibus tribus, qui duo decreta promulgauit.*
	13 Romanus Imperium affectans, decollatur.	469	*Romanus Patricius Imperium affectans, decollatur.*
	14 Aspar affectata tyrannide Constantinopoli à Leone occiditur. S. Remigius Rhemorum archiepiscopus ordinatur, anno ætatis 22.	470	*In Gallia sanctus Remigius, cœlitùs antequam nasceretur prænunciatus, à cella in quam se adolescentulus Deo militans incluserat, vi abstractus Rhemorum archiepiscopus fit.*
	15 Ricimer Anthemium Imperatorem cum graui clade Vrbis occidit, & Olybrium constituit, ipseq; perijt.	471	*Richimer Anthemium Imperatorem, cum magna clade vrbis Romæ occidit, & Olibrium Imperatorem constituit, ipseq; periit.*
	16 Olybrius Imperator septimo mense moritur: pro quo * Clyterius. Leo Leonem consortem regni fecit.	472	*Rauennæ Glycerius sumpsit imperium. Constantinopoli Leo Leonem consortem regni fecit, quippe nepotem suum.* *Lycerius.*
	17 Leo senior obijt: pro quo iunior LEO paucis mensibus regnauit. Romæ Clyterio Nepos successit.	473	*Leo Senior Imp. obiit: post quem Leo iunior paucis mensibus regnans & ipse moritur.* *Post hunc* ZENO *Imp. regnauit annis 17.*

Anni mũdi.			
	¶ ZENON XLVII, annis 17 Orientem rexit.		*Romæ Glycerio succeſsit Nepos in imperio.*
	1 Oreſtes Nepotem fugauit, & filio ſuo Auguſtulo imperium dedit.	474	*Oreſtes patricius Nepotem Imperatorem fugauit, filioq; ſuo Auguſtulo imperium dedit.*
	2 Odoacer rex Torcilingorum & Rugorum cum multis barbarorum auxilijs Italiam veniens, Oreſtem & Paulum fratres occidit, Auguſtulum exilio damnauit, & Romam obtinuit, anno à conditione eius, M. CC. XXIX.	475	*Odoacer rex Torcilingorum & Rugorum, peruaſa Italia, Romam obtinuit: anno à conditione eius* M. CC. XXX. *Oreſtem & Paulum patricios occidit, Auguſtulum Imp. exilio damnauit.*
	3 Odoacer Romæ inuito Zenone regnat.	476	*Odoacer Romæ inuito Zenone regnat.*
	4 Hoc tempore corpus Barnabæ Apoſtoli, & Euangelium Matthæi ſtylo eius ſcriptum, Deo reuelante, reperitur.	477	*Tempore Zenonis Imperatoris corpus Barnabæ apoſtoli, & Euangelium Matthæi euangeliſtæ, ſtylo ipſius ſcriptum, ipſo reuelante reperta ſunt.*
	5	478	*Simplicius Papa Petrum Alexandrinum epiſcopum, hæreticum Eutycianum, ab Achatio Conſtantinopolitano accuſatum damnat.*
	6	479	
	7 Odoacer in Dalmatijs Odiciam vicit & peremit.	480	*Hilderico rege Francorum mortuo, ſucceſsit Ludouicus filius eius, quem dicunt Clodoueum, & regnauit 30 annis.*
	8	481	
	9 Theodoricus Theotmari filius, rex Oſtrogothorum, Zenoni Auguſto familiaris efficitur. FELIX XLVI Papa, ſedit annis octo, menſibus 11, diebus 18.	482	*Theodericus Theodmari filius, rex Oſtrogothorum, id eſt, qui olim in Italia remanſerant Gothorum, Zenoni Auguſto familiaris efficitur, cum ſuis ei Gothis militauit.* *Zeno Auguſtus Theodoricum huius anni Conſulem, & magiſtrum militum fecit.*
	10 Zenon Theodericum Conſulem & magiſtrum militum fecit.	483	*Romæ Felix tertius, Papa L. ſedit annos ferè nouem, & canonum 27 capitula conſtituit.*
	11 Hoc tempore Honorius rex Vandalorũ, plus quàm CCCXXXIII. Epiſcopis exulatis, catholicos Arriana impietate perſequitur.	484	
	12	485	*Hoc tempore Achatius Conſtantinopolitanus hæreſi fauens, Petrum Alexandrinum reuocat, quem quondam accuſabat. Quo audito, Felix vtrumque cum ſequacibus erroris condemnat.*
	13 Odoacer Phœbam regem Rugorum vicit & cepit.	486	
	14	487	

15 Theo-

Anni mũdi.			
	15 Theodericus permittente Zenone, Italiam venit, & Odoacrum duobus prælijs superauit.	488	*Theodericus rex Ostrogothorum, permissu Zenonis Aug. Italiam petijt: cui Odoacer occurrens, bello conflixit, sed victus aufugit.*
	16 Theodericus Odoacrum tertio certamine victum apud Rauennam obsedit.	489	*Theodericus Odoacrum iam tertiò deuicit, eumq; fugatum Rauennæ obsedit.*
	17 Odoacer nocte egressus, quarto prælio vincitur à Theodorico. Vandali pacem fecerunt: & Zenon obijt.	490	*Odoacer quartò confligens cum Theoderico, victus & captus est.*
	¶ ANASTASIVS XLVIII annis 28.		*Constantinopoli Zenon Imp. moritur: post quem* ANASTASIVS *imperium Orientis 28 annis rexit.*
	1 GELASIVS XLVII Papa, sedit annis 4, mensibus 8, diebus 18.	491	*Romæ defuncto Felice Papa, concilium à presbyteris & diaconis agitur.*
	2 Theodoricus Odoacrum insidias sibi molientem interemit, & ipse Occidentis regnum 30 annis tenuit.	492	*Theodoricus Rauennæ Odoacrum sibi insidiantem peremit, & ipse Occidentis imperium 30 annis obtinuit.*
			Romæ Gelasius Papa LI, sedit annos 4, menses 7, vir doctus & pius, qui omnes hæreticos damnauit, clerum Romanum auxit, multa decreta fecit.
	3	493	*Hoc tempore in Africa beatus Fulgentius Ruspensis episcopus claruit doctrina & moratis actibus.*
	4 Hoc tempore Thrasamundus rex Vandalorum, catholicas ecclesias clausit, & 220 Episcopos exilio in Sardiniam misit, quos Symmachus Papa sanctissimus inibi aluit.	494	*Ludouicus rex Francorum Alemannos bello vicit, Deo iuuante, cui, cum in eodem bello periclitaretur, se crediturum promisit.*
	Mortuo rege Francorum Childerico, filius eius Clodoueus, qui & Ludouicus, rex magnus successit.		
	5 ANASTASIVS Papa, sedit anno vno, mensibus vndecim, diebus 24.	495	*Ludouicus seu Clodoueus rex Francorum, instante Rodhilde coniuge sua Christiana, à sancto Remigio Rhemensi archiepiscopo fide Christi imbutus, cum gente sua baptizatur.*
4450	6	496	*Thrasamundus rex Wandalorum in Africa catholicis infestus, ecclesias clausit, & 240 Episcopos in Sardinia exilio afflixit.*
	7 SYMMACHVS Papa sedit annis 15, mensibus 7, diebus 24.	497	*Boetius patritius & Consul multa his temporibus ingenij sui monumenta in seculari philosophia excellenter edidit.*
	His temporibus Boëtius Consul Romæ plurima ingenij sui monumenta conscripsit.		*Romæ Anastasius Papa LII, sedit annis ferè duobus & capita decretalia octo fecit.*
	8 Isauri, occiso Lilinge duce eorum, ab Anastasio victi trucidantur.	498	*Isauri, occiso Lilingo duce suo, ab Anastasio Imperatore trucidantur.*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 136;Leibn. Marg. 136, Stück 1, [291] - 273

Anni mũdi.			
	Ludouicus rex Syagrium Ægidij filium principem Romanorum bello vicit & peremit.		
	9 Theodericus Romam venit, multaque miranda ædificia construxit.	499	*Theodoricus rex Romæ & alibi, multa per hæc tempora mirifica construxit ædificia.*
			Romæ Symmachus Papa LIII, sedit 15 annis, mensibus ferè 8, cum quo simul per dissensionem nimiam ordinatur Laurentius, & magna Romæ inter clerum & populum discordia facta, donec iudicio Theoderici regis Symmachus in sede confirmatur.
	10	500	*Symmachus Papa synodo Romæ acta, Laurentium æmulum suum Nuceriæ ordinauit Episcopum.*
	11 Theodericus aquam Rauennam perduxit.	501	*Theodoricus Rex aquæductum Rauennæ fecit. His temporibus sanctus Mamertus Vienensis archiepiscopus virtutibus claruit, qui propter luporum & vrsorum immanitatem, aliasq; plagas, triduanas ante ascensionem Domini litanias primus instituens, Domini misericordiam plagarumq; cessationem promeruit.*
	12 Italiam Sirmium recepit, victis à Theoderico Bulgarijs.	502	
	13	503	*Quidam ex Romanis Symmachum Papam falsò criminantes, & apud Regem accusantes, Laurentiumq; reuocantes, magnum Romæ scisma fecerunt. Petrus Altinæ vrbis Episcopus, permissu Theoderici sedem apostolicam inuasit.*
	14	504	*Synodo 115 Episcoporum collecta, beatus Papa Symmachus de illatis purgatur, & sedi suæ cum gloria restituitur, & persuasores sedis eius Laurentius Nucerinus & Petrus Altinas condemnantur.*
	15 Fulgentius clarus episcopus his temporibus habetur.	505	*Ludouicus rex Francorum Parisijs beati Petri basilicam ædificat.*
	16 Theodericus victis Francis, Gallias acquisiuit.	506	*Theodericus rex Italiæ contra Francos in Galliam exercitum mouet.*
	17	507	*Dissensio iterum inter Symmachum Papam & Ecclesiam oritur.*
	18 Ludouicus rex Alemannos, diuinum inuocans auxilium, bello vicit atq; subiecit.	508	*Hoc anno Romæ Boëthius vir eruditissimus Consulatum administrauit. Hoc quoq; tempore Auitus abbas Aurelianensis virtutibus & prophetiæ Spiritu clarus, effulsit.*

19 Ludo-

Anni mũdi.			
	19 Ludouicus rex, quem Clodoueum dicunt, cum gente Francorum à S. Remigio Rhemensi archiepiscopo fide Christi imbuitur & baptizatur.	509	*Ludouicus, qui & Clodoueus, Francorum rex, Parisiis obiit, vbi sedem regni instituit.*
	20	510	*His temporibus Symmachus Papa inter alia bona Manichæos in vrbe inuentos, damnauit. Basilicam S. Petri & porticum marmore strauit, & alia huiusmodi.*
	21 Sub hoc Anastasio diuersis vbiq; bellis Respub. fatigatur.	511	
	22 Vitalianus cum Scythis aduersus Anastasium seruus rebellat.	512	
	HORMISDA Papa L. sedit annis nouem, diebus 17.		
	23 Clerus & populus Romæ pacificantur.	513	*Cassiodorus huius anni Consul fuit, qui postea conuersus & monachus effectus, Cœnobium construxit, & in seculari diuinaq; literatura clarus effulsit: Psalmos exposuit, libros institutionum & Chronica fecit, & Tripartitam historiam ordinauit.* *Romæ tandem dissensione cessante, Symmachus Papa obiit in pace.*
	24 Theodericus filiam suam Amalsuinta Eutharico dedit.	514	*Romæ Hormisda Papa LIIII, sedit annos 8, qui inter alia Eutycianos & Manichæos damnauit, clerum erudiuit, basilicas adornauit, & quatuor decreta fecit.*
	25	515	*Vitalianus quidam seruus, cum Scythis, Anastasio Imperatori rebellat.*
	26 Vitalianus sæpè milites Anastasij vincens, ipsum irridens spreuit.	516	*Hormisda Papa Anastasio Imperatori pro fide catholica Constantinopolim legatos misit: cui Imperator inter alia rescripsit ita:* Nos iubere volumus, non nobis iubere.
	27	517	
	28 Anastasius hæresi fauens Eutychetis, & catholicos persequens, diuino fulmine perijt, maior octogenario.	518	*Anastasius Imp. hæresi fauens Eutycetis & catholicos persequens, ictus fulmine interijt, maior octogenario. Pro quo Iustinus Imperator catholicus Constantinopoli regnauit, annis octo, & cum Vitaliano tyranno pacem fecit, quem postea tamen peremit*
	¶ IVSTINVS maior XLIX, annis octo.		
	1 Iustinus plurimos regno suo inhiantes, occidit, & cum Vitaliano fœdus percussit, quem tamen postea occidit.	519	*Iustinus Augustus legatos Hormisdæ Papæ pro fide missos honorificè suscepit, eisq; in damnationem hæreseos consentiens, multa per eos donaria Romam misit.*
	2	520	

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 136;Leibn. Marg. 136, Stück 1, [293] - 275
PUBLIC DOMAIN

Anni mũdi.			
	3 Ioannes Papa Conſtantinopolim veniens cæcum illuminat, ſedens annis duobus, menſib. nouem, diebus 16.	521	*Iuſtinus Auguſtus hæreticis infeſtus, Arrianos etiam Conſtantinopoli perſequitur: vnde natus Theodericus rex Italiæ Arrianus, exitium catholicis in Italia minitatur.*
	4 Theodericus S. Ioannem Papam carceris afflictione perimit, & Symmachum patritium occidit.	522	*In Africa mortuo Traſamundo rege Wandalorum Arriano, Hildericus pro eo regnauit annis octo: qui ſtatim eccleſias diu clauſas aperuit, & omnes Catholicos de exilio reuocauit.*
	5 Theodericus ſubitanea morte Rauennæ perijt: pro quo Atalaricus nepos eius regnauit annis octo. FELIX Papa LII, ſedit annis quatuor, menſibus duobus, diebus quatuordecim. Clodoueus, qui & Ludouicus, rex Francorum, tricesimo regni anno moritur, & Pariſijs ſepelitur.	523	*Romæ Ioannes Papa LV, ſedit annos duos, menſes nouem: qui à Theoderico Conſtantinopolim miſſus, & à Iuſtino Aug. & cunctis ciuibus honorificè ſuſceptus, ad portam quæ dicitur aurea, cæcum illuminat, & coronato à ſe Iuſtino Auguſto, cum multis muneribus redijt.*
	6 Hoc tempore Hildericus rex Vandalorum Epiſcopos ab exilio reuerti iubet.	524	*Theodericus rex Gothorum & tyrannus Romanorum, Boetium patricium & philoſophum diu carceratum, occidit, nec multò poſt ſocerum eius Symmachum patricium itidem interemit. Ioannem quoq; Papam beatum carceris afflictione necauit, 15 cal. Iunij.*
	7 His temporibus S. Benedictus Abbas virtutum gloria claruit.	525	*Theodericus tyrannus poſt tres menſes ab obitu Ioannis Papæ ſubitò Rauennæ obiit, & ſicut cuidam ſolitario reuelatum eſt, à Ioanne Papa & Symmacho patricio in ollam Vulcani deiectus eſt. Poſt quem nepos eius Athalaricus puer cum matre regnauit annis octo.*
	8 Iuſtinus Iuſtinianum regni conſortem & ſucceſſorem faciens, obiit. IVSTINIANVS L. Iuſtini ex ſorore nepos, annis 38.	526	*Romæ Felix quartus, Papa LVI, ſedit annis 4, menſibus* Conſtantinopoli Iuſtinus Imp. obiit: pro quo Iuſtinianus nepos eius imperauit annis 38.*
	1 Iuſtinianus Parthos bellum mouentes miſſo exercitu ſuperat. BONIFACIVS Papa LIII, ſedit annis duobus, diebus 26.	527	*Iuſtinianus Aug. Beleſarium amicum ſuum Principem militiæ fecit.* *Gens Winilorum ſeu Longobardorum, rege Oduino, Pannoniam inuaſit & ibi habitauit.*
	2 Hoc tempore Athalaricus, matre Amalſuinta ſe regente, Italiæ regnauit.	528	*His temporibus beatus Abbas Benedictus, immenſa virtutum gloria claruit. Priſcianus quoq; Grammaticus his fuit temporibus.*
	3 Parthi Romanum exercitum ſabbato Paſchæ vincunt. MERCVRIVS Papa, qui & IOANNES LIIII, ſedit annis duobus, menſibus quatuor, diebus ſex.	529	

4. Mor-

Anni mũdi.			
	4 Mortuo Athalarico, Amalsuinta Theodohadum consortem regni fecit.	530	*In Africa occiso Hilderico rege Wandalorum catholico, Geilamer regnum inuadens, in catholicos & in omnes debachatur.* *Romæ Bonifacius Papa* LVII *sedit annos duos, menses fermè **.
	5 Amalsuinta Theodohado iubente occisa est. AGAPITVS LV Papa, sedit mensibus vndecim, dieb. 18.	531	*Bonifacius Papa Vigilium diaconum in synodo post se Papam eligi, sub chirographo decreuit, quod tamen postea (quia contra Canones erat) combussit.*
	6 Ab hoc anno Dionysius Romanus abbas paschalem circulum magnum inchoat, incipiens ab anno dominicæ incarnationis 582, qui est annus Diocletiani 242. SYLVERIVS Papa sedit anno vno, mensibus quinq;, dieb. vndecim.	532	*Ab hoc anno, scilicet Imperatoris Iustiniani sexto, Dionysius Romanus abbas cyclum magnum paschalem inchoat, qui iam semel, ab incarnatione Domini annis 532, exactus, totidem in se annos continet.* *Romæ Ioannes secundus, qui & Mercurius, Papa* LVIII, *sedit annos duos, menses 4, cui Iustinianus Aug. de fide sua literas transmisit.*
	7 Hoc tempore Bilisarius à Iustiniano missus, Vandalos in Africa deleuit. VIGILIVS Papa sedit annis 18, mensibus vndecim.	533	*Romæ mortuo Athalarico rege Gothorum, Amalsuinda mater eius, Theodatum in consortium regni sumit: qui tamen eam postea occidi iussit, & ipse solus regnauit.*
	8 Carthago à Bilisario patricio recepta est, anno excessionis suæ vigesimo sexto.	534	*Belesarius patricius à Iustiniano Imp. missus, gentem Wandalorum, in Africa bello victam, deleuit: captog, rege eorum Geuamero, Carthaginem Romano populo restituit.*
	9	535	*Romæ* AGAPITVS *Papa* LIX *sedit, anno ferè vno. Hic Atheodato tyranno pro gratia Iustiniani Aug. missus Constantinopolim, Anthemium eiusdem vrbis Episcopum hæreticum damnauit, ordinatog, alio episcopo, i. Menete catholico, ipse ibidem obyit, in ecclesiasticis regulis apprimè eruditus.*
	10	536	*Romæ* SYLVERIVS, *Hormisdæ dudum Papæ filius, contra voluntatem cleri Atheodato tyranno pecunia corrupto,* LX *Papa violenter promotus, sedit annum vnum, menses 5.*
	11 Hoc tempore Bilisarius Consul iterum Africam extinctis tyrannis liberat.	537	*Syluerius Papa cum in restitutione Anthemij & communione hæreticorum Augusto nollet parere, iussu ipsorum à Belesario patricio falso criminatus, à Vigilio diacono afflictus exilio obiit, 12 Calen. Iulij, & postea miraculis claruit. Ipseq, Vigilius Papa* LXI *ordinatus, sedit annos 17, menses 7.*
	12	538	*Belesarius patricius & Vigilius Papa Vitigisum regem Gothorum pugna vi-*

Anni mũdi.			
			ctum Constantinopolin perducunt ad Iustinianum Augustum.
	13 His temporibus Bilisarius in Italiam Vitigiso, qui Theodohadum occiderat, superato, & Francis cum Theodeberto rege deuictis, Romanam Rempublicam viriliter feliciterq; reparauit.		*Belesarius patricius Parthos, Antiochiam & Syriam vastantes redire coegit.*
	14	540	
	15	541	*Totila rex Gothorum Romam Campaniamq; deuastat.*
	16	542	*Huius Iustiniani tempore corpus sancti Antonij monachi diuinitus reuelatum, Alexandriam transfertur.* *Hoc tempore quinta Synodus vniuersalis Constantinopoli contra Theodorum & omnes hæreticos, sub Vigilio Papa collecta, 14 capitula constituit.*
	17 Huius Principis tempore corpus sancti Antonij monachi repertum, Alexandriæ sepelitur.	543	*Hoc tempore Benedictus abbas, cum discipulum suum Maurum ad Gallias transmisisset, ipse multas post virtutes migrauit ad Dominum.* *S. Remigius Rhemorum archiepiscopus, & gentis Francorum apostolus, anno Episcopatus 74, Idibus Ianuarii plenus virtutibus migrauit ad Dominum.*
	18 Arator subdiaconus librum suum publicè coram Vigilio Papa legit: & sanctus Remigius Remensis archiepiscopus & gentis Francorum apostolus, Idibus Ianuarijs migrauit ad Dominum, anno episc. sui 74.	544	*Arator subdiaconus Romanus librum suum, quem de Actibus Apostolorum heroico metro edidit, Vigilio Papæ oblatum, publicè recitauit.*
	19	545	*Totila rex iterum Romam inuasit.*
	20 Hoc tempore quinta Synodus vniuersalis in Constantinopoli congregatur, contra Theodorum & omnes hæreticos, sub Vigilio Papa. Et eodem anno Theodericus rex, filius Clodouei, vigesimo tertio regni anno moritur, & Metis sepelitur.	546	*Hoc tempore fuit S. Liberatus, Carthaginensis archidiaconus, qui de authoritate Chalcedonensis Concilij multa utilia conscripsit, & Vigilium Papam aliquando hæreticus fauisse, monstrauit.*
	21	547	*Vigilius Papa cum ad consensum hæreseos & restitutionem Anthemii episcopi nullatenus adduci posset, Constantinopolin vi perductus, exilio graviter est afflictus.*
	22 Hac tempestate Totila Gothorum rex in Italia tyrannidem exercet.	548	*Iustinianus Aug. basilicam Saluatoris, quæ sanctæ Sophiæ dicitur, incomparabili opere Constantinopoli construxit. Ipse leges quæ Iustinianeæ dicuntur, composuit.*
	23	549	
	24 Victor Capuanus de huius anni pascha scribens, Victorij arguit errores.		*Victor episcopus Capuanus, de huius anni pascha scribens, erroneos Victorii cyclos arguit.*

Hucusq;

Hucusq; Iornandes episcopus Chronica sua de gestis Romanorum abbreuiata perduxit.

Anni mũdi.		
25	551	
26 PELAGIVS Papa, sedit annis vndecim, mensibus 10, diebus 18.	552	*Hoc tempore Iustinianus Augustus Narsetem eunuchum Principem militiæ faciens, in Italiam misit.*
27	553	
28	554	*Vigilius Papa tandem impetrantibus Romanis & Narsete, de exilio relaxatus, cum Romam redire cepisset, in Sicilia morbo calculi decessit. Pro quo* PELAGIVS *Papa* LXII *sedit annis* 11. *mensibus* 10. *Qui à populo Romano factionis contra Vigilium culpatus, ascenso apud S. Petrum ambone, & Euangelio super caput eius posito, iuramento se à crimine illato purgauit. Hic ordinatus est à Perusino & Ferentino episcopis, & Andrea Ostiensi archipresbytero. Nam hoc est priuilegium Ostiensis Ecclesiæ, vt episcopus eius & archipresbyter (si Episcopus eius non adfuerit) Romani Pontificis ordinationi iure perpetuo interesse debeant: & Episcopus si adfuerit, deinceps priuilegium pallii portandi habebit: quod nulli alij Cardinali Episcopo licebit.*
29	555	
30	556	
31 Bridius rex Pictis regnare cœpit.	557	*Hildebertus rex Francorum moritur, & Parisiis in basilica S. Vincentij sepelitur, regimeng. eius Lotharius frater assumens, totam paterni regni monarchiam obtinuit.*
32	558	*Hoc tempore Turonis basilica S. Martini rebellibus ad eam fugientibus, igne crematur.*
33	559	*Lotharius rex de malis suis pœnitentiam agens, basilicam S. Martini studiose reparans, stanno texit.*
34 Theodebertus, filius Theodeberti, rex fortis, moritur, annos regnans quatuordecim.	560	*Lotharius rex, filius Clodouei magni, Compendij moritur.*
35	561	
36	562	
37 IOANNES Papa LIX, sedit annis 12, mensibus 11, diebus 26.	563	*Harobertus rex libidini deditus à S. Germano Parisiorum episcopo excommunicatus, obiit.*
Hildebertus rex, filius Clodouei magni annis regnans 40 moritur, & Parisijs ad S. Vincentium sepelitur.		
38 Iustinianus imperator obijt.	564	*Constantinopoli Iustinianus Imp. anno imperij 38 decessit, pro quo* IVSTINIANVS *minor*, LI, *homo iniquus & auarus annis vndecim regnauit.*
IVSTINVS minor LI, annis 11.		

Anni mũdi.			
	1 S. Columba presbyter & abbas, de Hybernia veniens, Britannis verbum dei prædicat.	565	*His temporibus immensa pestilentia & mortalitas, totam Italiam, maximè Liguriam deuastauit.* *Narses patritius diuitijs auctus, & ob id à Romanis inuidiam passus & apud Augustum criminatus, Roma in Campaniam discessit, eig. successor Longinus in Italiam mittitur.*
	2	566	*Romæ* IOANNES *tertius Papa* LXIIII, *sedit annis fermè 14 qui ecclesiam Philippi & Iacobi apostolorum, quam prædecessor eius Pelagius cæperat, perfecit & dedicauit.*
	3 Hoc tempore Narses patritius Totilam Gothorum victum occidit.	567	*Narses patricius, qui multum pro Repub. laborauerat, à Iustino Aug. iniuriis lacessitus, Longobardos, in Pannonijs habitantes, ad vastandam & possidendã Italiam inuitauit. Multa prodigia & præcipuè igneæ acies in cœlo visæ sunt.*
	4 Gothosque Italia expulit. Eodem anno Theobaldus rex, filius Theodeberti, anno regni septimo, moritur.	568	*Longobardi rege Alboino, mense Aprili Venetiam ingressi eam, paucis ciuitatibus exceptis, sibi subijciunt.*
	5 Narses patritius, qui Gothos expulit, à Iustino offensus, Longobardos in Italiam venire fecit.	569	*Alboinus rex cum Longobardis Liguriam inuasit, Mediolanum & alias plerasq. vrbes cepit, Papiam plus triennio obsedit.*
	6 Sanctus Vedastus obijt.	570	*Alboinus plerasq. in Tuscia vrbes cepit. S. Vedastus episcopus obiit.*
	7	571	*Papienses regi Alboino ad deditionem veniunt.*
	8 Hoc tempore Ioannes Papa ecclesiam Philippi & Iacobi apostolorum, quam prædecessor eius Pelagius cæpit, perfecit & dedicauit.	572	*Narses patricius obiit.*
	9	573	
	10 Lotharius rex, filius Clodouei Magni, annis regnans LI moritur, & Suessionis ad S. Medardum sepelitur.	574	*Alboinus rex Longobardorum, per insidias coniugis suæ, apud Veronam ab armigero suo occiditur.*
	11 Iustinus Imperator obijt. ¶ TIBERIVS CONSTANTINVS LII, annis septem.	575	*Constantinopoli Iustinus Imperator post multa mala sua in amentiã versus, obiit. Pro quo* TIBERIVS *Constantinus septemuir Domino deuotus, qui ipso mente capto palatium rexerat, regnauit annis septem.*
	1 BENEDICTVS Papa LX, sedit annis 4, mense vno, diebus 28.	576	*S. Germanus Parisiorum episcopus migrauit ad Dominum.*
	2 Hoc tempore Gregorius tunc apocrisiarius moralia Iob scripsit.	577	
	3 Et Eutychum Constantinopolitanum episcopum Tiberio præsente in fide resurrectionis erraſſe, conuicit.	578	*Romæ Benedictus Papa* LXIIII, *sedit annos 4, menses duos: à quo beatus Gregorius de monasterio ablatus & diaconus*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 136;Leibn. Marg. 136, Stück 1, [298] - 280

Anni mũdi.		
		conus ordinatus, Constantinopolimq; apocrisiarius missus.
		Euthitius eiusdem vrbis episcopum in fide resurrectionis errasse Tyberio Augusto præsente conuicit: vbi etiam ab episcopis, moralia in Iob, venientibus ad eum monachis suis scribere compulsus est.
4	579	Magna aquarum inundatio & illuuies, fulmina, terræmotus, homines terruêre.
	580	Cometa die Paschæ visus Suessionis cœlum ardere visum est.
		Pestilentia ingens fit.
5 Hoc tempore gens Longobardorum, comitante fame & peste, Italiam vastat.	581	Hoc tempore exercitus Tiberij Imperatoris Persas potenter superauit.
Et PELAGIVS Papa sedit annis decem, mensibus 11, diebus 10.		
6	582	Constantinopoli Tiberius omni laude dignissimus, obijt. Pro quo MAVRITIVS regnauit, annis 21.
		Romæ PELAGIVS secundus Papa LXV, sedit annis decem, mensibus vndecim. Hic templum S. Petri tabulis argenteis deauratis texit, aliaq; multa bona fecit.
7 Tiberius Imperator obijt. ¶ MAVRITIVS LIII, annis viginti vnum.	583	Hildebertus rex Francorum, acceptis quinquaginta solidorum auri à Mauritio Imp. vt Longobardos de Italia pelleret, cum eisdem pactum firmauit, & Imperatori pecuniam requirenti, nec responsum dedit.
1 Hoc tempore Leuigildus Gothorum rex Arrianus, Hirmingildum filium, ob fidem catholicam securi iussit occidi.	584	Guntrãnus rex in suburbano Cabillonensi monasterium S. Marcelli construxit.
2	585	Hilpericus rex Francorum per insidias interemptus, Parisiis sepelitur.
3	586	Longobardi Antharium regem sibi constituunt.
4 Hoc tempore Richaredus rex, Hirmingildis frater,	587	Globus igneus scintillans & quasi rugiens è cœlo in terram cecidit. In Hispania Richaredus, Leuigildi regis Gothorum Arriani filius, post mortem patris effectus Rex, à Leandro Hispalitano episcopo, cum tota gente Gothorum ad catholicam fidem reuertitur.
5 cum tota gente Gothorum, ad catholicam fidem conuertitur.	588	In Hispania hæresis Arriana destructa, & synodus Toletana collecta est, industria Leandri episcopi & Richaredi regis. Cæsara regina, vxor Arnulphi regis Persarum, occultè baptizata, postmodum etiam maritũ suum cum tota gente, apud Antiochiam baptizari persuasit.

Anni mũdi.			
	6	589	*Hildebertus rex ſororem ſuam, Authario regi Longobardorum promiſſam, regi Gothorum, qui nuper catholicus factus eſt, in matrimonium tradidit.*
	7 Sigibertus filius Lotharij, rex fortis, inſidijs perimitur, anno regni 14, & Remis ſepelitur.	590	*Tunica Domini ſaluatoris, à Simone quodam Iudæo, tormentis coacto, monſtrata, à Gregorio Antiocheno, Ioanne Conſtantinopolitano, & Thoma Hieroſolymitano, & aliis pluribus Epiſcopis, ieiunio triduano celebrato, in archa marmorea, in oppido Hephad, inuenta, ſummo cum honore Hieroſolymam allata eſt.*
	8	591	*Rex Longobardorum Theodelindam, regis Batoariorum filiã pulchram & piam, duxit vxorem.*
	9 Magna inundatio facta eſt & mortalitas in Italia.	592	*Ingens mortalitas facta eſt, in qua primo Pelagius Papa, deinde innumeri extincti ſunt. Et beatus* GREGORIVS, *tunc Romanæ eccleſiæ archidiaconus, conſtitutis, litanijs, & plaga ceſſante, Papa* XLVI *ordinatus, doctrina & actibus cunctis meritò præferendus Apoſtolicis. Sedit annis 13, menſibus ſex, diebus decem.* *Qui ſtatim inter alia multa librum paſtoralem egregio edidit ſtylo. Hic quoq; ſuper corpus beati Petri Ciborium fecit, & Miſſas celebrare inſtituit, itemque S. Pauli, & ſex capitula ſynodica ſcripſit.*
	10 S. GREGORIVS LXII ad Pontificatum Romæ eccleſiæ eligitur, in qua ſedit annis 13, menſib. 6, dieb. 10.	593	*Siccitas magna & fames facta eſt, & inſolita magnarum locuſtarum multitudo.*
	11 Edilfridus rex cum Edilberto rege Anglis imperat.	594	*Item locuſtarum multitudo frugibus nocuit.*
	12	595	*Gregorius ſynodum 24 Epiſcoporum ad S. Petrum collegit, indictione 14.*
	13 Gregorius Papa ſynodum 23 epiſcoporum ad corpus beati Petri Apoſtoli congregat, indictione decima tertia. Sanctus Columba abbas in inſula Hu, obijt, anno ætatis ſeptuageſimo ſeptimo.	596	*S. Columbanus presbyter & abbas, poſt multa mirabilia inſula Hij iuxta Hiberniam, migrauit ad Dominum, anno ætatis 72.* *Hoc tempore beatus Gregorius Papa miſſis doctoribus Auguſtino, Mellito, Ioanne & aliis, Anglorum gentem in Britannia ad fidem Chriſti conuertit.*
4550	14 Hoc tempore Gregorius Papa miſſis doctoribus Auguſtino, Mellito & Ioanne alijsq; pluribus, Anglos ad Chriſtum conuertit.	597	*Hildebertus rex Francorum obijt.*
	15 Hilpericus rex, filius Lotharij, interijt, anno regni 23, & Sueſſionis ſepelitur.	598	*His temporibus cum Romanus patricius aliquot vrbes à Longobardis dudum captas per deditionem recepiſſet, & ob id Agilolfus rex Italiæ & ipſe, Romæ infeſto*

Anni mũdi.			
			festo exercitu immineret: studio S. Papæ Gregorij & suffragio Theodelindæ religiosæ reginæ, pax vtrimque facta est.
	16	599	*His temporibus monasterium S. Benedicti in castro Casino situm, fugientibus ex eo monachis, à Longobardis omnino destructum & desolatum est.*
	17	600	*Gregorius Papa Lundoniæ & Eboraci episcopos in Britannia, misso pallio, metropolitanos esse decernit, indictione 4.* *Clades glandularia multas ciuitates afflixit.*
	18 Gregorius Londunæ & Eboraci episcopos, misso pallio, metropolitanos esse decernit, indictione quarta.	601	
	19	602	*Mauritius Imp. Phocam Reipub. vtilem, principem militiæ fecit. Globi ignei in cœlo visi.*
	20 Mauricius scelerum suorum pœnas in hoc seculo, vt ipse orauit, exoluens, à Phoca turpiter interficitur. ¶ PHOCAS LIIII, annis octo.	603	*Constantinopoli* PHOCAS *Mauritium Imp. turpiter interfecit, & ipse pro eo annis 8 regnauit.* *Corpus S. Victoris martyris, qui cum beato Vrso Soloduri passus est, apud Genuensem vrbem diuina reuelatione in loculo argenteo inuenitur, & miraculis declaratur.*
	1 Edilfridus rex Edan, Scotorum regem forti prælio vicit.	604	*Etherius Lugdunensis archiepiscopus obijt, eig; Secundinus successit.*
	2 Gregorius Papa sanctissimus migrauit ad Dominum, indictione octaua.	605	*Beatus Papa Gregorius & doctor sanctissimus, migrauit ad Dominum, indictione octaua. Post quem cessante Episcopatu plus quinque mensibus* SABINIANVS *Papa* LXVII, *sedit anno vno, mensibus quinque. Et post hunc item cessauit episcopatus, anno fermè vno: quod de Constantinopoli legatio Imperialis expectabatur.* *Hoc anno Synodus nefaria Cabillonis congregata: & beatus Desiderius Vienensis archiepiscopus iniustè deponitur, & exilio damnatur.*
	3 SABINIANVS LXIII Papa, sedit anno vno, mensibus 5, diebus 9.	606	*Fames Romæ facta, & induciæ cum Longobardis ad annum vnum. Mense Aprili & Maio Cometa videtur.*
	4 Hoc tempore Phocas Romanam ecclesiam omnium ecclesiarum caput esse, constituit. Nam Constantinopolitana primam se esse scripsit. BONIFACIVS LXIIII Papa, sedit mensibus octo, diebus 22. Guntrannus filius Lotharij, Burgundiæ rex pius, obijt, annos regnans 33.	607	*Romæ* BONIFACIVS *tertius Papa* LXVIII, *sedit menses fermè nouem. Post quem item cessauit episcopatus mensibus decem.*
	5 BONIFACIVS Papa sedit annis	608	*Bonifacius Papa, quia Constantino*

Anni mũdi.			
	sex, mensibus octo, diebus 13.		politana ecclesia prima sese scribebat, apud Phocam Augustum obtinuit, vt Romana ecclesia omnium caput ecclesiarum decerneretur. Hic quoq; synodum 72 Episcoporum Romæ collegit.
	6 Hoc tempore Phocas Pantheon, id est, domum omnium idolorum, ecclesiæ dedit: rogante Papa Bonifacio.	609	Romæ BONIFACIVS quartus, Papa LXIX, sedit annis sex, menses octo. Post hunc cessauit episcopatus mensibus fermè septem. Hic apud Phocam templum omnium idolorum, quod Pantheon vocabatur, obtinuit, & in honore S. Mariæ & omnium sanctorum dedicauit, 3 Id. Maij, & S. Mariæ ad martyres appellauit, festiuitatemque omnium Sanctorum cal. Nou. celebrari constituit.
			Beatus Desiderius Vienensis archiepiscopus de exilio reuocatus, factione Brunihildis & Theodorici lapidatus, post obitum miraculis claruit.
	7 His temp. Persæ multas prouincias Romanis auferũt, Hierosolymã quoq;, & crucẽ dominicã abstulerũt.	610	His temporibus Persæ multas prouincias Romanis auferentes, Hierusalem cruce Domini spoliauerunt.
	8 Phocas moritur. Hildebertus 33 rex fortis filius Sigeberti, moritur, annis regnans 23.	611	Heraclianus Phocam Aug. regno priuauit, filioq; suo Heraclio illud concessit, qui regnauit annis 26.
	¶ HERACLIVS LV, annis 26.		Beatus abbas Columbanus, S. Galli magister, à Luxouiensi cœnobio à se constructo, molimine Brunihildis pulsus, S. ibi Eustasium pro se reliquit Abbatem.
	1	612	Beatus Augustinus Anglorum archiepiscopus migrauit ad Dominum.
			S. Columbanus à Luxouio pulsus, concessu Theodeberti regis Brigantium venit: ibiq; triennio mansit.
	2	613	In Hispania mortuo Beiterico, Sisebodus rex efficitur Gothorum.
	3 Hoc tempore Anastasius Persa monachus, nobile pro Christo martyrium à Chosdroe rege Persarum patitur.	614	Heraclius Imp. Constantinum filium imperij consortem fecit.
			Beatus Columbanus de Brigantio pulsus, febricitantẽ ibi Gallum reliquit, ipseque in Italiã veniens, & benignè ab Agilulfo rege susceptus, cœnobium Bobiense construxit. S. quoq; Gallus solitudinem Cellæ suæ incolere cœpit.
	4 DEVSDEDIT LXV Papa, sedit annis tribus, diebus 13.	615	
	5 Edilbertus primus Anglorum regum Christianus, anno regni quinquagesimo sexto obijt, pro quo Phatald regnauit annis 24.	616	Isidorus hoc tempore Hispalensis episcopus clarus habetur.
			Brunihildis iniquissima, equis indomitis alligata, iussu Sigeberti regis Francorũ digna morte periit. Prædictus Isidorus hucusq; abbreuiationem temp. perduxit.
	6 Eduinus occiso Edilfrido, Anglorum rex efficitur, indictione quinta, & regnauit annis 17.	617	Romæ DEVSDEDIT Papa LXX, sedit annis tribus, mense ferè vno.

7 BONI-

Anni mũdi.			
	7 BONIFACIVS Papa ſedit annis quinq;.	618	*His temporibus Hieroſolyma, inter alias Palæſtinæ vrbes à Choſdroe rege Perſarum capta, & crux Dominica in Perſidem abducta.*
	8 His temporibus Heraclius Choſdroem regem Perſarum, qui ſe vt Deum coli iuſſit, ſuperauit, & lignum Dominicæ crucis Hieroſolymam reduxit.	619	
	9 Sanctus Laurentius archiepiſcopus obijt, pro quo Mellitus.	620	*Romæ* BONIFACIVS *quintus Papa* LXXI, *ſedit annis quinq;, vir valde mitis & pius.* *In Britannia defuncto S. Laurentio archiepiſcopo, Mellitus ſucceſſit.* *Magundat magus, genere Perſa, ad fidem Chriſti conuerſus, & Anaſtaſius dictus, Hieroſolymis miræ ſanctitatis monachus efficitur.*
	10	621	
	11	622	*Gerdrudis regina, vxor Lotharii regis piiſſima bonæ memoriæ obiit.*
	12 HONORIVS Papa LXVI, ſedit annis 12, menſibus 11, diebus 17.	623	*His temporibus beatus Attalia, & poſt hunc Bertolfus, Bobienſes abbates, & S. Gallus claruerunt.*
	13 His temporibus Iſidorus Hiſpalenſis epiſcopus clarus habetur. S. Mellitus archiepiſcopus obijt, pro quo Iuſtus.	624	*In Britannia defuncto Mellito archiepiſcopo, ſucceſſit Iuſtus, qui ſequenti anno beatum Paulinum ordinans epiſcopum, Anglis illis qui adhuc pagani erant, prædicatorem & doctorem miſit.*
	14 S. Paulinus à Iuſto archiepiſcopo Anglis doctor & epiſcopus ordinatur.	625	*Romæ* HONORIVS *Papa* LXXII, *ſedit annis 13, qui multis bonis operibus abundauit.*
	15	626	
	16 S. Columbanus à Brunihilde & Theodorico rege Luxouio pulſus, Euſtaſium ibi Abbatem reliquit. Eduinus rex Anglorum in Britannia à Paulino epiſcopo ad fidem Chriſti conuertitur, indictione decima quinta, anno aduentus Anglorum in Britanniam circiter 230.	627	*In Britannia Eduinus rex Anglorum à Paulino epiſcopo conuerſus, cum gente ſua baptizatur: anno aduentus Anglorum in Britanniam penè centeſimo octogeſimo.*
	17 Theodebertus rex, filius Hildeberti, à fratre Theodorico victus & detonſus, cum filijs trucidatur, anno regni 17.	628	*Beatus Anaſtaſius multa pro Chriſto tormenta paſſus, tandem in Perſide à rege Choſdroe cum aliis 70 ſtrangulatus, martyr efficitur.* *Ipſo anno Heraclius Imp. Perſidem petiit, victo & occiſo Choſdroe, dominicam crucem Hieroſolymam reuexit.*
	18 Theodericus rex, filius Hildeberti, machinante auia ſua Brunihilde, veneno interijt, annos regnans 18.	629	
	19 His temporib. hæreſis de paſcha & Pelagiana Britanniam turbat.	630	*Lotharius rex Francorum fortis, pius & religioſus obiit, anno regni 45.*

Anni mũdi.			
	20 S. Columbano Italiam petente à Brigantio, S. Gallus nobiſcum remanſit, & cellam ſuam conſtruere cœpit.	631	*Dagobertus rex Francorum, S. Arnolfo Metenſe epiſcopo & Pipino maiore domus vtens conſiliariis, nimio amore Iuſtinæ flagrauit.*
	21	632	*Pax perpetua inter Heraclium Imp. & Dagobertum, legatis mediantibus pacta eſt.*
	22 His temporibus Heraclius, vt aiunt, à Sergio epiſc. Conſtantinopolitano, ſed hæretico, decipitur. Sigebertus rex, filius Theoderici à Lothario rege pugna victus, cum Brunihilde proauia & tota ſtirpe trucidatur. Eduinus rex Anglorum à Ceadualda & Penda victus pugna occiditur.	633	*In Britannia Eduinus rex Anglorum pacificus & pius, à paganis Regibus interimitur.*
	23	634	*Oſwaldus filius Edilfridi Chriſtianiſſimus, paucis collectis, & adorata cruce quam erexerat, interfectores Eduini regis ſuperauit, ipſeq; 8 annos regnauit.*
	24 Oſwaldus, filius Edilfridi, victo per Dei auxilium Ceadualda tyranno, regnauit ſuper Anglos annis 9.	635	*His temporibus cum Sergius Conſtantinopolitanus, annitente Cyro Alexandrino hæreſin Acephalorum inſtaurans, vnam in Chriſto diuinitatis & humanitatis voluntate & operatione dogmatizaſſet, ipſumq; Imperatorem ſeduxiſſet, ab apoſtolica ſede damnatus eſt.*
	25 SEVERINVS LXVII Papa, ſedit menſes 2, dies 4.	636	
	26 Heraclius Imperator obijt.	637	*Conſtantinopoli Heraclius Imperator, à Sergio Conſtantinopolitano epiſcopo in hæreſin Acephalorum inductus, obiit: pro quo* HERACLONAS *cum matre Martina annis regnauit duobus.*
	IOANNES LXVIII Papa, ſedit anno vno, menſibus 9, diebus 19. ¶ HERACLONAS LVI cum matre Martina, annis duobus.		
	1 Cyrus Alexandrinus, Sergius & Pyrrhus Conſtantinopolitani, Acephalorum hæreſin inſtaurant.	638	*Romæ defuncto Honorio Papa, ceſſauit ſedes apoſtolica annum vnum, menſes ſeptem, dies 14: quia Conſtantinopoli auctoritas Imperialis morte Principum nutabat. Quo tempore Lateranenſis theſaurus diſtractus eſt.*
	THEODORVS LXIX Papa, ſedit annis ſex, menſibus quinq;, diebus octodecim.		
	2 Heraclonas moritur, occiſus.	639	*Conſtantinopoli mortuo Heraclona imperatore, frater eius Conſtantinus regnauit menſes ſex.*
	¶ CONSTANTINVS LVII filius Heraclij, menſibus ſex.		
	1 Paulus Cõſtantinopolitanus Pyrrhi ſucceſſor, apertè catholicos perſequitur.	640	*Conſtantinopoli poſt mortem Conſtantini, filius eius* CONSTANTINVS, *qui & Conſtans, regnauit annis 28.*
	Eatbaldus rex Canthuariorum obijt: pro quo Erchanbertus filius regnauit annis 25.		*Romæ* SEVERINVS *Papa* LXXIII, *ſedit menſibus 2, diebus 4: poſt quem ceſſauit epiſcopatus menſibus quinq.*
	¶ CONSTANTINVS LVIII, filius Conſtantini annis 28.		

1 Hie

Anni mũdi.			
	1 Hic Imp. deceptus à Paulo hæretico, persequitur Christianos.	641	*Romæ* IOANNES *quartus, Papa* LXXIIII, *sedit annum vnum, menses ferè decem: qui missa pecunia multos captiuos in Histria & Dalmatia à barbaris redemit.*
	2 Sanctus Oswaldus rex Anglorum pro patria pugnans, à Penda rege Merciorum occiditur: pro quo Oswi frater eius regnauit annis 28.	642	*Romæ* THEODORVS *Papa* LXXV, *sedit annos sex, menses ferè sex. Hic corpora sanctorum Primi & Feliciani leuauit, & hæreticos damnauit.* *In Britannia Oswaldus rex Anglorum piissimus, contra Pendanum regem paganum pugnans occubuit, & plurimis post mortem miraculis claruit: pro quo frater eius Osui, regnauit annis 28.*
	3	643	
	4 Sanctus Paulinus Anglorum episcopus, vicesimo episcopatus anno obijt, sexto idus Octobris.	644	*S. Paulinus Eboracensis episcopus & doctor Anglorum, anno episcopatus vicesimo, migrauit ad Dominum, sexto Id. Octobris.*
	5 MARTINVS LXX Papa sedit annis sex, mense vno, dieb. 26.	645	*Hoc tempore Pyrrhus Constantinopolitanus, Sergii & in sede & in hæresi successor, cum à Theodoro Papa dudum damnatus, ex Africa Romam venisset, & fictam pœnitentiam satisfactionemq; simulasset, benignè susceptus & reconciliatus est. Postea verò domum reuersus, & errorem repetens, denuò ab ipso Papa depositus, & anathemizatus est.*
	6	646	*His temporibus beata virgo Gertrudis, filia Pipini, soror Grimoaldi maioris domus, Inualensis conœbij mater, virtutibus claruit. Huius soror Begga & ipsa religiosa, Angiso S. Arnolfi filio nupsit, cui etiam Pipinum iuniorem peperit.*
	7	647	*His temp. cum Paulus Constantinopolitanus Pyrrhi successor hæresin non solum non dimitteret, sed augmentaret, ipsumq; Imperatorem cum aliis seduceret, nec à Domino Papa admonitus & increpatus resipisceret, & ipse identidem damnatus est.*
	8	648	*Tempore Constantis Imp. gens Sarracenorum crudelissima multas prouincias vastauit.*
	9 Martinus Papa Synodum 105 Episcoporum congregans, Cyrum, Sergium, Pyrrhum & Paulum condemnat, indictione octaua.	649	*Romæ* MARTINVS *Papa* LXXVI *sedit annis sex, mensibus ferè duobus. Quo tempore Paulus Constantinopolitanus, ipso Imperatore Constante seducto, legatos apostolicæ sedis, pro hæresi eum arguentes, carceribus & exiliis afflixit, & Catholicis vbicunq; potuit persecutionem excitauit.*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 136;Leibn. Marg. 136, Stück 1, [305] - 287

10 EVGENIVS LXXI Papa, ſedit annis duobus, menſibus 9, dieb. 24.
Hoc tempore Martinus Papa à Conſtantino Cherſonam exilio miſſus, ad Dominum migrauit Heribertus rex, filius Lotharij, annos regnans nouem, moritur.

650 *Martinus Papa Indictione nona, ſynodum Romæ 105 Epiſcoporum collegit, in qua Cyrum, Sergium, Paulum cum ſequacibus erroris damnauit.*

11 Oſuinus rex bonus proditus, ab Oſui rege occidi iuſſus eſt, & ſanctus Atdan epiſcopus obijt, prid. cal. Sept.

651 *Beatus Aidanus Scotigena, epiſcopus & doctor Anglorum ſecundo cal. Sept. deceſſit.*

12

652 *Hoc tempore Olympius Exarchus à Conſtante Imp. Italiam miſſus cum dominum Papam cæterosq; in fide catholica vnanimes, deprauare, eisq; nocere non poſſet, tandem cum Papa pacificatur.*

13 VITALIANVS LXXII Papa, ſedit annis 14, menſib. 6. pro quo DEVSDEDIT annis 10.
Honorius Anglorum archiepiſcopus obijt.

653 *In Britannia Honorius Anglorum archiepiſcopus obijt, pro quo Deuſdedit decem annos præfuit.*

14 Mediterranei Angli Chriſtiani effecti.

654 *Beatus Papa Martinus iuſſu Conſtantis, hæretici Imperatoris, in baſilica Saluatoris, quæ Conſtantiniana dicitur, comprehẽſus, & Conſtantinopolim perductus, cum flecti nullatenus poſſet, exilio in Cerſona damnatus eſt.*

15 Penda rex, ab Oſui rege pugna victus, interijt, & gens Merciorum Chriſtiana efficitur.

655 *Martinus Papa in exilio migrauit ad Dominum, ibiq; ſepultus miraculis claruit: pro quo* EVGENIVS *Papa* LXXVII, *ſedit annos duos, menſes fermè 10, vir benignus & pius.*
In Britannia Pendan rex Merciorum paganus, ab Oſui rege, ſancti Oſwaldi fratre victus, interiit, & gens Merciorum Chriſti fidem accepit.

16

656 *Petrus Conſtantinopolitanus quaſi ſatisfaciens pro fide ſua, miſit Romam ſynodicam epiſtolam, valde obſcuram & dubiam, ſed à domino Papa & eccleſia Romana non eſt accepta.*

17

657 *Romæ Eugenio Papa defuncto, ceſſauit epiſcopatus menſibus 6.*

18 Dagobertus rex magnus, filius Lotharii, annis regnans ſedecim, moritur, & ad ſanctum Dionyſium ſepelitur.

658 *Romæ* VITALIANVS *Papa* LXXVIII, *ſedit annis 14, menſibus ſex: qui literis ex more Conſtantinopolim miſſis, in ſede confirmatus, eccleſiam Romanam inſigniter rexit.*

19 Vulfhere filius Pendani, rex Merciorum effectus, regnauit, annis 17.

659 *Conſtantinus qui & Conſtans Imperator S. Petro donaria precioſa Romam miſit.*

20

660 *In Italia defuncto rege Longobardorum Hariberto, duo filij eius Godabertus & Pertarich regnum inter ſe diuidebãt, quorum vno occiſo, id eſt, Godaberto, alterog;*

Anni mũdi.		
		terog, fugato ad Hunnos, Grimoaldus Dux Beneuentanus regnum eorundem obtinuit.
21	661	*Hoc tempore Perterich de exilio reuersus, iterum in exilium ire compulsus est.*
22	662	*Constantinus qui & Constans, Italiam contra Longobardos venit, sed nihil profecit.*
23 Constantinus Romam venit, & beato Petro pallium auro textile obtulit, toto exercitu cum cereis ecclesiam intrante.	663	*Constantinus Imperator Romam venit, & à Vitaliano Papa honorificè susceptus, S. Petro pallium auro textile obtulit: sed cuncta penè ornamenta vrbis abstulit.*
24 Eclipsis Solis facta est, quasi hora decima, quinto nonas Maias, indictione septima.	664	*Eclipsis Solis quinto Nonas Maij facta.*
Inter Anglos & Scotos quæstio de pascha ventilata, & Scoti à Vilfrido presbytero victi sunt.		*In Britannia à Scotis & Anglis quæstio de pascha ventilatur, & Scoti à Wilfrido presbytero rationabiliter victi sunt, qui postea episcopus ordinatur.*
Sæua lues & pestilentia Britanniam vastat.		
Deusdedit archiepiscopus obijt.		
Ceadda & Vilfridus Nordan Vmbrorum episcopi ordinantur.		
25 Herchanberto rege Cantuariorum mortuo, filius eius Egbertus regnauit annis nouem.	665	*Angli ad Vitalianum Papam pro episcopo & doctore postulatum Romam miserunt.*
26	666	
27 ADEODATVS LXXIII Papa, sedit annis 4, mensibus duobus, diebus quinq;.	667	
28 Constantinus post multas deprædationes prouincijs factas, occisus in balneo perijt, indictione 12.	668	*In Sicilia Constantinus Imperator, qui & Constans, post multas deprædationes per prouincias factas, tandem à suis in balneo peremptus est. Pro quo* CONSTANTINVS *eius filius regnauit annis 17, imperator sanè catholicus & pius.*
Theodorus Anglis archiepiscopus ordinatur à Vitaliano Papa, & ad Britanniam cum Adriano abbate mittitur.		*Hoc anno Theodorus archiepiscopus à Vitaliano Papa ordinatus, & cum Adriano abbate ad Anglos missus, multis & verbo profuit & exemplo.*
¶ CONSTANTINVS, filius Constantini, annis 17.		
1	669	*Sarraceni Siciliam vastant.*
2	670	*In Italia mortuo Grimoaldo Longobardorum rege, Pertarich regnum paternum 17 annis obtinuit.*
3 Hoc tempore Sarraceni Siciliam deprædantes, cum magna præda Alexandriam redeunt.	671	
DONVS LXXIIII Papa, sedit anno vno, mensibus 5, diebus 10.		
Oswi rex Anglorum obijt: pro quo Egfridus regnauit annis 15.		

Anni mũdi.			
	4 AGATHO Papa LXXV, ſedit annis duobus, menſibus 6, diebus 4.	972	*Romæ Vitaliano Papa defuncto, indictione 15, poſt duos menſes* ADEODATVS *Papa* LXXIX *ſedit annis 4, menſibus duobus: vir valde mitis & pius, qui multa ædificia Romæ conſtruxit.*
	5 Sub hoc Principe ſexta ſynodus vniuerſalis Conſtantinopoli congregatur, ſub Agathone Papa. Egbertus rex Canthuariorum obijt, pro quo fratre Lutherus regnauit annis 11, menſibus 4. Theodorus archiepiſcopus Anglorum ſynodum colligit.	673	*Hoc anno Theodorus archiepiſcopus Anglorum ſynodum vtilem collegit.*
	6 LEO LXXVI Papa, ſedit menſibus 10, diebus 17. Ludouicus rex, filius Dagoberti, frater Sigiberti, moritur, anno regni decimo ſexto.	674	*Dagobertus rex Francorum præcipuus, eccleſiarum Dei venerator, obijt. Regnauit annos 44. Pariſiis ſepelitur.*
	7 BENEDICTVS LXXVII Papa, ſedit menſibus 10, diebus 12. Volfherus rex Merciorum obijt: pro quo frater Edilfredus annos 25.	675	
	8 IOANNES LXXVIII Papa, ſedit anno vno, diebus 9. Edilfredus rex Cantiam vaſtauit.	676	*Romæ defuncto Adeodato Papa, poſt menſes quatuor S.* DONVS *Papa* LXXX, *ſedit annum vnum, menſes 5: qui porticum S. Petri marmore ſtrauit.* *Cometa per tres menſes viſus.*
	9 CANON LXXIX Papa, ſedit menſibus vndecim.	677	*Eccleſia Rauennas, quæ Autocephaliam ſibi vſurpans, à Romana deſciuerat, Dono Papæ ſe iterum ſubiecit.*
	10 SERGIVS LXXX Papa, ſedit annis 13, menſibus 8, diebus 23. Lotharius filius Ludouici, anno regni quarto moritur. Wilfridus epiſcopus ab Egfrido rege ſede ſua pulſus, multos ad Dominum prædicando conuertit.	678	*Romæ defuncto Dono, poſt duos menſes* AGATHO *Papa* LXXXI, *ſedit annis duobus, menſibus 6. Hic Papa apud Imperatorem effecit, vt quantitas releuaretur, quæ pro ordinatione Pontificis ſolita erat dari: ita tamen vt decretum generale de electione Papæ prius ad Imperatorem mitteretur, quàm ille conſecraretur.* *Wilfridus Anglorum epiſcopus à Guiberto rege ſede ſua pulſus, multos in exilio ad Dominum conuertit.*
	11	679	*Conſtantinus Aug. legationem Romam miſit, & vt pro confutandis hæreticis ſynodus Apoſtolica authoritate Conſtantinopoli fieret, poſtulauit. Agatho Papa ſynodũ* CXX *Epiſcoporum Romæ collegit, & hæreticos, vnam in Chriſto operationem dogmatizantes, damnauit.*
	12 Theodorus archiepiſcopus Anglorum iterum ſynodum colligit, tempore Agathonis Papæ.	680	*Eclipſis Lunæ, & magna mortalitas Romæ facta.*

Agatho

Anni mũdi.		
		Agatho Papa legatos Constantinopolim misit, indictione 9. qui honorificè ab Aug. susceptì, sextæ synodo vniuersali 150 Episcoporum præfuerunt, & cunctos hæreticos, vnam in Christo voluntatem & operationem asserentes, damnauerunt, & nouem capitula conscripserunt.
		Theodorus Anglorum archiepiscopus item collegit synodum.
	13	681 *Constantinopoli sexta synodus vniuersalis* CL *Episcoporum, indictione nona, mense Februario acta, & Macharius Antiochenus sequaces q, erroris damnati sunt. Quibus damnatis, subitò plurimæ aranearum telæ in Basilica coram omnibus ceciderunt, hæreticas nugas deiectas esse portendentes. Agatho Papa decessit.*
	14	682 *Romæ defuncto Agathone Papa, cessauit episcopatus, an. 1. mens. 7.*
	15 Egfridus rex Hiberniam misso exercitu immeritam vastat. Sanctus Gudbertus Lindisfarnensis ecclesiæ episcopus ordinatur.	683 *Romæ* LEO *secundus, Papa* LXXXVII, *sedit ferè mensibus vndecim: vir per omnia eruditissimus & pijssimus, qui sua decreta fecit, plurima egregiè scripsit, docuit & constituit.* *S. Gudbertus Lindisfarnensis ecclesiæ episcopus, Britanniam multis virtutibus decorauit.*
	16 Egfridus rex cum Pictos incaute peteret, ab ipsis peremptus interijt, pro quo Alfridus annis 19.	684 *Romæ defuncto Leone, cessauit Episcopatus menses ferè duos.* *Post quem* BENEDICTVS *secundus, Papa* LXXXIII, *sedit mensibus decem, vir satis laudabilis. Cometæ apparent.*
	17 Constantinus Imperator obijt. Lutherus rex Canthuariorum interiit. ¶ IVSTINIANVS minor LX, filius Constantini, annis decem.	685 *Romæ post pascha defuncto Benedicto, exactis plus duobus mensibus* IOANNES *quintus, Papa* LXXXIIII, *sedit annum vnum, qui prius archidiaconus, legatus in sexta synodo sedis apostolicæ fuerat.* *Constantinopoli Constantino Imp. defuncto, filius eius* IVSTINIANVS *regnauit annis 10, qui hæresi pollutus, orthodoxis est infestus.*
	1 Hic hæresi pollutus, catholicos persequitur, & cum Sarracenis pacem fecit. S. Ioannes Hagustaldensis ecclesiæ episcopus ordinatur.	686 *Romæ defuncto Iohanne, post tres menses* CONON *Papa* LXXXV *ordinatus, sedit menses 11, vir item laudabilis.* *In Britannia S. Ioannes Hagustaldensis episcopus clarus habetur.*
	2 SERGIVS Papa annis sedit 13, mensibus 9.	687 *Romæ defuncto Conone, exactis ferè quatuor mens.* SERGIVS *Papa* LXXXVI, *sedit annis 13, mens. ferè 9. qui in fide catholica fortis, persequutionem ab Aug. Iustiniano passus est: vir quippe sanctus & omnibus bonis intentus.*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 136;Leibn. Marg. 136, Stück 1, [309] - 291
PUBLIC DOMAIN

Anni mũdi.			
	3 Pipinus filius Ansgisi maior domus & dux Francorum, regnauit annis 27, cum Ludouico, Hildeberto & Dagaberto regibus. Ceadualdus rex Occidentalium Saxonum Romam venit, & à Sergio Papa baptizatus, in Albis obijt, & ibi sepelitur.	688	*Ceadwal rex occidentalium Saxonum, ad fidem conuersus, Romam venit. & in sabbato sancto paschæ, à Sergio Papa baptizatus, & Petrus vocatus, inibi in albis defunctus, ab ipso Papa summo honore tumulatus, & epitaphio decoratus est.*
	4	689	*In Italia Alachis dux tyrannidem inuasit, & maximè clericos insequitur.*
	5 Theodorus Anglorum archiepiscopus obijt, anno ætatis 88.	690	*Theodorus venerabilis Anglorum Archiepiscopus, anno aduentus sui in Britanniam 23, ætatis verò 88, decessit, qui librum pœnitentialem satis vtilem conscripsit.*
	6 Hoc tempore Villibrordus, qui & Clemens à Sergio Papa Episcopus ordinatus, Fresonum gentem ad Christum conuertit. Iustinian⁹ ob culpã perfidiæ, regno priuatus, exul in Pontum secessit.	691	
	7 Ludouicus puer, filius Theodorici, anno regni quinto moritur.	692	
	8 Theodoricus rex, filius Ludouici, annis regnans 19, moritur.	693	
	9 Hoc tempore duo Angli presbyteri, niger & albus Heualdus, Saxonibus prædicantes, martyrio coronantur.	694	*His diebus duo Angli presbyteri, dum Saxonibus prædicarent, martyrio coronati, & miraculis declarati, à Pipino Coloniæ sunt tumulati.*
	10 ¶ LEO LXI, annos tres.	695	*Constantinopoli Iustinianus Imp. hæreticus, à Leone & Tiberio, abscisis naribus, regno expulsus est, & ipse* LEO *regnum tres annos obtinuit.* *Vir S. Willibrordus, à Sergio Papa archiepiscopus ordinatus, & Clemens vocatus, genti Fresonum prædicans, virtutibus claruit.*
4650	1 Hoc tempore Sergius Papa capsam cum portione Dominicæ crucis inuenit.	696	*Sergius Papa, Domino reuelante, capsam cum portione Dominicæ crucis, inuenit:*
	2 S. Cudbertus ex anachoreta Episcopus sub hoc principe obijt. Ostrich regina à suis perempta est.	697	*In Britanniam S. Cudbertus, ex anachoreta episcopus, migrauit ad Dominum, post multas virtutes, cuius vitam Beda presbyter descripsit.*
	3 Leo regnum dimisit. ¶ TIBERIVS LXII, annos septem.	698	*Constantinopoli Tiberius imperium inuadens, Leonem Imperatorem, septem annis, quibus ipse post hunc regnauit, in carcere tenuit.*
	1 Hoc tempore synodus Aquileiæ congregatur, sub Sergio Papa.	699	*Hoc tempore synodus Aqueleiensis facta, & quidam, qui Concilium quintum vniuersale noluerunt recipere, à Sergio Papa correcti sunt.*
	2 Romæ IOANNES Papa sedit annis tribus, mensibus duobus.	700	

5 Tem-

Anni mũdi.

3 Temporibus his Gisulphus dux Longobardorum Beneuenti, Campaniam vastat. — 701 — *Romæ defuncto Sergio*, IOANNES *sextus, Papa* LXXXVII, *sedit annis tribus, mensibus duobus.*

4 — 702

5 Beda venerabilis Anglorum presbyter, Chronicam minoris libri de temporibus, hucusq; perduxit. — 703 — *Beda presbyter Anglus, vir doctus, usq; huc Chronica minoris libri de temporibus, perduxit.*

Hoc temp. cum Gisulfus dux Beneuenti Campaniam vastaret, & captiuos abduceret, à Ioanne Papa pacem postulante, dona accipiens, captiuos reddidit.

6 Edilfredus rex Merciorum, Conredo regnum dedit & se monachum fecit. — 704 — *In Britannia Edilred rex Merciorum relicto regno, monachum se fecit.*

IOANNES Papa annis duobus, mensibus octo.

7 Iustinianus auxilio Terbelli, Bulgarorum regis, regressus, Leonem & Tiberium, cum multis qui eum expulerant, occidit. — 705 — *Constantinopoli Iustinianus Imp. auxilio Terbelli regis Bulgarorum imperium recipiens, Leonem & Tiberium Imperij peruasores, occidit.*

Aidfridus rex Normannorum obijt, pro quo filius Osredus annis vndecim regnauit. — *Gallicinium Patriarcham excæcatum Romam misit, & in loco eius Cyrum abbatem, qui se in Ponto exulem aluerat, promouit. De hoc Imperatore fertur, quod quoties à detruncatis naribus profluuium terserit, toties aliquem de inimicis suis perimi iusserit.*

S. Heddius episcopus Occidentalium Saxonum, obiit pro quo Daniel & Althelmus episcopi præfuerunt.

¶ IVSTINIANVS, LXIII, secundò cum filio Tiberio annos sex. — *Romæ* IOANNES *septimus, Papa* LXXXVIII, *sedit annis duobus, mensibus ferè 8, vir facundus & eruditus.*

S. Heddi epis. migrauit ad Dominum.

---

1 SISINNIVS Papa diebus 20. CONSTANTINVS Papa, annis 7, diebus 15. — 706 — *S. Ioannes Papa oratorium S. Mariæ ad S. Petrum construxit, & multas ecclesias ornauit.*

2 Hoc tempore Iustinianus de peccatis suis pœnitentiam agens, Papam summo honore habuit. — 707 — *Hoc tempore Haribertus rex Longobardorum possessionem Alpium Cottiarum, dudum à Longobardis captã & detentam, per priuilegiũ, aureis literis scriptum, S. Petro Ioannig. Papæ reddidit.*

3 Conredus rex Merciorum Romam venit, ad Constantinum Papam, & cum illo Offa filius Sigiberti Regis, ibiq; monachi facti, in seruitio Dei vitam finierunt. — 708 — *Romæ Sisinnius Papa* LXXXIX *ordinatus, ingraueſcente podogra, viginti tantùm diebus superuixit. Post quem* CONSTANTINVS *Papa* XC *effectus, sedit annis 7, diebus 15.*

4 Conredus rex Merciorum, Romam venit ad Constantinum Papam, & cum illo Offa filius Sigiberti regis, ibiq; monachi facti, in seruitio Dei vitam finierunt. — 709 — *Coenredus rex Merciorum, & cum eo Offa regius iuuenis filius Sigiheri regis relictis regnis Romam veniunt, ibiq; Monachi effecti, nõ multò post obierunt.*

Wilfridus Anglorum episcopus obijt, cui Acca successit.

5 Hildebertus rex, filius Theoderici, anno regni 17 moritur. — 710 — *Adrianus abbas venerabilis, anno ex quo à Vitaliano Papa in Britanniam cum Theodoro archiepiscopo missus est, 41 obijt.*

Vulfridus venerabilis episcopus, anno episcopatus 45, post multos la-

Anni mũdi.

bores obiit: pro quo Arca Haguſtaldenſis eccleſiæ epiſ. ordinatur.
Adrianus abbas venerabilis, cooperator Theodori archiepiſ. obiit, anno quo à Vitaliano miſſus eſt.

Wildebertus rex Francorum obiit, pro quo Dagobertus annis quinq.

6 Philippicus ab exercitu Imperator factus, Iuſtinianum occidit.
¶ PHILIPPICVS LXIIII, anno vno, menſibus ſex.

711 *Conſtantinopoli* PHILIPPICVS *Imperator factus, Iuſtinianum Imp. occidit, & ipſe annum vnum & ſex menſes regnauit, catholicos perſequens, hæreticis fauens. Vnde & à Conſtantino Papa anathemiſatur: quapropter regni principibus eum pro excommunicato deuitantibus, regium diadema deponere compellitur.*

1 Philippicus hæreſi pollutus, catholicis infeſtus fuit.
Mors Heriberti regis Longobardorum.

712 *Heribertus rex Longobardorum moritur, pro quo Luitprandus.*

2 Anaſtaſius Philippicum oculis priuauit, regnoq; expulit.
¶ ANASTASIVS LXV annis tribus.

713 *Conſtantinopoli* ANASTASIVS *Philippicum oculis & regno priuauit, & ipſe annos tres regnauit.*

1 GREGORIVS ſecundus Papa LXVI, ſedit annis quindecim, menſibus 8, diebus 23.
Pipinus maior domus obiit, pro quo Carolus annis 27.

714 *Anaſtaſius Imperator miſſis Conſtantino Papæ literis, ſe catholicum declarauit.*
Pipinus filius Anſgiſi, nepos ſancti Arnulfi, maior domus & dux Francorum, anno regni 27 obiit: pro quo filius eius Carolus regnauit annis 27.

2 Mors Dagoberti regis.

715 *Romæ defuncto Conſtantino Papa,* GREGORIVS *ſecundus Papa* XCI, *ſedit annos 15, menſes 9, qui 17 capitula conſcripſit.*
Dagobertus iunior, filius Hildeberti, rex Francorum obiit, pro quo Helpericus qui & Daniel.

3 Egbertus vir ſanctus, Scotos legitimè paſcha celebrare docuit.
Oſredus rex occiditur, pro quo Conradus, regnauit annis 41.
¶ THEODOSIVS annum vnum. Hic Anaſtaſium prælio vicit, eumq; presbyterum ordinari fecit.

716 *Egbertus vir ſanctus, natione Anglus, Scotos legitimè Paſcha celebrare docuit.*
Conſtantinopoli Theodoſius Imperator factus, annum vnum regnauit, qui Anaſtaſium Imp. pugna victum, presbyterum ordinari fecit.

1 Carolus Hilpericũ regem & Reginfridum vicit.
Tiberis fl. alueum ſuum egreſſus, multa Romæ ſubuertit ædificia.
¶ LEO, LXVII, annos nouem.

717 *Romæ Tiberis ſupra modum inundãs, multa ædificia ſubuertit. Hoc tempore Winfridus, qui & Bonifacius genere Anglꝰ, Germaniæ gentib. verbũ ſalutis prædicat, auctoritate Gregorij Papæ.*

1 Carolus Lotharium ſibi regem conſtituit. Hoc tempore Sarraceni triennio Conſtantinopolim obſidentes, & multas prouincias deuaſtantes, fame, peſte, ferro, naufragioque repelluntur.

718 *Conſtantinopoli* LEO *Imperator annis 9 regnauit: cuius temporibus Sarraceni Conſtantinopolim obſidentes triennio, tandem diuino auxilio, fame, peſte, ferro repelluntur.*

Sanctus

Anni mũdi.			
	2 Sanctus Winfridus, qui & Bonifacius à Gregorio Papa Moguntiæ archiepiscopus constituitur.	719	*Sanctus Bonifacius à Gregorio Papa Moguntiaci archiepisc. ordinatus, multis gentibus profuit, verbis & exemplis.*
	3 S. Othmarus in cella S. Galli abbas efficitur. Mortuo Hilperico, Theodoric⁹ filius Dagoberti rex efficitur à Carolo.	720	*Mortuo Helperico, Theodoricus filius Dagoberti, rex à Carolo constituitur. S. Othmarus cellæ S. Galli primus abbas constitutus, 40 annos rexit.*
	4 S. Ioannes Haguſtaldenſis episcopus, post multas virtutes migrauit ad Dominum.	721	*Carolus Reginfredum vicit, Andegauis vrbem vi cepit. S. Ioannes Haguſtaldenſis epiſc. obiit.*
	5	722	*Carolus Alemanniam & Baioariam ſubegit.*
	6 Hoc tempore corpus S. Auguſtini epiſcopi, de Sardinia in Ticinum, à Luidbrando translatum eſt.	723	*Hoc tempore corpus S. Auguſtini de Sardinia Ticinum à Luidbrando translatum eſt.*
	7 Sanctus Pirminius primùm ad Augiam Inſulam venit.	724	*Carolus tranſito Ligeri, Aquitaniam vaſtat. Sanctus Pirminus & * Chorepiſcopus à Carolo Augiæ Inſulæ præfectus, ſerpentes inde fugauit, & cœnobialem vitam ibi inſtituit, anno tertio.*
	8 Saraceni ab Eudone duce contra Carolum euocati, Gallias vaſtant.	725	*Saraceni Gallias vaſtant, præda & incendio.*
	9	726	

* i. regionalis epiſc. qui per regiones diſcurrit.

Hucuſq; Beda venerabilis presbyter Chronicam ſuam, in maiori de temporibus libro, perduxit, continentem ab initio mundi, ſecundùm Hebraicam veritatem annorum quatuor millia, ſexingentos, octoginta.

Carolus de Saracenis, occiſo rege eorum, triumphat.		*Carolus Saracenos vnà cum Rege eorum proſtrauit.*

¶ Hucusq; regnum Romanorum, exhinc Francorum ſupputatur.

¶ Carolvs Pipini filius, cum iam principatum maior domus 12 annis teneret, posthac eundem principatum tenet annis 15, regibus tamen in Francia, ſed parua dignitate, regnantibus.		*Carolus Pipini filius, cum iam principatum Maioris domus 12 annis tenuiſſet, poſthac eundem principatum 15 annis obtinuit: regibus tamen in Francia, ſed parua dignitate regnantibus.*
13 Sanctus Pirminius à Thietbaldo, Gotifridi filio, expulſus, Etonem abbatem conſtituit, & ipſe in Alſatiam venit.	727	*Carolus Burgundiam petens, eam ſibi ſubegit. Sanctus Pirminius ex Augia pulſus, Etonem pro ſe cõſtituit abbatem, & ipſe Alſatiam, alia inſtructurus cœnobia, petiit.*
14	728	*Carolus Aquitaniam ſine bello recipit.*
15 Carolus Friſiam vaſtat, Poppone duce eius occiſo. S. Egbertus presbyter obiit, an. ætatis 20, 8 Cal. April. id eſt, Paſchæ die.	729	*Sanctus Egbertus presbyter Anglus obiit, anno ætatis nonageſimo, die Paſchæ, id eſt, octauo Kalend. Maij.*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 136;Leibn. Marg. 136, Stück 1, [313] - 295

Anni mũdi.			
	16 Landfridus moritur. Sarraceni item Gallias vaſtant.	730	*Saraceni Auinionem vrbem capiunt, & circumquaq; regiones deuaſtant.*
	17 Beda venerabilis Anglorum presbyter, obijt, indictione 14. GREGORIVS tertius, Papa XCII, annis 10, menſibus 8, diebus 24.	731	*Carolus Auinionem, cæſis Saracenis, vi expugnatam recipit. Beda presbyter & monachus natione Anglus, doctor eximus, obijt 7 cal. Iunii. Romæ GREGORIVS tertius Papa, ſedit annis 10, menſ. 9. Tria cœnobia, id eſt, Altaha, Murbach, Fauarias, ex Augienſibus fratribus inſtructa ſunt.*
	18 Carolus contra Saracenos pugnat die ſabbati.	732	*Carolus Gothiam inuadit.*
	19 Carolus item Saracenos cum rege ſuo deleuit.	733	*Carolus exercitum Saracenorum, de Hiſpanis venientem, deleuit.*
	20 Carolus Maior domus Freſiam vaſtat. Etho Argentinæ epiſcopus promouetur.	734	*Augiæ Eto abbas Kebam ſucceſſorem relinquens ipſe Argentorati epiſcopus promotus, non longè poſt ſui nominis Etinheim cœnobium conſtruxit.*
	21 Carolus Waſconiam inuadit.	735	*Carolus item deletis Saracenis victor rediit.*
	22 Audonius epiſcopus obijt. Ernfridus Augiæ abbas, & Conſtantiæ epiſcopus ordinatur.	736	*Carolus Gothos petiit, & inde victor rediit. Audonius epiſcopus obiit. Augiæ defuncto poſt duos annos Keba, Ernfridus Augiæ abbas & Conſtantiæ epiſc. effectus, decem annis præfuit.*
	23 Carolus contra Saracenos in Gothia pugnat.	737	*Carolus Saxones victos fecit tributarios.*
	24 Carolus Saxoniam intrat.	738	
	25 Carolus Prouinciam ſubijcit.	739	*Carolus totam Prouinciam ſuæ ſubiicit ditioni.*
	26	740	*Victis circumquaq; hoſtibus, pax & quies regno Franc. facta eſt, per Carolum.*
	27 Carolus moritur, indictione 9, & apud S. Dionyſium ſepelitur. ZACHARIAS XCIII Papa, annis 10, menſibus 4, diebus 4. ¶ PIPINVS filius Caroli, cum fratre Carlomanno Maiordomus annos vndecim regnauit.	741	*Romæ Zacharias Papa ſedit annos 10, menſes 4. Carolus moritur Pariſiaci, & apud S. Dionyſium ſepelitur: pro quo filii eius, diuiſo inter ſe regno Francorum, maiores domus præfuerunt:* CARLOMANNVS *annis ſex,* PIPINVS *annis decem.*
	1 Carlomannus Waſconiam & Alemanniam petit.	742	*Carlomannus & Pipinus duces Aquitaniæ & Sueuiæ rebellantes citò comprimunt.*
	2 Carlomannus Alemanniã vaſtat.	743	
	3 Carlomannus pacem cum Saxonibus facit. Fuldenſe cœnobium in ſylua Buchonia à S. Bonifacio cœptum.	744	*Fuldenſe cœnobium in ſaltu Bochonia à ſancto Bonifacio archiepiſcopo fundatum eſt.*
	4	745	*Carlomannus cum fratre Saxoniam rebellantem vaſtauit.*
4700	5 Carlomannus Maior domus Alemanniam ingreditur.	746	*S. Bonifacius annuente Carlomanno, auctoritate Zachariæ Papæ duos in ſua pa-*

Anni mũdi.		
		parochia episcopatus facit, Wirciburgen sem sc. cui S. Burchardum: & Eichstet-tensem cui S. Wilibaldum comprouinciales suos, primos episcopos ordinauit. Sidonius Augiæ monachus, quintus ei loco Abbas, Constantiæq; episcopus factus, præfuit annis 13, qui cellam quoq; S. Galli ambiens, iniquis principibus in dãnatione S. Othmari abbatis consensit.
	6 Carlomannus diuino amore succensus, Romam pergit, & se monachum in monte Soracte fecit. S. Burchardus Vurceburgen si, & S. Wilibaldus Eistettẽsi ecclesię epi. primi, à S. Bonifacio ordinantur.	747
	7 Sidonius abbas Augiæ & Constantiæ episcopus constituitur.	748
	8 Pipinus Tassilonem, sororis suæ filium, Baioariæ ducem post Odilonem fecit.	749
	9	750 Pipinus Griphoni 12 comitatus in partibus Neustriæ dedit.
	10 Lantfridus moritur. Zacharia Papa defuncto, STEPHANVS secundus Papa XCIIII, annis sex.	751 Pipinus missis Romam legatis, Zachariam Papam de regno Francorum, & ignauis eius regibus consuluit. Idẽ PIPINVS Rex effectus, 17 annis regnauit.
	11 Audogarius primus Campidonę abbas efficitur. ¶ PIPINVS I, authoritate Stephani Papæ, depositio ac detonso rege Hilderico, rex Francorum factus, regnauit annis 5.	752 Auctoritate Zachariæ Papæ, & non multò post Stephani (qui eidem in Pontificatu sex annis successit) depositio ac detonso rege Hilderico, Pipinus rex Francorũ electus, & Suessionis à S. Bonifacio archiepis. unctus, regnauit annis 17. Audogarius primus Campidonensis cœnobij fundator & abbas, locum illum incolere cœpit.
	1 Hildigarius episcopus Coloniæ à Saxonibus interimitur. Gripho frater Pipini occiditur.	753 Pipinus rex Saxoniam vastat, ibiq; Hildigarius Colonienſis archiepisc. Stephanus Papa pro auxilio contra Haistulphum Longobardorum regem poscendo, ad Pipinum regem in Franciam venit, & filios eius Carolum & Carlomannum Parisiis reges unxit.
	2 S. Bonifacius archiepiscopus à Fresonibus martyrio coronatur. Post quem Lullus Mogontiæ archiepiscopus sedit annis 32. Pipinus Longobardos in Italia cum exercitu petit.	754 S. Bonifacius Moguntinensis archiepis. cùm Fresonibus prædicaret, martyrisatus est abeis, annos episcopatus 36, & apud Fuldense cœnobium sepultus: pro quo Lullus archiepiscopus præfuit annis 32. Carlomannus frater Pipini, cum ad eum pro dissuadenda expeditione Italica venire vellet, Lugduni obijt. Pipinus Italiam cum exercitu petens, Haistulphum regem Papiæ obsessum, obsides dare, & res S. Petri sub sacramento reddere coegit. Stephanus Papa Hieronymo, Pipini fratre, Romam redijt.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 136,Leibn. Marg. 136, Stück 1, [315] - 297

Anni mũdi.			
	3	755	*Haistulphus sacramentum contemnens, Romã obsidet, omnia circum ferro & igne vastans. Pro quare Papa legatos per mare ad Pipinũ pro auxilio misit.*
	4 Haistolphus rex Longobardorum moritur.	756	*Pipinus rex iterum Italiam petens, Haistulphum Papiæ obsidet, & Rauennam aliasq; vrbes peruasas, eum S. Petro & domino Papæ per legatum reddere compulit.*
	5 PAVLVS Papa XCV, annis decem, mense vno.	757	*Constantinus Imp. inter alia munera Pipino regi etiam organum misit.*
	6 Pipinus Saxoniam bello petit.	758	*Romæ Stephano Papæ* PAVLVS *succesit, annis decem.*
	7 Pipinus Wasconiam inuadit.	759	*Waifarius tyrannidem in Aquitania exercuit.*
			S. Othmarus abbas à Warino & Ruthardo, consensu Sidonij episcopi iniquè damnatus, & in insula Rheniflein relegatus, migrauit ad Dominum: cuius Abbatiam cum Sidonius episcopus & abbas temerariè inuasisset, ante altare S. Galli profluuio ventris obijt. Pro quo Ioannes Augiensis monachus episcopatum & vtramq; abbatiam accipiens, præfuit annis 21: qui primùm Romanæ sedis priuilegium Augiæ ab Adriano Papa impetrauit.
	8 S. Othmarus abbas à Warino & Rudhardo in insulã Rheniflein nomine, relegatus, migrauit ad Dominum. Eclipsis Solis facta est, 18. calend. Septemb. hora quasi nona.	760	*Pipinus Aquitaniam seu Wasconiam inuadit, & Waifarium iniustè vsurpata, sub sacramento reddere coegit.*
	9 Sidonio episcopo misere mortuo, Ioannes episc. & abbas successit.	761	*Vaifarius iterum tyrannidem exercuit.*
	10	762	*Pipinus rex cum Carolo filio suo Aquitaniam petens, multas vrbes ibi cæpit.*
	11 Pipinus aliquot Comitatus filijs suis dedit.	763	
	12 Hyems valida hoc anno facta est: & eclipsis Solis, pridie nonas Iunias, hora sexta.	764	*Pipinus magnum conuentum Carisiaci habuit.*
	13 Corpora sanctorum Gorgonij, Naboris & Nazarij in Franciam deferuntur.	765	*Rudgangus Metensis episcopus, corpora sanctorum Gorgonij, Naboris & Nazarij, à Paulo Papa impetrauit.*
	14 Corpus sancti Nazarij ad Loresam delatum est.	766	*Corpus S. Gorgonii in Gorzia cœnobio, S. Naboris in noua cella, S. Nazarii in Lauresham conditum est.*
	15 Pipinus rex Parisijs moritur, indictione sexta, Paulus Papa obijt, STEPHANVS tertius Papa XCVI, annis 4, mensibus 6.	767	*Romæ Paulus Papa obiit: pro quo* STEPHANVS *sedit annis 4.*

¶ CARO-

Anni mũdi.			
	¶ CAROLVS MAGNVS secundus, Pipini filius cum fratre Carlomanno annis 4, postea solus 42.		
1		768	*Pipinus subacta Aquitania, 8 cal. Octob. Parisiis obijt, anno ætatis 53: pro quo filij eius diuiso regno,* CAROLVS *magnus annis 46, & Carlomannus 4 annis regnauit.*
	2 Corpus sancti Othmari post decem annos, in insula, qua obijt, incorruptum reperitur, & in basilica S. Galli sepelitur.	769	*Corpus S. Othmari abbatis, post decem annos, in insula, qua obiit, incorruptum inuentum, ad monasterium S. Galli translatum est.*
	3 Carolus filiam Desiderij regis Longobardorum vxorem duxit, & statim repudiauit.	770	*Carolus filiam Desiderii regis Longobardorum vxorem duxit, sed postea repudiauit.*
	4 Carlomannus rex, frater Caroli, moritur.	771	*Carlomannus obiit, & Remis sepelitur.*
	Carolus synodum colligit.		*Carolus magnam synodum collegit.*
	5 Carolus rex Saxoniam bello petit.	772	*Carolus Saxones petiit, vnde acceptis obsidibus rediit.*
	ADRIANVS XCVII Papa ordinatus, sedit annis 23, diebus 16.		*Romæ post Stephanum,* ADRIANVS *primus Papa, sedit annis 24.*
	6 Carolus Italiam inuadit & Desiderium regem vicit.	773	*Carolus ab Adriano Papa, pro defensione rerum S. Petri rogatus, Italiam petiit, & Desiderio rege obsesso Papiæ, ipse Romam orandi gratia adiens, pascha ibi celebrauit.*
	7 Carolus Longobardos cum Italia subiecit, anno ex quo intrauerãt, CCV, ipseq; cum triumpho Romam venit.	774	*Longobardi cum Desiderio rege eorum, Carolo se tradunt, anno* CCV, *ex quo Italiam cum rege Alboino intrauerant.*
	Corpora sanctorum Gordiani & Epimachi martyrum de Roma in Alemanniam allata sunt.		*Corpora sanctorum Gordiani & Epimachi de Roma in Alemanniam translata sunt.*
	8 Carolus iterum Saxoniam petit.	775	*Carolus Saxoniam iterum rebellantem vastat.*
	9 Carolus iterum in Italia Ruttaisum occidit.	776	*Carolus Rudgaudum regnum Italiæ affectantem, occidit.*
	10 Carolus iterum in Saxoniam pergit.	777	*Saxones tandem multa cæde perdomiti, Carolo subduntur, & Christiani efficiuntur.*
	11 Carolus Hispaniam inuadens cepit.	778	*Carolus Hispanias petiit, quibus subactis redit. Saxones iterum rebellant.*
	12 Carolus iterum Saxoniam sæpiùs rebellantem inuadit.	779	*Carolus iterum Saxones superauit.*
	Fames & mortalitas Franciam vastat.		
	13 Carolus tandem Saxonicum bellum, vt putabatur, subiectis Saxonibus, consummat.	780	*Carolus dispositis rebus Saxonum & Sclauorum, ipse Romam gratia orandi adiit.*
	14 Carolus iterum Romam venit, & Pipinus filius eius baptizatur ab	781	*Pipinus filius Caroli Romæ ab Adriano Papa baptizatur, & ab eodem à ba-*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 136,Leibn. Marg. 136, Stück 1, [317] - 299

Anni mũdi.			
	Adriano Papa.		ptiſmo ſuſcipitur, & cum fratre Ludouico rex vngitur.
			Conſtantiæ epiſcopus & abbas Ioannes obijt, pro quo Egino epiſcopus, annis 32: & Petrus Augiæ abbas annis quinque, & apud S. Gallum Rudbertus abbas anno vno, præfuerunt.
			Hoc tempore cruces apparuerunt multis in veſtibus. Sanguis è terra & aere fluxiſſe dicitur.
	15 Carolus conuentum in Saxonia habuit.	782	Carolus Saxonum 4500 decollare iuſſit.
	Ioannes epiſcopus & abbas obijt: pro quo Egino epiſcopus & Petrus abbas.		Apud S. Gallum Waldo abbas præfuit, anno vno.
	16 Hildegarta regina, vxor Caroli, obijt, pridie calendas Maias. Et Peretha obijt.	783	Hildigart regina, vxor Caroli, ſecundo cal. Maij, & Berehta mater eius, 4 Idus Iulij, obijt.
	17 Carolus Saxones rebelles plaga magna occidit, & Chriſtianos fecit.	784	Iunior Carolus à patre in Saxoniam miſſus, Weſtphalos bello domuit.
	18	785	Widikint Saxo ad deditionem Carolo veniens, baptizatus eſt.
	19 Eclipſis Solis facta eſt, 15 calend. Octob. hora quaſi ſecunda.	786	Carolus iterum Romam iuit, orandi gratia.
	Carolus iterum Romam perrexit: & cruces in veſtibus apparuerũt.		Augiæ poſt Petrum Waldo abbas octauus, præfuit annis decem.
	20 Carolus per Alemanniam ad fines Baioariæ rebellantes, cum exercitu venit.	787	Rudtrud filia Caroli, Conſtantino Imperatori deſponſatur.
	Waldo abbas Augiæ efficitur.		
	Lullo archiepiſcopo, Richolphus ſucceſſit.		
	21 Taſſilo duce Baioariæ iubente, Carolus in Franciam venit, & Baioaria Carolo ſubijcitur.	788	
	22 Carolus Sclauos, qui Wilzi dicuntur, bello petit.	789	Hoc anno Carolus 83 penè Canonum capitula totius regni ſui Epiſcopis tranſmiſit, vt eius auxilio corrigenda corrigere poſſent.
	23 Carolus hunc annum ſine bello Wormatiæ ſedit.	790	Hunc annum Carolus Wormatia quietus tranſegit.
	24 Carolus Pannoniam regnum Hunorum vaſtat.	791	Carolus terram Hunorum deuaſtat.
	25 Saxones fidem Chriſti relinquentes, iterum rebellant.	792	Synodo Ratiſponæ collecta, hæreſis Feliciana damnata eſt.
	26 Alcuinus, qui & Albinus, his temporibus clarus habetur.	793	Saxones item more ſuo rebellant.
	27 Faſtrada regina. Carolus ſynodum magnam congregat.	794	Synodo magna in Franconofurt habita, hæreſis item Feliciana damnata eſt: pſeudoſynodus Græcorum, pro adorandis imaginibus habita, ab epiſcopis damnata eſt.
			His temporibus Alewinus, qui & Albinus, apud Regem cæteroſq; vita & doctrina clarus habetur. 28 Ca-

Anni mũdi.			
	28 Carolus Saxones petit, & tertiam partem virorum obsides accepit.	795	*Huni missis legatis, se cum terra sua Carolo tradunt, & Christianitatem promittunt*
4750	29 Huni munera mittentes, Carolo subiiciuntur. Adriano Papæ Leo tertius, Papa xcix successit, & sedit annis 20, mensibus 5, diebus 16.	796	*Romæ defuncto Adriano Papa, LEO tertius sedit annis 20.*
	30 Constantinus Imperator à Græcis excæcatur.	797	*Constantinopoli Constantinus Imperator à Græcis excæcatur.*
	31 Romani Leonem Papam in litania maiore excæcant, & linguam eius amputant. Geroldus piissimus signifer Caroli in pugna occiditur ab Hunis.	798	*Helena mater Constantini Imperat. Constantinopolitani Legatos Carolo pro pace misit.*
	32	799	*Leo Papa (vt fama est) in litania maiore à Romanis lingua præcisa, excæcatur, & per quosdam liberatus, in Saxoniam ad Carolum est perductus.* *Geroldus præfectus Baioariæ, signifer & consiliarius Caroli, pius & religiosus, contra Hunos pugnãs, occubuit, Augiæq́, quam multis auxerat donis & prædijs, sepultus est.* *Patriarcha Hierosolymitanus, reliquias de sepulchro Domini mittit Carolo Regi.*
	33 Luitgarda regina obiit, pridie Nonas Iunias.	800	*Carolus Hierosolymam insignia dona transmisit, & Romam petens, Leonem Papam se de ei illatis & non probatis criminibus sacramento purgantem sedi suæ restituit.*
	34 Carolus imperiali benedictione sublimatus, Augustus & Cæsar Romano more appellatur.	801	*Carolus in die Natalis Domini à Leone Papa corona imposita, primus Regum Francorum, Cæsar Augustus Imperator, laudes succlamãtibus, appellatus est. Qui postea iuxta leges Romanas temeratores Leonis Papæ, capitali sententiæ addixit: sed precibus eiusdem Papæ vita concessa, in exilium eos relegauit.* *Terræmotus factus est, secundo Kal. Maij.*
	35 Græci cum Carolo pacem firmant.	802	*Aaron Rex Persarum, inter alia munera Elephantem Carolo Imp. misit.*
	36 Terræmotus factus, & mortalitas subsequuta est.	803	*Sanguis Domini Mantuæ inuentus, Carolo Imperatori nunciatur. Cuius rei veritatem perquirendam Leoni Papæ Imperator demandauit. Qua occasione arrepto itinere Papa ad Imperatorem venit, & cum eo natalem Domini Carisiaci celebrauit.*

Anni mũdi.

37 Carolus Saxonum rebellantium multitudinem in Franciam transfert. — 804 *Dominus Papa magnis muneribus ab Imperatore donatus, Romam rediit.*

38 — 805 *Carolus iunior à patre missus, Boëmiam subiugauit.*

39 Waldoni, abbas * Hatto, episc. Basileæ, successit. — 806 *Carolus Imperator regnũ inter tres filios diuisit.*

40 Eclipsis Solis facta est, tertio Idus Februarias, hora quasi sexta. — 807 *Aaron rex Persarum, cum aliis muneribus, artificiosum Carolo misit horologium.*

41 Hoc tempore Gotafridus Normannorum rex superbè Carolo minatur. — 808 *Cardolf rex Nodnumbrorum regno pulsus, ad Carolum Imp. quæstum venit.*

42 Carolus synodum magnã congregat. — 809 *Quæstio de processione sancti Spiritus, synodo habita ventilatur.*

Egino Constantiæ episc. obiit.

43 Eclipsis Solis facta est, septimo Idus Iunias, hora quasi secunda. Item in eodem anno eclipsis Solis pridie Calend. Decemb. hora quasi tertia. — 810 *Hispani & Græci per legatos cum illo pacem firmant.*

Pipinus rex, Caroli filius, obiit. — *Pipinum filium suum regem Italiæ mortuum esse, didicit.*

44 Carolus thesauros inter episcopia & ecclesias diuidit. — 811 *Hetto abbas Augiæ & episc. Basileæ, missus Constantinopolim, hodæporicum suum scripsit.*

Carolus rex, filius Caroli, obiit.

Hatto episc. ab Imperatore Constantinopolim mittitur.

45 Bernhardus rex à Carolo efficitur. — 812 *Michaël Imp. legatis Caroli remissis, suos etiam pacem confirmatum misit.*

Beneuentani 25 solidorum auri tributum Carolo persoluunt.

46 Carolus febre & pleuresi pulsatus, obiit, indictione septima, quinto Calend. Februarias, anno ætatis 71. — 813 *Carolus Imp. Amalharium Treuerensem archiepiscopum, & Petrum Nonantulanum abbatem Constantinopolim misit, quorum liber itineratus hodæporicum, item scriptum habetur. Ipse Ludouicum filium regni consortem fecit. Mortuo Pipino filio eius rege Italiæ, filium ipsius Bernhardum, nepotem suum, regem fecit Italiæ. Per magna concilia Moguntiaci, Remis, Turonis, Cauillonis, Arelati pro statu ecclesiarum fieri iussit.*

¶ Lvdovicvs tertius, Caroli Magni filius, annis 27. — 814 *Carolus Imp. magnus, cum prius thesauros suos inter 21 archiepiscopatus regni sui, cæteros q; episcopatus & ecclesias diuisisset, febre & pleuresi pulsatus, quinto Kal. Febr. Aquisgrani obiit, ibiq; sepultus est honorificè, anno ætatis 71, regni 47, subiectæ Italiæ 44, Imperij 14, indictione 7. Pro quo* Lvdovicvs *filius eius, cognomento Pius, regnauit annis 27: qui statim generale colloquium Aquisgrani habuit, & multa per eam gesta per regnum correxit.*

Quidam

* *alias Hatto.*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 136,Leibn. Marg. 136, Stück 1, [320] - 302

Anni mũdi.			
2		815	*Quidam ex Romanis primoribus, in necem Leonis Papæ coniurantes, puniuntur.*
3	Leo Papa obiit, & Ludouicus Imperator à Stephano Papa factus est. STEPHANVS quartus, Papa XCIX, mensibus 7.	816	*Leone Papa defuncto, octauo Kal. Iunij,* STEPHANVS *sedit mensibus septem. Qui ad Ludouicũ regem in Franciam veniens, Remis eum Imp. coronauit, deinde Romam rediit.* *Imp. synodo collecta, multa de statu & religione cœnobiorum benè disposuit.*
4	PASCHALIS Papa C effectus, sedit annis 7, diebus 18.	817	*Stephano Papa, nono Calend. Febr. defuncto, Paschalis sedit annis 7. Legati Leonis Imp. de Constantinopoli pro pace ad Ludouicum veniunt Imperatorem.*
5	Bernhardus rex Ludouico rebellat.	818	*Ludouicus Imperator cismarinos Britannos domuit.*
6	Bernhardus rex interiit. Ludouicus rebellat.	819	*Synodo Aquisgrani habita, multa de statu ecclesiarum disposita sunt.*
7	Exercitus contra Ludouicũ congregatur.	820	*Ex inundatione pluuiarum pestilentia magna facta est.*
8	Item exercitus contra eundem Ludouicum congregatur.	821	*Ludouicus Imp. regnum inter filios diuisit, exilia relaxauit, debita cunctis dimisit.*
9	Nix magna à 10 Calend. Octob. vsq; in pridie Idus April. permansit.	822	*Ludouicus Imp. de publicis suis peccatis publicam pœnitentiam egit, & quæ, in regno suo corrigenda, correxit.* *Lotharius in Italiam, Pipinus ducta vxore in Aquitaniam, reges missi sunt.* *Fuldis Eigil abbas obiit: cui Rabanus vir doctus, & diuinorum librorum tractator egregius successit.* *Augiæ Hettone abbate & episcopo priuatam vitam adoptante, Exlebaldus abbas 10 successit.*
10	EVGENIVS Papa C I, annis tribus.	823	*Lotharius rex Italiæ, rogante Papa Paschali Imp. ab eo Romæ coronatur. Agri multi præter solitum grandine sunt vastati, magnis lapidibus alicubi decidentibus.*
11	Wetti Augiensis monachus in spiritu raptus, admirabilem vidit visionem.	824	*Romæ* EVGENIVS *Papa post Paschalem sedit annis tribus.* *Augiæ Wettinus monachus è corpore ductus, post triduum obiit, cuius visiones Hetto episcopus, prosa: & Walachfridus heroico metro scripsit.*
12		825	
13		826	*Heriboldus rex Danorum, cum vxore & filiis, & magna suorum multitudine Moguntiaci baptizatus est.* *Hildouinus abbas de S. Dionysio, ab Eugenio Papa ossa beati Sebastiani martyris impetrauit, quæ Sueßionis in basilica S. Medardi collocauit.*

Anni mũdi.			
	14 VALENTINVS Papa CII, diebus 40. GREGORIVS quartus Papa CIII, annis 16.	827	*Corpora ſanctorum martyrum Marcellini & Petri in Franciam translata ſunt. Hoc in anno Anſegiſus abbas in quatuor libellos collegit, tam ſeculares quàm eccleſiaſticas leges, quas Carolus Magnus & Ludouicus atq; Lotharius imperatores promulgauerunt.*
	15	828	*Romæ poſt Eugenium* VALENTINVS *Papa ſedit diebus 40, & poſt hunc* GREGORIVS *quartus Papa ſedit annis 16.* *Reliquiæ S. Marcellini Aquisgrani allatæ, plurimis glorificantur miraculis.*
	16	829	*Aquiſgrani terræmotus ſabbato ſanctæ Paſchæ factus.*
	17 Corpora ſanctorum Valentis & Sineſij in Augiam inſulam deferuntur.	830	*Corpus S. Marci euangeliſtæ, ſub nomine Valentis martyris, Catolfus Veronenſis epiſcopus à Duce Venetiæ impetrauit, & cum corpore Geniſii martyris in Augiam inſulam attulit.*
	18	831	*Imperator omnes ſibi contrarios honore priuando, animos tam filiorum quàm cæterorum contra ſe irritauit.*
	19 Ludouicus Imp. magnum conuentum in Nouiomago habuit.	832	*Imperator contra filios ſuos exercitum mouit: vxorem timore filiorum abdicauit.*
	20	833	*Imperator item contra filios in Alſatiam venit: ibi veniente Gregorio Papa cum filijs, Imperator à ſuis relictus, in filiorum poteſtatem deuenit.*
	21	834	*Imperator iudicio Epiſcoporum armis depoſitis, ad agendam pœnitentiam includitur.*
	22 Dedicatio baſilica S. Galli.	835	*Imperator cum filijs Pipino & Ludouico Lugduni magnum conuentum habuit.*
	23 Hatto epiſcopus Baſilienſis obijt.	836	
	24	837	*Ticinum tertio cal. Ianuarij octies noctu tremuiſſe dicitur.*
	25 Puto diaconus Palatij in Iudaiſmum lapſus eſt.	838	*Imperator habito conuentu Nouiomagi, Ludouico filio regnum Francorum interdixit.* *Voto diaconus palatij in Iudaiſmum lapſus.*
	26	839	*Imperator filio ſuo Lothario repacificatur.* *Ebbo Remorum archiepiſcopus degradatur.*
	27 Eclipſis Solis facta eſt, tertio nonas Maias, hora ante nonam. Et Ludouicus Imp. obijt, 22 cal. Iulias. ¶ LVDOVICVS quartus, Ludouici filius, cum fratribus Lothario,	840	*Imperator filio ſuo* LOTHARIO *ad imperium deſignato, 12 cal. Iulij obijt, & Remis ſepelitur.*

Carolo

Anni mũdi.	Carolo & Pipino, annis 36.		
	1 Bellum inter fratres de participatione regni excanduit.	841	*Ludouicus iunior, adunatis cum fratre suo Carolo copiis, cum Lothario monarchiam appetente, de partitione regni concordare non possent, iuxta Fontinacum villam 7. Cal. Iulii acie confligunt. Ludouicus & Carolus castris potiti sunt, fugato Lothario.*
	2 Ludouicus Germaniam, Lotharius cum Imperatoris nomine, Italiam, Carolus Gallias, regnum diuidentes accipiunt.	842	*Tandem cunctis pacem optantibus, regnum in tria partiri constituunt.* *Augiæ Valachfridus strabo vir doctus, abbas 12 præfuit, qui metro & prosa conscripsit multa.*
	3 Iudith imperatrix, vxor Ludouici prioris, obijt.	843	*Lotharius cum Imperatoris nomine Italiam accepit & Galliam, quæ nunc vsq; ab eo regnum Lotharii dicitur. Ludouicus Germaniam, Carolus Gallias obtinuit.*
	4 SERGIVS secundus Papa CIIII, annis tribus.	844	*Defuncto Gregorio Papa,* SERGIVS *secundus, sedit annis tribus.*
	5 Hincmarus vir doctus, Remorum archiepiscopus ordinatur.	845	*Rabanus Fuldensis abbas, librum quem de sancta cruce variis figuris metrog. composuit, Sergio Papæ transmisit.*
4800	6	846	*Lotharius Imp. Burgundiones rebellare molientes, ad deditionem coegit.*
	7 LEO quartus, Papa CV, sedit annis 9, mensibus 3, diebus 6.	847	*Romæ* LEO *quartus Papa* CV, *sedit annis 9, mensibus 3, qui Romæ munitionem, quam Leoninam dicunt, fecit, eamq. apostolica benedictione dedicauit, & sub anathemate in perpetuum confirmauit.* *Moguntiaci Rabanus Fuldensis abbas doctissimus, ordinatur archipræsul. Qui mox Ludouico iubente, synodum magnam Moguntiaci collegit.* *Tempore Leonis Papæ & Rabani Moguntiacensis archiepiscopi in conuentu Episcoporum Moguntiaci, confutata est hæresis Prædestinatianorum, quorum capita beatus Augustinus confregit atq. contriuit, in libro de correptione & gratia & prædestinatione sanctorum.*
	8	848	*Godescalcus quidam presbyter, quosdam homines ad vitam, quosdam ad mortem ineuitabiliter à Deo prædestinatos dogmatizans, in conuentu Episcoporum Moguntiaci conuictus, regno expellitur.*
	9 Walafridus strabo, abbas Augiensis, vir doctus obijt.	849	*Augiæ Walachfridus abbas strabo obiit: pro quo Folckwinus abbas 13, præfuit annis 9.*
	10	850	*Magna fames circa Rhenum, in qua Rabanus archiepis. multos pauperes aluit.*

Anni mũdi.		
11	851	
12 Translatio S. Remigij Remorũ archiepiſc. ab Hincmaro eiuſdem vrbis archiepiſc. facta eſt, cal. Octobr.	852	*Magna ſynodus & generalis conuentus Moguntiaci à Rabano archiepiſcopo & Ludouico rege habitus.*
13 Corpus S. Martini de tumulo leuatur.	853	*Nordmanni baſilicam S. Martini Turonis incendunt.*
14	854	
15	855	*Lotharius Imp. relicto mundo, diuiſoq; inter filios regno, monachum ſe Prumiæ fecit, & non multo poſt, 3 cal. Octob. ad regnum cæleſte migrauit. Poſt quem filij eius* LVDOVICVS *Imp. Italiam, & Lotharius Ciſalpinas partes regni tenuerunt.*
16 BENEDICTVS tertius, Papa CVI, annis 2, menſibus 6, diebus 9. Leo Papa, Trogo & Rabanus, Hildigart regina obierunt. Lotharius Imperator obijt: pro quo filius eius Ludouicus imperauit cum fratre Lothario annis 19.	856	*Moguntiaci Rabano archiepiſcopo defuncto, ſucceſſit Carolus, filius Pipini regis Aquitaniæ. Romæ Leone Papa defuncto,* BENEDICTVS *Papa tertius, ſedit annis 2, menſibus 6.*
17 Benedictus Papa obijt.	857	*Synodus à Carolo archiepiſcopo Moguntiaci colligitur.*
18 NICOLAVS Papa CVII, doctus, annis 9, diebus 9.	858	*Villam quandam iuxta Moguntiacum & Rhenum, Camunti vocatam, nequam ſpiritus homines multipliciter infeſtando, deuaſtauit. Romæ poſt Benedictum,* NICOLAVS *Papa ſedit annis 9.*
19	859	*Crebri terræmotus Moguntiacum concutiunt: ibiq; Probus presbyter religioſus & ſanctus, 7 cal. Iulij obiit.*
20	860	*Hyems maxima etiã Ioniũ mare vſq; in Venetiã per glaciẽ equis meabile fecit.*
21 Meginradus eremita martyriſatur.	861	*Meginradus Augiæ monachus, & primus incola eremi, quæ Turicino adiacet lacui, à quibuſdam latronibus inibi, 12 cal. Febr. peremptus, poſt mortem virtutibus claruit, Augiæ ſepultus: à quo vſq; hodie Eremus ipſa à ſanctis & religioſis viris culta, in nobile excreuit cœnobium.*
22	862	*Lotharius rex fauentibus archiepiſcopis, Guntario Colonienſi, & Theotgaudo Treuirenſi, repudiauit Tithpirgam vxorem legitimam, ſynodo ad hoc machinandum collecta.*
23 Huni Chriſtianitatis nomen aggreſſi ſunt.	863	*Synodo Romæ collecta, Guntarius & Theotgaudus archiepiſc. illuc tranſmiſſi, à Nicolao Papa depoſiti ſunt, & cum ſynodo ſua anathematiſati, Lotharius q. rex, niſi reſipiſceret, excommunicatus eſt.*
24 Translatio S. Otmari, in baſilicam ſancti Galli.	864	*Guntarius Colon. epiſcopale officium poſt interdictum vſurpans, ſed poſtea ductus pœnitentia Romam venit, ſed minime reconciliari meruit.* Arſe-

Anni mũdi.			
	25	865	*Arsenius episcopus, Nicolai Papæ legatus, ipsi Lothario, fidem connubij per sacramenta 12 principum suorum pollicenti, Tithpirgam coniugem reconciliatam, reddidit.*
	26	866	*Wulgari missis à Nicolao Papa & Ludouico rege prædicatoribus, fidem Christi suscipiunt.*
	27 Nicolaus Papa obijt: pro quo ADRIANVS secundus, Papa CVIII, sedit annis 5.	867	*Lotharius rex posthabitis Principum sacramentis Tithpirgam repudiauit, iterum se priori concubinæ cõmiscens. Vnde cum Papa Nicolaus cũ suis cõplicibus excommunicauit, literis ad diuersos missis.*
	28 Terræmotus factus est, & Cometa visus est.	868	*Synodus magna coram Ludouico rege colligitur Wormatiæ.* *Romæ defuncto Papa Nicolao,* ADRIANVS *2, sedit annis 5. Ad quem cum Lotharius rex venisset, & frustra opitulante fratre Ludouico Imp. pro Waldradæ concubinæ suæ matrimonio satis egisset, nihil profuit. Ea quidem conditio ei dabatur, vt si innocẽs esset, fiducialiter corpus Domini perciperet: Sin verò, illud nullatenus accipere præsumeret. Sed ipse temerarius accessit, & cum suis complicib⁹ ineuitabile iudiciũ sibi suoq; regno hennimium demens, percepit. Nã tanta clade hanc præsumptionem diuinitùs subsequuta est, vt in eiusdẽ Lotharii regno, tota virtus ac nobilitas, nõ peste sed quasi hostili gladio, deleta esse videretur.*
	29 Lotharius rex, frater Ludouici Imperatoris, obijt: & Carolus Galliarum rex regnum eius inuasit.	869	*Lotharius rex cum complicibus suis, se apud Papam Adrianum de illatis criminibus excusans, & corpus Domini temerariè ab eo accipiens, cum rediret domũ, Placentiæ periit; fautoresque sceleris omnes penè obitu periêre, regnumq; eius Carolus patruus eius inuasit.*
	30 Ludouicus Imperator cecidit de solario.	870	*Synodus magna Coloniæ collecta, & multa pro statu Ecclesiæ decreta.*
	31 Ludouicus & Carolus cum patre pacificantur. Solomon Cõstantiensis episc. obijt. Iso magister obijt, in cœnobio S. Galli.	871	*Ludouicus Imp. Adalgiso tyranno per sacramentum repacificatur: quo tamen sacramento eum post Ioannes Papa absoluit, & eum contra eundem tyrannum incitauit ad bellandum.*
	32 Wormat. fulminis ictu crematur. Grimaldus abbas obijt: cui Hartmutus successit.	872	*Basilius Imp. Græcorũ portionem Dominicæ crucis Ludouico regi transmisit.*
	33 IOANNES octauus, Papa CIX, annis decem.	873	*Romæ defuncto Adriano,* IOANNES *Papa sedit annis 10, cuius præcepto Ioannes diaconus Romanæ ecclesiæ, vitam S. Gregorij authenticè describit.*
	34 Ratolphus Veronensis episcopus obijt.	874	*Ratolfus Veronensis episcopus obiit, qui sui nominis Cellam construxit iuxta Augiam.*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 136;Leibn. Marg. 136, Stück 1, [325] - 307

Anni mũdi.			
	35 Ludouicus Imperator obijt, & Carolus rex Galliarum Romam peruenit.	875	*Ludouicus Imperator Italiæ defunctus, Mediolani ſepelitur, anno regni viceſimo. Cuius regnum patruus eius* CAROLVS *rex Galliarum inuadens, à Ioanne Papa ſe Imperatorem coronari fecit.*
	1 Ludouicus rex Germaniæ obijt, 5 cal. Septemb. Bellum in Ribuaria, inter Ludouicum & Carolum committitur. CAROLVS V iunior, filius Ludouici, cum fratribus. Carlomanno & Ludouico annis vndecim.	876	*Ludouicus rex religioſus apud Franconofurt, 5 cal. Septemb. obiit, anno regni 36, regnumque eius tres filii, Carlomannus Baioariam, Ludouicus Germaniam, Carolus Alemanniam, ſinguli cum adiacentibus prouinciis accepere.*
		877	*Carolus rex Galliarum obiit, anno regni 37: poſt quem filius eius Ludouicus Balbus regnum Galliarum accepit.*
	2 Carolus Galliarum rex obijt. Papa Ioannes in Franciam venit.	878	*Ludouicus rex Germaniæ cum fratre Carolo, regnum Lotharii diuiſit.*
	3 Ludouicus Balbus, filius Caroli, obijt. Eclipſis Solis facta eſt.	879	*Ludouicus Balbus, filius Caroli, rex Galliarum, tertio Idus Aprilis Compendii obiit.*
	4 Ludouicus viuente fratre ſuo Carlomanno Baioariam ingreditur, & Carlomannus moritur.	880	*Carlomannus rex Baioariæ apud villam Otingam obiit, 11 calend. Aprilis.*
	5 Carolus iunior cum vxore ſua Richgarta imperiali benedictione ſublimatur.	881	*Nordmanni multas prouincias in Gallia vaſtant.* *Carolus rex, frater Ludouici, Roma veniens, vnà cum regina Richarda, imperiali vnctione à Ioanne Papa coronatur, & omnes Italorum epiſcopi, præter Papam, Imperatori iureiurando ſubiiciuntur.*
	6 Ludouicus rex Francorum, Caroli Imperatoris frater, obijt.	882	*Ludouicus rex Germaniæ, 13 calend. Febr. obiit.* *Carolus Imperator Nordmannos cuncta circumquaq; vaſtantes, pacem regno eius deinceps ſacramento firmare compulit, & regem eorum chriſtianitatem profeſſum, de baptiſmo ſuſcepit, ſicq; firmata amicitia digreſſi ſunt.*
	7 Petitione Hartmuti Bernardus abbas efficitur. MARINVS Papa CX, anno 1, menſibus 4.	883	*Romæ Ioannes Papa à quodam toxicatus, etiam à quodam alio percuſſus malleo, obiit, ſtatimq; percuſſor eius à nemine læſus moritur: &* MARINVS *archidiaconus Papa* CX *præfuit anno vno, menſibus 6.* *Ludouicus rex Galliæ obiit.*
	8 ADRIANVS tertius Papa CXI, anno 1, menſibus 6.	884	*Carlomannus filius Ludouici Balbi, rex Galliæ, obiit, & regnum Galliæ Carolus Imperator obtinuit.*
	9	885	*Marinus Papa obiit, pro quo* ADRIANVS *tertius, Papa* CXI, *ſedit anno 1, menſibus 4.*
	10 STEPHANVS quintus, Papa CXII, ſedit annis 6, diebus 13.	886	*Imperator à Papa inuitatus, Italiam venit. Romæ*

Anni mũdi.			
			Romæ quintus STEPHANVS *Papa, post Adrianum sedit annis 6.*
	11 Carolus Imperator regno priuatur.	887	*Riharda Imperatrix, adulterij cum Luitwardo Vercellensi Episcopo incusata, Aquino iudicio se ab omni virorum commixtione integram & virginem comprobauit, quamuis iam 12 annis in coniugio Imperatoris apparuerit. Moxq; à Rege separata, in Andelahense cœnobium virginum à se constructum, secessit: ibiq; Deo seruiens, virgo regina permansit. Imperator autem ab omnibus deseritur, & Arnulfus fratris sui Carlomanni filius, Rex eligitur.*
	¶ ARNOLPHVS sextus, annis 12, filius Carlomanni.		
	1 Carolus iunior Imperator obiit.	888	*Carolus Imperator iam priuatus Deo deuotè seruiens, vt quidam dicunt, à suis strangulatus, obiit, Idus Ianuar. & Augiæ sepelitur.*
	2 Luitpertus archiepiscopus obijt: pro quo Sinderoldus.	889	
	3 Arnolphus rex exercitum Normannorum prorsus deleuit. Salomon abbas in cœnobio S. Galli efficitur.	890	*Arnolfus rex ex parte Apostolici rogatur, vt Romam veniens, Italiam sibi de tyrannis defendat.*
	4 Ratispona Baioariæ vrbs incendio flagrat. Sinderoldus à Normannis occiditur: pro quo Hatto. Solomon Cõstantiensis episcopus ordinatur.	891	*Arnolfus rex Nordmannos ad internitionem deleuit.*
	5 FORMOSVS Papa CXIII, annis 4, mens. 7, diebus 18.	892	*Romæ post Stephanum* FORMOSVS, *prius Portuensis Episcopus, Papa* CXIII, *sedit annis 4, mensibus 7.*
	6	893	*Formosus Papa Arnulphum regem ad suscipiendam & à tyrannis eruendam Italiam inuitat.*
	7 Arnolphus Italiam Burgundiamque suo regno subijcit.	894	
	8	895	
4850	9 Arnolphus rex Romam veniens, Imperator efficitur. Magna fames homines se inuicem comedere persuasit.	896	*Arnolfus rex tandem Romam venit, & à Formoso Papa Imperator coronatus est.* *Formosus Papa die paschæ obijt: pro quo sextus* BONIFACIVS *Papa* CXIIII *ordinatus, 15 die podagra defunctus est.*
	10 Post Bonifacium sextum Papam CXIIII, decimo quinto die necatum, STEPHANVS VI, Papa CXV, anno vno, mense vno, diebus 19.	897	*Cui sextus Stephanus Papa* CXV *substitutus, sedit annum vnum, qui tyrannis fauit.*
	11 ROMANVS Papa CXVI, mensibus 4, diebus 20.	898	*Romæ post Stephani interitum* ROMANVS *Papa* CXVI, *sedit mensibus paulo plus 4, & post hunc secundus* THEODORVS *Papa* CXVII, *sedit dies 20. Post quem nonus* IOANNES *Papa* CXVIII, *ordinatus, sedit annos 2.*
	THEODORVS secundus, Papa CXVII, diebus 20.		

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 136;Leibn. Marg. 136, Stück 1, [327] - 309

Anni mũdi.			
	12 Arnolphus Imperator moritur.	899	*Vxor regina adulterij incusata, & Principum iuramento absoluta est.*
	Gentes Pannonicæ, quas Hungaros dicimus, Italiam depopulantur.		*Romæ quartus* BENEDICTVS, *Papa* CXIX, *sedit annis tribus, mensibus quinq;.*
	IOANNES nonus, Papa CXVIII, annis duobus.		
	¶ LVDOVICVS 7, filius Arnolphi, admodum puer, annis 12 regnauit.		
	1 Hungari Baioariam ingrediuntur, & plus mille ex eis occiduntur.	900	*Arnolfus Imp. Ratisponæ, vbi frequentius manebat, obiit, 6 Idus Decembris, an. regni 12: pro quo filius eius* LVDOVICVS *puer regnauit.*
	Zundebaldus rex, filius Arnolphi, occiditur.		
	2 Hungari Carentaniam inuadunt, & in sabbato commissa pugna occiduntur.	901	
	CHRISTOPHORVS Papa CXIX, mensibus 6.		
	Eodem anno Moimarius & Isauricus cum rege pacificantur.		
	3 Hungari à Mariis occiduntur.	902	*Beringer, Reginolfus & Gerhardus nobiles Germani, filij Atonis Comitis & Adellindæ, occisi, apud Buchaugiense cœnobium virginum, à prædicta Adellinda constructum, sepeliuntur, vbi & ipsa mater postea est sepulta.*
	Beringerus, Reginoltus, & Gerardus germani fratres occiduntur.		
	BENEDICTVS quartus Papa CXX, annis 4, mensibus 6, dieb. 34.		
	4	903	
	5	904	*Romæ post Benedictum* LEO *quintus, prius presbyter Forensis, Papa* CXX, *sedit menses fermè duos. Post quem (vt in quibusdam inueni)* CHRISTOPHORVS *pri⁹ Cardinalis, Papa* CXXI, *sedit mensibus 4: qui deiectus est, & monachus factus.*
	6	905	*Romæ* SERGIVS *tertius, Papa* CXXII, *sedit annis 7, mensibus 4.*
	7 Pugna inter Adalbertum & Cunradum committitur, in qua Cunradus occiditur.	906	*Adalbertus nobilis & bellicosus de Babenberg, Cunradum æmulum suum victum pugna, cum aliis multis peremit.*
	SERGIVS tertius, Papa CXXI, annis 7, mensibus 3, diebus 23.		
	8 Adalbertus perfidia Hattonis archiepiscopi, & cuiusdam Luidbaldi deceptus, Ludouico iubente decollatur.	907	*Adalbertus perfidia Hattonis archiepiscopi, & Luitpoldi ad Ludouicum regem spe pactionis adductus, decollari est iussus.*
	Baioarij ab Hungaris interficiuntur.		
	9 Hungari Saxoniã & Turingiam vastant.	908	*Vngari Saxoniam & Thuringiam vastant.*
	Luidpaldus occiditur.		*Luidpaldus occisus est.*
	10 Hungari Alemanniam petunt.	909	*Vngari Alemanniam vastant.*

Bellum

Anni mūdi.			
	Bellum Francorum cum Hungaris. Adalbero venerabilis Augustensis epis. obiit.		
	11	910	*Vngari Francos deuincunt.*
	12 Ludouicus rex moritur, & Burchardus Dux occiditur. ¶ CONRADVS octauus, filius Conradi, in regnum eleuatus, regnauit annis 7.	911	*Ludouicus rex adolescens moritur, & Ratisponæ sepelitur.* *Post quem, deficiente in nostris partibus regio stemmate,* CVNRADVS *filius Cunradi, rex electus & vnctus, regnauit annis 7.* *Burchardus Dux Alemanniæ in conuentu suo occiditur.*
	1 Hungari à Baioariis & Alemannis iuxta fluuium Inum occiduntur. Magister Notkerus obiit. Opertus episcopus occiditur. Cometæ videntur. Rodolphus rex obiit.	912	*Vngari à Baioariis & Alemannis, iuxta flumen Ine occiduntur. Cometæ sunt visi.* *Ruodolphus rex Burgundiæ obiit: pro quo Ruodolphus filius, regnauit annis 25.* *Romæ* ANASTASIVS *secundus, Papa 123 sedit annis duobus, mens. 2.* *Apud S. Gallum Notkerus magister doctus obiit.*
	2 Hungari Alemanniam depopulantur. Hatto archiepiscopus moritur: Herigerus successit. ANASTASIVS secundus, Papa 122, annis duobus, mense vno, diebus 22.	91	*Vngari Alemanniam vastant.*
	3 Solomon episcopus captus est.	914	*Salomon Constantiensis epis. est captus.*
	4 LANDO, CXXIII, mense vno, diebus 22. LEO sextus, Papa CXXIIII, mense vno, diebus 26. IOANNES decimus, Papa CXXV, annis 14, mens. 2, dieb. 7.	915	*Romæ* LANDO *Papa* CXXIIII, *sedit menses quinq.* *Post quem* LEO *sextus, Papa* CXXV, *menses fermè duos.* *Et post hunc* IOANNES *decimus, Papa* CXXVI, *an. 14, mens. 2.*
	5 Hungari totam Alemanniā igne & gladio vastant. Wiborada inclusa est.	916	*Vngari totam Alemanniam igne & gladio vastant.* *Synodus coram missis Apostolici apud Altheim est habita: in qua synodo, generali decreto sancitum, vt quicunq; deinceps pannum ab epis. impositum corrupisset, per ieiunium 40 dierū, in pane tantum, & aqua & sale, commissum lueret.* *Apud S. Gallum beata virgo Wiborada arctius est inclusa.*
	6 Erchangerus Dux & Bertholdus germani fratres, decollantur, 12 Calendas Februarias. Basilea ab Hungaris destruitur.	917	*Ab Vngaris Basilea destruitur.* *Erchanger Dux & frater eius decollantur.*
	7 Hungari per Alemanniam, Alsatiam & Regnum Lotharij	918	*Burchardus dux Alemanniæ constitutus, tyrannidem inuasit.* *Conradus rex obiit.*

Anni mũdi.			
	inuadunt. Burchardus Dux constituitur. Conradus Rex moritur. In hoc defecit progenies Caroli.		
	¶ HENRICVS nonus, Comes, Rex efficitur, regnans annis 18.		
1	Solomon Episcopus obiit. Burchardus dux Alemannię, Rodolphũ regem apud Winterturum pugna vicit.	919	HENRICVS *Comes, natione Saxo, in regnum electus, sine regali vnctione regnauit annis 18. Burchardus Dux Alemanniæ, Rudolphum regem Burgundiæ vicit.*
2	Carolus rex Galliæ in Franciam venit. Rachilta inclusa est.	920	*Carolus rex Galliarum in Franciam venit. Apud S. Gallum Rachildis virgo inclusa est.*
3	Herimannus abbas efficitur, in cœnobio sancti Galli.	921	
4		922	
5	Sanguis Domini in Augiam Insulam defertur.	923	*Sanguis Domini in Augiam Insulam à quadam matrona defertur, sicuti literis inibi manifestatur.*
6	Engelbertus abbas efficitur, in cœnobio S. Galli. S. Vdalric° August. epis. ordinatur.	924	*Sanctus Vdalricus Augustæ Episcopus præfuit, annis 50.*
7	Wiborada ab Hungaris martyrizata est.	925	*Vngaris item Alemanniam vastantibus, & ad cœnobium S. Galli venientibus, Wiborada virgo inclusa, à quodam eorum perempta, martyrio coronatur: Rachildisq; contectalis eius, illæsa diuinitus conseruata est.*
8	Hungari totam Franciam, Alsatiam atq; Alemanniã gladio & igne vastant. Burchardus Dux occiditur: Herimanno Alemannia committitur.	926	*Vngari vastata Alemannia, per totam Franciam, Alsatiam atq; Galliam igne & gladio desœuiunt. Burchardus Dux occiditur: pro quo Herimannus Alemanniæ Dux efficitur.*
9	Herigerus archiepiscopus obiit, pro quo Hildibertus.	927	*Heriger Moguntiensis Archiepiscopus obiit, pro quo Hildibertus.*
10		928	
11	STEPHANVS septimus, Papa CXXVI, annis duobus, mense vno, diebus 12.	929	*Romæ STEPHANVS septimus, Papa 127, sedit annos duos, mensem vnum.*
12	Henricus Rex Boëmiam petit.	93c	*Henricus rex Boëmiam petit.*
13	Henricus regem Abodritarum & Nordmannorum Christianum effecit. IOANNES vndecimus, Papa CXXVII, annis 4, mensibus 10.	931	*Romæ IOANNES vndecimus, Papa 128, sedit annis 4. Henricus rex, reges Abodritarum & Nordmannorum Christianos fieri effecit, ipseq; Gallias petit.*
14	Henricus Hungaros in Suirbia interfecit.	932	*Henricus Vngaros in Suirbia interfecit.*
15	Thieto abbas efficitur, in cœnobio S. Galli.	933	
16	Notingus Constantiensis Episcopus obiit: pro quo Conradus.	934	*Constantiæ Conradus, genere & vita clarus præsul, ordinatus, præfuit annos 41.*

Romæ

Anni mūdi.			
	17 Leo septimus, Papa CXXVIII, annis tribus, mensibus sex.	935	*Romæ* Leo *septimus, Papa* CXXIX, *sedit annis 3, mens. 2.*
	18 Henricus rex obijt.	936	*Henricus rex obijt, & in Saxonia apud Chiertilineburg sepelitur, pro quo* Otto *filius eius, regnauit fermè annos 38.*
	¶ Otho Magnus decimus, Henrici filius, annis 37.		
	1 Hungari Franciam, Alemanniam, Galliam, vsq; Oceanum & Burgundiam deuastantes, per Italiam redierunt.	937	*Vngari Franciam, Alemanniam & Burgundiam vastantes tandem per Italiam redierunt in Pannoniam. Monasteria S. Galli, & S. Bonifacii concremantur.*
	Monasteria S. Galli, & S. Bonifacij cremantur.		
	Arnolphus Noricorum Dux & Rodolphus rex obierunt.		*Rudolphus rex Burgundiæ obijt: pro quo filius eius Cuonradus regnum suscepit. Arnolfus Dux Baioariæ obijt, ducatumq; eius accepit Bertolfus. Baioarij cum multis aliis Regi Ottoni rebellant.*
	2 Henricus frater Ottonis, ab Eberhardo comprehensus est.	938	*Otto rex contra Baioarios procinctum mouit, peneq; omnes sibi subiugauit.*
	Stephanvs octauus, Papa CXXIX, annis tribus, mens. 4.		*Romæ* Stephanvs *octauus, Papa* CXXX, *sedit annis 3, mens. 4.*
	3 Giselbertus & Adalbertus occisi, & Episcopi in fugam lapsi sunt.	939	*Otto Rex omnes sibi rebelles, præter Metensem episcopum, subiugauit.*
	4 Hyems valida, & mortalitas animalium facta.	940	*Otto Rex Gallias contra Ludouicum Regem petiit. Hyems seua & mortalitas animalium.*
	Otto rex Gallias petit.		
	5	941	
	6 Otho rex & Ludouicus pacificantur.	942	*Otto & Ludouicus reges pacificantur.*
	Cometæ 14 noctes apparent, & mortalitas animalium facta est.		*Romæ* Marinvs *secundus, Papa* CXXXI, *sedit annis 3, mens. 6.*
	Marinvs secundus, Papa CXXX, annis 3, mensibus 2.		
	7 Hungari cum Baioarijs pugnant & vincuntur.	943	*Vngari, Baioarii, Baioarios inuadentes, vincuntur.*
	8 Terræmotus factus est, 16 Calendas Maias.	944	*Terræmotus factus est, 16 Calendas Maij.*
	9 Otho rex Galliam intrauit.	945	*Romæ* Agapitvs *secundus, Papa* CXXXII, *sedit annis fermè 10.*
	Agapitvs secundus, Papa CXXXI, annis 9, mensibus 7, diebus 23.		*Otto rex Galliam ingreditur.*
4900	10 Rachilta obijt.	946	*Apud S. Gallum Rihildis virgo inclusa, migrauit ad Dominum.*
	11 Bertolphus Baioariorum Dux obijt, cui Henricus, Othonis frater, successit.	947	*Bertolfus Dux Baioariæ obiit: cui Henricus, frater Ottonis regis, in ducatum succesit.*
	12 Herimannus Alemannorum Dux obijt: pro quo Liutolphus Othonis filius, regnauit.	948	*Hermannus Dux Alemanniæ obiit: cuius ducatum Lutolfus, Ottonis regis filius, accepit.*
	Synodus 30 Episcoporum apud Engelinheim coram Othone & Ludouico regibus congregatur.		*Synodus magna 30 Episcoporum, coram Ottone & Ludouico regibus, apud Ingilnheim facta.*
	Lindaugia concremata est.		
	13	949	*Lothario rege Italiæ mortuo, Beringarius regnum eius inuasit, viduamq; eius Adelheidem, Ruodolphi regis Bur-*

Anni mũdi.			
			gundi filiam, multis iniuriis afflixit.
	14 Otho rex Italiam petit, eamq; sibi subiecit, & Beringerum regem expulit.	950	*Otto rex Italiam petit, sibiq; eam subiecit, & pulso Beringario, dominam Adelheiden liberauit.*
	15 Beringerus apud Augustam in conuentu Othoni ad deditionem venit. Ignitus lapis, quasi massa candentis ferri, ab Occidente volitans, venit, & Draco visus est. Synodus XXV Episcoporum apud Augustam Vindelicam, coram Othone rege colligitur.	951	*Synodus XXV Episcoporum, magnusque totius regni conuentus, apud Augustam Vindelicam coadunatur: ibique Beringarius Ottoni regi ad deditionem venit. Ignitus lapis, quasi candentis ferri, ab Occidente per aëra venit, & Draco visus est ambulans.*
	16 Otho rex vnà cum filio Italiam intrat, ac nuptiæ regales Papiæ factæ sunt.	952	*Otto rex cum filio suo Luitolfo Italiam intrat, & nuptiæ regales Papiæ celebrantur.*
	17 Luitolphus dux, Othoni patri suo rebellat.	953	*Luitolfus Dux Ottoni patri suo rebellat, sed à S. Episcopis reconciliati sunt.*
	18 Hungari Noricum, Franciam, Italiamq; petunt. Fridericus Mogontiensis archiepiscopus obijt.	954	*Vngari item egressi, Franciam, Baioariam, Italiamq; deuastant.*
	19 Hungari totam Baioariam depopulantes, iuxta Augustam Alemanniæ vrbem, Deo iuuante, ab Othone rege pugna victi, immensa cæde necantur. Quarto idus Augusti Henricus Dux Baioariæ obijt. IOANNES duodecimus, Papa CXXXII, annis 8, mens. 4.	955	*Vngari totam Baioariam depopulantes, iuxta Augustam Alemanniæ vrbem, Deo iuuante, ab Ottone rege pugna victi, immensa cæde necantur, 4 Idus Augusti. Ex nostris etiam Cuonradus Dux cum aliis multis occubuit. Vngari etiam, qui tunc effugere poterant, per totam Baioariam trucidati sunt. Reges eorum Ratisponæ in patibulis suspensi sunt. Romæ IOANNES duodecimus, qui & Octauianus, Papa CXXXIII, sedit annis 8, mens. 4. qui tanti ordinis, proh dolor, oblitus, vanitati & spurcitiei fuit deditus.*
	20 Luitolphus Dux hostiliter Italiam inuasit.	956	*Luitolfus Dux Italiam hostiliter inuadit, & Beringarium cum filio eius fugauit.*
	21 Luitolphus Dux Adalbertum bello vicit, & ipse eodem anno moritur, pro quo Burchardus.	957	*Luitolfus Dux Adalbertum bello vicit, & ipse eodem anno obijt & Burchardus Ducatum eius accepit.*
	22 Cruces in vestibus apparuerunt. Alauicus abbas obijt: cui successit Eggehardus.	958	*Cruces in vestibus quibusdam apparuerunt.*
	23	959	
	24	960	
	25 Signum in Sole apparuit. Otho rex Romam veniens, Imperator efficitur.	961	*Otto rex, Ottonem filium suum ex Adalheide regina, Regem eligi fecit, & ipse Italiam cum exercitu petit. Signum in Sole apparuit.*
	26 Otho rex ab Octauiano Ioanne Papa Imperator ordinatur.	962	*Otto rex Romam veniens, à Ioanne seu Octauiano Papa Imperator coronatur,*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 136;Leibn. Marg. 136, Stück 1, [332] - 314

Anni mũdi.			
			tur, ipſeq; Papam pro ſceleribus ſuis arguens, minimè eum potuit corrigere.
	27 Otto Imperator natalem Domini Papiæ moratur.	963	*Imperator Natalem Domini Papiæ moratus, iterum Romam venit, pro ſceleribus Ioannis Papæ diiudicandis. Sed eodem Ioanne Imperatorem in Campaniam fugiente, in eius locum à Romanis & Imperatore, vir venerabilis,* LEO *octauus, Papa* CXXXIIII *ordinatus eſt.*
	Fugato Ioanne, LEO octauus, Papa CXXXIII, ordinatus, & poſt vnum annum expulſus, atq; ab Imperatore reſtitutus, ſedit annis 16, menſibus 3.		
	28 Item Otto Imp. natalem Domini Romæ moratur.	964	*Romani Leonem Papam expellunt, mortuoq; Ioanne Papa priore,* BENEDICTVS *Diaconus à Romanis, nolente Imperatore, ordinatur, ſui nominis quintus, Papa* CXXXV, *& ſedit menſes duos. Et ciuitas ab Imperatore obſeſſa eſt, & tanta fame oppreſſa, vt modius furfuris væniret 30 denariis. Nec multò poſt dedita vrbe, traditoq; Benedicto, Imperator Papam Leonẽ reſtituit, & Romanos ei fidem per ſacramẽta promittere coẽgit.*
	29 Otho Imperator de Italia redit, & Burchardus Dux in Italia rebelles Cæſari vicit.	965	*Imperator de Italia redit, & Burchardus dux Sueuorum in Italia rebelles Imperatori vicit.*
	30	966	*Romæ defuncto Leone,* IOANNES *tredecimus, prius Narnienſis epiſcopus ordinatus eſt.*
	31	967	
	32 Eclipſis Solis, vndecimo Calen. Decembris.	968	*Eclipſis Solis, vndecimo cal. Decemb. facta.*
	33	969	*Hoc tempore Ioannes Papa à quibuſdam multùm afflictus, exilio vix tandẽ à quodam Ioanne, ſuæ ſedi reſtituitur.*
	34	970	*Otto Imp. Romam veniens, iniurias domini Papæ in auctoribus ſcelerum grauiter vindicauit.*
	35 Signum quoddam ignei coloris in cœlo apparuit.	971	*Sanctus Vdalricus epiſcopus infirmus, Adalberoni ſororis ſuæ filio epiſcopatum ſuum ab Imperatore impetrauit.*
	36 Eggehardo abbati, Ruttmannus ſucceſſit.	972	*Synodo apud Ingelinheim ab epiſcopis collecta, beatus Vdalricus epiſcopus, & Adalbero tranſgreſſionis Canonum accuſantur: ſed cauſſa ſua dicta & excuſata, abſoluti diſceſſerunt.*
	Synodus apud Ingelinheim, propter Adalberonem S. Vdalrici nepotem colligitur.		*Romæ* BENEDICTVS *ſextus, Papa* CXXXVII, *ſedit annum 1, menſ. 10.*
	37 S. Vdalricus Auguſtenſis epiſcopus, anno ætatis 83, epiſcopatus verò quinquageſimo, 4 nonas Iulias, feria ſexta, migrauit ad Dominum.	973	*Adalbero clericus, futurus vt ſperabatur epiſcopus, obijt.*
	Eodem quoq; anno, ſed prius, Otto Imperator, Nonis Maijs, ſubitanea morte apud Parthenopolim obijt & ſepelitur.		*Otto Imp. Nonis Maij ſubitò mortuus, apud Parthenopolim, id eſt Megedeburc, vbi ipſe archiepiſcopium fecerat, ſepultus eſt, & filius eius* OTTO *regnauit pro eo.*
	Burchardus Dux obijt, pro quo		*S. Vdalricus Auguſtenſis epiſc. migrauit ad Dominum, anno ætatis 83, epiſcopatus 50, quarto nonas Iulias.*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 136;Leibn. Marg. 136, Stück 1, [333] - 315

Anni mũdi.

Otho Liutolphi filius, regnauit annis 9.

¶ OTTO [vndecimus] ſecundus, Othonis Magni filius, regnauit annis nouem.

1 Conradus epiſcopus obijt, 6 cal. Decemb. pro quo Gaminolfus. 974

Romæ Benedictus Papa à Romanis criminatus, ſtrangulatur, & eo viuente BONIFACIVS *Papa ordinatur: ſed poſt vnum menſem expulſus, Conſtantinopolim petiit. Et* BENEDICTVS *ſeptimus Sutriæ epiſcopus, Papa* CXXXVIII, *ſedit annis 9.*

Conſtantiæ Cuonradus ſanctæ memoriæ epiſcopus, 6 cal. Decemb. hac vita deceſſit, cui Gauenolfus ſucceſſit.

2 975

3 Diſſenſio inter Othonem Imperatorem & Henricum Ducem Baioariæ, oritur. 976

Diſſenſio inter Ottonem regem, & Henricum Ducem Baioariæ commota eſt.

Himmo abbas efficitur, ad ſanctum Gallum.

4 Henricus & æquiuocus eius Duces: & Henricus Auguſtenſis epiſc. capti ſunt, & in exilium miſſi. 977

Diſcordia inter Ottonem Ducem Sueuiæ, & Henricum Ducem Baioariæ commota eſt.

5 Otho Imperator contra Lotharium regem Gallias inuadit. 978

Otto rex contra Lotharium regem in Gallias duxit exercitum.

6 Gaminolphus epiſcopus obijt: pro quo Gebehardus. 979

Conſtantiæ Gauelolfus epiſcopus obijt, cui Gebehardus nobilis præſul ſuccedens, 16 annis rexit eccleſiam. Qui baſilicam S. Gregorii in ripa Rheni, Abbatiamq; ſuis ex prædiis conſtruxit.

BENEDICTVS quintus, Papa CXXXIIII, menſ. 2, dies 2.

7 IOANNES tredecimus, Papa CXXXV, annis ſeptem. 980

8 Otho Imperator Neapolim venit. 981

Otto rex peragrata Italia, Calabriam cum exercitu ingreditur.

9 Otho Imperator occiſo à Græcis & Saracenis exercitu, de naui exiliens, natando aufugit. 982

Otto rex apud Calabriam occiſo à Græcis & Saracenis exercitu, de naui exiliens in qua captus erat, aufugit.

Otho Dux obijt.

Otto Dux Sueuorum obiit, & Cuonradus ſibi ſucceſſit.

1 Otho Imperator Romæ ſexto Id. Decemb. moritur, & ibi ſepelitur. 983

Otto rex Romæ infirmatus, ſexto Idus Decemb. obiit, & in porticu S. Petri ſepelitur.

¶ OTHO [duodecimus] tertius, Othonis ſecundi filius, admodum puer, annos 18.

2 Rudmannus Augienſis abbas, obijt, cui Witegeuo ſucceſſit. 984

¶ OTTO *tertius, ſecundi Ottonis ex Græca coniuge, filius, adhuc puer propatre regnat.*

Romæ IOANNES XIIII, *qui & Petrus, Papiæ priùs Epiſc. Papa* CXXXIX, *ſedit menſes 8: eumq;* BONIFACIVS, *priùs relegato Benedicto, malè ordinatus,*

Anni mũdi.			
			tus, de Constantinopoli quò fugerat reuersus, comprehendit, & eum (vt perhibent) toxicauit, eiusq; sedem 140 Papa inuasit.
	3 BENEDICTVS sextus, Papa CXXXVI, post primum annum à Crescentio relegatus & strangulatus est.	985	Romæ Bonifacius septimus, postquàm vndecim mensibus inuasam sedem occupauerat, subita morte periit, & mortuus à suis, cæsus, confossus & triuiatim pedibus tractus, vix tandem clericis miserantibus, est humatus.
	4 Fames facta est magna.	986	Romæ IOANNES XV, Papa CXLI, sedit annis 10, mensibus 7, qui clericos suos paruipendens, odio ab ipsis est habitus.
	BONIFACIO CXXXVII Papa post primum mensem fugato, BENEDICTVS septimus, Papa CXXXVIII, sedit mensibus nouem.		
	5 IOANNES XIIII, Papa CXXXIX, qui & Petrus, Papiæ Episcopus, post octo menses, à Bonifacio reuerso, comprehensus & necatus est.	987	Fames magna est facta.
	6 BONIFACIVS septimus, Papa CXL, interijt, &	988	
	7 IOANNES XV, Papa CXLI successit.	989	
	8 Theophana Græca, Imperatrix, mater Othonis regis, nono anno viduitatis obijt.	990	
	Eaillanus Scotus obijt.		
	9 Vdalricus abbas. Et Eggehardus magister in cœnobio S. Galli obijt.	991	Theophania Græca, imperatrix, mater Ottonis regis obijt.
	10	992	Aquisgrani in generali synodo, coram legatis Ioannis Papæ, sancitum est, vt quatuor hebdomadis ante Nat. Domini, & à Septuagesima ante pascha, & 14 diebus ante festũ S. Ioannis Baptistæ, nullus secularia placita agere, aut coniugium contrahere præsumat.
	11	993	
	12 Conrado rege Burgundiæ mortuo, Rodolphus filius eius ignauus successit.	994	Cuonrado regi Burgundiæ defuncto, successit Rudolphus.
	13 Gebehardus Constantiensis episcopus, obijt, pro quo Landpertus. Henricus Dux Baioariæ, filius Henrici Ducis obijt.	995	Henricus Dux Baioariæ obijt, cuius Ducatum filius eius eiusdem nominis obtinuit. Constantiæ Gebehardus episcopus venerabilis obiit, & in basilica S. Gregorii Papæ à se constructa, sepultus, quiescit: eique Lambertus monachus in episcopatu succedens, præfuit annis 23.
4950	14	996	Otto rex Italiam cum exercitu petiit, sibiq; rebelles coartauit.
	15 Conradus Dux obijt, pro quo Herimannus.	997	Otto rex subactis rebellibus, Italia Romaq; potitus est. Et GREGORIVS quintus, qui & BRVNO, filius Ottonis Ducis Papa 142 ordinatus, & Otto Im-
	Witegouo obijt: Aleuicus successit.		

Anni mũdi.			
	Bruno, qui & Gregorius quintus, Papa CXLII, Romæ ordinatus, sedit annis 2, mensibus 9. Otto Imperator efficitur.		*perator coronatus est. Qui venerabilis Papa canonicam ibi disciplinam reparare satagens, sedit annis tribus, mensib. 9. Augiæ Alawicus abbas 26, promotus Romæ, ab ipso Papa consecratus & priuilegio donatus est. Cuonradus Dux Alemannorum obijt, & pro eo Herimannus ducatum accepit.*
	16	998	
	17 Gerbertus, qui & Sylvester secundus, Papa CXLIII annis 5.	999	*Otto Imperator iterum Italiam cum exercitu inuadit.*
	18 Alewicus abbas episcopus Argentinæ promouetur, & Werinherus abbas efficitur.	1000	*Romæ defuncto Gregorio Papa, Sylvester II, qui & Gerbertus, primo Remorum, post Rauennarum archiepis. seculari literaturæ nimium deditus, & ob hoc curioso Imperatori admodum amatus, Papa 143. sedit annis quinq;.*
	19 Otho Imp. in Italia 10. cal. Feb. obijt, & intestina eius Augustæ, reliquum corpus Aquisgrani sepelitur. Gerhardus abbas obijt: Burchardus successit ad S. Gallum. ¶ Henricus tredecimus, Dux Baioariæ, Rex efficitur, regnans annis 23, mensibus quinq;.	1001	*Otto Imperator Italiam sibi quaqua versum subditam lustrauit.*
	1	1002	*Otto Imp. in Italia, 10. Cal. Febr. obijt, anno regni 18, & intestina eius Augustæ, reliquum verò corpus Aquisgrani sepelitur: pro quo Henricus Dux Baioariæ rex effectus, regnauit annis 23.*
	2 Henricus rex Henricum marchionem & alios sibi resistentes cum exercitu petit.	1003	*Henricus rex Henricum Marchionem & alios sibi resistentes exercitu petit. Argentina à Herimanno duce Alemanniæ, rege rebellante, spoliata, & diuinitus in auctores sceleris grauiter vindicatum est, & ab ipso Duce sacro loco satisfactum.*
	3 Henricus rex Italiam & Boëmiam, & Bolizlaum ducem Slauorum, cum tota gente sua subiugauit. Herimannus Dux obijt, pro quo filius eius puer Herimannus.	1004	*Henricus rex Italiam petens, sibi eam subiecit: Papiam ipsa die qua coronatus est, irrumpens, gladio & igne perdomuit: inde in Saxoniam rediens, Boëmiam, & Bolizlaum Ducem Sclauorum, cum tota gente sua subiugauit.*
	4 Romæ post Gerbertum, Ioannes 16, Papa CXLIIII, sedit annum vnum.	1005	*Fames magna facta est.* Ioannes XVI, *Papa* CXLIIII, *anno vno.*
	5 Werinherus abbas obijt: pro quo Himmo monasterij destructor & fratrum expulsor, constituitur. Ioannes XVII, qui & Phasanus, Papa CXLV ordinatur.	1006	*Romæ* Ioannes XVII, *qui & Fasanus, Papa* CXLV *ordinatur, & sedit annis sex.*
	6 Episcopium Babinbergense ab Henrico rege constituitur, & Eberhardus ibi episcopus ordinatur.	1007	*Henricus rex summo studio apud castrum suum Babenberg dictum, nobilem & diuitem construxit episcopatum, in honore*

Anni mũdi.			
			honore S. Georgij martyris: primus ibi hoc anno episcopus promotus est Eberhardus.
	7 Bernhardus Augiæ abbas vir doctissimus ordinatur, locum eundem penè destructum recollectis fratribus recreat.	1008	*Augiæ remoto Ymmone abbate crudeli, Bernhardus vir doctus & pius, Prunicensis monachus Augiæ abbas constituitur, qui gratanter susceptus à Constantiensi episcopo Lamberto, abbas eius loci 29 consecratus, pietate & scientia clarus, præfuit annis 40.*
	Liutolphus Treuirensis archiepiscopus obijt, & episcopatum eius Adalbero frater reginæ sibi vsurpare, quibusdam contra regem fauentibus molitur, sed à Rege conuicti, Megingaudo episcopatum reliquerunt.		
	8	1009	
	9 Wolueradus Comes obijt, 4 Nonas Martias.	1010	*Romæ* SERGIVS IIII, *Papa* CXLVI, *ordinatus.*
	10 Willigisus Moguntiensis archiepiscopus obijt: pro quo Erchanbaudus.	1011	*Willigisus Moguntiensis archiepiscopus obyt, eiq; Erkenbaldus successit.*
	Theodoricus Dux à Lotharijs captus est.		
	11 Conradus Dux, filius Othonis obijt.	1012	*Cuonradus Dux Carentani moriens, Adalberoni ducatum reliquit.*
	Herimannus Dux iunior, obijt.		*Herimannus Dux Alemanniæ obiit, cuius ducatum Erniſt accepit.*
	12 Sergio IIII Papa mortuo, BENEDICTVS VIII, Papa CXLVI, sedit annis 11, diebus 12.	1013	*Romæ defuncto Sergio Papa,* BENEDICTVS VIII, *Papa* CXLVII, *sedit annos fermè 12.*
	13 Henricus rex Romæ imperiali benedictione coronatur, à Benedicto Papa.	1014	*Henricus rex Romæ imperiali benedictione, à Benedicto Papa coronatur.*
	14 Ernustus Dux in venatu ab Adalberone Comite sagitta occiditur, & Megingaudus Treuirorum archiepiscopus obijt, pro quo Poppo.	1015	*Erniſt dux Alemanniæ in venatu ab Adelberone Comite, feram appetente, sagitta vulneratus, interiit: & Ducatum eius filius æquiuocus, Viduam verò eius Giselam, Cuonradus Henrici filius, Imperator postea futurus, accepit.*
			Egingaudus Treuirorum archiepiscopus obiit, pro quo Poppo.
	15	1016	
	16 Gotifridus Dux Gerhardum vicit.	1017	*Godefridus Dux partis Lotharingorum, Gerhardum Comitem bello vicit.*
	17 Lambertus episcopus obijt: pro quo Ruthardus.	1018	*Constantiæ episcopo Lamberto defuncto, Ruthardus præfuit, annis fermè quinq;.*
	18 Conradus puer auxiliante patruele suo Conrado, postea imperatore, Adalberonem Ducem pugna vincens, fugauit: & Benedictus Papa Babinbergam veniens, ecclesiam S. Stephani dedicauit.	1019	*Cuonradus, filius Cuonradi quondam Ducis Carentani, Adalberonem Ducem, apud Vlmam pugna victum, fugauit.*

Anni mũdi.

19 Werinharius Argentinæ episcopus, cum Alemannis contra Burgundiones pugnauit & vicit. 1020

Benedictus Papa ab Imperatore inuitatus, Babenberg venit, ibiq; ecclesiam S. Stephani dedicauit.

20 Terræmotus magnus factus est, 4 Idus Maias, feria sexta.
Herebertus Colonienſis archiepiscopus obijt, pro quo Piligrinus. 1021

Heribertus Coloniæ Agrippinæ archiepiscopus, vir magnæ sanctitatis, hac vita discedens, multis miraculis claruit: cui Piligrinus successit.
Erchanbaldo quoque Moguntiensi archiepiscopo defuncto, Aribo successit.
Henricus Imperator in Italiam expeditionem mouit.

21 Henricus Imperator nouam Troiam cepit, & magna in exercitu mortalitas facta est.
Ruthardus episcopus obijt: pro quo Heimo.
Notgerus obijt. 1022

Henricus Imperator Campaniam petens, Troiam, Neapolim, Capuam, & cæteras ciuitates in deditionem accepit, & Nordmannis quibusdam, qui tempore eius illo confluxerant, quoddam (vt ferunt) in illis partibus territorium concessit, sicq; ipse per Romam victor rediit in Germaniam.
Ruothardus Constantiensis episcopus obijt: pro quo Heimo fermè annis 4 præfuit.
Notgerus quoque magister de S. Gallo, obiit.

22 Gebehardus Ratisponensis episcopus obijt: pro quo item Gebehardus. 1023

Ratisponæ post Gebehardum, virum laude dignissimum, alter Gebehardus inthronisatur.
Hoc anno conuenit synodus Moguntiæ, in qua constitutum est, vt plebs Christiana 14 dies ante festum S. Ioannis Baptistæ à carne & sanguine abstineat, nisi infirmitate cogẽte, aut festiuitate, quæ in illo episcopio celebris habetur: similiter 14 dies ante Natalem Domini. Item ibi constitutum est, vt vigiliæ Epiphaniæ, vigilia Omnium sanctorũ, vigilia assumptionis S. Mariæ, vigilia S. Laurentii ieiunetur, ita vt vna refectionis hora admittatur.

23 Henricus Imperator tertius, idus Iulias obijt, & in Babinbergensi episcopio, à se facto, in monasterio S. Petri sepelitur.
Benedictus Papa obijt.
IOANNES XVIII, Papa CXLVII, annos nouem.
¶ CONRADVS XIIII, annos ferè 15 regnauit. 1024

Romæ defuncto Benedicto Papa, frater eius IOANNES XVIII, *ex laico Papa* CXLVIII, *sedit annos fermè 9.*
Henricus quoq; Imperator, tertio idus Iulii absq; filiis obiens, apud Babenbergensem episcopatum à se constructum, quem omnium prædiorum ac thesaurorum suorum hæredem reliquerat, in basilica S. Petri sepelitur: habitoq; conuentu apud villam Kambam, Cuonradus senior, filius Henrici, rex promotus, à Baribone archiepiscopo Moguntiæ vnctus est, 6 idus Septemb. Nec multò post vxor eius Gisela, à Piligrino archiepiscopo Coloniæ regina benedicitur, Cal. Octobris.

1 Magna

Anni mũdi.			
	1 Magna dissensio in regno contra Conradum regem efficitur.	1025	*Rebellio contra Cuonradum regem, à Cuonrado eius patruele, & Ernisto Duce Alemanniæ, & aliis quam pluribus, est facta.*
	2 Conradus rex filium suum Henricum regem fecit, & ipse Romam pergens, Imperator efficitur. Heimo episcopus obijt: pro quo Warmannus. Bruno Augustensis episcopus & Welfus Comes, prædas & incendia inter se faciunt.	1026	*Rex Cuonradus Italiam petens, totam penè sibi subiugauit, ex hac parte Romæ. Constantiæ post Heimonem episcopum, Warmannus præfuit, annis fermè 8.*
	3	1027	*Cuonradus rex Romam perueniens, à Ioanne Papa in die sancto paschæ Imperator coronatur. Inde in Alemanniam reuersus, apud Vlmam Ernistum Ducem & Cuonradum se illi dedentes, exilio deputauit.*
	4 Ernustus Dux & Welfus Comes, Conrado Imperatori ad deditionem veniunt.	1028	*Henricus filius Imperatoris, Aquisgrani rex electus, à Piligrino Colonienſi archiepiscopo in die sancto paschæ unctus est.*
	5 Bruno Augustensis episc. obijt: pro quo Eberhardus.	1029	*Bruno Augustensis episcopus obiit, & Eberhardum accepit successorem.*
	6 Conradus Imperator Stephanum Pannoniæ regem cum exercitu petit, & interea in Alemannia Dux, & Werinherus Comes cum alijs multis occiduntur, 16 cal. Septembris.	1030	*Ernist Dux exilio relaxatus, iterumque Imperatori rebellans, cum multis aliis occiditur, 16 cal. Septemb.*
	7 Stephanus rex missis legatis, cum Imperatore Conrado pacificatus est.	1031	*Aribo Moguntinensis archiepiscopus obiit: cui Bardo monachus, vita & habitu venerandus, successit.*
	8 Rodolphus rex Burgundiæ moriens, diadema suum Conrado misit.	1032	*Ruodolphus rex Burgundiæ ignauus obiit, & Cuonrado Imperatori diadema suum transmisit: cuius regnum Odo, sororis suæ filius, princeps Gallicæ Campaniæ, inuasit.* *Bern. abbas Augiæ, missis Romam cœnobii sui priuilegiis, à Ioanne Papa item priuilegium cum scandaliis, vt episcopalibus indumentis missas ageret, accepit. Vnde à Warmanno Constantiensi episcopo apud Imperatorem, quasi sui peruasor officii, accusatus, eò vsq; ab vtriusq; coartatur, donec idem cum scandaliis priuilegium ipsi Episcopo traderet, publicè in synodo sua, id est, in cœna Domini sequentis anni, incendendum.* *Ipso anno Buchaugiense cœnobium, 2 Idus Iulias, incendio flagrat.*
	9 Conradus hyeme Burgundiam petit.	1033	*Imperator Odonis prouinciam Galliam inuadens, Campaniam tamdiu va-*

Anni mũdi.

Eclipsis Solis, tertio Calen. Iulias, quasi hora sexta.

Conradus occidentalem Franciam contra Odonem petit.

BENEDICTVS IX, Papa CXLVIII, qui & Theophilactus, sedit annos 12 menses 8.

10 Conradus item Burgundiam vastat.

Pagani Saxoniæ confinia petunt.

Warmannus episcopus obijt: pro quo Eberhardus.

Conradus ex castro suo Limpurgo, inter Nemetes & Vangiones sito, monasterium fecit, quod in honorem S. Crucis, & diui Ioannis Euangelistæ dedicari iussit.

11 Pagani, qui Luitici dicuntur, Wirbinam castellum in confinio Saxoniæ, multis Christianis occisis & captis, obtinent: quos Conradus Imperator cum exercitu petit.

stauit, donec ipso Odo supplex adueniens, satisfactionem licet ficte promitteret.

Romæ defuncto Ioanne, BENEDICTVS IX, qui & Theophilactus Papa CXLIX, licet tanto ordini indignus, sedit annos plus 12.

1034 *Imperator Burgundiam petens, sibi eam subiecit.*

Constantiæ Warmanno episcopo defuncto, successit Eberhardus.

Meginhardo Wirzburgensi episcopo, Brun filius Machtildis successit.

1035 *Synodus magna apud Triburiam ab Imperatore collecta est.*

5000 12 Italia ciuium discordia laborat.

Gebehardus Ratisponensis episcopus obijt, pro quo item Gebehardus.

Nuptiæ Henrici regis.

Pagani supradicti Conrado Imp. vectigales facti.

Piligrinus Agrippinensis archiepiscopus obijt: pro quo Herimannus.

1036 *Piligrino Colonienſi archiepiſ. Herimannus: Gebehardo ſecundo Ratiſponenſi epiſcopo defuncto, tertius Gebehardus ſucceſſit.*

Henricus rex, filius Imperatoris, Chunihildem Cnutonis Danorum & Anglorum regis filiam, ſibi apud Noniomagum regalibus nuptiis copulauit vxorem.

Leutizi Sclaui, imperatori vectigales facti.

Imperator hyeme Italiam petit.

13 Conradus Imperator Italiam cum exercitu petit, & Mediolanensem archiepiscopum in custodiam misit, qui fuga lapsus, cum multis alijs eidem Imperatori rebellat.

Odo princeps Carlingorum, à Gozzelone Duce pugna victus, fugiensq; à quodam milite occiditur.

1037 *Imperator Papiam adiens, Heribertum Mediolanenſem archiepiſcopum, infidelitatis accuſatum in cuſtodiam miſit, qui fuga elapſus, cunctis viribus Imperatori rebellare contendit. Imperator Mediolanum obſedit, & circumquaq; quælibet ad rebelles pertinentia deuaſtauit.*

Odo princeps Gallicæ Campaniæ à Gozzilone Lotharingorum Duce pugna victus, fugiensq; à quodam milite occiditur.

14 Eliphtruda, quę & Cunegundis, regina, vxor Henrici regis, 15 calen. Augusti, & Herimannus Dux 5 cal. Augusti, in Italia cum multis alijs obierunt.

Stephanus Hungarorum rex bonæ memoriæ obijt, qui seipsum cum tota gente sua ad fidem Christi, ex

1038 *Imperator cum natalem Domini Parmæ ageret, orto tumultu inter Parmenſes & exercitum, vtrimq; multi, ſed ex Parmenſibus plures, ceciderunt, & ipſa ciuitas incendio conſumpta eſt.*

Papa archiepiſcopum Mediolanenſem Imperatori rebellem excõmunicauit.

Chunihildis regina, vxor Henrici regis,

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 136:Leibn. Marg. 136, Stück 1, [340] - 322

Anni mūdi.			
	gentili errore conuertit: pro quo Petrus regnauit.		*gis, 17 cal. Augusti, & Hermannus Dux Alemanniæ, 5 cal. Augusti, cum multis aliis in Italia obiêre.* *Stephanus rex Vngarorum bonæ memoriæ obyit, qui seipsum cum tota gente ad fidem Christi conuertit, pro quo Petrus regnauit.*
	15 Conradus Imperator, 2 Nonas Iunias obijt, & apud vrbem quæ Spira vocatur, sepelitur. Conradus dux & Adalbero Dux obierunt. Eclipsis Solis, vndecimo calend. Septembris. Reginbaldus Spirensis Episcopus, 3 Idus Octobres bonæ memoriæ obijt. ¶ HENRICVS XV, filius Conradi, annis 17, mens. 7.	1039	*Cuonraaus Imperator, tertio nonas Iunij obyit, pro quo* HENRICVS *rex filius eius regnauit.*
	1 Henricus rex, Boëmiæ Ducem bello petit: sed multis proceribus & militibus in præstructione syluæ citra & vltra occisis vel captis, nihil dignum efficere potuit. Petrus quoq; Hungarorum rex eidem Duci contra Henricum regem auxilia mittit.	1040	*Henricus rex ducem Boemiæ bello petit, sed multis proceribus & militibus in præstructione syluæ citra & vltra occisis vel captis, nil dignum efficere potuit.* *Eberhardo primo Babenbergensi Episcopo defuncto, Snidgerus successit*
	2 Hungari quendam Ouonem regem sibi eligentes, Petrum regem suum expellunt. Qui profugus & exul, Henrici regis, cui priori anno rebellauerat, gratiam quærit & inuenit. Henricus rex Boëmiam cum exercitu ingressus igne prædaque cuncta deuastat, & rebellem Ducem obsides dare, & ipsum post se Ratisponam ad deditionem humiliter venire, sibique iureiurando fidelitatem seruitiumq; confirmare coartat.	1041	*Vngari quendam Ouonem sibi regem constituentes, Petrum regem suum expellunt. Qui profugus & exul, Henrici regis gratiam, cui priori anno rebellauerat, quærit & inuenit. Henricus rex Boemiam cum exercitu ingressus, igne prædaq; cuncta deuastat, & rebellem ducem obsides dare, & ipsum post se Ratisponam ad deditionem humiliter venire, sibiq; iureiurando fidelitatem seruitiumq; confirmare coartat.*
	3 Ouo rex Hungarorum, ob susceptum ab Henrico rege Petrum, à se expulsum, fines Baioariæ prædis & incendijs depopulatur. Sed magna pars exercitus eius, quæ à Septentrionali Danubij parte prædas factura venerat, ab Adalberto Marchione inita pugna penitus deleta est. Henricus quoq; rex sui vlturus iniuriam, Pannoniam cum exercitu in autumno ingressus, magnã prouinciæ partem vastauit, duas populosissimas ciuitates euertit, plures deditione subiecit. Sed cum Petrum regem suum, quem secum ducebat	1042	*Ouo Vngarorum tyrannus, cum Baioariæ fines deuastaret, maxima pars exercitus eius ab Adalberto Marchione bello deuicta perijt. Henricus rex Pannonias petens, vrbes munitas deleuit, & plures deditione subiecit. Et dum Petrum regem suum recipere nollent, Ducem eis quendam præfecit, quem statim post eius discessum Ouo in Boemiam repulit.*

Anni mũdi.

nulla ratione Prouinciales recipere conſentirent, alium quendam, quem petebant, Ducem eis conſtituit: quem tamen ſtatim poſt diſceſſum eius Ouo rex de prouincia ſua in Boëmiam depulit.

Poppo Aquileiæ patriarcha obijt: pro quo Eberardus.

4 Gisla Imperatrix, mater Henrici regis, 16 Calend. Martias obijt, & apud vrbem Spiram ſepelitur.

Totum tempus æſtiuum in tempeſtates pluuiaſque hyemales penè conuerſum, magnam frugum & vindemiarum penuriam effecit.

Henricus rex iterum Pannonias cum exercitu petens, ſatisfactionem, obſides, munera, pacis per iuſiurandum confirmationem Hungaris vix impetrantibus, accipiens, diſceſſit. Qui inde reuerſus Conſtantienſi ſynodo affuit: vbi primò omnes Sueuiæ principes, memoreſque perſonas, cunctis inimicitijs deſtructis, pacificari fecit, & pacem hactenus inauditam, tam in hac quàm in alijs regni ſui prouincijs, regia cenſura per edictum confirmauit. Deinde Agnetem, Wilhelmi Pictauienſis Principis filiam, reginam apud Mogunciam vrbem vngi faciens, regalibus ſibi nuptijs, apud Ingelenheim villam regalem, copulauit. Vnde infinitam hiſtrionum & ioculatorum multitudinem, ad laudis ſuæ cumulum, vacuam & inanem, ſine cibo & muneribus, merentem abire permiſit.

Luitpaldus Marchio, Adalberti Marchionis filius, bonæ indolis iuuenis, & maxima Hungarorum clades, immaturè obijt.

Maxima peſtis pecudum & hyems ſatis dura & niuoſa, magnam vinearum partem frigore perdidit, & frugum ſterilitas famem non modicam effecit.

Gozzilo Dux Lotharienſium moriens, Gozziloni filio, quamuis ignauo, ducatum ſuum à Rege Henrico promiſſum, relinquere diſpoſuit. Sed alter filius eius Gotefridus iamdudum Dux, cum ducatum fratri debitum contra fas à Rege ſibi obtinere nequiuiſſet, iuſiurandum fidemq;

1043 *Henricus rex iterum Pannonias petens, ab Ouone, vix pactum impetrante, ſuſceptaſatisfactione & muneribus, diſceſſit. Inde in Alemanniam veniens, in Synodo Conſtantienſi, cunctis qui contra eum deliquerant, omne debitum ipſe dimiſit, hocq; & alios ſuis debitoribus facere adhortans, inauditam multis ſeculis pacem effecit.*

Poſt Agnetem Wilhelmi Pictauienſis filiam, accipiens, & Moguntiæ reginam vngi faciens, regales apud Ingelnheim nuptias celebrauit. Ibi Luitpaldus, Adalberti Marchionis filius, obiit.

1044 *Gozzilo dux Lotharingorum moriens, Gozzeloni filio ſuo, quamuis ignauo, ducatum ſuum à Rege Henrico promiſſum, reliquit.*

Sed alter filius eius Godefridus, iamdudum Dux cum ducatum fratri debitum, à Rege obtinere nequiſſet, pio Regi rebellare præſumit.

Anni mũdi.

fidemque postponens, rebellare pio Regi præsumpsit.

Quo rex, cum iusiurandum pactumque infregisset, Henricus rex cum perpaucis copijs Pannonias petijt: quem Quo, qui maximum parauerat exercitum, in tantum despexit, vt eum quasi facile occidendum seu capiendum, prouinciam ingredi sineret. Sed Henricus cum parte copiarum Rabam fluuium festinè, in diuino confisus auxilio, transuadauit: pugnam cunctis militibus passim festinantibus inijt, & in prima congregatione innumerabilem Hungarorum exercitum fugauit atque prostrauit: & paucissimis suorum amissis, in semet fortissimè pugnans glorioſissimam victoriam adeptus est, 3 Nonas Iulias: & Quone rege vix fuga elapso, omnes Hungari ad deditionem Henrico Regi cateruatim concurrerunt, subiectionem seruitiumq; promittunt. Ipse verò, vt erat per omnia pijssimus, Petrum regem dudum expulsum, regno suo restituit.

Henricus rex paruo exercitu contra grauissimam Vngariorum gentem fortiter pugnauit & vicit, Quonem tyrannum fugauit, & Petrum expulsum pristinæ dignitati restituit. Postea verò Petro in regno confortatus, eundem Quonem cum vxore & filiis comprehensum, decollauit.

Magna vis famis homines immunda animalia comedere coegit.

Eodem anno Ludouicus Comes, Reginoldum Principem, reginæ Agnetis auunculum, sed regi Henrico inimicum, dum quoddam castellum eius, quod Monspiligardæ dicitur, magna cum manu expugnare pararet, cum parua militum suorum copia pugnam iniens, vicit, multisque cæsis reliquos fugauit.

Romani Benedictum CL Papam multis criminatum, sede sua pellunt, & SYLVESTRVM tertium quendam, in locum suum statuunt: quem tamen postea Benedictus, quibusdam sibi fauentibus excommunicatum, depulit, sediq; suæ redditus, seipsum postea priuauit, & alium pro se contra Canones ordinauit.

Romani Benedictum Papam pro sceleribus suis expellunt, & quendam Syluestrum Papam CL, temerè constituunt: quem tamen Benedictus Papa postmodum quorundam auxilio expellit, ipseq; suæ sedi redditus, sponte à Papatu discessit, & Gratianum, nomine Gregorium Papam CLI pro se ordinari permisit: Anno Domini 1046.

Herebertus Mediolani episcopus obijt.

Beggelenheim Castellum Gotefridi à Rege captum.

Reginoldus & Geroldus Burgundiones, Regi apud Solodurum ad deditionem venerunt. 1045

Otto Palatinus Comes, Dux Alemanniæ constituitur.

Otho Palatinus Comes paschali

Anni mũdi.

hebdomoda Dux Alemanniæ, apud Goslare à Rege conſtituitur.

Petrus rex Vngariorum, Henrico rege adſe inuitato, regnum Pannoniarum tradidit, quod tamen ab eo, ipſe dum viueret poſſidendum, recepit.

Petrus rex, Henricum regem in feſtiuitate Pentecoſtes ad ſe inuitatum, magno paratu ſuſcepit, & maximis muneribus donauit, eique regnum Pannoniarum, principibus Hungarorum fidelitatem illi & ſucceſſoribus eius iuramento firmantibus, reddidit: quod tamen ab eo ipſe dum viueret poſſidendum, recepit. In quo videlicet itinere Rex quoddam vetus ſolarium aſcendens, cum multis alijs ædificio cadente, corruit, ipſoq; Deo protegente, illæſo.

Brun Wurziburgenſis Epiſcopus obijt, 7. Calend. Iunÿ.

Bruno Wirciburgenſis Epiſcopus letaliter cum alijs collapſus, poſt vnam hebdomadam, id eſt 7 calen. Iunias obijt, & ad ſedem ſuam reportatus, ibiq; ſepultus, Adelberonem ſucceſſorem ſuſcepit.

Godefridus Dux ad deditionem Regi veniens, in cuſtodiam mittitur.

Gotofridus Dux rebellioni ſuæ deſperans, regiq; ad deditionem veniens, in cuſtodiam mittitur.

Wido Mediolani Epiſcopus conſtituitur.

Leutici ſe Regi dedunt, & ſolitum cenſum promittunt.

Sclaui, qui & Lintici dicuntur, Saxoniæ terminos inquietantes, Regi illò cum copijs militum venienti, ſe tradunt, & ſolitum cenſum promittunt.

Guntharius heremita ad Chriſtum migrauit, & in Praga Boemiæ ſepultus, quieſcit.

Autumnali tempore Guntharius heremita ad Chriſtum migrauit, & in Praga Boëmiæ vrbe ſepultus, quieſcit.

Per idem tempus regale colloquium apud Tribura condictum, grauis Regis infirmitas præpediuit: quo etiam tempore Agnes regina, filiam Regi peperit.

1046 Rex natalem Domini in Saxonia apud Goslare celebrauit.

Magna mortalitas multos paſſim extinxit.

Eggehardus marchio ditiſſimus ſubitò moriens, prædiorum ſuorum Regem reliquit hæredem.

Rex paſchale feſtum apud Traiectum Freſiæ vrbem egit, & ſubſequutis diebus nauali expeditione in *Phladirtingam*, fretum traijciens, pagum quendam, quem Theodericus Marchio ſibi vſurpauerat, ab eo eripuit: vnde idem poſtea rebellionis cauſam ſumpſit.

San-

Anni mũdi.

Sanctum autem Pentecostes Aquisgrani faciens, Gotefrido Duce è custodia relaxato, sibique procedenti terratenus prostrato, Ducatum suum misertus reddidit.

Rex Aquisgrani in pentecoste, Godefrido Duci custodia relaxato, Ducatum reddidit, & Widgero Rauennæ præsuli, nimiùm crudeli, nondum consecrato, Episcopatum abstulit.

Quibus etiam diebus Widgerum, qui Rauennæ præsulatum iam biennio ineptè & crudeliter nondum consecratus tenebat, ad se vocatum, Episcopatu priuauit.

Sequenti tempore rex in Italiam expeditionem parat.

Fridericus frater Henrici ducis Baoiariæ, dux Lotharingorum, pro Gotefridi fratre ignauo Gozzilone, constituitur.

Subsequuto autumno Hungari pristinæ perfidiæ suæ memores, Andream quendam regem sibi statuunt, Petrum regem, multis aduenarum qui pro eo pugnauerant, occisis, varijs cum coniuge sua iniurijs affectum, postremò oculis priuant, & in quendam locum, cum eadem coniuge sua, alendum deportant, multis etiam per idem tempus peregrinis inibi expoliatis, exulatis atq; necatis.

Vngarij regem suum Petrum oculis priuant, & pro eo quendam Andream regem statuunt.

Quo comperto rex Henricus, qui iam valido exercitu congregato in Italiam iter cœperat, nimis indoluit, sed tamen cœptam expeditionem non deseruit. Itaque coadunato exercitu Papiæ synodum celebrauit. Inde Placentiam veniens, Gratianum CL, quem expulsis prioribus Romani Papam statuerant, ad se venientem honorificè susceptit: sicque cunctis prosperè cedentibus, iuxta natalem Domini non longè ab vrbe Roma, apud Sutriam synodo item acta, caussa erroneorum Pontificum diligentiùs ventilata, Gratianam Papam conuictum, baculo pastorali priuauit. Deinde omnium tamen Romanorum quàm aliorum consensu, Suidegerum Episcopum, qui post Eberhardum primum secundus, Babinbergensem sexto iam anno regebat ecclesiam, nimiùm reluctantem summum Romanæ ecclesiæ elegit Pontificem, sicque cir-

Henrico Regi cum expeditione in Italiam venienti, Gratianus Papa, quem Romani expulsis prioribus statuerant, Placentiæ obuians, honorificè susciptitur: qui tamen postmodum apud Sutriam in synodo non inuitus pastorale officium deposuit. Pro quo Suidgerus Babenbergensis episcopus nimium reluctans, omnium consensu eligitur. In tempore huius apostolici innumerabiles terræmotus & maximi in Italia sunt facti, & hoc fortassis ideò, quia idem apostolicus non canonicè subrogatus est antecessori suo, non canonicè deposito: videlicet quem nulla culpa deposuit, sed simplex humilitas ab officio cessare persuasit.

ca vigilias natalis Domini, ipſam ingrediuntur vrbem.

Eadem nocte bonæ memoriæ Eberhardus Conſtantienſis eccleſiæ Epiſcopus, inibi in porticu S. Petri ſepeliendus, obijt, tredecimo Epiſcopatus ſui anno.

Eberhardus Conſtantienſis epiſcopus Romæ obijt, pro quo Theodericus.

1047

1047 In ipſa natalis Domini die, præfatus Suidegerus, natione Saxo, apoſtolicæ ſedi CLI Papa ex more conſecratus, & nomine auctus, Clemens ſecundus vocatus eſt. Qui mox ipſa die Henricum regem & coniugem eius Agnetem, imperiali benedictione ſublimauit, peractiſq; miſſarum ſolennijs, ipſe dominus Papa & Imperator cum Imperatrice, ita vt erat coronatus, ad Lateranenſe palatium, cum ingenti gloria proficiſcũtur, cunctis ciuibus Romanis mirantibus, honoremque ſingulis quibuſq; pro facultate obiter impendentibus. Completiſq; Romæ cum ſumma pace aliquot diebus, Imperator magnam exercitus partem patriam redire permittens, ipſe cum reliquo ad vlteriora contendit.

Circa idem tempus Imperator præſules nonnullos conſtituit, inter quos Rauennati eccleſiæ Hunfridum Cancellarium ſuum in Italia, Conſtantienſi Theodericum, per alias prouincias Cancellarium ſuum & archicappellanum, & Aquiſgrani præpoſitum, Argentinæ Herrandum, Spiræ præpoſitum, pro Willihelmo autumnali tempore defuncto, Viridunenſi Theodericum, Baſileæ præpoſitum & capellanum ſuum, Pontifices præfecit.

Imperator verò Roma egreſſus, nonnulla caſtella ſibi rebellantia cepit, prouincias illas, prout videbatur, diſpoſuit, duces Nortmannis, qui in illis partibus commorantur, & alijs eo loco vrbibus, conſtituit. Sed ſocru Imperatoris de monte Gargano Beneuentum reuerſa, orto tumultu, Beneuentani ciues quibuſdam eam iniurijs afficiunt. Vnde ſæuam ab Imperatore vindictam metuentes, eique ſe ſubdere non præſumentes, rebellionem ineunt. Sed Imperator qui magna (vt dictum eſt) ex parte exercitum iam remiſerat, & ad aliam occupato animo patriam tendebat, tantam tunc temporis ciuitatem expugnatum aggredi diſtulit, interimq; eo infecto negotio, ſed aliàs vniuerſa Italia patente pacataq;, redire diſpoſuit.

Interea Imperatrix Agnes, quæ Romæ ab Imperatore digreſſa fuerat, in Rauenati territorio filiam peperit.

Imperator verò cœpto redeundi itinere, Mantuæ paſchale feſtum, in grauiſſima decumbens ægritudine, commoratur. Poſtea conualeſcens, corpus beati Widonis Pompoſæ monaſterij abbatis, in magna ſanctitate ante non integrum annum defuncti, plurimis glorificatum miraculis, de Parmenſi, vbi ſepultum fuit, ciuitate, ad vrbem Spiram transferendum, magno ſecum honore de Italia rediens, deuexit. In quo itinere Auguſtam Vindelicam in litanijs ante Aſcenſionem Domini veniens, Gebehardo vrbis eiuſdem Epiſcopo in aduentu eius defuncto, Henricum Capellanum ſuum ſucceſſorem conſtituit.

Actoque inibi eodem feſto, Pentecoſtes ſolennia Spiræ celebrauit, ibique colloquium cum regni Principibus habuit, & corpus præfati Abbatis, in incœpta quadam extra vrbem baſilica, tumulari fecit. Quo tempore Welfum Comitem Sueuigenam, Welfi dudum Comitis filium, Carentani Ducem promouit. Auunculum quoque eius Adalberonem, Ducem videlicet, Henrici & Friderici fratrem, Metenſis eccleſiæ Epiſcopum, poſt Theodericum nuper defunctum, conſtituit. Item Poppone archiepiſcopo his diebus defuncto, Treuirenſi vrbi Eberhardum, Wormatiæ præpoſitum, archipræſulem præfecit.

Per idem tempus, cum expeditionem in Pannonias, ad Petrum vlciſcendum diſponeret, Gotefridus Dux, cum Balduino de Flandria & alijs nonnullis, rebellionem innouaſſe, bellumq; copijs collectis parauiſſe, Theodericus quoq; de

de Phladirtinga marchio rebellauiſſe, & Epiſcopatus ſibi contiguos, ad iniuriam Imperatoris populatus eſſe, nunciatur. Præterea Andreas, qui regnum Petri obtinuit, iam crebro legatos ſupplices miſerat, regnum ſe ab Hungaris coactum ſuſcepiſſe confirmans, de Petri ſeſe iniurijs excuſans, quiq; aduerſus eum coniurauerant, partim à ſe trucidatos, partim Imperatori tradendos, denuncians, ſuamque Imperatori ſubiectionem, annuum cenſum, & deuotam ſeruitutem, ſi regnum ſe habere permitteret, mandans. Quibus ex cauſis dilata expeditione illa, cum Gotefridus quoq; Dux rebellionem ſuam callidis legationibus diſſimularet, autumnali tempore nauali exercitu collecto, contra Theodericum in Phladirtingam arma commouit.

Interea Otho Sueuorum Dux, qui prouinciam ſibi traditam piè ac ſtrenuè tertio iam anno regebat, immaturo obitu diem clauſit extremum. In ipſis quoq; diebus, Henricus Baioariæ Dux defunctus, Treuiris ſepelitur. Clemens etiam, qui & Suidegerus Papa, in Romanis partibus nono menſe promotionis ſuæ, diem obiens, ad epiſcopatum ſuum Babinbergum reportatus, tumulatur.

Imperator expeditione in Phladirtingam traiecta, aquoſis impedientibus locis, parum proficere potuit, & reuertens, aduerſarijs marino curſu leuibus ſcaphis latrocinantium more ſequentibus, & extremos quoſq; incurſando cædentibus, non modicam in exercitu cladem pertulit.

Ipſo quoq; tempore Gotefridus inter alia quæ contra Regem geſſit, Viridunenſem ciuitatem dolo captam, incendit & euertit.

In ipſo natali Domini die, Suigerus Papa 152 ex more conſecratus, Clemens ſecundus eſt vocatus: ſedit menſibus nouem. Qui mox ipſa die Henricum regem cum coniuge ſua Agnete imperiali benedictione ſublimauit. 1047

Hunfridus Rauennæ efficitur Archiepiſcopus,

Beneuentani ciues, ſocrum Imperatoris de monte Gargano reuerſam, malè tractantes, rebellant.

Imperator corpus B. Widonis, Pompoſiæ abbatis, de Parmenſi ciuitate Spiram ſecum tranſtulit.

Poppo Treuerorum archiepiſcopus obijt, pro quo Eberhardus.

Godefridus Dux & Balduinus de Flandris Imperatori rebellant.

Item Theodericus de Phladirtinga marchio rebellat Imperatori, contra quem Imperator exercitum mouens, parum profecit.

Clemens, qui & Suigerus Papa, 7 Idus Octob. obijt.

Godefridus Dux inter alia quæ contra Regem fecit, Viridunenſem ciuitatem combuſſit, cuius Ducatum Imperator Adalberto cuidam tradidit.

Imperator natalem Domini in Saxonia moratus, confeſtim per Wurciburgum in Alemanniam venit, & Vlmæ colloquium habens, Othonem de Suinfurto marchionem, Sueuis Ducem conſtituit: indeq; Baioariam veniens, quadrageſimale & paſchale tempus exegit. 1048

Eadem Quadrageſima ſanguis (vt creditur) Domini, apud vrbem Mantuam, diuina per quendam cæcum reuelatione, inuenitur, & plurimis miraculis declaratur.

Imperator Ratiſponam, vbi paſcha cum Othone & Brecizlao Ducibus, & multis alijs Principibus egit, digreſſus, Alemanniam repetit, & Augiam noſtram ingreſſus, 8 Calendas Maias, nouam ſancti Marci euangeliſtæ, patroni noſtri, baſilicam, à D. Bernhardo abbate conſtructam, ſe præſente, à Theoderico Conſtantienſi epiſcopo, dedicari fecit, & eiuſdem ſancti feſto in letania maiore apud nos acto, Aſcenſionem Domini Turegi, Pentecoſten autem Soloduri celebrauit: habitoq; ibi cum Burgundionibus colloquio, per Franciam Orientalem in Saxoniam remeauit. *Hermanni Contracti Augiæ monachi.*

Per idem tempus dominus Bernhardus abbas Augiæ, vir doctrina & moribus inſignis, anno promotionis ſuæ quadrageſimo, in ſenectute bona morbo confectus, 7 Idus Iunias, diem vltimum clauſit, & in baſilica ſancti Marci ſepultus, quieſcit. In cuius locum Vdalricus decanus, à fratribus electus, abbas ab Im-

peratore constituitur. Defuncto quoq; viro docto Wattone Leodij Pontifice, Dietuinus succeſſit.

Sequente Iulio, Poppo Brixienſis epiſcopus ab Imperatore electus, Romam mittitur, & honorificè ſuſceptus, Apoſtolicæ ſedis CLII Papa ordinatus, mutato nomine DAMASVS ſecundus vocatur. Sed paucis diebus exactis defunctus, & ad S. Laurentium extra vrbem ſepultus eſt.

Autumnali tempore Henricus Imperator & Henricus Galliarum rex, in Metenſi territorio conuenientes, pacem pactumque inter ſe iuramento confirmant.

His diebus terræmotus magnus factus eſt nocte, tertio Idus Octobres.

Ipſis etiam diebus Agnes Imperatrix, filiam Imperatori peperit.

Eodem etiam tempore Gotefridus Adalbertum Ducem ſe deprædantem perſequutus, & dimiſſa multitudine cum paucis inuentum, cum alijs qui repugnare tentabant, occidit. Poſt quem Gotefridus Dux ab Imperatore conſtituitur.

Imperator ipſis diebus Argentoratum, & inde prope natalem Domini Vlmam venit, ſicq; in Baioariam proficiſcitur.

1048 *Imperator Ottonem de Suinuurt Sueuis Ducem conſtituit.*

Sanguis Domini apud vrbem Mantuam, vt creditur, diuina per quendam cæcum reuelatione inuenitur.

Bernhardus abbas Augienſis, vir doctrina & moribus inſignis, obijt: cui Vdalricus ſucceſſit.

Poppo Brixienſis Epiſcopus ab Imperatore electus, Romam mittitur, & honorificè ſuſceptus, Papa 153 ordinatur, nomine Damaſus, & ſedit 32 dies.

Henricus Imperator & Henricus rex Galliarum conuenientes, in Metenſi territorio pacem inter ſe iuramento confirmant.

Gotefridus Adalbertum Ducem occidit: cuius ducatum Gerhardo Imperator dedit.

1049 Imperator natalem Domini Friſingæ, & purificationem ſanctæ Mariæ Ratiſponæ agens, Baioariæ Ducem Conradum conſtituit, & circa quadrageſimale tempus inde Saxoniam receſſit.

Gotebaldus Nemetenſis præpoſitus, Aquileiæ patriarcha, poſt Eberhardum his diebus defunctum, ab Imperatore promouetur.

Interea glaciali hyeme ſuppeditante, nonnulli de partibus maritimis milites & Principes, cum Leodienſi Epiſcopo, Traiectenſi & Metenſi, congregati, Theoderico in Phladirtinga inſidias tendunt, commiſſaq; pugna victum occidunt, & prouinciam illam Imperatori ſubijciunt: quam tamen non multò pòſt Gotefridus occupans, ab eiſdem pugna petitus & victus, vix aufugit.

Per idem tempus Bruno Leucorum epiſcopus ab Imperatore electus, Romamq; miſſus, ſummo honore ſuſcipitur, & in quadrageſima Papa CLIII ordinatus, LEONIS noni nomen accepit. Qui in proximo paſcha, Vdalricum Augienſis cœnobij prouiſorem, Romam venientem, Abbatis benedictione conſecrauit, & monaſterij eiuſdem priuilegia, antiquitùs à Sede apoſtolica tradita, ſua authoritate confirmauit & innouauit, Indictione ſecunda, 7 Cal. Apriles. Idem Papa in hebdomade poſt *Athas*, ſynodum cum Epiſcopis Italiæ Romæ celebrauit. Idem in hebdomada Pentecoſtes aliam ſynodum Papiæ congregauit, indeque per montem Iouis cum plurimis Romanorum, in Ciſalpinas partes devenit.

Exacto etiam tempore Odilo venerabilis Cluniacenſis cœnobij, & multorum pater monaſteriorum, migrauit ad Dominum.

Sequuta æſtate, cum Imperator expeditionem contra Gotefridum & Balduinum à domino Papa excommunicatos, pararet: Gotefridus tam contra vim Imperatoris, quàm Papæ excommunicationem, Aquiſgranum venit, & opitulante Papa, gratiam Imperatoris promeruit. Balduinus verò vtrumq; contemnens,

mnens, vastata ab exercitu magna ex parte prouincia sua, tandem obsides dedit, & pactum cum Imperatore fecit.

Autumnali tempore dominus Papa synodum magnam Remis, cum Galliarum episcopis, habuit, indeq; Mogontiacum veniens, aliam synodum 40 prope episcoporum coram Imperatore, & regni nostri Principibus celebrauit, & postea Alemanniam adiens, Augiæ festum S. Clementis, & Dominicam ante aduentum Domini, 6 Cal. Decemb. egit, ac per Augustam Baioariamq; transiens, natalem Domini Veronæ coluit.

Imperator Cuonradum Ducem Baioariæ constituit, & Godebaldum Aquileiæ patriarcham, post Eberhardum nuper defunctum, promeruit. 1049

Nonnulli Principes & Episcopi Phladirtingam intrantes, Theodericum pugna victum, occidunt, & prouinciam illam Imperatori subijciunt.

Brun Leucorum episcopus ab Imperatore electus, Romam mittitur, & Papa 154, nonus Leo *vocatur, & sedit annis quinq;, qui in proximo pascha Vdalricum Romæ Augiensem consecrauit abbatem, & monasterij eiusdem priuilegia, à sede apostolica tradita, confirmauit & innouauit.*

Idem Papa Romæ synodum, maximè contra simoniacam hæresin celebrauit. Hic in plenaria synodo constituit, vt Romanorum presbyterorum concubinæ, ex tunc & deinceps Lateranensi palatio adiudicarentur ancillæ: emptiones & venditiones altarium sub anathemate prohibuit.

Imma obijt, anno dominicæ incarnationis, 1049, 2 Nonas Aprilis.

Odilo Coloniacensis abbas venerabilis migrauit ad Dominum, Cal. Ianuar.

Godefridus & Balduinus reconciliantur Imperatori.

Imperator post idem festum in Saxonia mansit. Ipsa hyeme, cum episcopus Ratisponæ Gebehardus, qui Campidonensem abbatiam nuper beneficij loco acceperat ab Imperatore, in Pannoniarum terminis moraretur, cedentibus Hungaris, fines eorum ingrediens, prædas inde abduxit. Sed ipso discedente, plurimus Hungarorum exercitus, fines nostros inuadens, plurimam partem captiuauit, incendit atque vastauit. Imperator paschale festum apud Traiectum moratur. 1050

Dominus Papa post pascha synodum item Romæ collegit, & subsequuto tempore vltra Romam progrediens, nonnullos eo locorum Principes & Ciuitates, tam sibi quàm Imperatori iureiurando subiecit, Beneuentanosque adhuc rebellantes, excommunicauit. Nonnulli etiam exterarum Principes gentium, missis ad eum, vtpote apostolicum virum, legatis, subiectionem promittunt.

Imperator contra Gazmerum ducem Polonorum, rebellionem molientem, expeditionem parat, grauiq; infirmitate detentus, pacem pactumq; eum petentem suscipiens, discessit.

Gebehardus Ratisponensis Episcopus, cum Conrado Duce Baioariæ, & Adelberto Marchione, alijsq; quibusdam Episcopis & Principibus Baioariæ, Heimenburgum reædificant, & magnam Hungarorum copiam se inuadentem prosternunt, & vsq; ad innumerabilis exercitus eorum præsentiam, refugientem persequuntur, cunctisq; agminibus Hungarorum deuictis, immisso terrore terga vertentibus, ad castra, Deo gratias reddentes, reuertuntur.

Ipso autumno dominus Papa Synodum Vercellis collegit, & Hunfridum archiepiscopum, pro quadam inter Rauēnatem & Romanam ecclesiam contentione, ab officio suspendit, indeque Gallias & episcopatum suum Leucorum ciuitatem, reuisit. Quo etiam tempore Agnes imperatrix tandem Imperij filium peperit.

Dominus Papa synodum Romæ post pascha colligit, in qua hæresim Beringerianam, nuper ad apostolicam sedem delatam, damnauit. Item in Autumno synodum Vircellis collegit, in qua eandem hæresim anathemizauit. Quo tempore Agnes Imperatrix filium Imperatori peperit. 1050

1051 Imperator natalem Domini in Saxonia apud Goslare egit, & multos ex Principibus filio suo iureiurando fidem subiectionemq; promittere fecit. Nec multò pòst ipse & dominus Papa cum multis Episcopis & Principibus apud Augustam Vindelicam conuenientes, Purificationem Dei genitricis celebrauerunt, Rauennateq; archiepiscopo apud Papam inibi reconciliato, charitatiuè à se inuicem discedentes, Papa Romam reuertitur, Imperator Nemeti partem quadragesimæ, paschale verò festum Coloniæ demoratur, ibiq; filius eius Henricus ab archiepiscopo Herimanno baptizatur.

Post pascha idem dominus Papa Leo synodum Romæ collegit, vbi inter alia Gregorium Vercellensem episcopum propter adulterium, cum vidua quadam, auunculi sui sponsa, admissum, & periuria perpetrata, absentem & nescientem excommunicauit: quem tamen non multò post Romam venientem & satisfactionem promittentem, officio priori restituit.

Per idem tempus Imperator, Lampertum Comitem rebellare molientem, ad deditionem compulit.

Eadem æstate Bardo Mogontiacensis archiepiscopus obijt, *3 Idus Iunias*, pro quo Imperator Liutbaldum Babinbergensem præpositum constituit. Item, pro Theodorico Constantiensi Episcopo, 10 Cal. Iulias, quinto præsulatus sui anno, post longam ægritudinem defuncto, Rumaldum promouit. Rauennas quoq; archiepiscopus Hunfridus, veneno (vt aiunt) subitò perijt.

Sequenti autumno magno cum exercitu Imperator pactum Andreæ regis, vt per legatos offerebatur, accipere contemnens, Pannonias petijt & deuastauit, Gebehardoq; Ratisponensi episcopo, & Welf, Brezizlaoq; Ducibus, ad septentrionalem Danubij partem depopulandam transmissis, ipse deuecto è nauibus, quantum in equis poterat, sumptu, longo propter fluuiorum illuuionem circuitu, per Carentani fines transiens, peruiumq; regnum inuadens, hac & illac Hungarico exercitu latrocinantium more fugitante, & nusquam æquo Marte conferre manum audente, omnia circumquaq;, quoad sumptus militi suppetebant, vasta reddit. Sed cum laboranti iam penuria & fame exercitui, Hungari reditum parare intercludere, oppositisq; per ripas fluminum præmunitas, vadosasq; paludes copijs suis, omnes se vel ad deditionem cogere, vel inedia minitarentur extinguere: milites interriti hostes per fluuios obsistentes, incunctanter transuadantes fugant, quandamq; munitionem firmissimam ad pontem Rabiniza fluminis structam, in qua maximam hostis fiduciam habebat, quidam ex Burgundionibus, Saxonibus & Polonis milites non sine sui periculo, flumine transito, in breui expugnatam capiunt, cæsis palatisq; Hungaris reliquo exercitui viam pandunt. Qua pertranseuntibus penè cunctis incensa, aliquot de postremis in magno periculo hostibus insequentibus, intercluſit: sicq; redeunte Imperatore, illisq; quos vltra Danubium transmiserat, rebus prospere gestis, iamdudum reuersis, Andreas rex à nostro Marchione Adelberto pacem postulatum mittit, eamque vicissim tribuit.

Ipsis diebus, defunctis vno penè in tempore Lindaugiense & Buochaugiense abbatissis, Iuota nobilis, prudens & religiosa vidua, vtriq; loco recuperando ab Imperatore præficitur.

1051 *Imperator natiuitatem Domini apud Goslare egit, & multos ex Principibus filio suo iureiurando fidem promittere fecit.*

Hunfridus Rauennas archiepiscopus, Domino Papæ apud Augustam reconciliatur.

Post pascha synodum Romæ collegit Leo Papa, vbi Gregorium Vercellensem episcopum, propter quoddam adulterium & periuria perpetrata, absentem & nescientem excommunicauit. Quem tamen postea Romam venientem & satisfactionem promittentem, priori officio restituit.

Eadem æstate Bardo, venerabilis Moguntiæ archiepiscopus, 3 Idus Iunias defunctus, multis claret miraculis, pro quo Luitpaldus. Constantiæ Theoderico episcopo defuncto, successit Rumaldus.

In Au-

In Autumno Imperator regnum Vngariæ deuastauit.

Hoc tempore Tuta, nobilis & religiosa vidua, Buochaugiensi & Lindaugiensi cœnobiis Abbatissa ab Imperatore præficitur.

Imperator natalem Domini Goslare egit, ibiq; quosdam hæreticos, inter alia praui erroris dogmata, Manichæa secta omnis esum animalis execrantes, consensu cunctorum, ne hæretica scabies latiùs serpens plures inficeret, in patibulis suspendi iussit. 1052

Eodem tempore, 5 Idus Ianuarij, mater mea Hiltrudis, Wolfradi Comitis vxor admodum pia, mitis, liberalis & religiosa fœmina, marito septemq; liberis superstitibus, deuoto & felici (vti hominibus apparere poterat) exitu, diem vltimum clausit, anno ætatis circiter 61, coniunctionis verò cum marito 44, & apud villam Aleshausen, sub capella sancti Vdalrici, à se constructa, in sepulchro quod ipsa sibi præparauerat, condita est: cui vt pro Epithaphio hos scriberem versiculos, libuit.

Mater egenorum, spes auxiliumq; suorum,
Hos Hiltrud tumulo debita reddit humo.
Quæ præpollentes generosa stirpe parentes,
Nobilitans, claris extulerat studiis.
Atq; colens castã reuerenter monogamiam,
Vixit, diuinis prona ministeriis.
Ingq; bona Marthæ satagens succedere parte,
Practica quod docuit, vita sequi studuit.
Veste, cibo, lingua, pede, totis nisibus ipsa
Se miseris largam præbuit atq; piam.
Relligione pios præ cunctis fouit amicos,
Cunctis morigeram se dedit & placidam.
Atq; manens mitis, patiens, ac nescia litis
Complacuit mundo, ô vtinamq; Deo.
Carnẽ castigans, precib. loca sancta frequen-
Quærere cælestem sedula sueuit opẽ. (tans.
Crede panegyricis non hæc me fingere vanis,
Nec matrem verbis tollere falsidicis:
Consule rumorem quaquauersum populare,
Dictaq; de veris paucula, certus eris.
Hanc quoq; postremo mera cũ confessio crebro
Purgasset, Domino debita corde pio:
Communita fide, spe tuta, vigens pietate,
Felix hanc vitam deseruit miseram.
Cum mensis Ianus quintas deuoluerat Idus,
Mouit per multas morte sua lachrymas.
Pro qua quæso, precor, peto, postulo, flagito, Le-
Pulses supplicib. vt Dominũ precibus. (ctor
Quatenus ipsius pietate sui miseratus,
Absoluat cunctis mitis eam maculis.
Ingq; beatorum felici sorte suorum,
Largus ei stabilem contribuat requiem.

Sequenti tempore quadragesimali, Imperator Rauennatem archiepiscopum Henricum promouit. Et Nizo Frisingensis episcopus, priùs ex superbissimo vitæ habitu ad humilitatis & religionis speciem conuersus, ac denuò ad pristinæ conuersationis insolentiam reuersus, cum eum iussu Imperatoris Rauennam perduxisset, subita inibi morte perijt.

Imperator paschale festum Nemeti egit, indeq; (vt aiunt) locum illum patris matrisq; suæ sepultura præditum, magis magisq; paruipendens, subiratus episcopoq; loci illius infensus, discessit.

Ijsdem diebus Bonifacius ditissimus Italiæ Marchio, imò tyrannus, insidijs à duobus exceptus militibus, sagittisq; vulneratus & mortuus, Mantuæ sepelitur.

Cum Imperator circa letaniarum tempus Solodori colloquium haberet, quidã ex Burgundionibus offensi, inde discedunt: sed non multò pòst aliqui ex illis ad gratiam eius redeunt. Inde ipse cum Turegi Pentecosten peregisset, in Pannonicam itidem expeditionem proficiscitur, Andreaque rege Hungarorum, minus minusque pro pacto pacis postulando, allegante & promittente, Brezisburg castrum obsedit, & varijs belli machinis diu oppugnatum, Deo obsessis se anxiè inuocantibus opitulante, frustratis semper nisibus, nullo modo capere potuit. Interim dominus Leo Papa ab Andrea accitus, cum pro pace componenda interuenisset, Imperatorem ab obsidione auocauit, eumque sibi per omnia consentaneum inueniens, sed econtra Andream consilijs minus parentem experiens, offensus, eique excommunicationem, vtpote deluſa sede apostolica, minitans, cum Imperatore discessit, & aliquantum cum eo temporis mansit.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 136:Leibn. Marg. 136, Stück 1, [351] - 333

Ipſis diebus Imperatrix iterum filium, quem Conradum poſtea vocauerunt, Imperatori peperit.

Diſcordia inter Gebehardum Ratiſponenſem præſulem, & Conradum Baioariæ Ducem mota & agitata.

Reliquiæ beati Zenonis confeſſoris ex Valthario Veronenſe Epiſcopo in Alemanniam, ad villam Vlmam allatæ, plurimis per hæc tempora claruerunt miraculis.

Conſtantiæ baſilica ſanctæ Mariæ corruit.

1052 *Imperator Goslare natiuitatem Domini agens, quoſdam ibi hæreticos Manicheos, omnis eſum animalis execrantes, conſenſu omnium, ne hæretica ſcabies ſerperet in plures, in patibulo ſuſpendi fecit.*

His diebus Bonifacius Italiæ marchio ditiſſimus, Beatricis nobiliſſimæ Comitiſſæ maritus, à duobus militibus, ſagittis toxicatis, vulneratus, moritur, & Mantuæ honorificè ſepelitur.

Reliquiæ beati Zenonis confeſſoris, à Waltario Veronenſi epiſcopo, in Alemanniam, ad villam Vlmam allatæ, plurimis miraculis claruere.

1053 Imperator cum domino Papa, multiſq; Epiſcopis & Principibus, natalem Domini Wormatiæ egit, vbi cum Papa, ſicut dudum cæperat, Fuldenſem abbatiam, aliaq; nonnulla loca & cœnobia, quæ ſancto Petro antiquitus donata feruntur, ab Imperatore repoſcens, exegiſſet, demum Imperator pleraq; in vltra Romanis partibus ad ſuum ius pertinentia, pro ciſalpinis illi per concambium tradidit. Cumq; idem Papa de Nortmannorum violentijs & iniurijs, qui res ſancti Petri ſe inuito vi tenebãt, multa cõqueſtus eſſet, ad hos etiam inde propulſandos, Imperator ei auxilia delegauit. Ea ſiquidem gens, à temporibus prioris Henrici Imperatoris in Calabriæ, Samniæ, Campaniæq; partes, paulatim ex Gallici oris Oceani aduentitia, confluebat: & quia bellicoſior Italicis gentibus videbatur, primò gratanter accepta, crebrò indigenis contra Græcorum & Sarracenorum incurſiones audacter præliando, auxiliabatur. *Primò gratanter accipitur*, poſtea verò pluribus eorum ad vberem terram accurrentibus, viribus adaucti, indigetes bello premere, iniuſtum dominatum inuadere, hæredibus legitimis caſtella, prædia, villas, domus, vxores etiam quibus libuit vi auferre, res Eccleſiarum diripere, poſtremò diuina & humana omnia (prout viribus plus poterant) iura confundere, nec iam apoſtolico Pontifici, nec ipſi Imperatori, niſi tantùm verbotenus cedere.

Ad horum igitur nefaria & inextricabilia ſcelera illis è partibus eliminanda, indigenaſque ab eis liberandos, dominus Papa animum intendens, ſumma cum charitate ab Imperatore Romam reuerſurus, digreditur. Sequuti ſunt autem cum plurimi Theutonicorum, partim iuſſu Dominorum, partim ſpe quæſtus adducti: multi etiam ſcelerati & proterui, diuerſaſq; ob noxas patria pulſi. Quos ille omnes, tum conſuetæ miſericordiæ nimia compaſſione, tum etiam quia opera eorum ad imminens videbatur bellum indigere, clementer & gratanter ſuſcipiebat. Tranſiens ergo per Alemanniam, purificationem S. Mariæ Auguſtæ egit, Mantuaéque Quinquageſima acta, & nonnullis ſuorum, orto inibi tumultu, occiſis, infra dies Quadrageſimæ Romam peruenit.

Ipſis diebus in Italia quidam lacus, quos Iulius quondam Cæſar quadrato lapide perpetuo (vt putabatur) opere fertur obſtruxiſſe, nimia aquarum inundatione effracti, Narniam flumen, Tiberimq; vltra modum exundare fecêre, ſubitaq; illuuione multa ædificia, ipſe pons Narnienſis dirutus, multiq; mortales abſumpti ſunt.

Imperatore in Saxonia apud *Merſeburg* commanente, cum rege Danorum paſcha egit, ipſiſque diebus Conradum Baioariæ Ducem, cui iam priùs infenſus erat, incuſatum quorundam Principum iudicio, Ducatu priuauit. Quo tempore regni tam primores, quàm inferiores, contra Imperatorem magis magiſque muſſitantes, iamdudum eum ab inchoatæ iuſticiæ, pacis, pietatis, diuini timoris, multimodæque virtutis tenore, in quo de die in diem debue-

debuerat proficere, paulatim ad quæstum & incutiam quandam deficere, multumq; seipso deteriorem fore, causabantur.

Altdorfense cœnobium igne consumitur.

Dominus Papa habita post pascha synodo, contra Nortmannos (vt proposuerat) exercitum mouit: cumque illi pacem petentes, subiectionem seruitiumque illi promitterent, & quæ prius iniustè sibi vsurpantes inuaserant, eius beneficio gratiaque retinere se velle dicerent, idque Papa abnegans, vi & iniuria raptas res sancti Petri reposceret, eosque perperam peruaso cedere loco iuberet: illi quia numero longe præstabant, quasi rem impossibilem sibi propositam refutantes, se potiùs bello obuiam ituros, armisque acquisitam patriam armis defensuros, vel morte occubituros, denunciant. Sicque 14 Calend. Iulij valida pugna confligentes, prima acie à Theutonicis penè victi sunt: sed succenturiatis copijs, ex insidijs nostros circumuenientes, Italis citiùs terga vertentibus, Theutonicis maxima ex parte, sed non inultè occumbentibus, occulto Dei iudicio: siue quia tantum sacerdotem, spiritalis potiùs quam pro caducis rebus carnalis pugna, decebat: siue quòd nefarios homines quàm multos ad se, ob impunitatem scelerum vel quæstum auarum, confluentes, contra itidem scelestos expugnandos secum ducebat: siue diuina iustitia alias quas ipsa nouit ob causas, nostros plectente: quamuis nimis cruentam hostes adepti sunt victoriam. Ipseque dominus Papa in quodam ab eis castello obsessus, cum expugnata iam iamque munitione, necessitate coactus, communionem eis priùs interdictam reddidisset, acceptus ab eis, Beneuentum cum honore reductus est, ibiq; tempore aliquanto detentus, nec redire permissus.

Et hoc & superiori anno frugum penuria facta est, non modica.

Werinharius frater meus Augiensis monachus, admodum doctus, & religioni veræ deditus, iuuenis, cum alio monacho Liuthario, studio vitæ perfectioris flagrans, peregrinationem clàm pro Christo aggreditur, literis remissis licentiam Abbatis postulans & impetrans. Et sequenti tempore, Richardus Renaugiensis abbas, & Henricus item Augiensis monachus hoc exemplum sequuti, relictis, omnibus, idem propositum aggrediuntur.

Imperator Henricus magno apud Triburiam conuentu habito, filium æquiuocum Regem à cunctis eligi, eiq; post obitum suum, si rector iustus futurus esset subiectionem promitti fecit. Ad quem conuentum cum Conradus dudum Baioariæ Dux venire nolens, cum expeditis militibus Regi rebellare moliens, Hungaris se adiungere tentasset, & Carentani fines inuasisset: quibusdam inibi quæ priùs habuerat possessionibus suis, ab Imperatore priuatus est, eas quasi legaliter acquirente. Ibi etiam legati Andreæ regis Hungarorum, pro pace pactoque, cum suffragante Ratisponense Episcopo immensam pecuniam, suæq; prouinciæ partem, & ad expeditiones omnes, præter Italicam, suos ituros promitterent: Imperator ea se accepturum fide data spondens, eos remisit.

Hadamuta de Nuinburgo Abbatissa venerabilis, quæ locum suum priùs penè dilapsum, intra & extra laudabiliter recuperatum in optimum deduxerat statum, aliam pro se designans, & sororibus piè admonitis, vltimum valedicens, 4 Cal. Nouemb. feliciter, ô vtinam, decessit. Hazelinus etiam Babinbergensis episcopus infamis, moriens, locum dedit.

Per idem tempus Conradus dudum Dux ab Andrea rege Hungarorum gratanter susceptus, ei, ne allegatum cum Imperatore fœdus perficeret, dissuasit, & auxilio eius quandam Carentani partem, quorundam etiam Primatum qui eam possidebant machinatione, alijs expulsis primoribus inuasam cœpit. Imperator verò in Baioariam veniens, Ducatum eiusdem prouinciæ filio suo æquiuoco tradidit. Sicque in eadem commorans prouincia, natalem Domini in

villa Ottinga egit, ibique Babinbergensis ecclesiæ præsulatum consobrino suo Adelberoni donauit.

1054 Deinde habito Ratisponæ colloquio, per Alemanniam transiens, & suribus infestus nonnulla eorum conuenticula exuri iubens, Turegi Quadragesimam inchoauit, & per ripales Rheni vrbes paulatim descendens, Mogontiæ paschale festum celebrauit, vbi Theodbaldus Othonis ad eum de Gallijs veniens, & miles eius effectus, auxilium suum illi pollicitus est.

Dominus Papa cum apud Beneuentum diuino intentus seruitio diu demoratus, tandem instante paschali tempore, Romam ægrotans reuersus esset, inualescente in dies languore, glorioso exitu, cunctis priùs benedicens, & admonitis valedicens, sanctoq; Petro peccata sua confessus, & deuotè se illi commendans, 16 Calend. Maias obijt, & in basilica S. Petri iuxta sepulchrum sancti Papæ Gregorij, sepultus, miraculis claruisse memoratur.

Gotefridus iterum contra Imperatorem tyrannidem invasit, Italiamq; latenter adiens, Beatricem Bonifacij quondam Marchionis viduam vxorem accepit.

Finis Chronici Hermanni Contracti. Quæ sequuntur Continuatoris eius esse videntur, quem deinceps integrum subijciemus.

Herimannus, Wolferadi Comitis filius, ab infantia omnibus membris contractus, sed omnes tunc temporis viros sapientia & virtutibus præcellens, in Aleshusan prædio suo defunctus ac sepultus est. Werinherus & Lintherus in Hierosolymitano itinere defuncti sunt.

Conuentus ab Imperatore Moguntiæ factus est, in quo Gebehardus Eistetensium episcopus ab Episcopis electus, Romamq; missus, ibiq; honorificè susceptus, in sequenti Quadragesima, in Cœna Domini, CLIIII Papa ordinatus VICTORIS secundi nomen accepit.

1055 Imperator natalem Domini Goslare celebrauit, ac deinde expeditionem in Italiam parauit, & diem sanctum Paschæ Mantuæ egit, diem autem Pentecostes Florentiæ, ibiq; coram eo, à domino Papa generali synodo habita, multa correcta sunt. Imperator Adalbertum capitali sententiæ adiudicatum, per interuentum Episcoporum dimisit.

Eodem tempore quinquaginta aut eo amplius armati milites à Normannia latenter per mare transeuntes, Nortmannis contra Imperatorem auxilium præbere cupientes, à Picentibus ciuibus capti, atq; ad Imperatorem delati.

Imperator Othonem Nouariensem Episcopum Constantinopolim misit, vbi pro Michaële nuper defuncto, quandam fœminam, totius regni monarchiam tenentem, inuenit, quæ illum sequenti anno, suis etiam legatis adiunctis, amicitiam pactumq; confirmandum Imperatori remisit.

Beatrix Imperatori ad deditionem veniens caussa mariti sui, quanquam data fide, tenetur, filiusq; eius puer Bonifacius hac caussa venire veretur. Sed non multis interpositis diebus cum Imperator ibidem moraretur, idem puer moritur. *Imperator prædictam Beatricem inde abduxit captiuam, quippe multum molestè ferens, Duci Gotefrido esse copulatam.*

Gebehardus Ratisponensis episcopus & Welfus Dux licentiam repatriandi ab Italia impetrauerant, militesq; eorum illis (vt aiunt) ignorantibus, contra Imperatorem coniurauerunt. Quo tempore Welfus dux suis & omni populo admodum flebili morte præuentus, apud Altorfense cœnobium sepultus est.

Obitus Welphonis Carinthiorum Ducis.

Arnoltus Episcopus Nemetensis moritur.

Imperator de Italia per Baioariam rediens, natalem Domini apud castrum Turegum celebrauit, ibique Othonis Marchionis filiam, æquiuoco suo filio desponsauit.

Gebehar-

Anni mũdi.

Gebehardus Ratiſponenſis epiſcopus, ab Imperatore de coniuratione contra ſe facta, victus, primùm in caſtro *Vlſilingino*, dein in *Stofola*, per aliquod tempus ſub cuſtodia tenetur.

Conradus ab Imperatore Nemeti pro Arnolto epiſcopo ſubſtituitur.

Herimannus Agrippinæ vrbis archiepiſcopus, obiit, pro quo Hanno Goslare prius præpoſitus, in archipræſulatum ſucceſſit.

Imperator diem ſanctum Paſchæ* celebrauit.

Eodem anno Sclaui, qui & Liutici dicuntur, terminos Saxonum inſectantes, quàm plurimos eorum principes cum Wilhelmo Marchione peremerunt.

Henricus Imp. domino Apoſtolico ad ſe tempore autumnali inuitato, cùm in Saxonia in Bothfeldino commoraretur, morbo ingraueſcente infirmatus, obiit: anno ætatis ſuæ 39, regni verò 18, imperij 15, indictione decima. Qui inde aſportatus, Nemetumq; translatus, in eccleſia ſanctæ Mariæ, quam ipſe conſtruxerat, adhuc imperfecta, iuxta patrem matremq; ſepultus: & filius eius Henricus quartus, ſeptimum ætatis annum habens, pro eo regni iura ſuſcipiens, à primoribus matri imperatrici educandus, eſt commendatus.

1057 ¶ HENRICVS rex natalem Domini Ratiſponæ celebrauit, 7 Cal. Maias.

Immenſitas niuis & pruinæ magnam partem vinearum perdidit.

Romę Victor II deceſſit: in cuius locum Fridericus, frater Gotefridi ducis, dudum beati Leonis papæ archidiaconus, tunc autem temporis monaſterij S. Benedicti abbas, 155 Papa ordinatus, STEPHANVS nonus eſt nominatus.

Otho dux Alemannorum obiit, cuius ducatum Rudolphus accepit.

Hoc anno lapides miræ magnitudinis, mixti grandine, de cœlo ceciderunt, & nonnulli hominum fulmine perierunt.

Romę Stephanus papa obiit. Romani autem accepta pecunia, quendam Ioannem contra Canones elegerunt, qui ſine conſecratione per aliquot dies ſedens, à Gotefrido duce expellitur, atq; Florẽtinæ ciuitatis epiſcopus, 156 papa ſubſtitutus, NICOLAVS ſecundus eſt vocatus.

Eodem tempore Henr. Auguſt. eps, apud imperatricem ſummũ conſilij locum habuit, q, nonnullis regni principibus, eius inſolentiã non ferentibus, multũ diſpli-

1059 Hoc anno magna mortalitas hominum & peſtis pecorum facta eſt. (cuit.

Orto inter Mediolanenſes & Ticinenſes bello, multi ex vtraq; parte ceciderũt.

Rodolphus Alemannorum dux, Mathildam, Henrici regis ſororẽ, duxit vxorẽ.

Fuldis Eberhardus abbas deceſſit: cui Sigefridus ſucceſſit.

Andreas Pannoniæ rex, cùm prius pacẽ pactũq; per legatos cũ Henr. rege confirmaſſet, etiam ſororem eius minorem, filio ſuo adhuc puero, ſponſam obtinuit.

1060 Henricus Galliarum rex obiit, & filius eius adhuc puer, regnum cum matre gubernandum ſuſcepit.

Liudpaldus Mogontien. archieps deceſſit: cui Sigefridus Fuldis abbas, ſucceſſit.

Conradus Nemetẽſis epiſcopus moritur: in cuius locũ Einhardus promouetur.

Mathildas ſoror regis obiit.

Henricus Palatinus comes in amentiam verſus, cum ſub ſpecie religionis, quaſi ſeculum derelinquens, in monaſterium *Ephtirnacha* ſe contuliſſet, inde abſtractus coniugem ſuam occidit.

Et hoc anno, ſicut in priori, mortalitas multos extinxit. Hyems ſatis dura & niuoſa, & plus ſolito prolixa, frumenti viniq; maximum attulit damnum.

Andreas rex Pannoniarum, cùm à fratre ſuo regnum ſibi circumquaq; vaſtãs, multas iniurias perpeſſus fuiſſet: tandem febre pulſatus, omnes theſauros ſuos in caſtrum Medilhecka, nec non & filium ſuum Henrico regi per Tiedbaldum comitem tranſmiſit.

Magna fames multos conſumpſit.

Gebehardus Ratiſponenſis epiſcopus obiit: cui Otho ſucceſſit.

Conradus qui Carentanis ſolo nomine ducis prefuit, moriens locum dedit: cuius ducatum Bertholdus Sueuigena accepit.

Romæ Nicolao papa defuncto, Romani coronam & alia munera Hẽrico regi

transmiserunt, eumq; pro eligendo summo pontifice, interpellauerunt. Qui ad se conuocatis omnibus Italiæ episcopis, generaliq; conuentu Basileæ habito, eadem imposita corona, Patritius Romanorum appellatus est. Deinde cum communi consilio omnium, Parmensem episcopum, summũ Romanæ ecclesiæ elegit pontificem. Interim dum hæc aguntur, Anshelmus episcopus de Luca, quibusdam Romanis fauentibus, apostolicam sedem sibi vsurpauit. *Annũdi.* 1061

Burkardus & Wezil de *Zolorin* occiduntur.

Ecclesia Nemetensis dedicatur, & Agnes imperatrix, depositis regalibus vestimentis, sacro velamine circundata.

Sexto idus Februarij, terræmotus, fulgura & tonitrua facta sunt: pestilentia & mortalitas subsequuta multos extinxit. 1062

Henricus rex apud Traiectum Frisiæ vrbem, diem Paschæ cum matre imperatrice egit.

His diebus Hanno Agrippinæ Coloniæ archiepiscopus, adnitentibus quibusdam regni principibus, Henricum regem cum lancea & aliis imperij insignibus, à matre imperatrice vi arripuit, secumq; Coloniam adduxit.

Parmensis episcopus dudum electus, Romam consecrandus adiit: cui cum Romani armati occurrerent, ingressumq; prohiberent, multitudo illorum à militibus eius occiduntur, & in Tyberi submerguntur, cæteri fugantur.

Tempore veris, medio mense Aprili, per quatuor dies hyems sæua, ventosa & niuosa, aues & pecora frigore extinxit, arborum & vinearum maximam quoque partem perdidit. 1063

Engilhardus episcopus de *Magdiburg* obiit: cui frater Colonienſis archiepiscopi successit.

Henricus Augustensis episcopus obiit: cui Imbricus successit.

Eodem anno quædam mulier iuxta Cõstantiam infantem, duo capita nec non & cætera membra aduslq; clunes duplicia habentem, peperit.

Hẽricus rex natalem domini Coloniæ celebrauit, diem Paschæ autem Leodij. 1064

Synodus Mantuæ.

Henricus rex natalem Dñi Goslare, diem aũt Paschæ Wormatiæ celebrauit. 1065

Domus regalis Goslari concremata est: quod & factum est, 6 Cal. Aprilis, indictione tertia, & ibidem accinctus est gladio, anno regni sui nono, ætatis autem suæ decimoquarto, & dux Gotefridus scutarius eius eligebatur.

Patauiensis ep̃s obiit: cui Altmannus imperatricis Capellanus successit.

Hoc tempore Sigifridus Mogonciacensis archiepiscopus, Wilhelmus Traiectensis episcopus, & Guntharius Babinbergensis episcopus, Otho Ratisponensis episcopus, cum magno apparatu & comitatu Hierusalem proficiscentes, in eo itinere à paganis multa sunt perpessi: nam & bellum cum eis inire sunt coacti. In eadem via Guntharius obiit: cui Ricimannus simoniacè successit.

Multi nobiles ciuili bello perierunt. 1066

Henricus rex natalem Domini*, Pascha autem apud Traiectum egit.

Eberhardus Treuerensis archiepiscopus, 17 Cal. Maij, sabbato sanctæ Paschæ, completis à se ipsius diei officiis, ipsis sacerdotalibus vestimentis indutus, requieuit in pace. Cui Conradus Colonienſis præpositus, electus à rege, succedere debuit: sed à clero & ciuibus Treuirensibus refutatus est. Vnde quidam comes, de militia Treuirensi, nomine Theodoricus, eundem Conradũ Treuirim tendentem, comprehendit, & diu sub custodia maceratum, quatuor militibus enecandum commisit. Qui dum eum ter per quoddam præcipitium deiecissent, & nihil sibi nisi brachium collidere possent, vnus ex illis pœnitentia ductus, ab eo veniam impetrauit. Alius autem volens eum decollare, maxillam eius tantùm abscidit. Et sic ipse Deo dignus martyr, ad Dominum migrauit, Calend. Iunij, sepultus ad abbatiam quandam Doleiam. Tres autem milites mortis illius authores, digna vltio postmodum subsequuta est: nam vnus eorum acceptum cibum deglutire non valens, alij duo manus suas lacerantes, ad Claustra inferni descenderunt.

FINIS.

CHRO-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 136:Leibn. Marg. 136, Stück 1, [356] - 338

IIII

CHRONICON RERVM GESTARVM POST HERMANNI CONTRACTI OBITVM, HENRICO QVARTO ROMANVM IMPERIVM GVBERnante, ab anno Domini M.LIIII, vsque ad eius seculi finem, annis continuis quadraginta sex:

AVCTORE

BERTOLDO PRESBYTERO CONSTANTIENSI, & Pœnitentiario apostolico, eius ævi συγχρόνῳ.

Typis nunc primùm excusum.

DE AVCTORE HVIVS APPENDICIS, CENSVRA.

CVM ab amplissimo viro D. Francisco Rechburgero, tribuno plebis Basiliensis, hancce ad Hermannũ appendicem primùm accepissem: diligente quidẽ manu eã trãscriptam offendi, verùm planè ἀνεπίγραφον καὶ ἄπιλον, vt auctoris nomen diuinando mihi vestigandum fuerit. Perlecta igitur rerum in ea contentarum serie, illico deprehendi, scriptorem hunc ei ævo fuisse contemporaneum, quo ingens istud inter pontifices Romanos & Henricum quartum Imp. schisma, de episcoporum inuestituris obortum, Christianorum rempub. multis annis periculosè exercuit; quando alij (vt diuersa sunt hominum iudicia) excommunicationis fulmine spreto, Henrici partes tutabantur: alij de Pontificum auctoritate persuasi, religioni sibi ducebant, ei qui apostolicam imò Christi vicariam sedem teneret, refragari. Ac in isto tam ferali orbis dissidio auctorem hunc pontificiæ caussæ propugnatorem acerrimum egisse, liquet: vnde ab episcopo Ostiensi, pontificis in Germania legato, anno 1084 Constantiæ, non solum presbyterij honores, sed & principali nomine potestatem accepit, resipiscentes, hoc est à Cæsaris partibus ad pontificis factionem desciscẽtes, per iniunctam pœnitentiã in Catholicorũ gremiũ recipiendi. Hinc quoq; pontificis dicto parentes, catholicos, S. Pet. fideles, milites Christi & ecclesiæ propugnatores: reliquos Imp. fauentes, schismaticos, hæreticos, excommunicatos, Guibertistas ac Henricianos subinde appellat. Idem quoq; vnà cum Gebhardo è Zeringensibus ducibus episcopo Constantiensi (cui postea papæ legatus abiens, in confirmãdis catholicorum animis, suas per Germaniam partes demandauerat) ei prælio interfuit, quod anno 1086, ab Henrico contra pontificios, Sueuos maximè, in Ostrofrancis infeliciter commissum est. Ex quibus omnibus arbitror me non ineptè conijcere, hunc eum esse, quo & Cuspinianum vsum esse constat, Bertoldum eum appellans, dum in Henrico quarto sic inquit: Si quis acta Henrici quarti copiosiùs videre cupiuerit: is adeat annales Bertholdi, qui Hermannum Contractum continuauit: qui abundè nimium de eo scripsit, sed illi malè affectus. Quæ Trithemius de ipso memoriæ prodidit, subijcere placuit.

BERNOLDVS presbyter ecclesiæ Constantiensis in Sueuia, natione Teutonicus, vir deuotus, & in scripturis sanctis studiosus & eruditus, atq; in disciplina secularium literarum sufficienter instructus, ingenio clarus & comptus eloquio, reliquit studij sui nonnulla opuscula, quæ tamen ad notitiam nostræ lectionis minimè venerunt. Hic ad vtilitatem ecclesiasticæ reipub. composuisse dicitur volumen, quod prænotauit, Ordinem Romanum. Claruit temporibus Henrici quarti, anno Domini 1060.

BERTOLDI PRESBYTERI CONSTANTIENSIS CHRONICON, A HERMANNI CONTRACTI OBITV INCHOATVM, ET *ad annum ſalutis M.C vſque perductum.*

ANNO M. LIII.

IMperator cum domino Papa natiuitatem domini Wormatiæ agit. Vbi cùm Papa (ſicut dudum cœperat) Fuldenſem abbatiam, aliaq; nonnulla loca & cœnobia, quæ ſancto Petro antiquitus donata feruntur, ab Imperatore repoſcens, exegiſſet: demum Imperator plæraq; in vltra Romanis partibus, ad ius ſuum pertinentia, pro Ciſalpinis, illi quaſi per concambium tradidit, eiq; contra Nordmannorum violentiam propulſandam, auxilia delegauit. Ea ſiquidem gens à temporibus prioris Heinrici Imperatoris, in partes Calabriæ, Samniæ, Campaniæq; confluxit. Et quia indigenis contra Græcorum & Sarracenorum incurſiones audacter prœliando, auxiliabatur, primò gratanter accipitur. Poſtea verò pluribus eorum ad vberem terram concurrentibus, viribus adaucti, ipſos indigetes, & res eorum violenter poſſedêre. Vnde dominus Papa cum plurimis Teutonicorum rediens, poſt Paſcha contra Nordmannos exercitum mouit. Sed exercitu eius partim fugato, partim occiſo à Nordmannis: ipſe Papa in quodam caſtello ab eis obſeſſus, cum expugnata iam munitione neceſſitate coactus, communionem eis priùs interdictam, reddidiſſet: acceptus ab eis, Beneuentum cum honore tamen reducitur, ibiq; ne rediret aliquandiu detinetur.

Cambium inter Papã & Imperatorem.

Normanni in Calabria

Imperator Heinricus habito conuentu apud Triburiam, filium æquiuocum regem à cunctis eligi, eiq; poſt obitum ſuum, ſi Rector iuſtus futurus eſſet, ſubiectionem promitti fecit.

Heinricus 4 rex Romanorum.

Hazilinus etiam Babembergenſis epiſcopus infamis moritur.

M. LIIII.

IMperator Adalberonẽ conſobrinum ſuum, in villa Otinga, vbi natiuitatem Domini egit, Babenbergenſi eccleſiæ præfecit.

Dominus Papa tandem, inſtante Paſchali tempore, Romam reuerſus, ægrotãs, glorioſo exitu, cunctis prius benedicens & admonitis valedicens, ſancto q; Petro peccata ſua confeſſus, & deuotè ſe illi commendans, XVI Kal. Maij obiit, & in Baſilica S. Petri iuxta ſepulchrum S. Gregorij ſepultus, miraculis claruiſſe memoratur. Pro quo Gebehardus, Victor II nominatus, Papa CLV, ſedit tribus annis. Huic ſubdiaconus toxicum in calicem miſit, quem cum ipſe poſt conſecrationem leuare vellet, nec poſſet, à domino cauſam facti inquiſiturus, cum populo ad orationem proſternitur: ſtatimq; toxicator à Dæmonio arripitur. Ita ergo cauſa manifeſtata, dominus Papa calicem cum ſanguine dominico cuidã altari iuſſit includi, & pro reliquiis in perpetuum conſeruari. Deinde cum populo ad orationem tamdiu proſternitur quouſque Subdiaconus à dæmonio liberaretur.

Victor ſecundus Papa.

Herimannus, Wolferadi comitis filius, ab infantia omnibus membris Contra-

Hermãnus Contr. mors tur in Alsch hausa. ctus, sed omnes tunc temporis viros sapientia & virtutibus præcellens, in *Aleshusen* prædio suo defunctus, ac sepultus est.

Balduinus Imperatori rebellat.

Godefridus clam ingressus Italiam, dominã Beatricem, viduam Bonifacij Marchionis, sibi in coniugium copulauit.

M. L V.

IMPERATOR Italiam visitat, & prædictam Beatricem inde abduxit captiuam, quippe multum molestè ferens, duci Gotefrido esse copulatam.

Welph dux Carinthiorum obiit.

M. L V I.

Berẽgarius Turoni damnatus. VICTOR Papa misso Hildebrando tũc Archidiacono, sed postea Apostolico, Synodum Turonis generalem collegit, in qua Beringarius Andegauensis ecclesiæ Canonicus, à quo Beringeriana hæresis denominatur, synodaliter & præsentialiter pro eadem hæresi examinatur. Qui cum se defendere non posset, hæresin suam coram omnibus anathemisauit & abiurauit, secundum formam, quam sancta & vniuersalis synodus Ephesina præscripsit.

M. L V I I.

Heinrici 3 Imp. mors. HEINRICVS Imperator filium suum iam regem factũ, Principibus regni commendans, obiit III Non. Octob. pro quo Heinricus filius eius admodum puer, cum matre sua Agnete cœpit.

Romæ post Victorem, Fridericus frater Godefridi, dudum beatæ memoriæ Leonis papæ Archicapellanus, ex clerico monachus factus, postea abbas in monte *Stephanus 9 Papa.* Cassino promotus, Stephani noni nomen adeptus, papa CLVI. præfuit IX mensibus. Hic omnes Romanos clericos ab ecclesiastico conuentu separauit, qui post interdictum beati Leonis papæ, incõtinentes extiterant. Sic enim piæ memoriæ Petrus Damiani, cardinalis episcopus suis in literis testatur.

M. L V I I I.

Benedictus septimestris Papa. ROMÆ post Stephanum quidam Benedictus contra canones priuata quorũdam gratia ordinatus, sine consecratione mensibus VII præfuit ecclesiæ: qui à Godefrido duce expellitur, & Gerhardus Florentiæ episcopus, secundus Nicolaus vocatus, *Nicolaus 2 Papa.* papa CLVII, præfuit annos ferè tres. Qui constituit, vt qui tunc à Simoniacis essent gratis promoti, ministerio suo permitterentur vti. Deinceps autem quicunq; à simoniacis ordinarentur, nihil tali promotione lucrarentur. Hunc etiam papa Petrus Damiani, piæ memoriæ episcopus, ad corrigendam iuxta Canones clericorum incontinentiam, prouocauit.

M. L I X.

Fridericus & frater eius de Glichberga, Heinrico regi rebellant.

M. L X.

Berengarij dogma damnatum. ROMÆ Nicolaus papa generali synodo præsidens, Berengarium præsentialiter & synodaliter pro hæresi sua iterum examinauit: qui tandem quasi conuersus, libros suos hæreseos coram Synodo concremauit, & eandem hæresin, vt prius iurando anathemisauit.

M. L X I.

Concilium Basilense. ROMÆ Nicolao papa defuncto, VI Calend. Augusti, Romani Heinrico regi, eiusdem nominis quarto, coronam & alia munera mittentes, de summi Pontificis electione regem interpellauerunt. Qui generali Concilio Basileæ habito, impositam coronam à Romanis transmissa, Patricius Romanorum est appellatus. Deinde communi omnium consilio, Romanorum q; legatis eligentibus, Chadelo Parmensis episcopus VII Calend. Nouembris, Papa eligitur, & Honorius appellatur, papatum nunquam

Chadelo Parmensi, antipapa.

quam possessurus. Sed vigesimo septimo die ante eius promotionem, Lucensis episcopus, nomine Anselmus, à Nortmannis & quibusdam Romanis Papa CLVIII ordinatus, Alexander vocatur, sedit annos XII. Qui satis strenuè simoniacam hæresin destruxit, & ministris altaris cum coniugibus coire, iuxta Canonum statuta, cum excommunicatione interdixit, ipsosq; laicos clericorum incontinentium officia audire, per bannum prohibuit: sicq; clericorum incontinentiam satis prudenter refrenauit. Huius autem constitutionis maximè fuit auctor, Hildebrandus tunc Romanæ ecclesiæ archidiaconus, hæreticis maximè infestus. *Sacerdotib. coniugium interdictũ.*

M. LXII.

HIs temporibus fames magna fuit.

Magna dissensio facta inter imperatricem Agnetem, & Gundbarium Babenbergensem episcopum.

M. LXIII.

HEINRICVS rex exercitum in Pannoniam mouens, Salomonem, filium Andreæ regis, in regnum patris sui restituit. *Expeditio Vngarica.*

Heinricus Augustensis episcopus obiit, pro quo Imbrico.

Cædes magna Goslare contigit in ecclesia rege præsente.

M. LXIIII.

DOMVS regalis Goslare concremata est, eodem anno ab incarnatione Domini M.LXV, quando & Pascha celebratum est VI Calendas Aprilis, in qua die & Christus resurrexit, tertio die Paschalis Hebdomadæ, IIII Calend. Aprilis, indictione tertia.

Rex Heinricus anno regni sui nono, ætatis suæ XIIII, accinctus gladio, in nomine Domini.

Patauiensis episcopus obiit, cui Altimannus Imperatoris Capellanus successit.

Hoc tempore Sigefridus Maguntinensis archiepiscopus, & Gundbarius Bambergensis episcopus, & Otto Ratisponensis episcopus, & Wilbehelmus Traiectensis episcopus, cum magna multitudine Hierosolymam profecti, in eo itinere à Paganis multa sunt perpessi. Nam & bellum cum eis inire coacti sunt. In eodẽ itinere Gundharius obiit, cui Ricimannus simoniacè successit. *Germanorũ in terram sanctam expeditio.*

M. LXV.

MVLTI nobiles bello ciuili perierunt. Cometæ sunt visi, in octaua Paschæ, VIII Cal. Maij, & per triginta dies apparuêre.

Eberhardus Treuerensis archiepiscopus, XIII Calend. Maij, sabbato sancto Paschæ, completis à se ipsius diei officiis, ipsis sacerdotalibus vestibus indutus, requieuit in pace. Cui Cuonradus Coloniensis præpositus debuit succedere, sed à ciuibus non est electus. Vnde quidam comes, nomine Theodoricus, eundem Cuonradum ad vrbem Treuerorum tendentem, comprehendit, & diu sub custodia maceratum, quatuor militibus necandum commisit. Qui dum eum tunc per quoddam præcipitium deiecissent, & nil sibi nisi brachium collidere possent: vnus ex illis pœnitẽtia ductus, ab eo veniam impetrauit. Alius verò volens eum decollare, maxillam eius tantùm abscidit, & sic ipse dignus Deo martyr ad Dominum migrauit. Passus est autem Cal. Iunij, anno ab incarnatione Domini, M.LXVI, regni verò Heinrici X, sepultus apud Abbatiam, nomine Doleiam. Tres autem milites mortis huius serui Dei authores, digna vltio postmodum subsequuta est: nã vnus eorum acceptum cibum deglutire non valens, alij duo manus suas lacerantes, ad claustra inferni descenderunt. *Conradi electi Treuirẽsis fatum.*

M. LXVI.

VDo post interfectum Conradum præsul Treuerensis constituitur.

Nuptiæ Heinrici regis.

Item Cometa visus est.

Petrus Damiani præsul Ostiensis

His temporibus venerabilis Petrus Damiani, ex heremita Cardinalis episcopus, multa conscripsit, & incontinentiam sacerdotum satis rationabiliter in scriptis suis confutauit, ordinatos autem à Simoniacis, vt aiunt, nimium clementer tractauit.

Hugo Bizantiensis archiepiscopus obiit, cui eiusdem ecclesiæ Canonicus à fratribus electus, à rege substituitur.

Einhardus Spirensis episcopus, in itinere Romano obiit, cui Henricus successit.

M. LXVII.

SAXONIA ciuili laborat discordia.

Nortmanni adire Romam voluerunt hostiliter.

Burchardus Halberstatensis episcopus Leuticorum gentem viriliter deuastauit.

M. LXVIII.

HEINRICVS rex adolescentiæ suæ errore seductus, legitimæ coniugis adeò obliuiscitur, & tam nefandis criminibus inuolutus esse diffamatur, vt etiam Principes eius eum regno priuare molirentur.

Totus ille annus pluuialis.

M. LXIX.

PAX & reconciliatio in populo, in natiuitate Domini apud Goslare, regali edicto, sub sacramento sunt confirmatæ.

Heinricus rex gentem Leuticorum deuastat.

Dedo marchio Saxonicus regi Heinrico rebellat: sed postmodum coactus ad deditionem venit.

Vdalricus abbas Augiensis obiit: pro quo Meginhardus.

Constantiæ episcopus Romaldus obiit: cui Carolus per simoniacam hæresin in episcopatum successit.

Godefridus dux inter seculares excellētissimus, & in recordatione peccatorum suorum ad compunctionem lacrymarum facillimus, in erogatione eleemosynarum largissimus, in vigilia natiuitatis Domini satis laudabili fine requieuit.

M. LXX.

FRANCIA ciuili laborat discordia.

Bauarum à Cæsare ducatu priuatum.

Otto dux Baioariæ, regi Heinrico rebellat, & Magnus filius Ottonis ducis Saxoniæ aquilonialis: sed rex prædictum Ottonem, cùm legitimè ad satisfactionem vocatus, nollet venire, Ducatu priuauit.

Meginhardus sponte dereliquit Augiensem abbatiam: post quem quidam Rudbertus, indignè eidem abbatiæ præfectus, dignè postmodum est expulsus.

Hyems ventosa & pluuialis.

M. LXXI.

WELF dux Baioariæ efficitur.

Heinricus rex multas insidias passus, viriliter omnes transiuit.

Bauarum Cæsari supplex.

In Pentecoste, Otto iampridem dux Baioariæ, cum sociis suis regi Heinrico ad deditionem venit sua spōte: anno incarnationis domini M.LXXI, regni autem Heinrici decimo quinto, ætatis verò vicesimo, indictione nona, tertia feria eiusdem hebdomadæ, XVIII Calend. Iulij.

Carolus qui Constantiensem episcopatum simoniacè adquisiuit, quiq; thesauros eiusdem ecclesiæ, vtpote sacrilegus fur, in suos vsus dispersit, habito consilio Moguntiæ, ex præcepto papæ Alexandri, prædictus Simonis discipulus, nondum consecratus deponitur: quippe cùm à clericis Constantiensibus ibidem accusatus, obiecta negare non posset: cui successit in episcopatu Otto.

M. LXXII.

HEINRICVS rex penè sine difficultate bellorum sibi reluctantes superauit.

Petrus Damiani piæ memoriæ Cardinalis episcopus, iamdudum mundo cruci-

crucifixus, migrauit ad Dominum, VIII Calend. Martij: cui dominus Geroldus, reuera monachus, scientia scripturarum insignis, & moribus suo prædecessori non impar, in episcopatum successit.

Adalbertus Haminburgensis siue Bremensis archiepiscopus obiit: cui Leomarus successit.

Rex multa sibi munitissima castella construxit in partibus Saxoniæ & Thuringiæ, & multas sibi munitiones iniustè vsurpauit: vnde multorũ animos contra se excitauit.

M. LXXIII.

RVDOLFVS Dux Alemanniæ, & Bertolfus dux Carinthiorum, & Welph dux Baioariæ, à rege Heinrico discesserunt: quia aliis subintroeuntibus consiliariis, suum consilium apud regem non valere perspexerunt. *Principum aliquot à Cæsare discessio.*

Theodoricus comes pœnitentia ductus pro facinore, quod in Conradum Treuerensium prælulem deputatum commisit, licet multa pericula obstarent, ardenti tamen fide cum aliis multis Hierosolymam cœpit ire. Qui cum mare nauigio intrarent, subita tempestate circumuenti, statim obtenebrata die, quò irent incerti, cœlesti lumine sæpius exhilarantur. Deinde non iam mortem in periculis timentes, sed vitam æternam præmeditantes, marinis fluctibus emundati à peccatorum sordibus, migrauerunt ad Dominum, XIII Calend. Martij: quippe Theodoricus comes, Widerol-
dus, Marquardus, cum aliis CXIII.

Romæ Alexander papa decessit: pro quo venerabilis Hildebrandus, Romanæ ecclesiæ archidiaconus, communi omnium consilio expetitur papa constituendus. Quo audito, ipse archidiaconus se viribus esse imparem tanto honori, imò oneri, reputans, inducias respondendi petiit, & sic fuga elapsus, aliquot dies ad vincula S. Petri occultatus, latuit. Sed tandem vix inuẽtus, & ad apostolicam sedem vi perductus, papa CLIX, septimo Calend. Maij ordinatur, & Gregorius VII appellatur: cuius prudentia, non solùm in Italia, sed etiam in Teutonicis partibus, refrenata est sacerdotum incontinentia: scilicet, quod prædecessor eius in Italia prohibuit, hoc ipse in tota ecclesia Catholica prohibere studuit. *Hildebrandus qui & Gregorius 7 pontifex.*

Tota Thuringia & Saxonia regi Heinrico rebellant, propter prædictas munitiones & alia multa, quæ contra voluntatem eiusdem populi rex in eorum regione fecit inconsultè. *Thuringi & Saxones Cæsari rebelles.*

Eggehardus tandem abbas Augiensis efficitur, & à prædicto papa Romæ consecratur. *Eckhardus comes à Nelenburg.*

M. LXXIIII.

HEINRICVS rex absentibus sui regni principibus eo pacto pacificatur cum Saxonibus, vt munitiones prædictæ destruerentur, propter quas seditio orta est, quæ & postea sunt destructæ.

Rudolfus dux & cæteri reconciliantur regi.

Hoc tempore legati sedis apostolicę in Alemanniã ad regem venêre, pro ipsius regis moribus corrigendis, in quorum manus se rex ipse, sub correctionis sponsione, commisit, suumq; auxilium domino Apostolico, ad deponendos simoniacos, firmissimè promisit. Ipsi etiam regis consiliarij omnes res ecclesiarum iniustè acquisitas, se reddituros coram eiusdem legatis, sub sacramento promisêre: quippe qui easdem res à simoniacis emerint, consilio suo eosdem indignos ad ecclesiasticum honorem adiuuando. His ita dispositis, legati sedis Apostolicæ rediêrunt. *Pontificis ad Cæsarem legatio.*

Hermannus marchio, filius Bertoldi ducis, Cluniaci vitam angelicam arripiẽs, perfectissimè adhuc adolescens, vxore & vnico filio, & omnibus quæ possederat derelictis, verè monachus, migrauit ad Dominum, VII Calend. Maij. *Hermãnus Zaringẽsis, Bertoldi 1 filius, moritur.*

M. LXXV.

HEINRICVS rex natiuitatem Domini Argentorati fecit: expeditionem in Saxoniam ordinauit.

Hermannus Babenbergensis episcopus, à clericis suis pro simoniaca hæresi accusatus, à Papa deponitur, cui Rudbertus substituitur.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 136;Leibn. Marg. 136, Stück 1, [363] - 345

Synodus Romana. Gregorius Papa in prima hebdomada Quadrageſimę ſynodum Romæ collegit, in qua cauſſam epiſcopi Spirenſis, ſed ſimoniaci, examinauit: qui ipſa die cùm examinaretur cauſſa eius Romæ, id eſt VI Calend. Martij infirmatus eſt Spiræ, ſed deinde 4 Calend. Martij miſerabiliter expirauit, quando & à Gregorio Papa definitam ſuæ damnationis ſententiam in Romana ſynodo excepit.

In eadem ſynodo decretum eſt à Gregorio Papa, vt clerici aliquem ſacrorum ordinum, gradum, & officium pretio adepti, deinceps in eccleſia non miniſtrẽt, nec eccleſiam pretio acquiſitam aliquis retineat, nec deinceps alicui eccleſiam vendere & emere liceat. Deinde vt à clericali officio ceſſent, quicunq; ſe per incontinentiam reprehenſibiles exhibent. Item, vt populus clericorum officia nullatenus recipiat, quos prædictas apoſtolicas inſtitutiones contemnere percipiat.

Cælibatus ſacerdotum approbatus.

Rex Wormatiæ Paſcha celebrauit.

Poſt Pentecoſten exercitum in Saxoniam promouit, in qua expeditione innumerabilis multitudo VI Idus Iunias, iuxta flumen nomine Onſtrût, vtrinq; ceciderunt, & multi ex Saxonibus regi ad deditionem venerunt.

Detuinus Leodienſis epiſcopus deceſſit: cui Henricus ſucceſſit.

Aimo venerabilis Colonienſis archiepiſcopus miræ ſanctitatis, requieuit in pace, 11 nonas Decembris: cui Hiltolfus impar genere & moribus, ſucceſſit.

M. LXXVI.

REx natiuitatem Domini Goslare celebrauit, ibiq; quoſdam iurare compulit, vt filium eius poſt ipſum eligerent ad regnum.

His temporibus Heinricus rex per ſimoniacam hæreſin ſanctam eccleſiam fœdare nõ ceſſauit, ſcilicet pro pretio epiſcopatus, abbatias, & alia huiuſmodi inueſtiendo, & inter alia crimina etiam excommunicatis communicando.

Cincius quidam Romanus ciuis, Gregorium Papam, die natiuitatis Domini, Miſſarum ſolennia celebrantem, comprehendit: quem ita comprehenſum quidã ex militibus eiuſdem Cincij occidere deſtinauit: ſed cùm gladium ſupra caput eius vibraret, nimio terrore correptus, corruit, nec incœptum ictum explere potuit.

Greg. pontifex capitur. Cincius autem Papam in turrim ſuam captum deduxit, quę poſtea ſtatim à Romanis penitus dilapidatur, & Papa prudenter eripitur, qui & ſuo captori vix à Romanis vitam impetrauit.

Cùm autem rex iamdudum ſæpe à Papa pręmonitus, ſe corrigere nollet, & Papa in admonendo nihil proficeret: ad vltimum mandauit ei, quòd in Romana ſynodo proxima eum excommunicaturus eſſet, niſi reſipiſceret. Quæ legatio in octaua natiuitatis Domini ad regem peruenit. Vnde rex in ſeptuageſima apud Wormatiã colloquio facto, & alio in Lombardia apud Placentiam, omnesq; quos potuit obediẽtiam prædicto Papæ exhibendam, abiurare fecit: & miſſa legatione ad Romanã ſynodum, quæ in proxima Quadrageſima celebrata eſt, ipſum Apoſtolicum ab apoſtolica ſede contumaciter iuſſit deſcendere. Sed miſſi eius turpiſſimè in ſynodo tractati, vix à Romanis, adiuuante Papa, euaſerunt. Ipſum autem regem, ſynodo iudicante, fidelitate hominum, regno & communione priuauit, & omnes ei ad regnum iuratos, iuramento abſoluit. Omnes epiſcopos, qui regi ſponte contra Papam fauerunt, officio & communione priuauit: reliquis autem, qui inuiti eidem conſpirationi intererant, vſque ad feſtiuitatem ſancti Petri, inducias dedit.

Cæſari imperij faſces abrogati.

Godefridus dux, filius Godefridi ducis, particeps imò autor ſupradictæ conſpirationis turpiter à quodam coquo, per poſteriora, cùm ad neceſſarium ſederet, vulneratus, ante medium noctis expirauit. Item, Wilhelmus Traiectenſis epiſcopus, multa in apoſtolicum conuiciatus, ſubitanea morte, abſq; eccleſiaſtica communione, poſt Paſcha multatur: cui Conradus ſubrogatur. Iam omnes penè Principes reghi à communione Heinrici ſe ſequeſtrârunt.

Conuentus imperij Oppenheimij. Menſe igitur Octobri colloquium apud Oppenheim à Principibus regni colligitur, cui legatio ſedis apoſtolicæ interfuit. Ibi Heinricus in purificatione S. Mariæ tũc proxima, ſe præſentandum domino Papę apud Auguſtam, firmiſſimè promiſit. Nam & illuc dominum apoſtolicum ipſe cum principibus regni inuitauit.

Frater

Frater Kadalaus ex ſeculari militia conuerſus, ad Oppenheimenſe colloquium legationem papæ detulit, quam eidem, multùm ægrotante papa, in remiſſionem peccatorum omnium impoſuit. Expleta igitur legatione, frater Kadalaus ſuſcepto monachi habitu, ſub Euangelica perfectione requieuit in pace.

M. LXXVII.

DVx Poloniæ ſe in regem coronauit. *Regnum Poloniæ.*

Maxima nix totum regnum ante Calend. Nouemb. anni prioris, vſque in VII Calend. Aprilis anni præſentis obtinuit.

Heinricus rex dictus, propriæ cauſſæ diffidens, & idcirco generalem autoritatem ſubterfugiens, furtiuè Italiam contra papæ præceptum & conſilia principum, intrauit, & Apoſtolico ad condictum diem Auguſtam tendenti, ante purificationem ſanctæ Mariæ Caniſii obuiauit: vbi & ab eo per inauditæ humiliationis ſimulationem, vtcunq; potuit, non regni ſed communionis tantum conceſſionem, vix demum extorſit: dato tamen priùs ſacramento, vt de obiectis criminibus ad iudicium papæ ſatisfaceret, nec papæ & alicui eius fideli vſquam eunti & redeunti, aliquam inferre moleſtiam conſentiret. Hoc autem iuramentum nec XV dies obſeruauit, captis venerabilibus epiſcopis, Geraldo Oſtienſi, & Anſelmo Lucenſi. Vnde & papa miſſis legatis principibus regni declarauit, ſe parum profeciſſe in eo, quòd illum in cõmunionem receperit, cum ſimoniaci & excommunicati non minus tũc fouerentur ab eo, quàm pridem. His ergo auditis, principes regni generali colloquio apud Forcheim 3 idus Martij habito, egregium Rudolfum ducem ſibi in regem ſublimârunt, quem 7 Cal. Aprilis, vbi eo anno medium Quadrageſimæ occurrit, coronârunt. *Henr. Cæſar Pontifici reconciliatur.* *Rudolphus Rinfeldenſis rex Romanorum.*

Maxima autem nix, quæ eo anno tamdiu totam terram obtexit, in electione noui regis reſolui tandem incœpit.

In die autem conſecrationis eius, per ſuggeſtionem ſimoniacorum clericorum, maxima ſeditio Moguntiæ orta eſt: ita vt etiã palatium irrũpere vellent, & religioſiſſimos clericos & monachos occidere. Sed dextera Dei milites noui principis, licet inermes, ita protexit, vt nullum, ne vnum ex ſuis perderent: ex aduerſariis autem plus quàm centum partim ferro, partim aqua necarentur. Quibus etiam pro homicidiis huiuſmodi, à legatis Apoſtolicæ ſedis talis pœnitentia impoſita eſt, vt ſinguli aut XL dies ieiunarent, aut quadraginta pauperes ſemel paſcerent, nec tamen eccleſiaſticam communionem quaſi homicidæ vitarent. *Seditio Moguntiæ.*

Rudolfus rex poſt conſecrationem in Sueuiam ſecedens, regnum ſibi ſubiugauit: interim Heinricus Longobardiæ morabatur. Ad quem Cincius ciuis Romanus, ſecum ducens captum venerabilem Cumanum epiſcopum, nomine Reginaldum, Papiam venit: quippe remunerari volens à Heinrico, eò quòd in ſeruitium hunc modò epiſcopum, & in præterito anno dominum Apoſtolicum, captauerat. Sed ibi ſubitanea morte præuentus, debitam remunerationem accepit, quam tot ſacrilegiis promereri non timuit.

Heinricus audita promotione Rudolphi, auxilium Papæ contra illum implorauit, licet ſupradictum Oſtienſem epiſcopum in captione adhuc teneri permiſerit. Vnde & papa illi reſpondit: Se nõ poſſe eius interpellationi ſatisfacere, quamdiu apud illum ſanctus Petrus in legato ſuo ligatus teneretur. Fruſtrata ergo ſupplicatione ſua, animum in tyrannidem conuertit, nec iam regnum per iuſtitiam, ſed per violentiam obtinere cogitauit.

Rex autem Rudolfus apud Auguſtam glorioſiſſimum Paſcha celebrauit, cum legatis Apoſtolicæ ſedis, ex quibus vnus, religioſiſſimus ſcilicet abbas Bernhardus, Romam dirigitur, ſed ab Vldarico, comite de Lentzburg, Heinrici complice, captus & prædatus, annum penè dimidium in captiuitate manſit, quem Cluniacenſis abbas de manibus Heinrici vix demum eripuit. *Vlricus de Lentzburg comes.*

Rex autem poſt Paſcha generale colloquium apud Ezzelingen cum principibus regni collegit, quo ſoluto, ipſe cum admodum paucis, ad obſidendũ quoddam caſtellũ perrexit. Sed ecce ex improuiſo æmulus eius Henr. cũ maxima multitudine Bohe- *Conuentus imperij Eſslinga.*

morum & Baioariorum aduenit, quos cum rebus ecclesiarum de repete sibi comparare potuit. Quibus libentissimè rex cum ipsis paucis, quos eo tempore habuit, obuiasset, si non Principes eius hoc in aliud tempus differēdum cautiùs iudicassent. Henricus igitur accepta occasione, omnia circumquaq; præda, ferro, & igne non cessauit deuastare. Nam fautores eius ex Bohemia, homines libentiùs quàm pecudes prædabantur, vt eos vsq; ad satietatem suæ libidinis inhumanæ prostituerent, & postea inhumaniùs eos Cynocephalis deuorandos venderent.

Rex autem Rudolfus, celebrata Pentecoste apud cellam S. Aurelij, legatum quendam ad Apostolicum direxit, & ipse in Saxoniam properauit.

Eo tempore Heinricus imposita sibi corona apud Vlmam, interdictum regnum vsurpauit: vbi & prædictum comitem Vldaricum de Lentzburg, vt optimè promeritum, in beneficiauit, eò quòd venerabilē abbatem Bernhardum, apostolici legatum, adhuc in captione cruciaret.

Wercellensis quoq; episcopus, depositi regis cancellarius, cum omnibus suis sequacibus, colloquium generale circa Calendas Maij in Runcalibus condixit, vt si aliquo modo posset, Gregorium papam deponeret: sed ipse ad eundem terminum absque ecclesiastica communione, vitam simul & episcopatum heu miserabiliter deposuit, quo ille papam nefaria præsumptione statuit deponere. Non multò post eius interitum, præfectus Romanæ vrbis, indefessus miles S. Petri cōtra schismaticos, à quodam fautore Heinrici crudeliter occiditur: ad cuius corpus in paruo tempore, plus quàm viginti miracula contigerunt, vt fidelium virorum relatione didicimus.

Imbrico Augustensis episcopus, qui in præterito Pascha Rudolfo regi fidelitatem iurauit, nil de periurio curans, Heinrico aduenienti adhæsit, & apud illiu quadam die Missam faciens, hanc sibi conditionem miser imposuit, vt sacræ oblationis perceptio, in iudicium ei proueniret, si dominus eius Heinricus regnum sibi iniustè vsurparet. Post hanc temerariam perceptionem, paruo quod suprauixit vsq; ad mortē, nunquam se sanum de lecto leuauit. Nam circa Calendas Iulij absque ecclesiastica communione defunctus est.

Item Sigehardus Aquileiensis patriarcha in auxilium Heinrico contra bannum Apostolici, armatu manu veniens, in amentiam vertitur, apud Ratisponam, & ex ipso itinere repentina morte intercipitur: sicq; domum, non sine aliquibus suorum funeribus, in corpore & anima mortuus, reportabatur.

Augusto mense iam penè transacto, Heinricus cum schismaticorum multitudine procinctum in Saxoniam promouere decreuit: cui Rudolfus rex cū Saxonibus vsq; Herbipolim obuiam processit, & eandem vrbem, sibi rebellantem, obsedit. Quò dum fideles eius ex Sueuia properarent, in Heinricum eius æmulum offenderunt: qui à facie eorum secedens, plus quàm centum homines in vna ecclesia sibi resistentium, concremauit, sicque vltra Rhenum fugiens, ab incœpto itinere fideles regis diuertere non potuit.

Eo tempore papa vtriq; regi, ex parte S. Petri precepit, vt treugas ad inuicem facerent, & aduentum eius ad Teutonicas partes, pro dirimenda lite non impedirent, sed debitum consilium & auxilium ad hoc iter ei præberent. Legatis autem suis, qui adhuc in Teutonibus partibus morabantur, præcepit, vt ex duobus regibus illum excommunicarent, qui prædictæ legationi non obediret: obedientem verò ex parte S. Petri in regno confirmarent, quod & non multò post factū est: scilicet in die sequenti post festiuitatem sancti Martini, Goslare, Heinrico pro inobediētia iterum excommunicato, Rudolfo pro obediētia in regnum sublimato. Nam Heinricus prædictam legationem papæ nec susciperе dignatus est, nec animum ad treugæ compositionem, sed ad tyrannidis crudelitatem intendit.

Henricus denuò excōmunicatur.

Geraldus venerabilis Ostiensis episcopus, de quo suprà commemorauimus, iamdudum seculo viuus, mundo crucifixus, de huius vitæ ergastulo liberatus est. IX idus Decembris.

Agnetis Augustæ obitus

Agnes religiosissima imperatrix, iam XX annis in viduitate Deo deuotissimè seruiens, nec filio suo Heinrico contra apostolicam sedem in aliquo consentiens, Romæ requieuit in pace, sepulta Romæ in ecclesia sanctæ Petronellæ.

Heinri-

M. LXXVIII.

HEINRICVS iterum Apostolicæ sedi de sua quasi iniusta damnatione conqueritur: vnde Gregorius papa facto Concilio mense Martio (in quo concilio facta est exceptio quatundam personarum de Heinriciana excommunicatione, & hoc vtiq; ad tempus, id est vxorum, filiorum, seruorum & reliquorum, qui non scienter vel saltem non libenter excommunicatis sociantur) idoneos legatos iterũ destinauit, qui facto generali colloquio, causſam regni iustè determinarent: & omnes synodali sententia damnauit, quicunq; impedirent, ne colloquium fieret. Quod Rudolfus libentissimè voluit fieri: Henricus autem, vtcunq; potuit illud impedire, non cessauit. Nam contra apostolicum præceptum maxima multitudine flagitiosorum adunata, procinctum in Saxoniam parauit, cui rex Rudolfus apud Struuæ cum exercitu obuiauit: & illo fugato, ipse campum victoriæ obtinuit, v II idus Augusti. Occubuit tamen ibi ex parte Rudolfi, Wecel, venerabilis Magideburgensis episcopus, & Wormatiensis episcopus captus est. Infinita autem multitudo vtrunq; occubuit: plures tamen & excellentiores ex parte Heinrici. *Conflictus Rudolfi cũ Henrico.*

Eodem tempore, cum Alemãni facto exercitu ad dominum suum regem Rudolfum properarent, penè X II millia coniurati populi transitum Neccari fluuij illis prohibentia, partim occiderunt, plurimos autem misericordiùs castigando, eunuchiazauerunt, deinde quandam munitionem inimicorum facto impetu occupauerunt. Rudolfo ergo in Saxoniam reuerso, Heinricus de repẽte recollectis viribus, Alemãniam præda, ferro & igne, circa festum Omnium sanctorum, deuastauit, terram videlicet Catholicorum ducum Bertoldi atq; Welphonis, & aliorum sancti Petri fidelium penitus dissipare aggressus est. Tunc quoq; parum minus quàm centum ecclesiæ in illa expeditione violatæ sunt. *Henricus Sueuiam populatur.*

Eodem etiam tempore ex parte Rudolfi Bertoldus Carinthiorum dux, piæ memoriæ, & Heinricus marchio, obiit in pace. *Bertoldi primi, Zeringiæ ducis, obitus.*

Facto autem alio concilio Romæ, x Cal. Decemb. vtriusque regis legati, licet non eadem veritate in synodo iurauêre, quòd domini eorum non impedirẽt colloquium, pro causſa regni statuendũ. Vnde & papa ea vice inter eos iudicare non potuit: quamuis bene sciret, cui parti magis iustitia faueret. In synodo ista Beringarius Andegauensis canonicus, vt ab hæresi sua resipiscceret, synodaliter conuenitur, eiq; induciæ vsque ad proximè futuram synodum dantur.

M. LXXIX.

GREGORIVS papa synodum Romæ, mense Februario, collegit, in qua Beringarius iam tertiò conuictus, hæresin suam abiurauit, & anathemizauit, quæ asserit: Corporales res in altari positas, non verè, sed figuratè tantum, in corpus & sanguinem Domini transire. *Berengarij palinodia.*

In eadem synodo Heinricus Aquileiensis patriarcha papæ iurauit: Nulli se deinceps communicaturum, quem sciret à Papa excommunicatum. In hac synodo papa presbyteros deinceps in fornicationem lapsos, absq; spe recuperationis, deposuit, & scriptum quod dicitur sancti Vdalrici, ad papam Nicolaum, de nuptiis presbyterorum, & capitulum Paphnutij de eadem re, imò omnia sactis canonibus aduersa, damnauit. In hac synodo legati regis Rudolphi super Heinricum proclamauerunt, eò quòd totum regnum confundere, & sanctam ecclesiam conculcare non cessaret. Iterum ergo papa legatos suos pro causſa regni determinanda, ad Teutonicas partes destinauit, videlicet venerabilem Petrum Albanensem episcopum, Petrum inquam illum, qui iamdudum Florentinum episcopum, nomine Petrũ, probauit simoniacum: quippe per medium ignem transiens absq; læsione. Vnde & igneus cognomine, Albanensem episcopatum promeruit obtinere: cum quo Vdalricus Paduanus episcopus in legationem destinatur. Legatus autem Heinrici, legatos papæ (priusquam abirent) in eadem synodo iureiurando securos fecit, de conductu & obedientia domini sui. Item legatus Rudolfi de obedientia domini sui iurauit in synodo. Legati ergo sedis Apostolicæ in Teutonicam terram peruenientes, obedientiam Rudolfi, & inobedientiam Heinrici indubitanter probauerunt: quod & postea cùm redirent, papæ viua voce protestati sunt.

In hac æstate venerabilis abbas Massilienſis Bernhardus, vir plenus charitate, requieuit in pace, XIII Calendas Augusti.

Doctor Adalbertus, facto verboque disertus, iam XXX annis mundo crucifixus, & in fine ad Euangelicam perfectionem perductus, migrauit ad Dominum, tertio nonas Decembris.

M. LXXX.

Henr. à Rudolfo in fugam actus.

ITERVM Heinricus post Epiphaniam cum exercitu in Saxoniam venire disponens, à Rudolfo, sexto Calendas Februarij, fugatur, nec tamen à cœpta tyrannide compescitur. De qua expeditione Rudolfus statim legatum Romam ad synodum direxit.

Gregorius papa synodum Romæ, mense Martio, collegit, ad quam de Teutonicis partibus prædictæ sedis Apostolicæ legati redierunt, & omnimodam Rudolfi obedientiam, & Heinrici inobedientiam domino Apostolico renunciauerunt: vnde ipse in fine synodi Heinricum deposuit, ipsumque cum omnibus suis fautoribus anathemizauit, & Rudolfum Apostolica auctoritate in regia dignitate confirmauit. Vnde æmulus eius congregata multitudine omnium schismaticorum siue excommunicatorum, apud Brixinam legitimum papam abiurauit, & Guibertum Rauennatem quondam episcopum, sed iam triennio à Papa Gregorio irrecuperabiliter depositum & anathemizatum, sibi non in Papam, sed in hæresiarcham, elegit. Deinde apud Maguntiam conuentu facto, eandem ipsam electionem, à quibuscunq; potuit, confirmari fecit.

Idem à Pontifice anathemate ictus. Guibertus antipapa.

Rudolfi regis interitus.

Iam autem mediante Octobri, Heinricus expeditionem in Saxoniam iterum parans, à militibus Rudolfi itinere vnius diei fugatur: quamuis in eadem congressione Rudolfus rex piæ memoriæ occubuerit. Ille inquam alter Machabæus, cùm inter primos hostium instaret, in seruitio sancti Petri occumbere promeruit: & postea vno die superstes, omnibus suis ritè ordinatis, ad Dominum migrasse non dubitatur, idibus Octobris. Regnauit autem tres annos & dimidium. De cuius obitu omnes religiosi vtriusque sexus, & maximè pauperes, doluerunt. In cuius animæ commendationem, Saxones innumerabiles eleemosynas fecerunt. Erat enim proculdubio pater patriæ, seruantissimus iustitiæ, indefessus propugnator sanctæ ecclesiæ. Sepultus autem est apud Merseburg glorioſissimè.

Eodem die decessionis eius, in Longobardia milites prudentissimæ ducis Mathildæ fugantur ab exercitu penè totius Longobardiæ, apud Vultam prope Mantuam.

Ipsa quoq; die Giselbertus religiosissimus presbyter & monachus, & Rudolfi regis ad papam legatus, Longobardiæ requieuit in pace.

His temporibus Heinricus totam Italiam adeò conturbauit, vt nullus securè ad limina Apostolorum posset ire, qui non prius abiuraret, quòd ad papam Gregorium diuersurus non esset.

M. LXXXI.

Hen. Italiã cum exercitu ingreditur.

HEINRICVS post obitum regis Rudolfi, Veronam in Pascha venit, & inde ad inuadendam Romam, cum suo non Apostolico, sed apostata Guiberto, vtputa domini Apostolici non semel periuro & anathemizato, profectus, sed macte reuersus est.

Hermãnus Lucelburgensis cõtra Henricum rex creatus.

Eodem tempore principes regni Teutonicorum, scilicet Archiepiscopi, episcopi, Duces, Marchiones & Comites, conuentu facto, Hermannum nobilem virum, sibi in regem elegerunt: qui statim eodem conuentu aciem contra fautores Heinrici direxit: ipsi enim electionem eius impedire volentes, eodem tempore maximam multitudinem contraxerant. Sed nouo rege ex improuiso irruente, omnes penitus aut cæde prostrati sunt, aut irreuocabiliter fugati: licet regiis militibus, se insequentibus, non paruo præstarent numero. Quapropter rex de diuino auxi-

no auxilio tali triumpho certificatus, eadem nocte in campo victoriæ castra metatus est, & postea ad subiugandum sibi regnum digressus est. Electus est autem ante festum S. Laurentij, & in sequenti die, post festum eiusdem sancti, de inimicis triumphauit, in confinio Baioariæ, in loco qui dicitur Hostette: postea in Saxoniam consecrandus discessit.

M. LXXXII.

HERMANNVS rex natiuitatem Domini gloriosissimè celebrauit Goslare. Ibi etiam in festo S. Stephani, eò quòd patronus eius fuerit, regiæ dignitatis vnctionem & coronam, principibus regni annitentibus, ab episcopis solenniter accepit. *Noui regni inauguratio.*

Heinricus autem in Italiam assumpto apostata suo Guiberto, iterum Romam inuisurus, proficiscitur, adunata multitudine schismaticorum: ibique ea æstate moratus, penè incassum laborauit: nisi quòd milites suos quibusdam castellis, vt facerent guerram Romanis, imposuit, quia eum nec hac vice Romam intrare permiserunt. Ignem quoque in domum sancti Petri per quendam traditorem immittere voluit: sed Dei misericordia protegente, non potuit. Cogitauit enim vt de improuiso portas irrumperet, si Romani derelictis propugnaculis, ad incendium restinguendum concurrerent: vnde ignem domibus quibusdam sancto Petro contiguis immitti fecerunt. Sed dominus Apostolicus huic versutiæ obuiauit. Nam primùm viso incendio, omnes milites Romanos ad propugnacula defendenda transmisit, ipseque solus fiducia sancti Petri fretus, facto signo crucis contra incendium, ignem progredi vlterius non permisit. *Heinricus iterum in Italiam.*

Igitur Heinricus capto venerabili episcopo de Sutria, aliisq; nonnullis, suoque apostata Guiberto in Tiburtina vrbe ad infestandos Romanos derelicto, ipse Longobardiam reuertitur.

Hermannus autem rex multùm de aduersitate sedis Apostolicæ dolens, eamque de manu Heinrici liberare volens, expeditionem in Italiam parauit: vnde & de Saxonia in Sueuiam venit.

M. LXXXIII.

HERMANNVS rex natiuitatem Domini in Sueuia, cum principibus regni satis honorificè celebrauit. Inde cùm exercitum in Longobardiam mouere vellet, molesta sibi legatio de Saxonia venit: quippe quòd Otto dux, prudentissimus miles obierit, quem in Saxonia pro capitaneo omnium suorum reliquit, in cuius obitu maximum schisma futurum non dubitaret, nisi huiusmodi schisma anticipare maturaret. Hac ergo necessitate postposita expeditione, Saxoniam festinanter redire compellitur.

Iterum Heinricus cum multitudine schismaticorum siue excommunicatorum, ante Pentecosten Romam impugnaturus aggreditur: sicque Guibertum Rauennatem, periurum, depositum & anathemizatum, apud sanctum Petrum inthronizauit, non per Ostiensem, & Albanensem, & Portuensem episcopos, qui hoc priuilegium habent, vt & Papam consecrent: sed per Mutinensem & Ariminensem episcopos: vtpote iam multis annis depositos & anathemizatos. *Guibertum antipapam sedem locatum.*

Statim ergo iuxta sanctum Petrum quendam monticulum, nomine Palatiolum in castellum, eique milites multos, vt impugnarent Romanos, imposuit, qui eum Transtyberinas vrbis regiones nullo pacto intrare permittebant. Multi tamen iam ex Romanis consenserant, partim pretio inducti, partim multis promissionibus seducti, omnes autem æqualiter iam triennij impugnatione nimium fatigati. Quid plura? omnes penè Romani, præter principem Salernitanum, hoc laudauerunt, vt Papa Gregorius synodum in medio Nouembri colligeret Romæ, cuius synodi statutâ de caussa regni, nec Heinrico nec Romanis, imò nulli penitus, liceret præuaricari. Heinricus quoque ituris ad illam synodum & redituris, securitatem iureiurando fecit. Vnde & Papa omnes religiosos episcopos & abbates ad synodum literis suis vocauit.

Reuerſo ergo Heinrico Longobardiam, milites eius quos in caſtello prope ſanctum Petrum dimiſit, repentina mors penè omnes inuaſit. Inter quos & Vdalricus Goſcezehim, abſq; eccleſiaſtica communione, heu miſer, interiit, auctor huius ſchiſmatis & incenſor conſpirationis. Ex quadringentis autem militibus, qui in illo caſtello pro cuſtodia dimiſſi ſunt, vix triginta gladium ſancti Petri, vt aiunt, conceſſa vita, euaſerunt: ipſum autem caſtellum à Romanis penitus ſolo adæquatum eſt.

Heinricus ergo Rauennate ſuo interim Rauennam tranſmiſſo, ad prædictam ſynodum profectus eſt, quò & legati Teutonicorum principum ire debuerant: ſed ab Heinrico in via apud forum Caſſij capti & ſedati ſunt, circa feſtum ſancti Martini: licet omnibus ſynodum illam petentibus ſecuritatem iuramento promiſerit. Vnde & Romani multa contra Heinricum murmurare cœperunt. Erant autem religioſiſſimi monachi & clerici, quos in captiuitate fecit cruciari: cum quibus & Ottonem venerandum Oſtienſem epiſcopum captiuatum, videlicet, ad ipſum ab Apoſtolica ſede tranſmiſſum. Multi tamen ex Francigenis ad illam ſynodum, tam epiſcopi quàm abbates peruenerunt. Meliores autem epiſcopi & domino Apoſtolico magis neceſſarij, id eſt, Hugo Lugdunenſis, Anshelmus Lucenſis, Reginaldus Cumanus, ſpecialiter à Heinrico ad ſynodum peruenire prohibiti ſunt. Dominus tamen papa ſynodum tribus diebus ſolenniter celebrauit, & ne Heinricum iterum ſpecialiter anathemizaret, vix à ſynodo exoratus: omnes tamen excommunicauit, quicunque aliquem ad ſanctum Petrum & papam venientem, impedirent quoquomodo.

Synodus Romana ſuper negotio regni.

Sed iam aduenit terminus, ad quem Romani, neſciente papa, hoc Heinrico ſe effecturos iurauerant, vt aut Gregorius papa eum incoronaret: aut alius, quem ipſi illo expulſo, eligerent. Quod iuramentum licet in præterita æſtate factum fuerit: omnes tamen intimos Papæ vſq; ad terminum penè latuit.

Romanorũ cauillum.

Adueniente ergo termino, Romani papæ de iuramento manifeſtauerunt, dicentes: Se hoc iuraſſe, non vt Papa ſolenniter regali vnctione incoronaret, ſed tantùm ſimpliciter, vt ei coronam daret. Annuit ergo papa eorum votis, vt eos à iuramento abſolueret, videlicet Heinrico, ſi vellet cum iuſtitia: ſin autem cum maledictione, coronam daret. Vnde Romani mandauerunt, vt veniret ad accipiendam coronam cum iuſtitia, ſi vellet: ſin autem, de caſtello ſancti Angeli per virgam ſibi demiſſam à Papa reciperet. Sed Heinrico vtrumque recuſante, alium legatum illi direxêre, qui eos bello defenderet, ſi neceſſe eſſet. Se bene attendiſſe quid iurauerint, nec ſe amplius eo iuramento detineri obnoxios. Igitur domino Papæ multò firmiùs, quàm pridem, conſilio & auxilio adhæsêre.

Heinricus autem multò inſtantius pro eis ſua parte applicandis, nunc minando, nunc promittendo, laborauit: multumque tempus circa Romam moratus, huic negotio inuigilauit.

His temporibus piæ memoriæ Stephanus, quondam rex Vngarorum, qui ſeipſum cum ſua gente ad fidem Chriſti conuertit, poſt quadrageſimum obitus ſui annum, miraculis claruit.

Salomon rex Vngarorum, ſed regia dignitate indigniſſimus, prædicti Heinrici cognatus, à conpatriota ſuo, nomine Ladiſlao, regno priuatus, incarceratur, & ille pro eo regia dignitate ſublimatur.

Berengarij obitus.

Beringarius, nouæ hæreſis de corpore Domini auctor, eo tempore deficiens, abiit in locum ſuum: qui licet eandem hæreſin ſæpiſſimè in ſynodo abiurauit, ad vomitum tamen ſuum canino more non expauit redire. Nam & in Romana ſynodo canonicè conuictus, hęreſin ſuam in libro à ſe deſcriptam, combuſſit, & abiuratam anathemizauit, nec tamen poſtea dimiſit.

Schiſma in perij ſeptennio.

Sed iam ſeptennio totum Romanum imperium ciuili bello, nimio ſchiſmatis diſſidio, laborauit: aliis quidem domino Apoſtolico, aliis autem Heinrico fauentibus, & ob hoc vtrinque totum regnum præda, ferro & igne miſerabiliter deuaſtantibus: pauciſſimi Catholici epiſcopi ex parte Apoſtolici remanſerunt, qui

& à propriis ſedibus expulſi, ſuis gregibus prouidere non permittebãtur. Quapropter omnes penè religioſi, ſiue clerici ſiue laici, in aliqua Monaſteriorum latibula huiuſmodi mala declinauerunt: ne videlicet deuaſtationem ſanctæ eccleſiæ cernerent, cui in nullo adminiculari poſſent. Satius enim illis videbatur, vt ſaltem ſeipſos deliteſcendo ſaluarent, quàm pro aliis incaſſum laborando, cum eiſdem perirent.

Eodem autem tempore in regno Teutonicorum tria monaſteria cum ſuis cellulis, regularibus diſciplinis inſtituta, egregiè pollebant: quippe cœnobium S. Blaſij in nigra ſylua, & S. Aurelij, quod Hirſaugia dicitur, & ſancti Saluatoris, quod Schafhuſin dicitur, id eſt nauium domus. Ad quæ monaſteria mirabilis multitudo nobilium & prudentium virorum hac tempeſtate in breui confugit, & depoſitis armis euangelicam perfectionẽ ſub regulari diſciplina exequi propoſuit: tanto inquam numero, vt ipſa monaſteriorum ædificia neceſſariò ampliarint: eò quòd non aliter in eis locum commanendi haberent. In his itaq; monaſteriis nec ipſa exteriora officia per ſeculares, ſed per religioſos fratres adminiſtrãtur, & quantò nobiliores erant in ſeculo, tantò ſe contemptibilioribus officiis occupari deſiderant, vt qui quondam erant comites & marchiones in ſeculo: nũc in coquina & piſtrino fratribus ſeruire, & porcos eorum in campo paſcere, pro ſummis computent dẽlitiis. Ibi nempe & porcarij & bubulci præter habitum iidem ſunt, qui monachi. Tanto autem charitatis ardore omnes feruent, vt quilibet eorum, non tam ſuum quàm alienum deſideret profectum, & in exhibenda hoſpitalitate inſudant tam mirabiliter, ac ſi ſe perdidiſſe æſtiment, quicquid pauperibus Chriſti & hoſpitibus non erogauerint.

Monaſteriũ S. Blaſij, Hirſaugiense, Schafhuſianum.

M. LXXXIIII.

HERMANNVS rex natiuitatem Domini in Saxonia celebrauit. Æmulus autem eius in Romanorum finibus hyemauit, ibiq́ue Guibertum Rauennatem ſuum, Romam venturum expectauit, vt ab eo apud S. Petrum incoronaretur, eò quòd Gregorium Papam ad Henricum flectere non poſſet, vt eum niſi legitimè reconciliatum, incoronare vellet.

Reginaldus Cumanus epiſcopus, ſcientia & religione clariſſimus, & ob hoc Gregorij Papæ adiutor ſtudioſiſſimus, migrauit ad Dominum, v I Cal. Febr.

Welpho dux Baioariæ, ciuitatem Auguſtam, à quodam Sigefrido, nec nominando epiſcopo, cum Baioariis inuaſam, viriliter eripuit, eamq́; legitimo paſtori Wigoldo ſubiugauit.

Auguſta Vindelicorum.

Sigefridus Moguntienſis archiepiſcopus, Gregorio Papę per multas tribulationes adiutor indefeſſus, requieuit in pace.

Regina Anglorum obiit, vxor Willehelmi regis, qui totam terram Anglorum, Romano pontifici tributariam fecit, nec aliquem in ſua poteſtate aliquid emere aut vendere permiſit, quem Apoſtolicæ ſedi inobedientem deprehendit.

Deceſſit regina Angliæ.

Rex Vngarorum Latislaus, parti Catholicorum aſſentaneus, æmulum ſuum Salemonem de carcere relaxatum, Ratiſponam ad vxorem ſuam ire permiſit, licet ingratam. Nam nec illa nec ille coniugale fœdus ad inuicem eatenus ſeruauerãt: imò contra Apoſtolum, ſe ipſos fraudare non timuerunt. Erat autem ipſa ſoror Henrici ſæpe nominati, quę & ab ipſo iam diu Ratiſponæ ſuſtentabatur, etiam antequam maritus eius captiuaretur.

Regni Hungariæ æmulus Henrici Caſſororius.

Heinricus Aquileienſis expatriarcha, non ſemel domini Apoſtolici periurus & excommunicatus, in corpore & anima moritur.

His temporibus Conſtantinopolitanus maximam pecuniam Heinrico quondam regi tranſmiſit, vt Ruodbertum Wiſcardum, ducem Calabriæ & Apuliæ, coniuratum militem domini papę, in vltionem eiuſdem regis, bello appereret. Nã Ruodbertus iamdudum fines Conſtantinopolitanorũ inuaſit, iterumque illuc expeditionem mouere diſpoſuit: ſed Heinricus acceptam pecuniam, non in procinctum contra Ruodbertum, quod iuramento promiſit: ſed ad conciliandum ſibi vulgus Romanum, expendit, cuius adiutorio Lateranenſe palatium, feria quinta ante Palmas, cum ſuo Rauẽnate Guiberto, intrauit. Nobiles autem Romani præter admodum paucos, cum domino Papa Gregorio tenuerunt, qui & XL obſides ei dederunt. Papa autem

in castellũ S. Angeli se recepit, omnesq; Tyberinos pontes, & firmiores Romanorum munitiones in sua obtinuit potestate.

Henricus Cæs. imperiali diademate Roma suſignitus.

In die resurrectionis dominicæ, Heinricus à Hæresiarcha suo Rauennate, coronam non gloriæ, sed confusionis, accepit. Nam huiusmodi coronator, iuxta attestationem sanctorum patrum, non benedictionem quam perdidit, sed damnationem quam habuit, suo coronato imposuit. Erat enim ipse Rauennas archiepiscopus, & omnimodam obedientiam Romano pontifici iurauit, quam & nonnulló tempore fideliter exequutus est: sed non multò pòst spreto iuramẽto, singulari contumacia contra Apostolicam sedem erigitur. Vnde ab apostolica sede & ab episcopis totius ecclesiæ in Romana synodo, post canonicas inducias, irrecuperabiliter deponitur & anathemisatur: nec hoc semel, nec in vna synodo, sed in omnibus synodis quotquot iam sexennio Romæ celebratæ sunt. Hic ergo in periurio ita inueteratus, & pro eodem sæpiùs irreuocabiliter depositus & anathemisatus, sedem Romani pontificis cui obedientiam iurauit, pro manus anathematizatorum, vtpote sui similium præterito anno inuasit, legitimo pastore adhuc eidem sedi præsedente: nempe Mutinensis & Aretinus, exepiscopi, cum reliquis excommunicatis eum ordinauerunt. Qui etiamsi Catholici essent, & Apostolica sedes pastorem non haberet, nullum tamen eidem sedi pontificem ordinare possent. Huius enim ordinationis priuilegium solis cardinalibus, episcopis, Ostiensi, Albanensi & Portuensi, à sanctis patribus est concessum, nec aliquibus aliis conceditur, ipsis hoc adimplere valentibus. Sed hi libentiùs omnia extrema paterentur, quàm tam sacrilegæ ordinationi, tanquam superbissimæ præsumptioni miscerentur, quem & ipsi cum domino Apostolico, synodali iudicio canonicè damnârunt. Ergo Mutinensis & Aretinus cum reliquis hæreticis, Rauennatem illum non in Romanum Patriarcham, quod nullo modo potuerunt: sed in damnatissimum hæresiarcham promouerunt, vt quantò altiùs inter ipsos emineret, tantò maioris damnationis priuilegium possideret. Quapropter & Heinricus ab eodem incoronatus, damnationem eius hæreditasse non dubitatur. Similiter & omnes quicunq; aliquid, quod à domino papa suscipiendum esset, à prædicto hæresiarcha quasi susceptum, vsurpauerunt. Morabatur autem Heinricus in Lateranensi palatio cum Rauennate suo: nec à fidelibus papæ per ciuitatem ad sanctum Petrum transire permittebatur, sed in ipsa Paschali hebdomada fideles aggreditur, in qua congressione XL penè inter mortuos & vulneratos perdidit, nam reliqui fugerunt: ex parte autem domini papæ, nec vnus cecidit.

Digressio in Guibertum Antipapã.

Hermannus autem rex Pascha celebrauit in Saxonia, vbi & maximæ treugæ inter fideles domini papæ, factæ sunt, quæ & in toto Teutonicorum penè regno, non multò post confirmatæ sunt.

Henricus Imp. à duce Calabriæ Romæ profligatus.

Robertus Wiscardus dux Nortmannorum, in seruitium sancti Petri, post Calendas Maij Romam armata manu inuasit, fugatoque Heinrico, totam vrbem Gregorio papæ rebellem, penitùs exspoliauit, & maiorem eius partem igni consumpsit, eò quòd Romani quendam eius militem vulnerauerunt. Deinde acceptis obsidibus à Romanis, & in castello sancti Angeli, quod domum Theodorici dicunt, reseruatis, ipse ad recuperandam terram sancti Petri reuersurus, in breui plurima castella & ciuitates domino papæ recuperauit. Heinricus autem Ruoberto resistere non valens, ad partes Teutonicorum satis festinanter reuertitur.

Eodem tempore milites prudentissimæ dominæ Machtildæ in Longobardia contra fautores Heinrici & inimicos sancti Petri viriliter pugnauerunt, è quibus episcopum Parmensem & sex Capitaneos, cum aliis ferè bonis militibus centum, ceperunt. Equos etiam plus quàm quingentos & loricas plurimas, & omnia tentoria inimicorum pleniter potiti, victoriam habuerunt.

Imp. in Germaniam reuersus Sueuos adoritur.

Heinricus verò circa Cal. Augusti expeditionem in Sueuiam parauit, sed Sueuis sibi obuiantibus pugnare noluit, quamuis eum erectis vexillis pluribus diebus ad pugnam prouocauerint, & ex suis plus quàm centum occiderunt & captiuauerunt. Nam prope Licum flumen castrametatus est, cuius ripa munitus, ab hostibus non facile potuit inuadi. Sueui autem ex altera parte fluminis in conspectum eius castra metati sunt, satis à ripa separati, ne hostibus facultatem transuadendi intercluisse viderentur.

derentur, sed frustra. Nam Heinricus transire noluit, & potiùs non præsumpsit, qui & post discessum Sueuorum timens insidias eorum, vnum penè diem ripam relinquere pertimuit. Tandem Heinricus Ratisponam reuertitur, inde vltra Rhenum Moguntiam proficiscitur. Nihilominus & Sueui vltra Rhenum Burgundiam cum expeditione proficiscuntur, & quoddam castellum Bertoldi *ducis, † filij regis Ruodolphi à fautoribus Heinrici obsessum, viriliter eripuerunt. Nam quibusdam rapidissimis fluminibus transuadatis & potius transnatatis, adeò obsessores castelli, licet adhuc longè positi, perterruerunt, vt relictis papilionibus, equis & loricis, ab obsidione passim diffugerent, nec deinceps in illa expeditione, Sueuis terram eorum, ferro, præda & incendio vastantibus, resistere præsumerent. Erepto ergo castello, congruis alimentis in annum præmunito, destructisque quibusdam inimicorum munitionibus, Sueui cum pace in sua rediere.

*Bertholdi ducis Sueuiæ, cuius pater Bertholdus de Zeringen obiit, vt supra, anno 1078.

† 1. generi.

Interim Heinricus congregata multitudine schismaticorum, Wecilonem clericum, Haluerstatensis episcopi fugitiuum, Moguntinensi episcopatu remunerauit: eò quòd illi in omni pertinacia contra dominum & sanctum Petrum, indefessus cooperator adfuit. Qui ipse iam dudum anathemisatus, & ab anathemisatis electus, nihilominus etiam ab anathemisatis, iuxta Pelagium papam, non consecratus, sed execratus est. Nam iuxta beatissimos patres Innocentium, Leonem atque Gregorium, nihil nisi damnationem & maledictionem à damnatis accipere potuit.

Dominus autem Papa collecta synodo, iterum sententiam anathematis in Guibertum hæresiarcham, & Heinricum, & omnes eorum fautores promulgauit, quod & in festo S. Ioannis Baptistæ præterito iamdudum Romæ fecit, cùm Heinricus adhuc ibi moraretur. Hanc sententiam legati sedis Apostolicæ, videlicet Petrus Albanensis episcopus in Francia, Otto Ostiensis episcopus, in terra Teutonicorum vsque quaque diuulgârunt.

Pontificis in Henrich dira in Germania diuulgata.

Ostiensis quoque cùm in Alemannia moraretur, sanctæ Constantiensi ecclesiæ iamdudum viduatæ Catholicum pastorem ordinauit, scilicet Gebehardum Bertoldi ducis filium, nobilem quidem genere, sed nobiliorem in monachica conuersatione: Hunc sanè inuitum, imò multum eiulantem ac reclamantem, Constantiensibus clericis & laicis petentibus & laudantibus, vndecimo Calend. Ianuarij, episcopum consecrauit, quem pridie, id est festo sancti Thomæ, cum aliis clericis presbyterum fecit: inter quos & horum Chronicorum scriptorem in eadem solenniter in presbyterum promouit, eique potestatem ad suscipiendos pœnitentes ex Apostolica authoritate concessit.

Gebhardum de Zeringen episcopum Constantiensis.

Auctor de seipso.

M. LXXXV.

HERMANNVS Rex natiuitatem Domini Goslare celebrauit, ad quem præfatus Ostiensis episcopus post Epiphaniam peruenit in Saxoniam, & colloquio interfuit, quòd Saxones contra Heinrici fautores condixerunt, vt hoc illis probarent, se iure Heinricum vitare vt excommunicatum. Quod & facto colloquio, decimo quinto die post Epiphaniam, firmissimè probauerunt: ea videlicet ratione, quia Romanus pontifex illum eis à se in Romana synodo anathemisatum, literis denũciauit. Aduersarij autem eis obiecerunt: quòd Papa eum nequiuerit excommunicare, eò quòd expoliatus non potuerit vocari, iudicari, siue damnari. Ad hæc Saxones responderunt: se iudicium sedis Apostolicæ nec debere retractare, nec posse: hoc cum illo potius tractandum, qui illum damnauerit, non cum Saxonibus, quòd damnationi eius non interfuerint, qui sedis Apostolicæ iudicio nullam retractationem sed obedientiam debuerint. Ita ergo soluto colloquio discessum est ab inuicem.

Eo tempore Hildensheimensis episcopus, cum suis sequacibus manus Saxonum vix euasit, eò quòd contra commune votum totius Saxoniæ Heinricianis se admiscuerit. Pro eadem etiam culpa comes Theodoricus eodem tempore occisus est,

à noſtræ partis fautoribus. Præfatus quoque ſedis Apoſtolicæ legatus, prædicto epiſcopo cùm nollet reſipiſcere, officium penitùs interdixit.

Quedelburgenſis ſynodus contra Henricum à pontificiu indicta.

Hermannus Rex in Quintilineburg Paſcha celebrauit, vbi & legatus domini Apoſtolici in ipſa Paſchali hebdomada, generalem ſynodum cum archiepiſcopis, epiſcopis & abbatibus, S. Petri fidelibus, ſolenniter celebrauit. Interfuit autem huic ſynodo, Gebehardus reuerēdiſſimus Iuuanienſis archiepiſcopus, item venerabilis Hartungus Magideburgenſis archiepiſcopus, cum ſuis ſuffraganeis. Item ſuffraganei Moguntiæ ſedis de Saxonia. Nam Wirceburgenſis & Wormatienſis, Auguſtenſis quoque & Conſtantienſis de Alemannia, quiq; ipſi canonica neceſſitate impediti, venire non potuerunt, per legationem ſuam ſe ſancto Concilio repræſentauerunt, ſeq; per omnia eiuſdem ſynodi ſtatutis aſſenſuros, mandauerūt. Rex etiam Hermannus cum ſuis Principibus eidem Synodo interfuit.

Acta & decreta ſynodalia.

Cùm ergo oēs iuxta Ordinem ſuum conſediſſent, prolata ſunt in medium decreta ſanctorum Patrum, de primatu ſedis Apoſtolicæ, quòd nulli vnquam liceat eius iudicium retrectare, & de eius iudicio iudicare. Quod de totius ſynodi publica profeſſione laudatum & confirmatum eſt: & hoc vtiq; contra Heinricianos, qui fideles S. Petri conſtringere voluerunt, vt excommunicationem domini papæ Gregorij, ſuper Heinricum cum illis retrectare præſumerent.

Quidam autem Babenbergenſis clericus, nomine Gunibertus, Romani pontificis primatui derogare volens, in mediam ſynodum ſe contulit, aſſerens, Romanos pontifices hunc ſibi primatum aſcripſiſſe, non aliunde conceſſum hæreditaſſe, videlicet, vt nullus de eorum iudicio iudicare debeat, nec illi alicuius iudicio ſubiaceant. Qui cùm apertè à tota ſynodo confutaretur, præcipuè tamen à quodam laico conuictus eſt, per illud Euangelicum: *Non eſt diſcipulus ſupra magiſtrum.* Cùm enim hoc generaliter in omnibus eccleſiaſticis ordinibus obſeruandum deputetur, ne maior à minore iudicetur: quis hoc Vicario S. Petri denegare potuit, quem omnes catholici pro domino & magiſtro venerantur?

In eadem ſynodo ordinatio Wecilonis, Moguntini inuaſoris, & Sigefridi Auguſtenſis, & Norberti Curienſis, imò omnes ordinationes & conſecrationes excommunicatorum, penitus irritæ iudicatæ ſunt, iuxta decreta ſanctorum Patrū Innocentij, Leonis primi, Pelagij, atq; eius ſucceſſoris Gregorij primi.

Item ſecta prædicti Wecilonis eiuſq; ſociorum, ſub anathemate damnata eſt, quæ aſſerit, ſeculares ſuis rebus exſpoliatos eccleſiaſtico non ſubiacere iudicio, nec excommunicari poſſe, pro ſuis exceſſibus: quæq; excommunicatos abſq; reconciliatione recipi poſſe, contendit.

Statutum eſt autem ibi, vt quicunque ab epiſcopo ſuo, nec officio nec communione priuato, excōmunicatus eſſet, etſi iniuſtè: nullatenus tamē reciperetur ad communionem, niſi abſolutus eccleſiaſtico more. Similiter & pro ſacrilegio excommunicatos decreuit ſancta ſynodus non recipiendos, abſq; ſolita reconciliatione, & niſi dudum, quæ ſacrilegè ſibi vendicauerant, reddidiſſent.

In eadē ſynodo, presbyteris, diaconibus, ſubdiaconibus, perpetua, iuxta decreta ſanctorum patrum indicta eſt continentia.

Item ſtatutum eſt, ne laici pallas altaris & ſacra vaſa contingant.

Item, ne laici decimas ſibi vendicent in proprietatem, nec etiam in beneficium, niſi conceſſione legitimorum poſſeſſorum.

Item, vt vernum ieiunium in prima ebdomada quadrageſimæ, æſtiuū in Pentecoſte ſemper celebretur.

Item, ne quis caſeum & oua comedat in Quadrageſima.

Item ſynodali iudicio confirmata & laudata eſt, ordinatio domini Gebehardi Conſtantienſis epiſcopi, imò omnia quæ præfatus ſedis Apoſtolicę legatus, cùm eſſet Conſtantiæ, ordinauit.

Item, ibi mota eſt quæſtio, de conſanguinitate regis & vxoris ſuæ. Vnde & rex in media ſynodo ſurrexit, ſeq; de hac re iudicium ſanctæ ſynodi, per omnia obſeruaturum profeſſus eſt. Sancta autem ſynodus hanc cauſam in præſenti canonicè examinari non poſſe iudicauit, eò quòd legitimi accuſatores non eſſent.

In

In fine autem synodi sententia anathematis cum ardẽtibus candelis promulgata est, in Guibertum hæresiarcham, sedis Apostolicæ peruasorem, & in apostatas S. Petri, Hugonem Albanensem, Ioannem Portuensem Exepiscopos, Petrum excancellarium. Item in Leomarum Bremensem, Vtonem Hildinesheimẽsem, Ottonem Constantiensem, Burchardum Basiliensem, Huzmannum Spirensem, Exepiscopos. Item in Wecilonem Moguntinum inuasorem, Sigefridum Augustensem, Nortbertum Curiensem, in hos inquam, & in omnes eorum complices, ineuitabilis sententia anathematis promulgata est. *Henrici Imp. fideles excommunicati.*

Sed hi omnes aduersarij ecclesiæ Dei, in tertia hebdomada post finitam synodum, suam Moguntiæ collegerunt non synodum, sed conciliabulum: in quo vmbratilem sententiam excommunicationis, contra fideles S. Petri deprompserũt, vtpote nequaquam illos excommunicare valentes, sed apertissimè se ipsos à communione Catholicorum sequestrantes, vt non tantùm iudicio sanctæ ecclesiæ, sed & proprio eorum iudicio, sicut omnes hæretici, à Catholicis essent separati: Sedes quoq; Catholicorum episcoporum viuentium, temeraria cupiditate cœcati, sibi vendicare non timuerunt. *Moguntina synodus Hæreticorum*

Deus autem omnipotens suis fidelibus per se ipsum auxiliari non cessauit, suumq; iudicium super inimicos sanctæ ecclesiæ mirabiliter exercuit. Nam totam penè Italiam, in qua potissimum excommunicati furebant, tam magna fames obtinuit, vt homines non tantùm immunda quæq;, sed etiam humanã carnẽ manducarent. Quam famem inaudita mortalitas subsequuta est, vt nec tertia pars hominum remaneret, sed deficiente colono, maxima pars terræ in solitudinem redacta est. Padus quoq; fluuius Longobardiæ, ripas suas excedens, multa castella, villas, imò circaiacentes regiones penitus submersit, & inhabitabiles reddidit. Ipsa etiam capita schismaticorum eo tempore heu miserè abiere in locum suum, videlicet Parmensis & Rhegiensis exepiscopi, Thedaldus Mediolanensis non archiepiscopus, sed antichristus. Adalbertus & Reginherus marchiones, & comes Boso, & alij innumerabiles, quorum factione tota penè Italia contra dominum Papam & S. Petrum se erexit. Hi quoq; Mathildam prudentissimam ducem, & fidelissimam S. Petri militem, multis iniuriis affecerunt in Italia. Illis autem diuina animaduersione de medio sublatis, ipsa suam potestatem recuperauit, & sanctæ Dei ecclesiæ in omnibus adminiculari non cessauit, sicq; eius prudentia Mutinensi ecclesiæ & Regiensi atque Pistoriensi Catholici pastores ordinati sunt. *Fames, pestis & aquarum inundationes in Italia.*

Sed iam Deus omnipotens famulum suum Gregorium papam volens diutiùs laborare, imò pro laboribus suis dignè remunerare volens, de huius vitæ ergastulo eum vocauit. Nam aliquanto tempore grauiter corpore infirmatus, sed in defensione iustitiæ vsq; ad mortẽ firmissimus, Salerni diem clausit extremum. De cuius obitu omnes religiosi vtriusq; sexus, & maximè pauperes, doluerunt. Erat enim Catholicæ religionis feruentissimus institutor, & ecclesiasticæ libertatis strenuissimus defensor. Noluit sanè vt ecclesiasticus ordo manibus laicorum subiaceret, sed eisdem & morum sanctitate & ordinis dignitate præemineret: quod illum latere nõ poterit, quicunq; eiusdem Apostolici registrum diligenter perlegerint. Postquam autem in gubernatione sedis Apost. imo totius ecclesię duodecim annos, & vnum mensem, legitimè decertauit: tandem ex hac luce, anno incarnationis dominicæ, M L X X X V, Indict. octaua, VIII Cal. Iun. subtractus, supernę vocationis βραβεῖον accepisse non dubitatur, sepultus Salerni in ecclesia S. Matthæi, quam ipse eodem anno dedicauit. Sed Guibertus hæresiarcha multùm de obitu eius lætabatur, licet parum prosperitatis suæ parti in eo lucraretur. Nam omnes Catholici post mortem domini Apost. non minus quàm ante, eidem hæresiarchæ restiterunt, ipsumq; de Roma Rauennam repedare compulerunt. *Gregorij pont. mors.* *Guibertus Roma exactus.*

Eodẽ tempore quidam ex Saxonibus à fidelitate S. Petri apostatantes, & à rege eorum Hermanno turpiter declinantes, Henricum regem toties abiuratum receperũt, existimantes, se nihil deinceps mali ab eo passuros, sed optata pace eo regnante se fruituros. Res autem in contrarium deuenit. Nam ipse statim recepta potestate, pristinam tyrannidẽ in illos exercere non desiit: vnde & ipsi versa vice turpissimè eũ fugauerũt, & de finibus eorum multo cũ dedecore expulerunt. Episcopi aũt Saxonię, & quidã ex principibus, cũ rege eorũ Herem. in fidelitate S. Petri permãserunt, potiusq; honores

ſuos relinquere, quàm excommunicatis communicare delegerunt: qui tamen poſtea à Saxonibus ad proprias ſedes reuocati ſunt, poſtquam Saxones Henricum inde expulerunt, ſicut prædiximus.

M. LXXXVI.

HERMANNVS rex natiuitatem Domini celebrauit in Saxonia. Hoc tẽpore multę cædes, prædæ & incendia facta ſunt, inter fautores Henrici, & fideles ſancti Petri, propter eandem etiam diſcordiam nondum ſedes Apoſtolica legitimum paſtorem habere potuit.

Heinricus contra Saxones exercitum VI Cal. promouit. Sed Saxones ei cum magna multitudine obuiam venientes, macte eum repedare compulerunt.

Eo tempore Palatinus comes Heremannus & Otto Conſtantienſis Exepiſcopus ex parte Heinrici, abſq; eccleſiaſtica communione heu miſerabiliter periere. Ex parte autem Catholicorum, reuerendiſſimus Anſelmus Lucenſis eccleſiæ epiſcopus, iam dudum mundo crucifixus, migrauit ad Dominum, XV Cal. Aprilis.

Principes Baioariorum, duci ſuo Welphoni in Paſcha reconciliati, à Henrico diſceſſerunt, eumq; cum eodem duce & reliquis Alemãnorum principibus, armata manu Ratiſponæ inuaſerunt, & ne diſcedere poſſet, multo tempore eum ibi detinuerunt.

Roberti Calabrię tyrãni deceſſus. Rubertus dux Nordmannorum per Calabriam atq; Siciliam, poſt multarum terrarum inuaſionem, poſt multorum pauperum & diuitum oppreſſionem, cuius auaritiæ nec Calabria, nec Sicilia ſuffecit, quin & tranſmarina regna ſibi ſubiugare cõtra fas & ius anhelauerit, viam vniuerſæ carnis arripuit.

Colloquium Pontificiorum prope Wirzburg His temporibus fideles S. Petri principes Sueuorum, cum Saxonibus & Baioariis generale colloquium, poſt feſtum Apoſtolorum, prope Wirceburg condixerunt, quod Henricus congregata multitudine ſchiſmaticorũ interturbare voluit. Sed Sueuis ſuperuenientibus reſiſtere non valens, ad tempus eis locum dedit. Ipſi autem Herbipolim ad obſidendos fautores Henrici proceſſerunt, & adiũctis Saxonibus eandem ſepi circumdederunt. Interim Heinricus exercitum viginti penè millium, pedites & equites congregauit, & ad ciuitatem liberandam iam quinq; ſeptimanis obſeſſam, aciem direxerunt. Quo audito, fideles S. Petri ſoluta obſidione obuiam ei duobus miliaribus, non tam multitudine ſua, quam miſericordia Dei & iuſtitia S. Petri, non tam armis quàm virtute S. Crucis confiſi, proceſſerũt. Vnde & crucem altiſſimam in quodam plauſtro erectam, & rubro vexillo decoratam, vſq; ad locum certaminis ſecum deduci fecerunt. Welph quoq; dux cum ſua legione, & Magedeburgẽſis legio relictis equis, pedites incedebant. Cùm autem iam iam congreſſuri eſſent, omnes in terram proſtrati cœlum oratione penetrauerunt, quam pro eis ibidem reuerendiſſimus Magedeburgenſis archiepiſcopus cum multis lachrymis & gemitibus effudit.

Cæſarianorum clades in Frãconia. Igitur in nomine Domini congreſſi, incredibilem hoſtium ſtragem fecerunt, ita vt nouem nimium altæ congeries cadauerum ibi viderentur, præter illos, qui campos & ſyluas fugitantes occubuerunt. Heinricus autem in primo impetu congreſſionis, diſſimulato habitu, primus inter primos terga vertens, omnia vexilla ſua noſtris derelinquens, vſq; ad Rhenum ſatis acceleratò peruenit. Sed noſtri eum longo tempore inſequuti, tandem magnam prædam de hoſtibus reportauerunt: ipſius ſanè ſcrinia cũ veſtimentis regalibus, item neſcio quot capellas epiſcoporum, cum aliis innumerabilibus, noſtri acceperunt. In illa ergo congreſſione quot millia aduerſariorum occubuerint, nondum explorare potuimus. Ex parte autem fidelium S. Petri, non niſi quindecim homines mortuos inuenire potuimus, licet diligentiſſimè perquireremus, & de ipſis quindecim non niſi tres in loco certaminis obiẽre, reliqui aliquot diebus poſtea vixerunt. Inter mortuos & vulneratos non niſi triginta reperire potuimus ex noſtris. Et hoc vtiq; nulli humanæ virtuti, ſed potius diuinæ aſcribendum eſt, cum fideles S. Petri vix decem millia habuerint, aduerſarij autem etiam viginti millia exceſſiſſe referantur. Itaq; noſtri per miſericordiam Dei victoria potiti, in cãpo certaminis ea nocte caſtrametati ſunt, & in craſtinum ad obſidionem vrbis reuerſi, abſq; ſanguine eã ceperunt. Deinde Wirceburgenſi epiſcopo cum magnis laudibus ciuium, clericorum & laicorum in ſedem ſuam reſtituto, congruoq; militũ præſidio ciuitati impoſito, ipſi

Wirzeburgum à pontificiis captum.

cum

cum magna gloria & lætitia ſinguli in ſua redierunt. Factum eſt autem hoc prælium inſequenti die, poſt feſtum ſancti Laurentij, videlicet in anniuerſaria die, quando & Heremannus rex cum Sueuis Baioarios deuicit.

Ego quoq; ipſe, qui hæc Chronica ab MLIIII anno Dominicæ incarnat. huc uſq; perduxi, de prædicto prælio, non tam aliorum relata, quàm quæ ipſe vidi & audiui, ad laudem & gloriam Dei, fidelibus annunciare curaui. *Author huius Chronicæ interfuit huic pugnæ.*

Reuerendiſſimus abbas de Cella S. Blaſij, nomine Giſelbertus, migrauit ad Dominum, VI idus Octob. cui venerabilis Vdo, eiuſdem monaſterij Prior, in abbatiam ſucceſſit. *Vdo Kiburgenſis, abbas Sanctoblaſianus.*

Conradus comes, frater Heremanni regis, ſed indefeſſus fautor Heinrici, in fine tamen (vt aiunt) reconciliatus eccleſiæ, in Hieroſolymitano itinere obiit.

Beatus Anshelmus quondam Lucenſis epiſcopus, ipſo eodem ſuæ depoſitionis anno, innumerabilibus cœpit miraculis coruſcare, qui poſt obitum venerabilis papæ Gregorij VII, fideles S. Petri contra tyrannidem Heinrici, adhuc in carne viuẽs, multùm incitauit, ſed multò plus poſt obitum ſuum miraculis coruſcans, eoſdem contra eundem perſiſtere confortauit, vnde & pars Heinrici de die in diem cœpit deficere, Catholici autẽ in fidelitate S. Petri non ceſſauerunt proficere. Heinricus tamen prope natiuitatem domini, quoddam caſtellum in Baioaria obſedit, & vt aiunt in eadem obſidione natiuitatem Domini voluit celebrare. Quo audito Welph & Bertoldus duces, non cum magna multitudine Sueuorum S. Baioariorum derepente ſuperuenientes, de obſidione eum diſcedere non permiſerunt: niſi prius accepta ſecuritate ab eius principibus, vt colloquium fieri promitteret, in quo diutina regni diſcordia, quoquo modo tandem idoneum finem accipere poſſet. Accepta ergo ſecuritate, locum ei cum pace diſcedendi conceſſerunt, ſicq; ipſe in vigilia natiuitatis Domini compulſus eſt, feſtum ſuum alibi celebrare: Duces autem ad ſua cum pace & lætitia rediere, ſtatimq; cum reliquis regni principibus prædeſtinatum colloquium ad Oppenheim, in tertia hebdomada quadrageſimæ communiter condixêre.

M. LXXVII.

HERMANNVS rex natiuitatem Domini in Saxonia celebrauit.

Bertoldus comes, ſancti Petri fideliſſimus miles, contra ſchiſmaticos ſtrenuiſſimè dimicans, occubuit. Interim Henricus omni ingenio & dolo quibus potuit, prędictum colloquium ne fieret, efficere voluit: ſed fideles ſancti Petri, illo nolente, imò Heinrico eis periculum belli intentante, ad condictum terminum conuenêre. Ipſe verò iuſtitiã ſolito more ſubterfugiens, & rationabili ẽt conſilio ſuorũ acquieſcere nolens, adeſſe contempſit: vnde & omnes penè ſuos contra ſe murmurare, & nonnullos eorum ab eo diſcedere fecit, noſtri autem cum pace ad ſua rediere.

Sed necdum ſedes Apoſt. legitimum paſtorem habere potuit, eò quòd Guibertus Rauennas hæreſiarcha, periurus & anathemiſatus, eandem ſedem factione Heinrici, iam octo annos infeſtauerit. Etſi. n. ipſe illam cũ pace nequiuerit obtinere, adeo tamẽ per organa diaboli prævaluit, vt iam biennio ſedes Apoſt. paſtorali gubernatione caruerit. Vnde cùm omnes catholici meritò dolerent, tandem S. Romanæ eccleſiæ cardinales epi, & reliqui catholici de clero & populo, cum auxilio Nordmannorum deſiderium eiuſdem eccleſiæ cardinalem & Caſſinenſis monaſterij abbatem, papã CLX ordinauerunt, eiq; Victoris tertij nomen indiderunt. Qui ſtatim poſt electionẽ ſuam miſſis vſq; quaq; literis, ſe iuxta decreta ſanctorum Patrum declarauit inceſſurũ Iudicium quoq; ſui anteceſſoris piæ memoriæ Gregorij papæ ſuper Heinricum & omnes eius fautores confirmauit. Conſecratus eſt aũt exeunte Maio menſe, apud S. Petrum, à cardinalibus epiſcopis, Ottone Oſtienſi, & Petro Albanenſe, cum reliquis cardinalibus. Guibertus verò hæreſiarcha non magis ab incœpta peruerſitate ceſſauit, imò ſe apud S. Mariam ad martyres, quã Rotundam dicunt, incaſtellauit. Dominus autem papa in inſulam, quæ inter duos pontes ſita eſt, ſe recepit. *Victor tertius papa.*

Principes quoq; regni Teutonicorum, fideles inquam S. Petri, generale colloquium cum Henr. & fautoribus eius, in Cal. Auguſti, prope Nemetenſem ciuitatẽ habuerũt, eiq; adiutoriũ ſuum, ad obtinendũ regnũ, ſi de excõmunicatione exire vellet, fideliter promiſerunt. Ille autem in ſolita ſua obſtinatione perſiſtens, nec ſe profiteri *Germania principum colloquium, de extinguẽdo publico regni ſuccendio.*

excommunicatum dignatus est, licet hoc in faciem sibi à nostris instanter probaretur. Vnde & nostri nullam pacem & concordiam cum eo habere statuerunt. Quapropter expeditionem suam super ipsos in octauã S. Michaelis proximè venturam, indixit. Nostri autem eãdem expeditionem octo diebus præuenturos, seq; ei in loco congregationis, cum quantis possent, obuiam ituros condixerunt.

In prædicto colloquio literæ domini Papæ recitatæ sunt, in quibus & suam promotionem principibus regni denunciauit, & iudicium sui antecessoris piæ memoriæ Gregorij papæ super Heinricum & fautores eius, apertissimè confirmauit.

Latislaus rex Vngarorum missa legatione ad idem colloquium, se in fidelitate S. Petri perseueraturum declarauit, & fidelibus S. Petri cum xx millibus equitũ contra schismaticos se affuturum, si necesse foret, promisit. Prædicta tamen expeditio vtrinq; ad illum terminum remansit.

Salomon quondam rex Vngarorum, sed à Latislao iamdudum regno priuatus, & in exilium expulsus, dum quiddam fortiter contra regem Græcorum molitur, post incredibilem hostium stragem & ipse viriliter occubuit.

Eodem quoq; tempore quidam schismaticus, qui Patauiensem episcopatum, viuente adhuc legitimo pastore iamdudum inuasit, de hac vita discedẽs, certissimum suæ damnationis exemplum reliquis schismaticis dereliquit. Cùm enim iam in extremis iaceret, seq; ad æternam damnationem iam iam abiturum non dubitaret: apparuit ei eiusdem ecclesiæ episcopus, vt tantò euidentiùs culpam sciret, quam apud inferos luere deberet. Rogauit tamen eum, vt ei culpam indulgeret, ipsumq; ab excommunicatione solueret. Rogauit quoq; circumastantes, vt eum de episcopatu eueherent, nec eum in episcopatu sepelirent. Sed hæc verba astantibus quasi deliramenta videbantur. Ipse autem sanæ mentis protestatus, itidem rogitare non cessauit, sed incassum: nam ante ecclesiasticam absolutionem morte præuẽtus est. Nonnulli tamen, qui tam periculosæ morti eiusdem schismatici aderant, compuncti sunt, qui & postea ad legitimum pastorem redeuntes, veniam & absolutionem consecuti sunt.

Victoris papa obitus.

Romæ Victor papa iam pluribus annis, & in eadem infirmitate ordinatus, post quartum mensem sui pontificatus, diem clausit. Vnde multùm lætatus est hæresiarcha Guibertus, cum suis sequacibus. Heinricus quoq; eo tempore licet infirmus, expeditionem in Saxoniam cum Beheimensibus promouit. Sed S. Petro suos fideles protegente, inglorius nimis inde cum celeritate rediit. Nam Heremannus rex eũ cum tanta multitudine Saxonum insequutus est, vt facilimè ipsum cum omnibus suis obtineret, si non dolo Eggeberti comitis euasisset. Hic nempe comes gloriæ domini sui Heremanni regis multùm inuidens, inimicos sanctæ ecclesiæ, de manibus eius dolo suo maluit liberare, quàm de eisdem cum domino suo penè absque periculo, in honorem Dei & sancti Petri, triumphare: & hoc vtique ideò, quia concepit animo dominum suum regno priuare.

M. LXXXVIII.

HEREMANNVS rex natiuitatem Domini in Saxonia celebrauit, vbi & Eggebertus comes se regnum affectare manifestauit, sed incassum. Nam principes regni ei assentiri noluerunt, imò tantò firmiùs domino regi deinceps adhærere cœperunt.

Bertoldus doctor egregius, in sacris literis apprimè eruditus, in senectute bona, plenus dierum, migrauit ad Dominum, 4 id. Martij.

His temporibus Pisani & Genuenses, & alij multi ex Italia, Africanum regem Paganum, hostiliter inuaserunt, & deprædata eius terra, ipsum in quandam munitionem compulerunt, & eum deinceps Apostolicæ sedi tributarium effecerunt.

Dux Welph ciuitatem Augustam recuperauit, capto eiusdem episcopatus inuasore Sigefrido.

Hugo comes de Egensheim, Alsatiam iam dudum ab inimicis occupatam, inuasit, & sibi recuperare tentauit.

Metenses Brunonem illius sedis peruasorem, penitùs à ciuitate expellunt, seq; nullum deinceps, nisi legitimum pastorem recepturos, iuramento firmauerunt, qui eo tempore in Tuscia detinebatur in captione.

In

In Saxonia piæ memoriæ Burchardus Haluerſtatenſis epiſcopus, in cauſa S. Petri firmiſſimus heu occiditur. Sed nihil differt, an febris an gladius nos mittat ad Dominum. Migrauit autem ad Dominum, VIII idus Aprilis.

Guibertus autem hæreſiarches nondum ab inuaſione ſedis Apoſtolicæ ceſſauit, nec Heinricus Imp. ipſius veternoſam tyrannidem contra fideles S. Petri deponere voluit, quos tamen vincere non potuit.

Romæ cardinales, epiſcopi, & reliqui de clero & populo catholico, Ottonem Oſtienſem epiſcopum, religione & eruditione celebrandum, papam CLXI ordinauerunt, eiq; nomen ſecundi Vrbani indiderunt, quarto idus Martij. Qui ſtatim inſequẽti die miſſis literis omnibus catholicis, & ſuam ordinationem omnibus declarauit, & ſe in omnibus veſtigia ſui prædeceſſoris piæ memoriæ, Gregorij papæ, obſeruaturum denunciauit. *Vrbanus 2 papa.*

Wigoldus Auguſtẽſis epiſcopus, poſt recuperationem ſuæ ciuitatis, & captionem Sigefridi pſeudoepiſcopi ſui ſupplantatoris, & ipſe diem clauſit extremum.

Hezel fideliſſimus miles S. Petri, & aduocatus S. Mariæ* Augienſis cœnobij monaſterium, in honorẽ S. Gregorij, in proprio allodio conſtruxit, in quo ipſe demum monachus factus, migrauit ad Dominum, Cal. Iunias. *al. Augenſis.*

Eodem tempore quidam Guiberti hæreſiarchę diſcipulus, videlicet Wormatienſis pſeudoepiſcopus, qui illam ſedem per ſchiſmaticos, non conſecratus ſed execratus, inuaſit, tandem reſipiſcens, & ad Catholicam eccleſiam rediens, epiſcopatum dimiſit, ſeq; ad pœnitentiam in Hirſaugienſi monaſterio contradidit. Sic vtiq; ante triennium, & alius eiuſdem Guiberti diſcipulus, Metẽſis inquam pſeudoepiſcopus, pœnitentia ductus, epiſcopatum dimiſit. Quem ſtatim Bruno (cuius ſuperius mẽtionem fecimus) non minus ſacrilegè inuaſit. Nam per ſchiſmaticos intrauit, viuente adhuc legitimo illius ſedis paſtore Heremanno, qui potius in captione detineri, quàm in ſchiſmate pro epiſcopo honorari, catholicè delegit.

Gebehardus venerandæ memoriæ Iuuanienſis archiepiſcopus, in cauſa S. Petri præcipuus, qui ſchiſmaticos publicè dictis & ſcriptis confutare conſueuit, de hac luce ſubtractus, XVII Cal·..... magnum mœrorem Catholicis dereliquit.

Bernhardus Cõſtantienſium magiſter ſcholarũ, vir eruditiſſimus, in cauſa S. Petri feruentiſſimus, in Saxonia ſub monaſtica profeſſione migrauit ad Dominum.

Wecilo Moguntienſis & Megenhardus Wirceburgenſis pſeudoepiſcopi, inter ſchiſmaticos eruditione præcipui, abſq; eccleſiaſtica communione in locum, miſerè ſed non miſerabiliter, abiêre.

Saxones à fidelitate S. Petri diſcedentes, Heinricum, quem multoties abiurauerãt, receperunt. Vnde Hermãnus rex catholicus ab eis in Lothoringiam ſeceſſit, ibiq; non multò pòſt viã vniuerſæ terræ arripuit: anno Dominicę incarnationis MLXXXVIII, regni verò eius VII, Indictione XII, & in patria ſua Metis honorificè ſepelitur. *Hermannus regis diſceſſus.*

Iterum Saxones, factione Eggiberti marchionis, Heinrico rebellarunt, eumque ablatis ſibi regalibus inſignibus, de obſidione cuiuſdam munitionis, in quendã montem turpiter fugârunt, ibiq; eum biduana obſidione ad confeſſionem anathematis, & expeditionem reconciliationis, compulerunt. Eo ergo pacto accepta pace diſceſſit, ſed à ſolita tyrannide non receſſit.

Eggehardus abbas Augienſis, etſi non adeò religioſus, in fine tamen laudabiliter conuerſus vt aiunt, diem clauſit extremum: cui ſucceſſit Vdalricus.

M. LXXXIX.

IN vigilia natiuitatis domini, Eggibertus Marchio, Heinricum & omnem eius exercitum, cum paucis militibus, à quibuſdã religioſis confortatus, viriliter inuaſit, eumque de obſidione cuiuſdam ſui caſtelli, vbi ille natalem Domini celebrare diſpoſuit, turpiſſimè fugauit. In hac inuaſione, ex parte Heinrici, Leomarus Bremenſis archiepiſcopus, & Bertaldus comes capiuntur. Loſannenſis non tam epiſcopus quàm antichriſtus, dum fortiter vult agere, occiditur. Ipſe autem Heinricus perditis regalibus inſignibus, vix de manibus inſequentium eripitur, ſicq; vſq; ad Babenberg, de Thuringia fugiendo, tandem peruenit, ibiq; inglorius ſolemnizare compellitur. Eggeber- *Henrici Leodes & fuga è Thuringia.*

tus autem marchio, castello suo & castris inimicorum penè absq; sanguine potitus, capis quoque pluribus & occisis, gratiarum actiones Deo & sancto Petro referre non cessauit, quibus & se deinceps puriori fidelitate adhæsurum destinauit.

Heremannus Metensis episcopus atq; catholicus, post longam captionem ad episcopatum suum reuertitur, & à multis gratanter recipitur. Bruno autem eiusdem episcopatus temerarius inuasor, ab omnibus despicitur. Nam & ipsi Heinrico pro turpissimis moribus suis, multùm displicuit, licet ei quondam eundem episcopatũ vendiderit. Hac ergo necessitate idem Bruno cõstrictus, episcopatũ dimittere, & ad patrem suum Adalbertum comitem, in catholicorum partem, repedare compellitur.

Gebhardus Constant. episcopus pontificis in Germania legatus.

Dominus papa Vrbanus his temporibus Romæ in insula, quæ inter duos pontes sita est, morabatur, decretalemq; epistolam venerabili Gebehardo Cõstantiensi episcopo, 14 Cal. Maij direxit, in qua ei episcopalẽ potestatẽ super clerum & populũ Augiensis insulæ, præter monachos concessit, data etiã authoritate, vt abbatem inibi vice sua ordinaret: Item & apud Augustam siue Curiam episcopos constituere procuraret. Nempe in tota Alemannia, Baioaria, Saxonia & aliis vicinis regionibus, prædicto Geberhardo episcopo vicem suam commisit, vt ordinationes improbandas improbaret, roborandas roboraret. Sententiam quoq; anathematis, à prædecessore suo papa Gregorio promulgatam, ea discretione confirmauit, vt in primo gradu Rauennatem hæresiarcham, cum Heinrico rege, anathemisaret. In secundo gradu, eorum fautores, qui eisdem armis, pecunia, consilio, obedientia fauerent, quiq; ab eisdem & ab eorum fautoribus ecclesiasticos ordines & honores acciperẽt. In tertio autem gradu, eorum communicatores posuit, quos etsi non excõmunicaret, adeò tamen eos externa communione commaculatos asseruit, vt in catholicam societatẽ sine absolutione & pœnitentia, recipi non deberent, videlicet, qui excommunicatis salutatione, osculo, oratione, conuictu, & ignoranter communicassent. Ordinatos verò in excommunicatione, sed non simoniacè ab episcopis quondam catholicè ordinatis, vt in adepto ordine persisterent, sine promotione, permisit: si tamen hoc eorum probitas & ecclesiæ vtilitas flagitare videretur, aliquantum etiam ad superiores ordines promoueri concessit, sed hoc rarissimè, & cum summa necessitate.

Guibertus autem hæresiarches eiusq; complices, in parte regis eorum Heinrici, anathematicas ordinationes facere non cessârunt, ipsasque suis sectatoribus non nisi carissimè venditas, impenderuut. Vnde & malum excommunicationis in tantũ propagatum est eo tempore, vt catholici vix se ab eorum contagio possent illæsos custodire. In Teutonicis partibus, quatuor episcopi in catholica communione perstiterunt, videlicet, Wirceburgensis, Patauiensis, Wormatiensis, Constantiensis, sed & Metensis episcopus, quorum confortamento reliqui catholici schismaticis à principio restiterunt.

In Germania quatuor tãtùm episcopi catholici.

Hugo comes in Egesheim ingulatus.

Hugo comes de Egensheim, indefessus miles S. Petri, sed nimium credulus Strazburgensi pseudoepiscopo, à seruientibus eiusdem episcopi, occiditur, in cubiculo ipsius, cum ipso ad dormiendum collocatus, secundo non. Septembris.

Bonizo piæ memoriæ Sutreiensis episcopus, sed inde pro fidelitate S. Petri iamdudum expulsus, tandem post multas captiones, tribulationes & exilia, à Placentinis catholicis, pro episcopo recipitur: sed à schismaticis eiusdẽ loci, effossis oculis & truncatus omnibus penè membris, martyrio coronatur.

In Alemannia Otto comes, impudentissimus adulter, & pro adulterio à Cõstantiensi episcopo excommunicatus, Dei iudicio turpissimè decollatur à militibus Ludouici comitis, cuius vxorem publicis nuptiis, eo viuente, sibi nefandissimè copulauit: qui apud monasterium, in prædio ipsius constructum, à suis sepultus, iussu Constantiensis episcopi eiicitur, & vt scriptum est, ad sepulturam asini deputatur. Milites quoque eius, opes ipsius diripuerunt, & tam allodium eius quàm frodum, non hæredes eius sed extranei, possederunt, iuxta quod in maledictionibus Iudæ prophetatur: *Et diripiant alieni labores eius.* Sic vtique & post mortem suam in sepultura & direptione rerum suarum, euidentissimè indicauit, quàm efficaciter sententiam excommunicationis exceperit.

Matildis I. Italiæ comitissa Welphonis 4 Baioariæ duci nubit.

In Italia nobilissima dux Machtildis, filia Bonifacij marchionis, sed vidua Godefridi

Godefridi ducis, Welphoni duci, filio Welphonis ducis, coniugio copulatur: & hoc vtiq; non tam pro incontinentia, quàm pro Romani pontificis obedientia, videlicet, vt tantò virilius S. Romanæ ecclesiæ cõtra schismaticos, posset subuenire. Qui statim maritum eius impetere voluerunt, sed cum ei resistere non possent, treugas vsque in Pascha ab eo per interuentũ coniugis eius impetrauerunt. Heinricus rex dictus, multùm de prædicto coniugio tristatur: qui iterum in Saxoniam cum expeditione profectus, sine honore reuerti compellitur.

Petrus piæ memoriæ Albanensis episcopus, in causa S. Petri feruentissimus, migrauit ad Dominum. Hic est ille Petrus, qui Petrum Papiensem, Florentini episcopatus inuasorem, per iudicium ignis simoniacum esse probauit. Vnde & deinceps illum sancta ecclesia igneum cognominauit. Nam magnam piram fiducialiter ingressus, absq; omni læsione pertransiit, vt & flammę vestes eius sursum ventilarent, nec tamen illas, nedum illum, aliquo modo læderent. Vnde & prædictus Papiensis Petrus, ab Alexandro papa deponitur. Alter autem Petrus pauperrimi monasterij tunc monachus, in Albanensem episcopatum sublimatur. Erat enim tantæ sanctitatis, constantię & fidei, vt vix aliquis sui temporis ei potuerit comparari. Hic ergo de hac vita discedens, magnum mœrorem Catholicis reliquit.

Dominus Papa Vrbanus generalem synodum CXV episcoporum collegit, & ecclesiastica statuta suorum prædecessorum Apostolica authoritate confirmauit. Guibertus autem hæresiarches à Romanis turpiter expellitur, & ne amplius Apostolicam sedem inuadere præsumat, iuramento promittere compellitur. *Synodus.*

Sed iam aliquantulum diuturna regni discordia inter catholicos & schismaticos tepescere cœpit, vt non iam bellum ad inuicem, sed pacem componere saniùs iudicarent. Quapropter duces & comites, fideles S. Petri cum Heinrico colloquium habuerunt, eiq; suum consilium & auxilium ad obtinendum regnum firmissimè promiserunt, si Guibertum hęresiarcham vellet dimittere, & ad ecclesiasticã communionem per catholicũ pastorem remeare. Quam quidẽ cõditionem nec ipse multùm respuit: si tamen in hoc ei principes sui assentiri vellent, videlicet episcopi, qui se cũ Guiberto deponendos esse non dubitauerunt, eò q; in eius parte ordinationem imò execrationẽ perceperunt. Hi ergo ei penitus hac vice dissuaserunt, ne S. ecclesiæ recõciliaretur. *Pacis formula Heinrico oblata.*

Dominus Papa Constantinopolitanum Imperatorem ab excommunicatione per legatos suos absoluit: Item, literas Philippi regis Francorum, debitam ei subiectionem promittentis, suscepit.

M. X. C.

IN Baioaria fideles S. Petri iam adeò contra schismaticos inualuerunt, vt in Saltzburgensi episcopatu catholicum ordinarent archiepiscopum, quem statim religiosissimus Patauiensis episcopus, & Vrbani papæ legatus, cum Wirceburgensi & Frisingensi episcopis, solenniter consecrauit.

Heremannus piæ memoriæ Metensis episcopus, & Bertoldus dux Alemanniæ, filius * Ruodolphi regis, in fidelitate S. Petri, Maio mẽse diem extremum clausêre, magnumq; mœrorem Catholicis, & exultationem schismaticis reliquêre. Soror quoq; præfati ducis, regina Vngarorum, eodem mense obiit. *Berchtoldi 2. Zeringensis, mors. *i. gener.*

Ex parte autem excommunicatorum, Lutoldus dux Carinthiorũ inopinata morte prærripitur, cum nuperrimè contra fas & ius, repudiata propria vxore, aliam superinduxerit, Guiberto quidem hæresiarcha hoc ei concedente.

Eggebertus quoque marchio de Saxonia, in causa S. Petri strenuus, dolo cuiusdam abbatissæ à Quintileninburc, sororis inquam Heinrici regis (vt aiunt) per insidias occiditur.

Dominus papa Vrbanus, generalem synodum cum episcopis diuersarum prouinciarum, per legatos suos in Tolosana ciuitate, circa Pentecosten collegit, ibiq; multa in ecclesiasticis causis, quæ corrigenda erant, correxit. In qua synodo Tolosanus episcopus, de illatis criminibus canonicè expurgatur, & legatio pro restauranda christianitate, in Toletana ciuitate, rege Hispanorum supplicante, destinatur. *Concilium Tolosanum.*

Welpho dux Italiæ, multa incendia & damnationes à Heinrico rege, hoc in anno Longobardiam ingresso, patitur. Sed adhortatu dominæ Machtildis suæ charissimæ *Henricus Imp. in Italia arma circumfert.*

coniugis,eidem Heinrico reſiſtere,& in fidelitate S. Petri perſiſtere, viriliter cõtendit.

Hoc anno magna fames multas regiones repente afflixit, quamuis non magna ſterilitas præceſſerit terræ.

Adalbero reuerendæ memoriæ Wirceburgenſis epiſcopus, vnus de antiquioribus epiſcopis,in cauſa S. Petri ſtrenuiſſimus,Guibertum & eius complices,poſt multa pericula,perſequutiones & exilia,quæ pro Chriſto libẽtiſſimè paſſus eſt, in bona confeſſione diem clauſit extremum,in prædio ſuo quod *Laubac* vocatur.

M. XCI.

DOMINVS Papa eo tempore in partibus Campaniæ morabatur, & ab omnibus Catholicis debita reuerentia colebatur,videlicet à Conſtantinopolitano Imperatore,& à Philippo Francorum rege,aliiſq; diuerſorum regnorum principibus,tam eccleſiaſticis quam ſecularibus:excepto Teutonicorum regno,vbi multi ex Catholicis,in partem excommunicatorum,auaritia decepti,ſponte ſua ſe tranſtulerunt.

Romani quoq; turrim Creſcentij,quæ eatenus domino papę obediebat,dolo captam,diruere tentauerunt.Dominus autem papa facilè Romam cum exercitu intrare,& rebellium contumaciam domare potuiſſet,ſi non magis cũ manſuetudine cauſam ſuam agere delegiſſet.

Mantua à Henrico capta. Eo tempore Mantuani diuturna obſidione à Heinrico rege iam per annum conſtricti,à domino ſuo Welphone duce diſceſſerunt,& ſe ac ciuitatem ſuam ſuo deuaſtatori tradiderunt.

Guibertus iterum Romã receptus Romani quoq; Guibertum hæreſiarcham, quem iamdudum expulerũt, iterum Romam intrare, & ſanctam eccleſiam, ſuis non benedictionibus ſed maledictionibus infeſtare permiſerunt.

Capuani Nordmãnos de Capua expulerunt,quibus iam multo tempore,ſub pluribus Apoſtolicis & regibus,ſubiecti fuerunt. Vnde & Nordmanni eos circumquaq; vſq; ad murum ciuitatis,præda & incendio deuaſtauerunt.

Dñs papa Vrbanus generalem ſynodum Beneuenti collegit, & ſentẽtiam anathematis ſuper Guibertũ hęreſiarcham,& oẽs eius cõplices,ſynodali iudicio cõfirmauit.

Fridericus comes & marchio,tertio Cal.Iulias requieuit in pace.

Gulielmi Hirſaugienſis abbatis mors & præclarè facta. Willehelmus piæ memoriæ Hirſaugienſis abbas,in cauſa S. Petri feruentiſſimus, & in monaſtica religione ſtudioſiſſimus,vtpote multorum pater monaſteriorum,III non. Iulij migrauit ad Dominum.Hic primùm Hirſaugienſe monaſterium,tam in ædificiis quàm in regularibus diſciplinis mirabiliter exaltauit,ipſumq; priuilegio ſedis Apoſtolicæ,ſub Gregorio papa,in perpetuum libertauit. Plura etiam monaſteria ex integro vſq; quaq; conſtruxit,duo quidem in Nigra ſylua, vnum S. Georgij, alterum S.Gregorij,item aliud ad Duplicem aquam prope Danubium, item aliud in Wirceburgenſi epiſcopatu,in loco qui Camberg dicitur. Scaphuſenſe quoque monaſterium & Petrishuſenſe in ripa Rheni, iamdudum ædificata, regularibus diſciplinis inſtituit. Sed & alia quàm plura in diuerſis regionibus, tum per ſe, tum per ſibi ſubiectos,& de nouo fecit, & iam facta regularibus diſciplinis inſtituit. Hic etiam multa monumẽta ſui naturalis ingenij nobis reliquit. Nam naturale horologium, ad exemplum cœleſtis Hemiſphærij excogitauit. Naturalia ſolſtitia ſiue æquinoctia, & ſtatum mundi,certis experimentis inuenire monſtrauit. Quæ omnia quidam eius familiaris,etiam literis mandare curauit. Multas etiam quæſtiones de Computo,probatiſſimis rationibus enodauit. Hic in Muſica peritiſſimus fuit, multaq; illius artis ſubtilia,antiquis Doctoribus incognita,elucidauit. Multos etiam errores in cantibus deprehenſos,ſatis rationabiliter ad artem correxit. In Quadruuio ſanè penè omnibus antiquis videbatur præeminere. Sed ante hæc omnia,in illo ſtudium monaſticæ diſtrictionis præualuit:in quo totus adeò efferbuit, ac ſi nunquam aliud aliquid ſtudij habuerit. Erat enim miræ ſanctitatis,ſanctæ ſimplicitatis,feruentiſſimę charitatis,Deò viuus,& ſeculo crucifixus. Quem Dominus in ſenectute bona,ad æternã patriam reuocauit,cui ipſe à iuuentute in hac peregrinatione indefeſſo labore ſeruiuit.

Nouorũ cœnobiorum plantationes.

Bernhardus quoq; Cõſtant.magiſter ſcholarũ,cuius obitũ ſupra notauimus,multa nobis ſui ingenij monumenta reliquit,multaq; pro catholicis cõtra ſchiſmaticos ſui temporis

temporis elegantissimè scripsit: & primùm quidem ad quosdam suos amicos, de iudicio Gregorij papæ VII super schismaticos, & de sacramentis extra ecclesiam vsurpatis. Postea etiam ad venerabilem Hartungum Magideburgensem episcopum de eadem causa magnum librum luculentissimum compossuit, ex persona sanctæ ecclesiæ, in quo testimoniis sanctorum patrum omnes insidiosas cauillationes eorundem schismaticorum prudèter annullasse videtur. Sed in eisdē scriptis nimio zelo ductus, alicubi modum excessisse notatur: videlicet, vbi agit de sacramentis schismaticorum. Negat enim omnino, ab eis & ab eorum communicatoribus sacramenta posse confici, ita vt ab illis ordinatos si resipiscant, iterum ordinandos censeat. Sed hoc sacratissimo Niceno concilio, æquè vt Euangelia venerando, repugnat, quòd clericos ex Nouationis conuersos, cum ordine recipi, non iterum ordinari, præcepit. Idem Africani patres, de clericis Donatistarum conuersis, statuisse legūtur. Item Greg. papa primus, Maximum Salonitanum præsumptorem, excommunicatum, & ab excommunicatis ordinatum, cum ordine recepit, non vtiq; iterum ordinauit. Hoc sanè illi nullatenus facerent, si nullum eos Ordinationis sacramentum extra ecclesiam accepisse putarent. Item B. Anastasius papa scribens ad Anastasium Imperatorem asserit, quòd ordinatos ab Achacio, licet anathemisato, nulla portio læsionis attingeret, quantum ad integritatem sacramentorum. Item B. Augustinus in multis suis scriptis, & præcipuè in libro contra Donatistas, de Baptismo inuictissimè probat; ecclesiastica sacramenta extra ecclesiam & haberi posse & dari, sed perniciosè, tam danti quàm accipienti. Hæc autem summatim tetigimus, vt in prædictis scriptis lectorem cautum faceremus, ne præproperè alicui sententiæ assentiatur, quam tam authenticis S. Patrum sententiis aduersari deprehendat. Cæterùm si quis hæc pleniùs nosse desiderat, scriptum cuiusdam ad eundem Bernhardum, de eadem quæstione directum, diligentissimè perlegat, in quo testimoniis S. Patrū euidentissimè docebitur, quid sancti Patres de illa quæstione cēsuerint sentiendum. Verùm idem venerabilis Bernhardus in ista, sicut & beatus Cyprianus in rebaptisationis sententia non pertinaciter contra ecclesiam egerunt, sed vtcunque, nimium contra scismaticos zelantes, aliquantulum regulam ecclesiasticam excesserunt.

Digressio. Num schismaticorum sacramenta sint efficacia.

Altmannus sanctæ recordationis Patauiensis episcopus, in causa S. Petri, & in ecclesiastica religione studiosissimus, post multa pericula, tribulationes & exilia, quæ pro Christo sustinuit, in senectute bona migrauit ad Dominum, VI idus Augusti. Hic in episcopatu suo tria cœnobia clericorum, iuxta regulam S. Augustini communiter viuentium instituit, & tertium in Frisingensi episcopatu, in allodio Welphonis ducis per clericos suos ædificauit, & regularibus disciplinis instituit. Hic fuit tantæ sanctitatis, continentiæ & religionis, vt reuerendissimo papæ Gregorio, sanctoq; Lucensi episcopo, imò omnibus religiosis reuerēdus esset & amabilis: Schismaticis verò & sceleratis odiosus & formidabilis. Vnde in obitu suo bonis magnum mœrorem, malis verò magnam reliquit exultationem.

Welph dux Baioariæ in Augusto mense Longobardiam ingreditur, vt Heinrico regi reconciliaretur, si ipse vellet permittere, vt apostolica sedes, à Guiberto hæresiarcha inuasa, canonicè disponeretur, nec non si eidem duci filioq; eius Welphoni, cæterisq; eorum fautoribus bona eorum reddere vellet, quæ eis iniustè ablata forent. Quam conditionem ille noluit adimplere. Vnde & dux in Alemanniam non tardauit redire. Multi tamen ex Alemannis Heinrico regi reconciliati sunt, & excommunicationem sedis apostolicæ communem sibi cum Heinrico fecēre. Dux autem iterum multos contra Heinricum eiusq; fautores incitauit, vt etiam nouum regem eligere decernerent, si quorundam pigritia siue maleuolentia eos non impediret.

His temporibus in regno Teutonicorum communis vita multis in locis floruit, non solùm in clericis & monachis religiosissimè commorantibus, verùm etiam in laicis, se suaq; ad eandem communem vitam deuotissimè offerentibus: qui etsi habitu nec clerici nec monachi viderentur, nequaquam tamen eis dispares meritis fuisse creduntur: se enim seruos eorundem pro domino fecerunt: imitantes eum, qui non venit ministrari, sed ministrare, qui & suos sectatores ad maioritatem, per seruitij exhibitionem, docuit peruenire: nempe ipsi abrenunciantes seculo, se & sua ad congre-

Vita verūq; communio etiam inter Laicos.

gationes tam clericorum quàm monachorum regulariter viuentium, deuotiſſimè contulerunt, vt ſub eorum obedientia communiter viuere, & eis ſeruire, mererentur. Quapropter inuidia diaboli contra eorundem fratrum probatiſſimam conuerſationem quoſdam æmulos incitauit, qui eorum vitam maleuolo dente corroderent, quamuis ipſos ad formam primitiuæ eccleſiæ communiter viuere viderent. Vnde dominus Papa Vrbanus illorum conuerſationem ab ipſis Apoſtolis plantatam; ſed ab eorum ſucceſſoribus latiſſimè propagatam, decreti ſui Apoſtolica authoritate firmatam, ipſumque decretum Prælatis eorundem fratrum, his verbis denunciare curauit:

Quoſdam (inquit) *accepimus morem veſtrorum cœnobiorum corrodentes, quo laicos ſeculo renunciantes, & ſe ſuaq; ad communem vitam transferentes, regendos obedientia ſuſcipitis. Nos autem eandem conuerſationem & conſuetudinem, ſicut oculis noſtris inſpeximus, laudabilem, & eo pro perpetua conuerſatione digniſſimam, quo in primitiuæ eccleſiæ formam impreſſa eſt, iudicantes, approbamus ſanctam, & Catholicam nominamus, & per præſentes literas Apoſtolica authoritate confirmamus.*

Non ſolùm autem virorum & fœminarum innumerabilis multitudo, his temporibus ſe ad huiuſmodi vitam contulerunt, vt ſub obedientia clericorum ſiue monachorum, communiter viuerent, eisque more ancillarum, quotidiani ſeruitij penſum deuotiſſimè perſoluerent, in ipſis quoque villis filiæ Ruſticorum innumeræ, coniugio & ſeculo abrenunciare, & ſub alicuius ſacerdotis obedientia viuere ſtuduerunt: ſed etiam ipſæ coniugatæ, nihilominus religioſè viuere, & religioſis cum ſumma deuotione non ceſſauerunt obedire. Huiuſmodi autem ſtudium in Alemannia potiſſimum, vſque quaque decenter effloruit. In qua prouincia etiam multæ villæ ex integro ſe religioni contradiderunt, ſeque inuicem ſanctitate morum præuenire, inceſſabiliter ſtuduerunt. Sic vtique Deus ſanctam ſuam eccleſiam in periculoſiſſimo tempore mirabiliter conſolari dignatus eſt, vt de multorum conuerſione gauderet, quæ de excommunicatorum auerſione iam diu non ceſſauit dolere.

In Teutonicis partibus caro cum ſanguine pluit, & bufones cum piſcibus è cœlo ceciderunt, vt multi probabiles viri ſe vidiſſe teſtati ſunt.

Zwifalten. In Alemannia ad *Aquam duplicem propè Danubium ſanguis de panibus effluere videbatur. Quæ ſingula aliquid noui in regno portendere, à quàm pluribus etiam religioſis credebatur.

Iuduitha piæ memoriæ Marchioniſſa, nobilis genere, ſed nobilior ſanctitate, vxor quondam Heremanni religioſiſſimi marchionis, migrauit ad Dominum, quinto Kal. Octobr. Ipſa enim cum marito ſuo religioſè vixit. Poſt cuius obitum XIX annos in viduitate & ſancta conuerſatione permanſit: demum ad dominum papam Salernum peruenit, ibiq; ſub eius obedientia diſceſſit.

Adalheida Taurinenſis comitiſſa, XIIII Kal. Ian. obiit.

M. XCII.

DOMINVS Papa natalem Domini in terra ſancti Petri, extra Romam, celebrauit. Nam Guibertus Hæreſiarcha, ita ſe prope domum S. Petri incaſtellauit, vt non facilè abſq; humani ſanguinis effuſione expelli inde potuerit. Heinricus quoq; impius Imperator in Longobardia iam biennio morabatur, ibiq; circumquaq; terram Welphonis, Italici ducis, præda, ferro, & incendio, deuaſtare non ceſſauit, vt eundem ducem, & prudentiſſimam eius vxorem à fidelitate S. Petri diſcedere, ſibiq; adhærere compelleret, ſed fruſtra. Nam dux in ſua ſententia perſtitit, ipſiq; ſatis viriliter reſtitit. Sed & pater eiuſdem ducis, Welpho dux Baioariæ, eundem Heinricum, ante proximam natiuitatem Domini mirabiliter confudit, quem ad colloquium peruenire prohibuit, quod idem Henr. & rex Vngar. condixerant, ad quod ẽt penè iam conuenerãt.

In Alemannia quidam laicus communem vitam more Apoſtolorum profeſſus, qui ſe & ſua ad monaſterium S. Saluatoris contradidit, ibiq; diu debitam obediẽtiam exhibuit, de repẽte cœpit apoſtatare, ſeq; & ſua de prędicto Monaſterio ſacrilegè non timuit abripere. Quapropter dominus papa Vrbanus miſſis literis venerabili Gebehardo

hardo Constantiensi episcopo, ex Apostolica authoritate præcepit, vt eundem apostatam canonicè vocaret, & mucrone anathematis à membris Christi penitùs amputaret, nisi citiùs de eadem apostasia & sacrilegio resipisceret.

Iterum principes Alemanniæ, ad defensionem S. matris ecclesię contra schismaticos vnanimiter conuenerunt, sibiq; ad hoc negotium exequendum fratrem Constantiensis episcopi, Bertoldum ducem totius Sueuię, constituerunt, qui nondum aliquem ducatum habuit, etsi iamdudum nomen ducis habere consueuerit. *Bertoldus 2 Zeringius dux Sueuiæ.*

Magna fames, totam Saxoniam occupauit, quę & principes illius prouinciæ, in alias regiones eo anno ad tempus discedere, coegit. Vnde & generalis conuentus fieri non potuit, quem principes Alemanniæ cum Saxonibus habere voluerunt.

In Longobardia Conradus filius Heinrici regis, bona Adelheidæ Taurinensis comitissæ inuasit, quæ eiusdem comitissæ nepos, filius Friderici comitis, habere debuit. Hic autem comes sub habitu seculari, more S. Sebastiani strenuissimus miles Christi fuit, videlicet ecclesiasticæ religionis feruentissimus amator & Catholicæ pacis indefessus propugnator. Hunc venerabilis papa Gregorius, hunc beatus Anshelmus Lucensis episcopus, quasi vnicum filium amauerunt. Hunc clerici & monachi imò omnes religiosi feruentissimè dilexerunt. Hic in fidelitate sancti Petri contra schismaticos vsque ad mortem studiosissimè certauit, in cuius etiam festo, de huius vitæ ergastulo ereptus, eidem in cœlesti patria creditur associatus. Erat autem filius dominæ Sophiæ & Ludouici comitis, quæ erat matertera comitissæ Machtildis, quæ cum domino suo Welphone duce in Italia contra schismaticos multùm laborauit. Obiit autem prædictus comes, in præterito anno, id est dominicæ incarnationis M.XCI. Indict. XIII. tertio Kal. Iulias, in festo S. Petri, & in crastinũ, i. in solennitate S. Pauli, sepelitur. Huius ergo filium ex nepte dominę Adelheidæ susceptum, Heinricus rex cum filio exhæredare proposuit, terramq́ue eius hostiliter inuadendo, ac circumquaq; deuastando, etiam Fructuariensi monasterio multa mala intulit. *Fridericus cõmes Tauruinensis.*

In Baioariam venit Saltzburgensis episcopus Dimo, qui Patauiensi ecclesiæ iamdudum viduatæ, ordinauit episcopum nomine Vdalricum, sanctæ Augustensis ecclesiæ præpositum, eumq́ue in ipso die Pentecostes, cum ipso Constantiensi & Wormatiensi solenniter consecrauit: hocq́ue magnam fiduciam dedit Catholicis, vt in fidelitate sancti Petri persisterent, & schismaticorum vesaniæ indefessiùs obsisterent.

In Vngaria his temporibus multa prodigia contigerunt, vt audiuimus. Nam quidam mons se in Danubium præcipitauit, vnde fluuius ille alueum suum mutare coactus, circumiacentes terras longè lateq; vastauit. Item in sicca terra lacus magnus alibi emersit, & in alio lacu mons quidam derepente apparuit. Fluuius quoque nomine Thizalia, per triduum sanguineus fluxit. Sed & terræmotus ibi inauditus factus est, ita vt homines eius impetum stando sustinere nõ possent. Tonitru quoq; maximum à seculis inauditum, homines ibi terruit, quod supra terram transire, & sub terra redire sentiebatur, eadem via. *Prodigia in Vngaria.*

In Alemannia Cuno Comes de Wulfelingen, strenuissimus miles S. Petri, diem clausit extremum idib. Octobris, & in monasterio, quod ipse cum fratre suo comite Luitolfo in proprio allodio fundauerant, honorificè sepelitur, eiusq; bona frater eius Lutolfus hæreditario iure possedit, etsi iamdudum seculari militiæ abrenuntiauerit. Nec hoc vtiq; fecit ea intentione, vt ad seculum rediret, sed potiùs vt prædictum monasterium eisdem bonis melioraret. *Cuno & Luitolfus comites de Wülfingen. Zwifaltẽ cœnobium Sueuiæ.*

In hoc anno quatuor presbyteri, non parui nominis inter suos & religionis, ex Sueuia peregrinantes Hierosolymam profecti sunt, qui post multas tribulationes & angustias, in ipso itinere cùm redirent, in bona confessione satis feliciter obiêre: Quorum vnus, qui S. Mariam quotidiano officio singulari deuotione venerari consueuit, ad ecclesiam sanctæ Mariæ, in ipso mari priusquam moreretur, per nauim, Deo ordinante, portari meruit, ibiq́ue à quarto consacerdote suo, qui solus ex illis quatuor adhuc supererat, honorificè sepelitur, ipseq́ue sepultor eius non multò pòst itidem defungitur.

Beatrix, soror Friderici Marchionis, & vxor quondam Bertoldi ducis, tandem

per diuturnam infirmitatem à Domino misericorditer castigata, & examinata, felicissimè diem clausit extremum, VII Kal. Nouembris, & in ciuitate Leucorum ab episcopo loci, honorificè sepelitur.

Contentio de episcopatu Constantiensi.

Dominus Vdalricus, qui abbatiam S. Galli, & Aquileiensem episcopatum non intrando per ostium, obtinuit, per quēdam monachum sui monasterij, Gebehardum Constantiensem episcopū supplantare conatus est, cui inuestituram eiusdem episcopatus, à Heinrico impetrauit. Sed cùm eundem supplantatorem ante natalem Domini inthronisare vellet, à Constantiensibus receptus non est: imò non sine contumelia repedare compulsus est.

Terræmotus circa Schafhusiā.

Magnus quoq; terræmotus in eodem episcopatu, apud cellam S. Saluatoris eo tempore noctu contigit. Vnde & paucis tunc innotuit, præter quosdam religiosos viros & fœminas, quibus eadem nocte nondum somnus obrepsit. Hunc terræmotum Catholici, iuxta Euangelium, diuinam iram portendere, pro supradicta præsumptione non dubitárunt.

M. XCIII.

DOMINVS papa Vrbanus natalem Domini extra Romam, in terra S. Petri, celebrauit, eò quòd nondum Romam absq; armata manu intrare potuerit: Guibertistis quidem & excommunicatis multùm adhuc ibi prævalentibus, nec facilè se absque violentia inde expelli permittentibus. Ipse verò Guibertus eo tempore, cum Imperatore suo Heinrico in Longobardia morabatur, & quicquid potuit cum ipso contra ducem Welphonem & eius vxorem Machtildam S. Petri filiam, machinabatur.

Venerabilis Wernherus Merseburgensis ecclesiæ episcopus, post multos conflictus contra schismaticorum tergiuersationes, tandem in fidelitate S. Petri, diem extremum clausit. Qui solus tunc in Saxonia Catholicæ communionis episcopus remāsit. Vnde & Catholicis magnam tristitiam, & excommunicatis magnam lætitiam obeundo reliquit. Obiit autem satis feliciter, tertio idus Ianuarij.

In Alemannia per diuersa loca, multi ignes per aërem simul ferri videbantur, in octaua Epiphaniæ, in summo mane. Qui vtique ignes multa incēdia, non multò pòst per illam terram latè grassantia, significare non dubitabatur: Nam dux Welfo, & comes Vdalricus de Brigantio, & alij quàm plures, omnimodis se inuicem incendiis deuastare aggressi sunt.

**fortè quæ nūc Granenhausen dicitur.*

Sigefridus abbas Scaphusensis de Alemannia, Cellam * Nobiliacum dictam, à Richardo Massilienſe abbate impetrauit, locumq; sibi suisq; fratribus ibi præparauit, quò ad tempus secedere posset, si fortè in suo monasterio propter excommunicationem persistere nequisset. Nam illa veternosa excommunicatio, quam piæ memoriæ Gregorius papa, super Guibertum & eius complices, fecit, iam adeò maiores atque minores in Alemannia contaminauit, vt quique religiosi se inter eos (salua catholica communione) perduraturos desperauerint.

Nobilissima comitissa Sophia, vidua Ludouici comitis, mater piæ memoriæ Beatricis ducis, & Friderici marchionis, in senectute bona, cum iam multos filiorum videret, diem clausit extremum.

Imperator à Conrado filio defertus.

In Longobardia prudentissimi milites S. Petri, Welpho dux & vxor eius Machtilda, iam triennio contra schismaticos viriliter dimicantes, tādem multùm contra ipsos (Deo opitulante) confortati sunt. Nam Cuonradus filius Heinrici regis à patre discessit, & Welphoni duci reliquisq; fidelibus S. Petri, contra patrem cum suis adiuuit. Ciuitates quoq; de Longobardia, Mediolanum, Cremona, Lauda, Placētia, contra Heinricum in viginti annos coniurauerunt, qui omnes prædicto duci fideliter adhæserunt. Transitus etiam Alpium in Longobardiam obtinuerunt, vt fautores Heinrici ad ipsum non possent proficisci.

Augustenses, episcopum quem Heinricus illis dedit, expulerunt, ipsiq; sibi Catholicum pastorem canonicè elegerunt, qui Eporegiensem episcopū, in castello, quo transitus Alpium custoditur, captiuauit, quod ipse illi facere deliberauit.

Metensis ecclesia & Tullensis & Virdunensis, ab obedientia Egilberti Treuerensis excommunicati discesserunt, eiq; non amplius obedituras, apertissimè mandauerunt.

dauerunt. Quorum Metensis, refutato episcopo, quem Heinricus eis dare voluit, ipsi sibi canonicè catholicum pastorem elegêre, eumq; à Gebehardo Constantiensi episcopo, sedis Apost. legato, consecrari fecêre, sexto Cal. April. in medio quadragesimæ.

Dominus Papa Vrbanus generalem synodum c penè episcoporum, in quadragesima ex diuersis prouinciis, in Apulia congregauit, & diuersis ecclesiarum necessitatibus, synodali prouisione competenter succurrere curauit.

In Longobardia Cuonradus filius Heinrici regis à patre dolo circumuenitur & captiuatur, sed Dei misericordia inde ereptus, à Mediolanensi archiepiscopo, & reliquis fidelibus S. Petri, in regem coronatur, annuente Welphone duce Italiæ, & Mathilda eius charissima cõiuge. Sed & pater eiusdem ducis, Welpho dux Baioariæ, non multò post ad eũdem nouiter coronatũ regem, in Longobardiã venit, eiq; cũ filio suo fideliter adhærere satagit. Heinricus verò pater regis, in quandam munitionẽ se contulit, ibiq; diu absq; regia dignitate moratus, nimioq; dolore affectus, seipsum (vt aiũt) morti tradere voluit: sed à suis præuentus, ad effectum venire non potuit. *Conradus imp. F. cõtrà patrem rex Rom. creatus.*

In Alemannia dux Bertoldus monasterium nouum, in honorem S. Petri in prædio suo in Nigra sylua à fundamentis extruxit, multisque bonis ditauit. Sed & omnia bona alterius monasterij, quod eiusdẽ ducis pater, in alio loco ædificauit, iste ad istud transtulit. Hoc ergo monasterium frater ipsius ducis Gebehardus Constantiensis episcopus, & Apostolicæ sedis legatus, sua consecratione initiauit: alteréque Gebehardus Hirsaugiensis abbas, regularem disciplinam monachorum dudum ibidem instituit. Hæc autem consecratio facta est in Kal. Augusti, cũ est statio ad vincula S. Petri, quorum ẽt magnam partem venerandus abbas Sigefridus de cella Saluatoris, eidem loco contulit, & multas aliorum sanctorum reliquias. In eadem ẽt consecratione, abbas illi loco eligitur, eiusq; dispositioni & monachi & extructio loci, cũ omnibus ad illũ pertinentibus, liberè committitur, ipseq; locus Apost. sedi specialiter subiacere destinatur. *Cœnobium S. Petri in nigra sylua.*

Item in Alemannia Hartmãnus comes, & frater eius Otto, nouum monasterium in proprio allodio, in loco vbi Danubius & Ilaris fluuius conueniunt, in honorem S. Martini construxerunt: quod idem prædictus Constantiensis episcopus, in mense Septembri, sua cõsecratione initiauit, sed venerabilis Otto, abbas de S. Blasio regularem disciplinam ibidem instituit. *Biblingen cœnobium, comitum Kirchbergensiũ opus.*

Eodem etiam tempore idem episcopus prædicto abbati, aliud monasterium, non longè multum inde, in honorem S. Georgij, consecrauit. Quem locum & quæque ad illum pertinentia, quidam nobilis homo Cuonradus & frater eius, ad S. Blasiũ absq; omni conditione tradiderunt, & prædictum abbatem, vt Dei seruitium in eodem loco institueret, rogauerunt, quorum votis idem abbas annuere non cessauit. *S. Georgij cœnobium.*

Hoc tempore vxor egregij comitis, nomine Weliga, magni ducis Godefridi filia, satis laudabiliter cum viro suo in seculo conuersata, diem clausit extremum & apud Hirsaugiense monasterium, quod ipsa potissimum instituit & amauit, satis honorificè sepelitur.

Signum in Sole factum est, v iii Cal. Octob. ante meridiem, vt circulus quidam in illo appareret, & ipse sereno cœlo obscurissimè luceret. Sed hoc magis quidam eclipsin quàm signum fuisse putauerũt: præcipuè cum Luna esset vicesima octaua ea die. Nam egregius calculator dominus Heremannus Cõtractus, etiam in vigesima septima Luna eclipsin accidisse scribit, anno Domini M.XXXIII. *Eclipsis Solis.*

Gebehardus Constantiensis episcopus, & Apostolicæ sedis legatus, Welphonem ducem Baioariæ per manus in militem accepit, sicut & proprium fratrẽ Bertoldum ducem Alemanniæ iamdudum fecit. Cum quibus & reliquis Alemãniæ principibus magnũ conuentum apud Vlmam habuit, in quo conuentu firmissimè laudatum est, vt Constantiensi episcopo omnimodè secundum statuta canonum obediretur, & vt duci Bertoldo & comitibus secundum legem Alemannorũ obsecundaretur. Deinde firmissimam pacem tam duces quàm comites, tam maiores quàm minores se obseruaturos, à v ii Cal. Decemb. vsq; in Pascha, & à Pascha in duos annos iurauerunt, videlicet omnibus monachis suis conuersis & clericis, catholico episcopo subiectis, ecclesiis, & earum atriis, & doti earum, mercatoribus, & omnibus eodem iuramẽto obligatis, excepto Arnoldo inuasore Constãtiensis ecclesiæ, & omnibus eius fautoribus. *Pontificiorũ conuẽtus Vlmæ habitus.*

Hanc pacem ſinguli principes qui conuenerunt, vnuſquiſq; per poteſtatem ſuam vſquequaq; viritim iurare fecerunt.

Alfonſus Hiſpaniæ rex Cluniacenſium Mæcenas.

His temporibus rex Hiſpaniæ Aldefonſus in fide Catholicus, & in conſeruatione Cluniacenſis abbatis obedientiarius, ſæpiſſimè contra Paganos, pro Chriſtianis viriliter dimicauit, multasq; eccleſias, iam dudum penitus deuaſtatas, in priſtinum ſtatum reſtaurauit. Ipſe etiam Cluniaci maiorem eccleſiam à fundamentis ædificauit, ad cuius eccleſiæ ædificationem infinitam pecuniam Cluniacum direxit, qui etiam iamdudum ſe ibidem monachum feciſſet, ſi dominus abbas ad tempus eum ſub ſeculari habitu retinere non ſatiùs iudicaret.

In Longobardia venerabilis Anſelmus Mediolanenſis archiepiſcopus, in cauſa S. Petri ſtudioſiſſimus, & qui nuper Cuonradum regem incoronauit, ſatis laudabilem fecit finem, magnũq; mœrorem fidelibus S. Petri reliquit. Cui venerabilis Arnoldus de porta argentea in epiſcopatu ſucceſſit.

M. XCIIII.

DOMINVS papa Vrbanus natiuitatẽ domini Romę ſolenniter celebrauit, quamuis plures Guibertini in vrbe adhuc latuerint, quos dominus papa abſq; militari manu non facile potuit appellere. Maluit ergo eorum iniuriam ad tempus tolerare, quàm Romanos ciues armata manu inquietare. Guibertus autem hæreſiarcha cum Imperatore ſuo apud Veronam eo tempore fuit, ſeq; libẽter papatum deſerere ſimulauit, ſi alio modo pax in eccleſia recuperari non potuerit.

Praxedis imperatricis fuga.

Vxor huius Imp. iam diu multis iniuriis laceſſita, multisq; annis ne aufugeret cuſtodita, tandem ad Welphonem ducem Italiæ aufugit. Quæ apud ſuos tot & tanta, tamq; inaudita mala ſe paſſam conqueſta eſt, vt etiam apud inimicos miſericordiam ſe inuenturam non dubitaret, nec in hac vtiq; ſpe decepta eſt. Nam dux & vxor eius Machtildis gratanter eam ſuſceperunt & tractauerunt.

Iudinta ducissa Bauariæ moritur

Iudinta vxor ducis Welphonis Baioariæ, iam diu infirmata, & ea caſtigatione non parum meliorata diem clauſit extremum, quarto non. Martij, & apud monaſterium, quod maritus eius in honorem S. Martini in proprio allodio conſtruxit, à Gebehardo Conſtantienſi epiſcopo, honorificè ſepelitur. Ad quod monaſteriũ maritus eius dux, Capellam ipſius tradidit, quæ in auro & argento & pretioſiſſimis paramentis, mille libras penè valuit, idemq; monaſterium in poſſeſſionibus centum penè manſis melioravit, ſicq; melioratum & de ſua poteſtate emancipatum, S. Petro ſub iure tributario contradidit, vt Apoſtolicæ ſedi deinceps principaliter ſubiaceret, & ſub eius defenſione, vt alia libera monaſteria, iure perpetuo polleret.

Dominus papa Romæ prope S. Mariam nouam, in quadam firmiſſima munitione morabatur. Sed Guibertini turrim Creſcentij obtinentes, adhuc liberum viatoribus tranſitum ad papam, per pontem Tyberis, nondum permiſerunt. Nam abbatem quendam de Cella S. Petri in Alemannia, à Gebehardo Conſtantienſium & à fratre eius duce Bertoldo ad papam directum, dum per illum pontem tranſire vellet, in captione detinuerunt.

Abbas S. Petri à Guibertinis Romæ captus.

Fœdus quorundã principum cõtra Henricum.

Welpho dux Baioariæ firmiſſimam pacem cum Alemannico duce Bertoldo & reliquis Alemanniæ principibus initiauit, vſq; Baioariam imò vſq; ad Vngariam propagauit. Francia quoq; Teutonica & Alſatia eandem pacem, ſuis partibus ſe obſeruaturas, iuramento decreuerunt. Hæc tamen pax in Alemannia maximè inualuit, eò q; principes eius, quiſq; in ſua poteſtate iuſtitiam facere nõ ceſſauerit, quod reliquæ prouinciæ nondum facere decreuerint. Et præcipuè dux Bertoldus ad faciendã iuſtitiam in ducatu Alemanniæ adeò exarſit, vt in obſeruatione iuſtitiæ omnes prædeceſſores ſuos penè vicerit, & de hoc omnium ora pio rumore compleuerit.

Magnã tamen difficultatem adhuc in illis partibus, ſancta mater in deuitatione excommunicatorum perpeſſa eſt, quas vtiq; vix deuitare poſſet, ſi non iamdudum dominus papa ſententiam excommunicationis quodammodo cum Apoſtolica authoritate temperaſſet. Nã multos ipſo more prædeceſſoris ſui venerabilis papæ Gregorij, de excõmunicatione ſecluſit, videlicet viatores, ruſticos, ſeruos & ancillas, vxores & filios, quos tamen peruerſa voluntas eodẽ vinculo excõmunicationis non aſtrinxerit.

Gebehar-

Gebehardus Constantiensis ecclesiæ episcopus, magnam synodum Constantiæ, in hebdomada maiore ante Pascha, cũ abbatibus & clericis innumerabilibus, & cum prædictis ducibus, & reliquis Alemannię principibus canonicè celebrauit, ibiq; multa, quæ corrigenda erant, correxit. Ibi etiam incontinentiam presbyterorum & violentiam symoniacorum adeò prohibuit, vt etiam populum ab eorum officio sub banno prohibuisset, si ipsi in tali facinore positi cõtra fas & ius ministrare præsumpsissent. Statuit etiam ibi iuxta statuta S. Patrum, vt ieiuniũ Martij in prima hebdomada quadragesimę, & ieiunium Iunij in hebdomade Pentecostes semper celebretur. Item statuit, vt tam in hebdomada Pẽtecostes quàm in hebdomada Paschali, tres tantùm dies festiuè celebrarentur. Nam vsq; ad illud tempus Constantiensis episcopatus morem cõprouincialium nõ est sequutus, videlicet integram septimanam in Pascha, & vnum diem tantùm in Pentecoste obseruando: quamuis vtræq; septimanæ eiusdem obseruationis esse debuerint, & quamuis alij episcopatus penè omnes prædictam constitutionem iam ab antiquo tenuerint. Hæc inquam ipse in proprio episcopatu, & ex episcopali authoritate & ex Apostolica legatione, canonicè potuit instituere. Nã legatus fuit sedis Apostolicæ, per totam Teutonicam terram vsquequaq;.

Constãtiensis conuẽtus ordinum Alemãnię.

Querimonia Praxedis reginæ, quæ dudum ad Welphonem ducem Italiæ à marito suo discessit, ad Constantiensem synodum peruenit. Quæ se tantas tamq; inauditas fornicationum spurcitias, & à tantis passam fuisse conquesta est, vt etiam apud inimicos fugam suam facillimè excusaret, omnesq; catholicos ad compassionem tãtarum iniuriarum sibi conciliaret.

In hac synodo venerabilis abbas Sigefridus de cella S. Saluatoris super Dudonem obedientiarium suum se proclamauit, qui se & bona sua ad aliud monasterium liberè contradidit: sed non multò pòst sacrilegè, se & sua inde penitus abalienare tentauit. Vnde sancta synodus iuxta statuta canonum iudicauit, vt vir ille absq; omni contradictione ad obedientiam abbatis sui rediret, eiq; cum suis bonis iure perpetuo humiliter subiaceret, & de transacta inobedientia iuxta præceptum abbatis dignã pœnitentiam exequi studeret. Sicq; factum est, vt synodus faciendum esse iudicauit.

In Baioaria magna mortalitas grassabatur, adeò vt in Ratisponensi ciuitate infra duodecim hebdomadas octo M. D. illa mortalitate intercepti numerentur. Sed & alias prouincias eadem mortalitas afflixit, non tamen adeò vt Baioaria.

Pestis.

In Teutonicis partibus multa prodigia facta sunt. Nam & homines se ipsos suspenderunt, & lupi multos manducauerunt. Et hoc ex diuina vltione factum non dubitatur, eò q; legem diuinam neglexissent, & excõmunicatione maculari non timuissent. Fulmina quoq; de cœlo multùm homines terruerunt. Nã in monasterio apud Vtenburzon maius crucifixum & sedilia monachorum (vtpote non regulariter viuentiũ) à fulmine dissipata sunt. Item in Basiliensi ecclesia maiori, fulmen cõtriuit trabem, crucifixi sustentatricem, videlicet q; cum excommunicatis ibidem multi conuenissent.

Hoc tempore magister Manegoldus de Lutenbach, monasterium canonicorum apud Marbach instituere cœpit, seq; vnum eorundem canonicorum, communiter & regulariter viuentium, esse voluit.

Cœnobium Marbach in Alsatia superiore.

In Nigra sylua, in loco qui de sancto Blasio cognominatur, monasterium in honorem eiusdem sancti, à fundamentis cœpit ædificari, 111 Idus Septembris. Nam dominus adeò illum locum exaltauit, totq; illuc ad cõuersionem venire fecit, vt necessariò ampliora ędificia instituere debuerint. Ipsa quoq; die inceptionis huiusmodi ædificationis, dominus Otto venerabilis abbas, eiusdẽ loci priorẽ dominum Hartmannũ, in orientale regnum, in Marcham Vngaris collimitaneam, cum aliis cõfratribus suis direxit, ad nouam abbatiam in episcopatu Patauiensi, in loco qui Cotewich dicitur, instituendam. Erat autem in illo loco cœnobium clericorum regulariter viuẽtium, qui tamen hoc à domino papa, & per papam à proprio eorum episcopo impetrãrunt, vt depositio habitu clericali fierent monachi. Quapropter dominus abbas de S. Blasio ex præcepto domini papæ & ex episcopi postulatione, in eodem loco abbatiam instituere disposuit, fratresq; suos illuc ad hoc exequendum direxit.

S. Blasius Hercynij nemoris filiæ nasterium.

Cotewich cœnobium.

Heremannus iuuenis bonæ indolis, & aduocatus Augiensis, per insidias (heu crudeliter) à seruis Augiensis ecclesiæ, dum ad ecclesiam causa orandi

vellet ire, in frusta conciditur, VII Cal. Octob. & in monasterio apud S. Georgium, quod eius pater in proprio allodio constructum, honorificè sepelitur.

Venerabilis presbyter Percherus, multorum sanctimonialium prouisor religiosissimus, migrauit ad Dominum, secũdo Cal. Octob. magnumq; mœrorem reliquit, tam viris quàm fœminis. Sed & alij innumerabiles presbyteri in Teutonicis partibus obierunt, qui suos parochianos in magno periculo eiusdem mortalitatis dimiserunt.

Pestis saniss. Nam adeò maxima mortalitas vsq; quaq; grassabatur, vt in vna villa plus quàm mille quinquaginta homines infra sex hebdomadas mortui numerarentur. Sed & in vna die, & in vna villa plus quàm XL alicubi mortui sunt. Ipsa quoq; cœmiteria ecclesiarum adeò sepulturis impleta sunt, vt homines ibi mortuos suos sepelire nõ potuerint. Vnde in pluribus locis facta prægrandi fossa extra cœmiteriũ, omnes suos mortuos in illam coniecerunt. Hæc autem mortalitas non solùm Teutonicos, sed & Franciam, Burgundiam, Italiam vsq; vexabat, quæ tamen sapientibus non adeò detestanda videbatur. Nam maxima multitudo cum pœnitentia & cõfessione & probabili fine discesserunt, quem infirmitate detenti sibi post aliquot dies prouenturum præscierunt. Quippe omnes penè infirmi ad certitudinem obitus sui se præparauerunt, quod alio tempore vix sancti facere potuerunt. Ipsi etiam superstites à secularibus vanitatibus, i. à iocis, tabernis & aliis huiusmodi superfluis abstinere studuerunt, & ad cõfessionem & pœnitentiam currere, seq; sacerdotibus commendare non cessauerunt. Vnde maxima multitudo eadem mortalitate satis probabiliter obiêre.

Synodus Gallica. In Galliarum ciuitate, quam Ostionem vulgariter dicunt, congregatum est generale concilium, à venerando Hugone Lugdunẽsi archiepiscopo, & sedis Apost. legato, cum archiepiscopis, episcopis & abbatibus diuersarum prouinciarum, XVII Cal. Nouemb. in quo concilio renouata est excommunicatio in Heinricum regem, & in Guibertum sedis Apost. inuasorem, & in omnes eorum complices.

Item rex Galliarum Philippus excommunicatus est, eò quòd viuente vxore sua, alteram superinduxerit. Item simoniaca hæresis & incontinentia sacerdotum sub excommunicatione damnata est. Item, monachis interdictum est in eodem concilio, ne parochialium sacerdotum officia in parochiis vsurpent. Hæc inquam omnia ibi sunt constituta, & Apostolica legatione firmata.

Adelbertus comes in Kalwe. Adalbertus comes de Calua, iuuenis bonæ indolis, obiit tertio non. Decembr.

In Alsatia magister Manegoldus de Lutenbach, mirabiliter ecclesiasticam religionem, iam dudum in illis partibus extinctam, Deo miserante, reaccendit. Nam inualescẽte apud illos diuturna mortalitate, omnes penè maiores & militares illius Prouinciæ, ad ipsum cateruatim conuenêre, & de excommunicatione per potestatẽ ipsi à domino papa concessam, absoluti, & de reliquis eorum peccatis accepta pœnitentia per eum absolui non cessauerunt. Hi omnes domino papa Vrbano deinceps fideliter obedire decreuerunt, vnde & officia simoniacorum & incontinẽtium presbyterorũ, penitus recipere noluerunt. Huius autem obediẽtiæ dominus Manegoldus maxima causa fuit: vnde & magnã inuidiam sibi apud perfidos excitauit, quàm tamen pro minimo reputauit, quia pro Deo contemni etiam glorioſissimum esse non dubitauit.

M. XCV.

Pisana sedes archiepiscopali dignitate aucta. DOMINVS Papa Vrbanus iamdudum de Roma profectus, natalem Domini in Tuscia glorioſissimè celebrauit: in qua prouincia Pisanus episcopus nomine Dagobertus ei studioſissimè seruiuit, quem ipse iamdudum archiepiscopali pallio & potestate sublimauit, quod eatenus Pisanensis sedis episcopus habere non consueuit.

Heinricus autem rex dictus, eo tempore in Longobardia morabatur, penè omni regia dignitate priuatus. Nam filius eius Cuonradus, iamdudum in regem coronatus, se ab illa penitus separauit, & dominæ Mathildæ reliquisq; fidelibus S. Petri firmiter coniunctus, totum robur paterni exercitus, in Longobardia obtinuit.

Welpho filius Welphonis ducis Baioariæ, à coniugio dominæ Mathildis se penitus sequestrauit, asserens illam à se omnino immunem permãsisse: quod ipsa in perpetuum reticuisset, si non ipse prior illud satis inconsideratè publicasset. Vnde pater ipsius in Longobardiam nimis irato animo peruenit, & frustrà diu multumq; pro huiusmodi

iuſmodi reconciliatione laborauit. Ipſum etiam Heinricum ſibi in adiutorium aſciuit contra dominam Machtildam, vt ipſam bona ſua filio eius dare compelleret, quamuis nondum illum in maritali opere cognoſceret. Vnde diu fruſtra laboratum eſt.

Dominus papa Deo & S. Petro proſperante, iam penè vbiq; prævaluit, & in media Longobardia in ciuitate Placentina, inter ipſos ſchiſmaticos, & contra ipſos generalem ſynodum condixit, ad quam epiſcopos Italiæ, Burgundiæ, Franciæ, Alemanniæ, Baioariæ, aliarumq; prouinciarum, canonica & Apoſtolica authoritate miſſis literis conuocauit.

Facta eſt autem hæc ſynodus, circa mediam quadrageſimam Placentiæ, ad quam ſynodum multitudo tam innumerabilis confluxit, vt nequaquam in qualibet eccleſia illius loci poſſet comprehendi. Vnde & dominus papa extra vrbem in campo illam celebrare compulſus eſt: Hoc tamen non abſq; probabilis exempli authoritate. Nam primus legislator Moyſes, populum Dei in campeſtribus, legalibus præceptis, Deo iubente, inſtituit: & ipſe dñs non in domibus, ſed in monte & in campeſtribus diſcipulos ſuos Euangelicis ſtatutis informauit. Miſſas quoq; nonnunquã extra eccleſiam ſatis probabiliter, neceſſitate quidem cogente, celebramus, quamuis eccleſias earum celebrationi ſpecialiter deputatas non ignoramus.

Synodus Placentina.

In hac ſynodo Præxedis regina iamdudum à Heinrico ſeparata, ſuper maritum ſuum domino Apoſtolico & ſanctæ ſynodo cõqueſta eſt, de inauditis fornicationum ſpurcitiis, quas apud maritum paſſa eſt. Cuius querimoniam dominus papa cum ſancta ſynodo ſatis miſericorditer ſuſcepit, eò quòd ipſam tantas ſpurcitias nõ tam commiſiſſe, quàm inuitam pertuliſſe, pro certo cognouerit. Vnde & de pœnitẽtia pro huiuſmodi flagitiis iniungenda, illam clementer abſoluit, quæ & peccatum ſuum ſponte & publicè confiteri non erubuit.

Acta & ſtatuta ſynodalia.

Ad hanc ſynodum Philippus rex Galliarum legationem ſuam direxit, ſeq́ue ad illam iter incepiſſe, ſed legitimis ſociis ſe impeditum fuiſſe, mandauit. Vnde inducias ſibi vſque in Pentecoſten apud dominum papam ſynodo intercedente impetrauit. Dominus autem Hugo Lugdunenſis archiepiſcopus, ad eandem ſynodum vocatus, ab officio ſuſpenditur, eò quòd ipſe non venerit, nec legatum cum canonica excuſatione illuc pro ſe direxerit.

Item legatio Conſtantinopolitani inprimis ad hanc ſynodum peruenit, qui dominum papam omnesq́ue Chriſti fideles ſuppliciter implorauit, vt aliquod auxilium ſibi contra Paganos pro defenſione S. eccleſiæ conferrent, quam Pagani iam penè in illis partibus deleuerant, qui partes illas vſque ad muros Conſtantinopolitanæ ciuitatis obtinuerant. Ad hoc ergo auxilium dominus papa multos incitauit, vt etiam iureiurando promitterent, ſe illuc, Deo annuente, ituros, & eidem Imperatori contra Paganos pro poſſe ſuo, fideliſſimum adiutorium collaturos.

Imp. Orientis Latinorum auxilium contra Sarracenos implorat.

Hæc autem inter alia in illa ſynodo conſtituta ſunt, vt ad pœnitentiam nullo modo reciperentur, qui concubinas & odium ex corde, & quodlibet mortale peccatum, dimittere nollent. Item, vt nullus presbyter aliquos ad pœnitentiam reciperet, niſi cui proprius epiſcopus hanc curam commiſiſſet. Item vt quilibet ritè ad confeſſionem venientibus Euchariſtiam non denegemus, quos ſolo corpore non mente inter excommunicatos manere, nec tamen eorum ſacramentis communicare, cognoſcimus.

In hac quoq; ſynodo hæreſis ſimoniacorum penitus damnata eſt, vt quicquid & in ſacris ordinibus, & in eccleſiaſticis rebus, data & promiſſa pecunia acquiſitũ ſimoniacè videretur, pro irrito haberetur, nullasq; vires habuiſſe & habere iudicaretur. His tamen qui non ſimoniacè & neſcienter à ſimoniacis ordinati ſunt, miſericordia in ſeruando ordine conceſſa eſt: qui verò ſcienter ab huiuſmodi ordinati ſunt, cum ſuis ordinatoribus irrecuperabiliter damnati ſunt.

Item hæreſis Nicolaitarum, i. incontinentium ſubdiaconorum, diaconorum, & præcipuè ſacerdotũ, irretractabiliter damnata eſt, vt deinceps de officio ſe non intromittãt, qui in illa hęreſi manere non formidant, nec populus eorum officia nullo modo recipiat, ſi ipſi Nicolaitæ contra hæc interdicta miniſtrare præſumant.

Item hæreſis Beringeriana iam ab antiquo ſæpiſſimè anathemizata, iterum da-

mnata est, & sententia catholicæ fidei contra eandem firmata, videlicet, quòd panis & vinum, cùm in altari consecrantur, non solùm figuratè, sed etiam verè & essentialiter in corpus & sanguinem Domini conuertantur.

Item in Guibertum hæresiarcham, sedis Apostolicę inuasorem, & in omnes eius complices sententia anathematis synodali iudicio, cum ardentibus candelis iterũ promulgata est. In hac synodo quatuor millia ferè clericorum, & plus quàm triginta millia laicorum fuisse perhibentur.

In hac synodo constitutum est, vt pro crismate & baptismo & sepultura nihil vnquam exigatur. Item vt ieiunia quatuor temporũ hoc ordine celebrentur, sc. primum in hebdomada quadragesimæ, secundum in hebdomada Pentecostes, tertium verò & quartum in Septembri & Decembri solito more fiant.

Huic synodo reuerendissimi antistites interfuerunt, de Baioaria quidem, Dimo Salzburgensis archiepiscopus, & Vdalricus Patauiensis episcopus, eius suffraganeus. De Alemannia verò Gebehardus Constãtiensis episcopus, qui & Arnolfum Mediolanensem archiepiscopum diu quidem electum, sed nondum consecratum, eodem tempore ex concessione domini papæ, Mediolani consecrauere. Ipse quoq; dñs papa Vdalricum Augiensem abbatem eo tempore cõsecrauit, qui itidem prædictæ synodo interfuit, cui in præsentia Constãtiensis episcopi, omnem episcopalem potestatem, in clerum & populum Augiensis insulæ interdixit, quam dudum Constantiensi episcopo concessit. Abbas tamen ille non multò pòst de illa potestate se intromisit. Vnde querimonia facta ab episcopo, dominus papa illum missis literis ab huiusmodi præsumptione, iterum compescuit.

Pontificis & Conradi regis congressus.

Conradus rex, filius Heinrici, domino papæ Vrbano, Cremonam venienti, obuiam progreditur, eique stratoris officium exhibuit, quarto Idus Aprilis. Deinde, fecit ei fidelitatem iuramento, de vita, de membris, & de papatu Romano. Dominus autem papa in filium S. Romanæ ecclesiæ recepit illum, eiq; consilium & adiutorium ad obtinẽdum regnum, & ad coronam imperij acquirendam, corã populo firmissimè promisit, salua quidem iustitia illius ecclesiæ & statutis Apostolicis, maximè de inuestituris in spiritualibus officiis à laico non vsurpandis.

Welpho dux Baioariæ, cum filio suo Welphone tandem de Longobardia in Alemanniam rediit, multumq; de restitutione Heinrici in regnum, quamuis de anathemate non absolutum, cum principibus regni frustra laborauit: nam & fautores Heinrici, non facilè eius persuasioni crediderũt: catholici autem excommunicationem & periurium incurrere timuerunt, si reciperent Heinricum, quem sub excommunicatione communiter abiurauerunt.

Conradi regũ nuptæ.

Cuonradus rex cum regio apparatu in Tusciam Pisas perrexit, ibiq; spõsam suam, filiam Rogerij ducis de Sicilia, adhuc admodum paruulam, cum inaudita pecunia sibi oblatam, recepit.

Dominus papa rebus in Lõgobardia bene dispositis, in Gallias matino itinere cœpit diuertere, & ad S. Mariã ad Podium, in assumptione ipsius peruenit, synodumque ad montem Clarum, in octauam S. Martini, Apostolica authoritate cõdixit, ad quam diuersarum prouinciarum episcopos, missis literis canonica vocatione inuitauit.

Synodus generalis Claromontana.

Monasteriũ canonicorũ regularium prope Tullum.

Lutolfus sanctissimi Leonis papæ filius, sanctæq; Tullensis ecclesiæ decanus, monasterium clericorum, quod canonicum Romani cognominant, prope eandem ciuitatem construxit, in quo clericos secundum regulam S. Augustini viuere professos congregauit, quibus & præpositum eiusdem professionis præfecit: quẽ episcopus loci in abbatem eidem congregationi solenniter consecrauit. Est enim consuetudo in illis partibus, vt præpositi congregationum huiusmodi, abbates nominẽtur, & in abbates consecrentur, hoc tantùm excepto, quod baculos non portant. Dominus quoque papa Vrbanus eidem loco priuilegium fecit, in quo firmissimè decreuit, vt clerici illius loci regulam sancti Augustini in perpetuum custodiant, & deinceps libertatem eligendi abbatis semper obtineant. Est autem illud monasterium in honorem sancti Leonis papæ specialiter constructum, & ecclesia in eiusdem Apostolici honorem dedicata. Datum est hoc priuilegium in Longobardia, venerabili Lutolfo, à domino papa, anno Dominicæ incarnationis M.XC V.

Lutolfus

Lutolfus ditissimus marchio de Orientali regno, in causa S. Petri fidelissimus contra schismaticos, diem clausit extremum. De cuius obitu quantum catholici doluerunt, tantùm aduersarij S. ecclesiæ gauisi sunt.

Heinricus etiam Palatinus comes, multum & ipse diues, sed Apostolicę sedi non adeò obediens, viam vniuersæ terræ arripuit, diuitiasq; multas à multis sibi inutiliter diripiendas dereliquit. *Henrici comitis Palatini mors.*

In Galliis ad Clarum montem generalis synodus à domino papa, in octaua sancti Martini congregata est, in qua XIII archiepiscopi, cum eorum suffraganeis fuerunt, & CCV pastorales virgæ numeratæ sunt. In hac synodo dominus papa eadem statuta, quæ & in præterita synodo Placentina confirmauit, insuper & Philippum regem Galliarum excommunicauit, eò quòd propria vxore dimissa, militis sui vxorẽ sibi in coniugium sociauit. Ibi etiam aliam synodum, in tertiam subsequentis quadragesimæ hebdomadam Turonis celebrandam denunciauit. *Claromontana synodus.*

M. XCVI.

DOMINVS papa Aretati diem Dominicæ natiuitatis, cum diuersarum prouinciarum episcopis, gloriosissimè celebrauit. In his locis ex parte schismaticorũ Wirceburgẽsis episcopus ad Apostolicum peruenit, eiusq; misericordiã consequutus est, ita tamẽ vt eadẽ misericordia à legatis papæ in Teutonicis partib. perficeretur eidem.

In tertia hebdomada quadragesimæ dominus papa synodum celebrauit, cum diuersarum episcopis prouinciarum, in ciuitate Turonensi, vbi iterum suorum præteritorum statuta conciliorum, generalis synodi assensione roborauit, & non multò pòst episcopum Strazburgensem, de excommunicatione resipiscentem, recepit in communionem, ita tamen vt de illatis criminibus se expurgaret. *Synodus Turonensis.*

His temporibus maxima multitudo de Italia, & omni Gallia & Germania Hierosolymam contra Paganos, vt liberarent Christianos ire cœpit, cuius expeditionis dominus papa maximus author fuit. Nam & in præteritis synodis studiosissimè omnes de hac expeditione promouit, eamq; eis in remissionem omnium peccatorum faciẽdam, firmissimè commendauit. Omnes quoque qui se ad hoc iter deuouerunt, signo crucis seipsos in vestibus notare fecit, quod etiam signum quibusdã in ipsa carne notatum apparuit. Vnde & à quampluribus Dei ordinatione & inspiratione ipsum iter incœptum fuisse credebatur. Nimium tamen simpliciter innumerabilis multitudo popularium iter illud arripuit, qui nullo modo se ad tale periculum præparare nouerunt & potuerunt. Vnde & eorum non parua pars occubuit, quę terram Vngarorum satis imprudenter deuastare præsumpsit: reliqui verò subsequentem multitudinẽ rex Vngariæ terram illam intrare non permisit, cuius etiam non parua pars ad introitum Vngariæ occubuit. Non erat autem mirum quòd propositum iter ad Hierosolymam explere non potuerunt, quia non tali humilitate & deuotione (vt deberent) illud iter adorsi sunt. Nam & plures apostatas in comitatu suo habuerũt, qui abiecto religionis habitu, cum illis militare proposuerunt. Sed & innumerabiles fœminas secum habere non timuerunt, quæ naturalem habitum in virilem nefariè mutauerunt, cum quibus fornicati sunt, in quo Deum mirabiliter sicut Israeliticus populus quondam, offenderunt. Vnde post labores, pericula & mortes, tãdem cum Vngariam non permitterentur intrare, domum macte cum magna tristitia cœperunt repedare. *Christianorum in terram sanctam generalis expeditio.*

Hoc anno in quibusdam ciuitatibus Iudæi magna cæde trucidati sunt, ab his qui Hierosolymam petierunt, ita dico, vt apud Spiram fugientes in palatium regis & episcopi, etiam repugnando vix se defenderent, eodem episcopo Iohanne illis auxiliãte. Qui ẽt postea ab hoc ira cõmotus, & pecunia Iudæorũ conductus, quosdam fecit obtruncari Christianos. Item apud Wormatiã Iudæi persequẽtes fugiendo Christianos ad eũm properabant, qui cùm non aliter illis salutem nisi baptizarentur, promitteret, inducias colloquij rogauerunt. Et eadẽ hora epi cubiculũ intrãtes, nostris foras expectãtibus, quid respõsuri essent, diabolo, & ꝓpria duritia ꝑsuadẽte, seipsos interfecerũt. *Iudæi Spiræ patiuntur.*

Philippus rex Galliarũ iamdudum pro adulterio excommunicatus, tandẽ domino papa, dũ adhuc in Galliis moraretur, satis humiliter ad satisfactionẽ venit, & abiurata adultera, in gratiam receptus est, seq; in seruitiũ domino papæ satis prõptum exhibuit. *Rex Galliæ in piorum communionẽ receptus.*

Dominus papa bene disposítis rebus in Gallia, post reconciliationem regis Galliarum, & post multa concilia, tandē in Longobardiā cum magno triumpho & gloria repedauit, & exaltationem S. crucis, apud Hortarium, prope Papiam, solenniter celebrauit, multosq; episcopos & principes in suo comitatu habuit.

Sigefridus piæ memoriæ Schafusensis abbas, vir magnæ prudentiæ & admirabilis beneuolentiæ v Cal. Nouemb. ad Dominum migrauit, omnibusq; fidelibus tam laicis quàm spiritualibus, magnum mœrorem in sua discessione reliquit. Cui venerabilis Gerhardus in ordine successit, quarto non. Nouembris.

Wernherus comes obiit, tertio idus Nouembris.

Luitfridus sanctæ recordationis abbas de monasterio S. Martini, iā penè triginta annis mūdo crucifixus, & soli Deo viuus, in senectute bona, videlicet plenus dierum, diem clausit extremum, secundo Cal. Maij.

M. XCVII.

DOMINVS papa tandem ad Apostolicam sedem, cum magna gloria & tripudio reuersus, natiuitatem Domini Romæ cum suis cardinalibus glorioßissimè celebrauit: quippe tota Romana vrbe penè sibi subiugata, præter turrim Crescentij, in qua adhuc latitabant Guibertini.

Azzo marchio, pater ducis Welphonis Baioariæ moritur.

Azzo marchio de Longobardia, pater Welphonis ducis de Baioaria, iam maior centenario, vt aiunt, viam vniuersæ terræ arripuit, magnamq́ue guerram suis filiis de rebus suis dereliquit. Nam Welpho dux omnia patris sui bona, vtpote matri suæ donata, obtinere voluit: sed fratres eius de alia matre procreati, noluerunt se penitus exhæredari: vnde & aditum ei in Longobardiam prohibuerunt, cùm iret ad possidendum.

Henricum Italia pulsum.

Domina Machtildis egregia dux & marchioniſſa, deuotißima S. Petri filia, magnum sibi nomen vbiq; eo tempore acquisiuit. Nam ipsa penè sola cum suis contra Heinricum & hęresiarcham Guibertum, complicesq; eorum, iam septennio prudentißimè pugnauit, tandemq; Heinricum de Longobardia satis viriliter fugauit: & ipsa recuperatis suis bonis, Deo & S. Petro gratias referre nō destitit. Heinricus verò cum paucis Ratisponam deuenit, & ibidem totam æstatem, & circa castrum Nurenberg, satis priuatè moratus, tandem Nemetum migrauit, itidem ibi satis priuatè diu moratur.

Interim dux Welpho Baioariæ Longobardiam profectus est, ad possidendam hęreditatem patris sui Azzonis marchionis, qui nuper defunctus est. Sed filij eiusdem marchionis de alia coniuge, prædicto duci totis viribus restitêre. Vnde idem dux adiutorium Heinrici ducis Carentini & fratris eius Aquileiensis patriarchæ, coactus adsciscere, fratres suos hostiliter inuasit, sicq; hæreditatem patris de manibus eorum, ex magna parte sibi vendicauit.

Vlricus comes Brigantiæ.

Vdalricus comes prędlariſſimus, in causa S. Petri contra schismaticos propugnator feruentißimus, heu satis immatura morte, sed cum bona confessione diem clausit extremum, & apud Brigantium, vbi ipse monasticam vitam instituit, honorificè sepelitur, v i Calend. Nouembris.

M. XCVIII.

DOMINVS papa Romæ natalem Domini celebrauit, maximamq́; pacem in ipsa vrbe & eius finibus firmißimè composuit, ibidemq́; Paschalem solennitatē cum magna gloria itidem celebrauit. Sed æmulus eius Guibertus in partibus Rauennæ eo tempore demoratus, quandam munitionem perdidit: in qua ipse spem suam maximè habuit, videlicet castellum nomine Argentum, quod Pado imminet, & omnes per Padum transeuntes distringere potest.

Gerhardus venerabilis abbas Schafhusensis, pro humilitate locum suum, annuente domino papa, dimisit, & ab ipso concessionem, vt alius eidem loco abbas præficeretur, impetrauit. Sed magna calamitas illum locum pastore destitutum, subsequuta est: ita vt ex fratribus multi illum locum desererent, & seculares bona illius loci sibi sacrilegè vendicarent. Vnde & abbas ibidem ordinari diu non potuit,

iuxta

iuxta quod dominus papa fieri disposuit. Aduocatus etiam ipsius loci comes Adalbertus, munitionem quandam ibi propè firmauit, & bona abbatiæ sibi sacrilegè vendicauit. Quapropter monachi cum crucibus & reliquiis & Litaniis suppliciter ad eandem munitionem processerunt, sed à militibus comitis partim occisi, partim vulnerati, sed omnes malè tractati, domum rediêre & repedare compulsi sunt: quippe crucibus & reliquiis particulatim disruptis, & per campum heu miserabiliter dissipatis. Hinc ille comes tam clericis quàm laicis multum erat abominabilis. Sed & ipsi monachi Dei iudicio hoc meruisse, à quàm plurimis iudicabantur, eò quòd abbatẽ suum non benè tractauerint, eumq; à se absq; competẽti ratione non tam dimiserint, quàm expulerint. *Adalbertus comes de Nellenburg.*

Manegoldus venerabilis præpositus Canonicorum apud Marbach degentium, à Heinrico rege diu in captione detentus est: eò q; schismaticis contra ecclesiasticam authoritatem obedire noluerit: vnde & tota ecclesia longè lateq; condoluit.

Godefridus dux, nepos magni ducis Godefridi, Ruobertus filius Balduini comitis, Bohemundus filius Ruoberti ducis Calabriæ atq; Sicilię, Raimundus comes de S. Ægidio, item Otto Strazburgensis episcopus, & comes Hardmannus de Alemannia, hi nquam omnes & alij quamplures, cum innumerabili multitudine, iamdudum Hierosolymam tendere cœperunt, & Nicea ciuitate & Antiochia, aliisque ciuitatibus de potestate Paganorum ereptis, & præcipuè Patriarcha Hierosolymitano in locũ suum restituto, vsque prope Hierosolymam, cum multis præliis atq; victoriis peruenerunt. Vnde & dominus papa ad eandem multitudinem suam legationem direxit, videlicet venerabilem Theobertum Pisanæ ecclesiæ archiepiscopum, qui & illis in omnibus Apostolica vice adesset, & ecclesias in locis, vnde Pagani expulsi sunt, instauraret. Sed Constantinopolitanus rex huic dispositioni impedimento fuit, qui se omnimodè à nostrorum adiutorio subtraxit. Nã ciuitates illas, quas nostris de manibus eripuerunt, ille penitus incendio deuastare, & Paganis reddere non timuit, iteráque Hierosolymitanum per suam potestatem omnibus peregrinis omnino prohibuit.

Hoc anno factum est mirabile signum in cœlo, v Cal. Octobr. vt tota penè illa nocte, magna pars cœli sanguinea appareret. Nec rubor ille tantùm in vno loco permansit, sed omnes partes cœli peruagauit, multiq; quasi solis radij de eodem rubore videbantur procedere.

M. XCIX.

DOMINVS Papa natalem Domini Romæ cum magna pace celebrauit. Nam & castellum S. Angeli cum aliis munitionibus in sua potestate detinuit, omnesque æmulos suos in ciuitate, cum Dei adiutorio satis viriliter aut placauit, aut vi perdomuit. Synodum quoq; suam in tertia hebdomada Romæ celebrandam post Pascha, missis literis vsq; quaq; denunciauit. *Guibertina factio Romæ extincta.*

Rapoto Palentinus comes de Baioaria, pertinacissimus fautor, imò caput eorum qui Apostolicæ sedi & Catholicæ vnitati hactenus aduersati sunt, diem clausit extremum. Item Cuonradus Traiectensis non episcopus sed schismaticus, turpiter à quodam occisus interiit, quem ipse deprædari præcepit.

Romę dominus papa generalem synodum CL episcoporum & abbatum, & clericorum innumerabilium, in tertia hebdomada post Pascha, collegit: in qua synodo confirmatis suorum antecessorum statutis, etiam sententiam anathematis super Guibertum hæresiarcham, & omnes eius complices, iterauit. Statuit quoque ibi, ne communicare præsumerent, qui concubinas haberent, nisi prius eas omnino dimitterent. De Hierosolymitano itinere multùm rogauit vt irent & fratribus suis laborantibus succurrerent. *Generalis synodus Romana.*

In Alemannia tandem post multa pericula abbas in Scafhusensi monasterio ordinatus est, nomine Adalbertus, qui de prioris abbatis quasi expulsione infamatus, ita se iudicio S. ecclesiæ expurgauit, vt ab episcopo per obedientiã, quam Regulæ debuerit, interrogatus, se innocẽtem de illo crimine profiteretur. Ordinatus est aũt à venerabili Gebhardo Constan. episcopo, & sedis Apost. legato, in natiuitate S. Ioan. Baptistæ.

Luitolfus comes bonæ memoriæ, iam diu æger pedibus, sed in caussa sancti Petri *Luitolfus comes de Achalm, siue de Wülfingen.*

contra schismaticorum prauitatem propugnator indefessus, tãdem ex seculari dignitate, in monachicam religionem transmutatus, feliciter migrauit ad Dominum, XV Kal. Sept. in monasterio, quod ipse in proprio allodio de propriis fundauit, & in quo se ipsum monachum fecit, honorificè sepelitur.

Romæ venerabilis papa Vrbanus, huius nominis secundus, postquam sedem Romanam XI annos & V menses gubernauit, post multas tribulationes, tãdem IIII Cal. Augusti, de hac luce migrauit. Post cuius obitum dominus Paschalis, qui & Regengerus, in ordine CLXII papa, ordinatur, & hoc ex diuina reuelatione factum vbiq; diuulgabatur. Ordinatus est autem à clero & populo, post discessum sui prædecessoris, die decima sexta.

Paschalis post Vrbanũ pontifex.

Adelbertus comes piæ recordationis, in fidelitate S. Petri contra schismaticos iam ex antiquo studiosissimus, & demum ex comite monachus factus, feliciter diem clausit extremum, X Cal. Octob. & in monasterio, quod ipse de propriis construxit, in quo monachicum habitum suscepit, honorificè sepelitur, sc. Hirsaugiæ, præsidente domino Gebehardo abbate.

M. C.

DOMINVS Paschalis papa natiuitatem Domini Romę cum magna pace celebrauit, & per literas suas, venerabili Gebehardo Constantiensi episcopo, in Teutonicis partibus Apostolicas vices commendauit, quas & ab antecessore eius iam multis annis obtinuit.

Abbas S. Georgij interficitur.

In Alemannia venerabilis abbas Manegoldus, de monasterio S. Georgij à monacho suo in eodem loco heu miserabiliter occiditur, & sibi quidem ad perpetuam salutem, sed monacho ad certissimam damnationem. Occisus est autem XV Calend. Martij, vbi eo anno fuit cœptum ieiunium: superuixit tamen vsq; in Sabbatum, cum magna deuotione suum amplectens martyrium. Nam XII Cal. Martij diem clausit extremum.

Iam multùm penè vbiq; sententia excommunicationis cœpit tepescere, vt etiam quidam religiosi, qui vsq; ad hoc tempus in illa causa erant feruentissimi, à Catholicis discederent, & inter excommunicatos promoueri non timerent. Sed sancta ecclesia in sedis Apostolicæ obedientia circa excommunicatos nihilominus perstitit, quę post apostasiam Iudę, reliquos Apostolos etiam firmiùs cum domino perstitisse cognouit.

Scafusiensis quidam abbas, sit custos Dominici sepulchri.

Gebehardus venerabilis abbas, qui dudum Schafhusensem abbatiam pro Deo dimisit, & hoc cum autoritate domini Vrbani papæ, Hierosolymam cum exercitu Christianorum petiit, qui post multos labores ciuitatem obtinuerunt, & prædicto abbati sepulchrum Domini custodiendum commiserunt.

Otto Strazburgensis schismaticus, de Hierosolymitano itinere reuersus, sed de schismate (vt putabatur) non emendatus, diem clausit extremum.

FINIS.

HENRI-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 136;Leibn. Marg. 136, Stück 1, [396] - 378

V.

HENRICI IMP. EIVS NOMINIS IIII, DVCIS VERO BOIORVM VII VITA, A QVODAM EIVS TEMPORIS CONSCRIPTA.

ITEM

Eiusdem ad diuersos Epistolæ.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 136;Leibn. Marg. 136, Stück 1, [397] - -

AVTORIS PROOEMIVM.

QVis dabit capiti meo aquam, & fontem lachrymarum oculis meis, vt lugeam non excidia captæ vrbis, non captiuitatem vilis vulgi, non damna rerum mearum, sed mortem Henrici Imperatoris Aug. qui spes mea & vnicum solatium fuit, imò vt de me taceam, qui gloria Romæ, decus Imperij, lucerna mundi extitit? Erit posthac mihi vita iocunda? erit absq; lachrymis dies aut hora? aut tecum? ô dulcissime, potero illius mentionem habere sine fletu? Ecce dum scribo, quod dictauit impatientia doloris, cadunt lachrymæ, madent fletu literæ, & quod notat manus, diluit oculus. Sed forsan impatientiam doloris mei redarguis, & vt fletum meum reprimam, ne fortè iis, qui de morte Imperatoris gaudent, innotescat, instruis. Rectè me doces. fateor: Sed non possum imperare mihi, quin doleam, non possum me continere quin lugeam, licet in me furorem suum exacuant, licet me membratim discerpere cupiant: dolor timere nescit, dolor illatas pœnas non sentit. Nec ego solus mortem eius lamentor: hanc Roma plangit, hanc omne Romanum imperium deflet, hanc in commune diuites & pauperes, præter insidiatores potentiæ vitæq; eius, lugent. Nec mihi priuata doloris causa est: publicam lamentari cladem pietas me cogit. Nam illo recedente, iustitia terras reliquit, pax abiit, fraus in locum fidei subintrauit, chorus laudantium Deum conticuit, solennitas officij diuini siluit, vox exultationis & salutis in tabernaculis iustorum non auditur: quia qui hæc omnia solenniter ordinauit, non inuenitur. Monasteria patronum suum, claustra patrem amiserunt, quibus quid commodi quid honoris ipse conferret, nunc demum agnoscitur, cùm extinctus ea non tenet. Ergo claustris omnibus vera dolendi causa subest: Nam cum illo sepulto gloria eorum sepulta est. Heu Moguntia, quantum decus perdidisti, quæ ad reparandam monasterij tui ruinam talem artificem amisisti? si superstes esset, dum operi monasterij tui, quod inceperat, extremam manum imponeret, nimirum illud illi famoso Spirensi monasterio contenderet, quod ille à fundo fundatum vsque mira mole & sculptili opere compleuit, vt hoc opus super omnia regum antiquorum opera laude & admiratione dignum sit. Qualem etiam ornatum ex auro, argento, lapidibus pretiosis & sericis vestibus illi monasterio contulerit, difficile est credere, nisi cui contingit & videre. Vobis quoq;, ô pauperes, vel maxima causa dolendi est: nam nunc demum pauperes facti estis, cùm paupertatis vestræ consolatorem amisistis: ille vos pauit, ille manibus suis lauit, ille nuditatem vestram texit: non ante ianuam, sed ante mensam eius Lazarus iacuit: nec micas, sed regias delicias expectauit. In ipsa mensa famem & fœtorem vlcerosi non abhorruit, cùm minister mensæ contra fœtentem nares corrugaret, aut obstiparet. In cubiculo eius cæci, claudi, & diuersis morbis confecti iacebant: hos ipsemet excalceabat, hos collocabat, hos de nocte consurgens tegebat, nec abhorrebat vel eius tactum, quem ægritudo compulerat vsq; ad sordidandum lectum: iter eius pauperes præcedebant, comitabantur, sequebantur: quorum curam tametsi suis intimis commendasset, ipsemet tamen eos tanquam nulli commendatos curabat. Sed & per curtes suas vsquequaq; stipendia pauperibus disposuerat, quorum numerum & obitum ipse scire voluit, vt & defuncti memoriam ageret, & in eius locum alterum subrogatum nosset. Sed quando sterilitas anni famem indixit, multa millia pauenda suscepit, vere memor verbi dominici præcipientis: Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. Quid putamus quo dolore pauperes afficiuntur, cùm hæc bona, quæ enumerauimus, se habuisse, & nunc non habere, recogitant? Quis enim illis hanc humanitatis curam impendit? quis quærit vbi æger cubet, vel quid alimenti postulet? quis amplius iis misericordiæ officiis inseruit, quibus Henricus Imperator inseruiuit? O virum pietatis & humanitatis laude insignem! Imperauit mundo, pauperes illi: mundus illi, pauperibus ipse ministrauit. Hæc de bono misericordiæ in pauperes, quos multum amauit: & quod ab hominibus abscondi non potuit, non pro dignitate facti, sed pro facultate ingenij primo locuti (quis enim scire posset, quæ solo Deo teste peregit?) de aliis quoq; virtutibus quibus claruit, aliqua dicamus: Nam omnia dicere non sufficimus. Nemo miretur, si luctui mortis eius vitæ quoque eius læta gesta immisceam, cùm hic mos dolentium sit, vt cùm extinctum amicum lugent, totam eius retro vitam & mores in argumentum doloris sui edisserant. Itaque iuuat me de eo scribere, iuuat indulgere dolori, & mortuum flere, qui dum viueret gaudium meum fuit. Ille modo personam Imperatoris, modo tanquam militis gerebat: ex vno gerendæ dignitatis, ex altero documentum præbēs humilitatis. Tam subtilis ingenij tamq; magni consilij fuit, vt dum sententia principum vel in causa decernendi iuris, vel in tractādis

regni

regni negotiis hæsitaret, ipse citò nodum solueret, & quid æquius, quid vtilius esset, tanquam ex ipsius arcano sapientiæ sumptum, edocent. Intẽdebat aliorum verbis, ipsemet pauca loquebatur: nec prius ad sententiam erumpebat, sed aliorum expectabat. In cuius vultum aciem oculorum suorum fixisset, eius animi motus perspiciebat, videbatq; tanquam lynceis oculis, siue aduersum se cor odij, seu gereret amoris. Nec illud laude vacat, quòd in turba procerum cæteris eminẽtior, & maior seipso videbatur, & quòd in vultu terribile quoddam decus præferebat, vnde intuitus aspicientium tanquam fulmine reuerberaret, cùm inter domesticos suos, & rara turbam, vultu placidus & statura æqualis appareret. Non solùm potentes imperij sui metuebant eum, sed & reges orientis & occidentis adeò fama eius perterruit, vt ante tributarij sint facti, quàm victi. Ipse rex Græciæ vt metum dissimularet, amicitiam eius expetebat, & quem futurum hostem timuit, muneribus ne fieret hostis, præuenit. Testatur hoc aurea tabula Spirensis altaris, tã artis nouitate, quàm metalli pondere miranda, quam rex Græciæ dum Imperatoris votum & studium circa Spirense monasterium feruere cognosceret, nobile donum & tam eo qui misit, quàm cui mittebatur, dignissimum transmisit. Sed & rex Africæ quia potentiam Imperatoris timuit multùm, eius fisco multum addidit. Oppressores pauperũ oppressit, raptores in direptionem dedit, contra se contumaces, contraq; suam potentiam se leuantes, adeò retudit, vt in posteris eorum regiæ vindictæ vestigia vel hodie compareant: quo nimirum facto & suis in præsenti, & imperij rebus in futurum prouidit, vt discant non disturbare pacem, nõ armis imperium vexare. Hic velim abrumpere stylum: nam ventum est ad factiones, ad fraudes & scelera, de quibus vera scribere periculum, falsa crimẽ est: hãc lupus, hãc canis vrget. Quid igitur faciam? eloquar an sileam? manus incipit & dubitat, scribit & renuit, notat & delet, vt penè ignorem, quid velim: sed turpe est inceptam materiam mutilatam relinquere, & caput absq; manibus pinxisse. Pergam igitur, vt cœpi, constans & securus inde, quòd fides tua ea mihi perspecta est, vt hæc scripta nulli detegas, aut si qua foras exierint, autorem non prodas.

HENRICI IMP. EIVS NOMINIS IIII, DVCIS VERO BOIORVM VII, VITA.

CVM Imperator Henricus, de quo nobis sermo est, patri suo gloriosissimo Imperatori, tertio Henrico, adhuc puer succederet in regnum (nam illo paruulo pater naturæ concessit) regno priorẽ statum adhuc tenente, non bella pacem disturbabant, non classica quietem rumpebant, non rapina grassabatur, non fides mentiebatur. Adhuc iustitia sui vigoris, adhuc potestas sui iuris erat. Hunc beatum regni statum Agnes imperatrix sereniſſima, virilis ingenij fœmina, multum iuuit, quæ vna cum filio rempublicã pari iure gubernauit. Sed quoniam ætas immatura parum timori est, & dum metus lãguet, audacia crescit, pueriles anni regis multis suggerebãt animum sceleris. Igitur quisq; nitebatur maiori se æqualis, aut etiam maior fieri: multorũq; potentia scelere creuit. Nec legis metus vllus erat, quæ sub rege paruulo paruulam authoritatem habebat, & vt omnia licentius facere possent, primò puerum matre spoliabant, cuius maturam sapientiam, grauesq; mores metuebant, illud causantes, non decere regnum administrari à fœmina, cùm multæ reginæ legantur administrasse virili sapientia. Sed postquam rex puer de sinu matris abstractus in manus principum nutriendus venit, quicquid illi præscribebant faciendum, vt puer fecit: Quem volebant, exaltauit, quem volebãt, deposuit, vt regi suo non tam ministrasse, quàm imperasse meritò dicãtur. Cùm regni causam tractabant, non tam regi, quàm suæ causæ consulebant: Idq; præcipuum eis fuit in omnibus quæ agerent, ante omnia suum quæstum facere. Fuit hæc perfidia vel maxima, quòd eũ quasi sub sigillo seruandum in puerilibus actis suæ potestati relinquebant, vt & sic elicerent ab eo quod affectabant. Sed cùm in eam ætatis & ingenij metam euasisset, vt quid honestum, quid turpe, quid vtile, quid non, discernere posset, retractans quę suggestione principum inductus gessisset, multa quę gesserat, damnauit: & ipse iudex sui factus, ex iis mutanda mutauit. Prohibebat quoq; bella, violẽtiam & rapinas. Nitebatur pulsam pacem & iusticiam reuocare, neglectas leges restituere, & sceleris licentiam resecare.

Quos assuetos sceleri, per edictum coërcere non potuit, per censuram legis & iuris curiæ, mitius tamen quàm culpa exigeret, correxit. Quod illi non iusticiam sed iniuriam putantes, & qui per omne nefas ruebant, frena pati respuentes, qualiter eum vel extinguerent, vel priuatum facerent, consiliis incumbebant, non recolentes se debere ciuibus suis pacem, regno iusticiam, regi fidem. Igitur Saxones, gens dura, bellis aspera, tam præceps ad arma quàm audax, vendicans sibi prærogatiuam laudis ex incepto furoris, repentè super regem armis ruebant. Qui cum paucis contra innumeros armatos confligere periculosum existimans, vir elapsus vitam laudi, salutem fortunæ prætulit. Itaque videntes inceptum suum votis non respondisse, ossa filij regis: nec dum enim Imperator factus erat; (ô inhumanam mentem, ô probrosam vindictam!) effodêre. Qua vtraque iniuria grauissima rex commotus, exercitum contra illam gentem duxit, conflixit, vicit: Vicit, inquam, aciem contra se instructam, non obstinationem erectam. Nam licet eos in pugna congressos vinceret, victos fugaret, fugatos persequeretur: licet bona eorum deuastaret, munitiones euerteret, & omnia quæ victori libent, faceret, non tamen ad deditionem cogi potuerunt. Iterum cùm inde digressus, reparato in breui exercitu, eos inuaderet, diffidêtes viribus suis, vtpote in priori bello grauissimè contusis, quod saluti proximum erat, se dedidêre, sperantes regem sola deditione contentum gratiam suam facilè donaturum. Sed longè præter spem euenit: nam rex eos exilio addictos, in alienas terras misit, vbi dura custodia constricti, relaxationis edictum expectarent. De quo exilio alij fuga elapsi, alij propter pecuniam à custodibus dimissi, dum ad patriam & domum suam repedassent, recenti coniuratione se inuicem obligabant, vt parati essent antè mori, quàm denuo deditioni subiici. Sed & validior eorum coniuratio facta est, quia nonnulli Longobardorum, Francorum, Bauarorum, Sueuorum, data & accepta fide, illis conglutinati sunt, qui regē bellis vndiq; pulsarent. Videntes autem regem bellis tangi posse, non deiici: vexari, non superari: quippe cuius robur adhuc erat inexpugnabile: vt vires eius extenuarēt, confictis conscriptisq; super eo criminibus, quæ pessima & immundissima potuit odium & liuor excogitare, & quæ mihi scribenti & tibi legenti nauseam pararent, si ea ponerem, vera falsis miscentes, apud Romanum pontificem Gregorium septimum eum deferebant: nō decere tam flagitiosum, plus notum crimine quàm nomine, regnare: maximè cùm sibi regiam dignitatem Roma non cōtulerit: oportere Romæ suum ius in constituēdis regibus reddi: prouiderent Apostolicus & Roma ex consilio principū, cuius vita & sapientia tanto cōgrueret honori. Qua surreptione delusus Apostolicus, simul & honore creandi regis, quem sibi fallaciter obtulerant, impulsus, regem bāno innodauit, & episcopis aliisque regni principibus, vt à communione excommunicati regis se retraherent, denunciauit: se citò venturum in Teutonicas oras, vbi de negotiis ecclesiasticis & potissimū de regno tractaretur. Quin ēt & hoc addidit: absoluit oēs à iuramento, qui fidē regi iurauerant, vt contra eum impelleret absolutio, quos fidei tenuit obligatio. Quod factū multis displicuit (si cui displicere licet, quod Apostolicus fecit) & asserebant, tam inefficaciter quàm illicitè factū quod factū est. Sed nō ausim assertiones eorum ponere, ne videar cū eis Apostolici factū refellere. Mox & episcopi, tam illi quos amor, quàm quos timor in partem regis traxerat, metuentes ordini suo, ab eius auxilio se pleriq; retrahebant: quod & maior pars procerū factitabat. Tū verò videns rem suā in arcto sitam, inito tam occulto q̄ astuto consilio, subitum & inopinatum iter in occursum Apostolici arripuit, vnoq; facto duo peregit, scilicet & banni solutionē accepit, & suspectum sibi colloquium Apostolici cū aduersariis suis ipse medius intercepit. Pro impositō sibi crimine parū respondit: Quia ad accusationē inimicorum suorum, etsi vera fuisset, non sibi respondendum asseruit. Quid vobis profuit hoc egisse, vt banno illigaretur, cùm de banno solutus potentia sua potenter vtatur? Quid vobis profuit, eum fictis criminibus accusasse? cùm accusationem vestram facili responso, vt ventus puluerem, dissipauerit? Imò quę dementia vos cōtra regē vestrum & orbis rectorem armauit? Nihil coniurata vestra malignitas proficit, nihil peragit. Quem Dei manus in regno firmauit, vestra deiicere non poterit. Vbi fides, quam illi iurastis? Quare beneficiorū, quæ regia liberalitate contulit in vos, obliti estis? Vtimini vel adhuc sano consilio, nō furore: pœniteat vos incepti, ne fortior vobis superueniēs

vincat

vincat vos,& pedibus ſuis conculcet vos,& ea vindicta feriat, quæ futuris ſeculis demonſtret,quid regia manus valeat. Saltem vos,ô epiſcopi, videte ne pereatis de via iuſta, videte ne tranſgreſſores fidei promiſſę fiatis: alioqui quid conſequatur vos ipſi noſtis. Igitur rex ab Apoſtolico digreſſus, benedictione pro maledictione accepta, Rudolfum ducem ſuper ſe regem creatũ inuenit. Qui audita regreſſionis eius fama, ante paratus ad fugam quàm ad pugnam, ante pulſus quàm victus, in Saxoniam fugit. Facile eſt regnum accipere, difficile tueri. Sed nulli mirum ſit, virum in rebus bellicis exercitatum & ſtrenuum tunc fugiſſe: quia ſæpe iuſtior & victrix cauſa fortes in metum mittit & in fugam. O auaritiam, peſtem peſſimam, quæ bonos mores tranſuertit, & ſæpe ipſas virtutes ad vitia trahit. Iſte Rudolfus dux eximius, vir magnæ autoritatis & laudis in toto regno, veri rectiq; tenax, fortis in armis, deniq; ſpectatus in omni genere virtutum: Iſte, inquam, auaritia quæ vincit omnia, victus, & ſupplãtator domini ſui factus, fidem incerto poſtpoſuit honori. Fuere tum qui dicerent, ab Apoſtolico eum immiſſum, nec vnquam tantæ virtutis virum magis auaritię quàm conſilio ceſſiſſe. Et hoc in argumentum ſumebant, quòd Apoſtolicus tacuit, dum poſt abſolutionem regis Rudolfus regnũ inuaſit, iuxta illud Comici: Qui tacet, ſatis laudat. Itaq; rex cedẽte Rudolfo, cuius caput, ſi deprehenſus eſſet, vindex gladius dignè rotaret, Bauariã, Sueuiamq; inuaſit, & cõiurationis aduerſum ſe ſocios vaſtauit, munitiones eorum fregit. Nec tamen pro iniuriæ ſuæ materia ſe vindicabat, ſed ſciens in vltione freno vti, longè infra metam culpæ eohibebat habenas vindictæ. Sed Rudolfus vt dedecus fugæ virtutis facto recompenſaret, Wirtziburgenſem ciuitatem obſedit, vbi tamẽ fraude magis quàm virtute pugnatum eſt. Nam cùm rex ad propellendum hoſtem exercitum conuocaſſet, inſtructa amborum partium acie, & primis inter ſe prælia miſcentibus, quidam equites regiæ partis mercede conducti, qui ſe regis lateri quaſi fidi clięntes applicuerant, ſubitò in ipſum arma verterunt: ſed ære munito corpori liuorem, nõ vulnus inflixerũt. Heu miſerrimi, quibus precium & ſceleris cauſa fuit & necis, quos vno in loco & crimen inuoluit & vindicta. Nam eos tot vindices dextrę in fruſta concidebãt, vt in eis humani cadaueris figura periret. Fit tumultus, exoritur clamor, ſpargitur rumor, regem interfectum: quo rumore perterritus exercitus fugit, hoſtis inſequitur. Et quoniam in equis equitum ſalus, ſolis peditibus miſerabile fatum incubuit. Ideoq; victoria quanto maior, tanto minoris tituli fuit. Sic hoſtis vrbe capta, impoſitoq; præſidio, in Saxoniã regreſſus eſt. Quid improbe tibi profuit, vel indiſcreta cædes fugientis vulgi, vel fortuna captæ vrbis, cùm nec vrbe diu, nunquam autem regno potiaris? Rex enim breui pòſt tempore cum exercitu reuerſus, ereptam vrbem recepit. Nam ij quibus prouincia vrbis tuendæ tradita fuerat, ex vrbe profugerant. Poſtea Saxoniam cum exercitu ſæpius ingreſſus, aut victor aut æqua manu receſſit. Sed ad vltimum reuerſus, tam notanda quàm felici victoria vicit; magnũq; mundo documẽtum datum eſt, vt nemo contra dominum ſuum conſurgat. Nam abſciſſa Rudolfi dextera digniſſimam periurij vindictam demonſtrauit, qui fidem domino ſuo regi iuratam violare non timuit, & tanquam alia vulnera non ſufficerent, ad mortem acceſſit etiam huius membri pœna, vt per pœnam agnoſceretur & culpa. Sed & aliud notandum in illa victoria contigit, videlicet quòd tam victor, quàm victus exercitus: nimirum hoc ordinante deſuper diuina clementia, vt poſt ruinam capitis ex alterna fuga tolleretur nefas alternæ cædis. Sed gens dura nec damno monita eſt, nec ſigno, quin potius vt obſtinatione vinceret, quod manu non poterat, Hermannum nouum ſibi regem conſtituit, qui & ipſe nouo modo periit. Nam cùm Saxones eum de terra ſua proturbarent, quicquid illud fuerit, quod eis in illo diſplicuit, reuerſus in patriam ſuam, portans inane nomen regis, ad Hermannum Treuirenſem epiſcopum ſe contulit, quem etiam ad auſum ſentiendi contra regem inexpugnabilis munitionum firmitas impulerat. Quanta potentia regis, qui alendus fuerat non ex ſuis, ſed ex opibus alienis? Quadã die cùm iter ageret, incidit animo ſuo iocus ille, vt ad caſtellum quò ituri erant, ſub ſpecie hoſtium ruerent, & quæ audacia, quæ virtus animis defendentium ineſſet, tentarẽt. Quàm mirabilem viam, quàm inopinam ſæpe inuenit quod futurum eſt vt fiat? Cumque portam abſque clauſtris & abſque cuſtode repertam irrumperent, aliis qui intus erant raptis armis viriliter contrà procurrentibus, aliis latebras eneruiter quæri-

tantibus, fœmina sexu, fœmina non animo, quę in turrim euaserat, molarem in caput regis demisit: Et sic ille manu fœminea, vt mors eius turpior esset, occubuit. Sed vt hoc dedecus dealbarent, fœminę factum in virilem personam ex composito transtulerũt. Post hanc regum fortunam in creatione regum diu hæsitatum est, & casus præteriti metus erat futuri. Vicit tandem cupiditas, & Ecbertum marchionem ad ambitum regni forti manu impulit, qui tamẽ in morte serò didicit, quòd alter ex alterius damnis instrui possit. Vrbs erat in Saxonia, quæ quia fortunam regis prospero ire cursu videbat, in partes eius se conuerterat, præsumens fiduciam & ex loci sui firmitate & ex regia subuentione. Quod indignè ferentes Saxonum proceres, vrbem obsidione vallabant. Marchio verò Ecbertus, qui spe potiundi regni intumuerat, vt se accommodaret ad id quod affectabat, maiori super omnes robore ad obsidionem illam ibat, præmissaq; multitudine cum paucis ipse sequebatur. Quem deuiantem à publica via, ne fortè incideret in hostes (quis enim tam potens qui hoste careat, aut qui hostiles insidias non metuat?) latens semita per quoddam arbustum duxit. Quàm occulta iudicia tua Deus, quàm miro ordine & abscondis quę facturus es, & aperis quod abscondisti! Iam meridianus ardor solis equos equorumq; sessores vrebat, & vt fit, sitim æstus accendebat. Præterea tam grauis sopor fessis obrepsit, vt colla somno languida penderent, & equi frenis non fessi liberam viam carperent. Haud procul in recessu saltus solitarium molendinũ conspexere, quò diuertentes sopori se dedêre, misso interim molendinario, qui de villa potum sitientibus afferret. Qui dum impositio scapulis suis vtre festinaret, aliquos scutatos ad prædictam obsidionem tendentes obuios habuit, qui erant occultè fideles regis, licet aduersæ partis. A quibus interrogatus vnde prodiret, quò tenderet, cur tam anhelus properaret, nescius cælare quod sciebat, hospitem suum & causam itineris indicauit. Qui stupefacti, seu metu, seu potius gaudio, versantes inter se quid agerent, quid periculi, quidque præmij, quid virtutis, quid laudis, quid fidelitatis inesset, si tam magnum hostem regis ferirent: occasionem illam non frustra sibi oblatam: maximam virtutem per maxima discrimina probari: incitatis alternatim animis, immissis equis ad molendinum properabant. Sed peruenerunt ante votis quàm equis. Incepta est pugna, quæ diu dura fuit & dubia, quia virtute pares & numero congressi, hi pro laude, illi pro vita pugnabant. Regis tamen fortuna vicit, & hostis ferocissimus non in acie sed in molendino peremptus turpiter iacuit. Felix nimiùm es, & multi semper nominis mola, ad quam trahit homines non tam tuum volubile officium, quàm fama, quæ & molendo pugnam illam narras, & narrando molis. Sic ille conuentus Procerum confusus, procinctum soluit, sic ab obsidione infecto negotio recessit. Itaque res regis in altiorem & feliciorem statum se quotidie promouebant: aduersariorum autem eius deorsum vergebant, & omne eorum inceptum in turpem exitum desinebat. Cùm ergo cernerent nullum se habere successum, nec in armis, nec in electione regum; iterum se conuitiis armauerunt, & eum apud Apostolicum præter alia multa & nefanda criminati sunt, quòd reges Christianissimos, quos ipsi non sine authoritate Apostolici creassent, ille ob crimen suum extortis à regno factus, occidisset, regnum sanguine vsurpasset, igne, præda, ferro cuncta vastasset, & tyrannidem suam aduersus ecclesiam & regnum omnibus modis exercuisset. Ad quorum criminationem Apostolicus eum iterum banno, vt ipsi iactabant, illigauit. Sed non magni ponderis ille bannus habebatur, eo quòd non rationis sed arbitrij, non amoris sed odij esse videretur. Cernens autem rex Apostolicum ad hoc tendere, vt se regno priuaret, nec alia sua obedientia contentum, nisi vt regno renuntiaret, ex obedientia in rebellionem, ex humilitate in tumorem relabi coactus, hoc Apostolico facere parabat, quod Apostolicus sibi facere intenderat. Cessa obsecro, rex gloriose, cessa ab hoc molimine, vt Ecclesiasticum caput de suo culmine deiicias, & in reddenda iniuria te reum facias. Iniuriam pati felicitatis est, reddere criminis. Quærebat itaque rex causas & occasiones qualiter eum eiiceret, inuentumque est eum Romanam sedem olim abiuratam insedisse: quam idcirco abiurauerit, quia ad eam dum archidiaconus esset, adhuc viuente domino suo per ambitionem aspirare voluerit. Vtrùm hæc veta sint an falsa, parum comperi: alij asserebant, alij figmentum esse dicebant: vtrisque Roma fuit in argumentum: his, quòd Roma mundi domina nũquam patere-

pateretur tale nefas: illis, quòd ea cupiditatis ancilla facilè permitteret ob precium omne nefas. Mihi autem in medio res relinquenda est, cùm incerta nec possim defendere, nec ausim affirmare. Igitur cum exercitu Romam pergebat, proterens in via quicquid obstabat, oppida fregit, tumida pressit, ardua curuauit, factiones dissipauit, in cuius aduentu Roma persuasa, quæ debuerat honores, arma, tanquam Pœnus Hannibal Alpes transcendisset, parabat, & regi suo velut hosti portas præludebat. Vnde rex iusta commotus indignatione, vrbem obsidione (qua res postulabat) occlusit, & qui sibi aditum, illis exitum negauit. Missi circumquaque qui castella frangerent, villas euerterent, bona diriperent: prouinciæque nocuit foris, quod Roma se clauserat intus. Foris bella, intus metus erat, vndique machinæ surgebant: hinc murum aries pulsabat, inde miles scalis ascendere parabat. Contra qui in vrbe erant, tela, saxa, præustas sudes, ignemque iactabant, interdum egressi, cominus committebant, vtrinque fortiter pugnatum est: hos causa, illos periculum fortes fecit. Quadam die cùm exercitus vterque pugna æstuque fessus, circa meridiem sopori se dedisset, nec speculator (vt fortuna voluit) vigilaret, vnus ex scutariis propius ad murum, vt pila legeret, accessit. Cumque erectis & intentis auribus explorasset, intus neminem adesse (nam murum & propugnacula vacua cernebat) adiutus & animi confidentia, & corporis leuitate, manibus & pedibus sursum enitebatur, donec tandem muri summitatem apprehendit. Tum verò cùm iactatis circumquaque oculis neminem videret, inter spem & metum positus, toto corporis motu sociis innuebat, vixque se à clamore, cùm tardius innuentem attenderent, abstinebat. Qui raptis armis & scalis properantes, citiusque (vt aiunt) dicto murum superantes, captam vrbem ferò defendentes interficiunt, capiunt, fugant. Dedignabatur iam rex reclusum portatum aditum, vbi & sequens à præeunte tardaretur, & præcedens à sequente premeretur: sed in vltionem temeratæ præclusionis iussit, vt fracto muro, tam latum sibi ingressum panderent, quò totus exercitus æquato iunctoque latere se simul immergeret. Igitur vbique mors, vbique luctus erat. Roma contremuit, dum impulsa turrium altitudo corruit. Fugit Apostolicus, & qui omnes in periculum impulerat, omnes in periculo deseruit. Tandem Romam præsumptionis suæ pœnituit, & quæ prius meruisse poterat, vt à rege donis honoraretur, nunc ingenti pecunia apud regem vix obtinuit, ne tota subuerteretur. Mox sedatis omnibus, rex causam cur venisset, in publicum protulit, quod de Apostolico crimen accepisset, retulit. Multis hoc ita factum confessis, Clementem papam ad electionem omnium instituit: à quo ipse communi omnium fauore consecratus Imperator, & patricius factus, Romæ se per aliquod tempus, dum omnia in solidam reformaret concordiam, continuit. Nec prætereundum, quod & relatio fidelium personarum in Teutonicas oras diffamauit, & ipsa Roma asserit. Imperator consueuerat quoddam oratorium orationis causa frequentare, & nullum diem, quin veniret, prætermittere. Elegerat autem sibi in eodem auditorio locum orationi familiarem, vbi tanto intentius, quanto secretius orationi vacaret. Hãc eius consuetudinem dum quidam profanæ mentis attenderet, seu propria seu potius aliena instimulatus nequitia, grande saxum super trabem ad feriendum desuper caput Imperatoris posuit, sublataq; de laqueari tabula, quæ caput Imperatoris recta despiciebat, mittendo ponderi foramen aperuit, demisso fune sæpe explorans, ne saxum in cadendo falleret. Postquam satis exploratum est, minister doli sursum in nocte scandens, desuper obseruabat, dum Imperator staret ad orandum in loco quo consueuerat. Tamen ille auidus alieni exitij, sed nescius sui, cùm pondus in caput Imperatoris libraret (Imperator autem parum se de loco mouerat) cum pondere infelix ipse pondus illæso Imperatore cecidit. Per totam Romam citò res innotuit, & plebs, quæ non facilè sedari potest, dum mota fuerit, inuito Imperatore semianime corpus per rupes per saxa tractum in frusta discerpsit. Tum verò cuncti rem signo non euentui assignantes, fide & animis Imperatori deinctiores facti sunt: & inimicum cõsilium non solùm illi fideles firmauit, sed & multos ex inimicis fideles fecit: sicque dum nocere studuit, profuit. Denique Imperator omnibus Romæ compositis, impositoque vrbi præsidio, ne ei fidem mutaret, nouæ dignitatis apicem gerens, in Teutonicum regnum reuersus est. Sed nulla fortuna longa est. Nam hi, quos Imperator Romæ præ-

sidio imposuerat, ægritudine correpti, quam & locus & tempus intulerat (erat enim æstas) nec vno quidem superstite mortui sunt. Tunc Roma iugo præsidij sublato, compos arbitrij sui facta ad ingenium rediit, & resumptis aduersus Imperatorem armis, pulso Apostolico alium constituit. Nam ille prior Gregorius à vita discesserat. Quod vbi Imperatori compertum esset, iterum aduersus Romam exercitum promouit. Sed in Italiam veniens, cùm legati à Roma pactum pacis ferentes ocurrerent, & cùm inimici moliminis fama sequeretur, relicto in Italia filio Conrado, iam tum regni sui hærede designato, regressus est, scilicet qui se grassanti Mathildi, & penè totã Italiam sibi vendicanti, opponeret, & regnum quod futurum erat suum, de manu fœminæ tolleret. Quid facient inimici, cùm insurgant in parentes ipsi filij? vnde securitatem sibi quis promittat, cùm nec ab eo tutus sit quem genuit? Cessent iam connubia: nemo sibi optet hæredem: hæres tuus erit hostis tuus. Nam non solùm te domo tua prædiisque spoliat, sed & vita spoliare festinat. Filius Imperatoris, quem in Italia relictum à patre, & quam ob causam relictum diximus, à Mathilde persuasus, (quem enim astutia fœminea non subuertat, aut decipiat?) iunctus inimicis patris, coronam sibi imposuit, regnum inuasit, profanauit ius, & ordinem confudit, impugnauit naturam, quærebat patris sanguinem: quia non nisi sanguine patris regnare potuisset. Quod vbi ad hostes Imperatoris currens fama pertulit, exultabant, plaudebant, cantabant, laudabant factum filij, præcipuè fœminam ducem facti. Mittebant properè legatos, qui stimulum animo noui regis adiicerent, & adderent oleum caminõ, qui per se, sed contra se fidem & opem perpetuam iurarent. Quanquam dudum se tam filio quàm patri nunquam obtemperaturos coniurassent. Imperator autem ad hanc famam tametsi intus doluit, in grauitate tamen sua se foris tenuit: & non suam sed filij fortunam conquestus est. Cùm autem eum ab incepto reuocare non posset, nõ tam suam iniuriam, quàm exemplum iniuriæ per vltionem tollere quærẽs, filium exhæredare, & fratrem eius Henricum adhuc puerum in regnum promouere cogitabat. Igitur multis procerum conuentibus habitis, Imperator super filio suo Conrado conquestus est: quia additus hostibus, regnum inuasisset, & quòd patrem non solùm regno sed & vita priuare conaretur: iniuriam suam publicam esse debere, vel si nullum ea moueret, saltem hoc reipub. causa præstarent, vt per vim neminem & scelus regnare paterentur: trãsferrent potius electionem in minorem filium suum, quam iure maior amisisset. Plærique contrà nitebantur, magis vtentes ingenio quàm iusto & vero. Multi autem publico bono fauentes, sententiæ votoq; Imperatoris concordabant. Tandem omnibus in vnam sententiam coëuntibus, & concordi fauore approbantibus, Imperator minorem filium, inuasore prius ex decreto curiæ diiudicato, hæredem regni sui constituit: à quo, ne & ipse abiret in viam fratris sui, iusiurandum accepit, videlicet ne vnquam se vel de regno, vel de prædiis patris eo viuente (nisi fortè ex consensu ipsius) intromitteret. Iam tum murmur & metus erat, inter duos fratres intestina bella fore, magnamq; regni cladem futuram. Sed qui omnia dispensat, hunc metum letho maioris filij sustulit, & vt regnum in vnam concordiam redire posset, occasionem dedit. Quibus ita transactis, hostes Imperatoris detruncato toties capite non habentes cui adhærerent, pactione subacti, quod optimum erat, in pacem bella, in domesticam securitatem castra conuerterunt. Igitur vt vbiq; pax & tranquillitas esset, conuocatis ad curiam primatibus, pacem per totum regnum sub iuramento firmari fecit. Et ad inhibenda mala quæ fiebant, grauem pœnam in transgressores decreuit. Quod quidẽ pacis decretum quantum miseris & bonis profuit, tantũ peruersis & potentibus nocuit: illis copiam, istis egestatem & famem intulit. Nam qui in milites bona sua distraxerãt, vt multo milite stipati procederent, & aliis armorum copia longè præstarent, hi dum sibi licentia rapinarum erepta est (quod pace illorum dictum sit) egestate laborabant, cellaria eorum penuria & fames possidebat. Qui nuper spumeo ferebatur equo, contentus esse cœpit vel rustico iumento. Qui nuper non aliam vestem quærebat, nisi quę rubeo murice tincta arderet, bene secum actum aiebat, si nunc vestem quam natura suo colore tinxisset, haberet. Gaudebat aurum nõ se iam in luto calcari, dum ferreis calcaribus inopia cogeret vti. Deniq; quicquid vanitatis, quicquid superfluitatis corrupti mores intulerant, totum penuria magistra resecabat. Oppida in ripis posita,

quibus

quibus præda nauiũ victum præbebat,nauta ſecurus,eſuriente oppiduli præſide, prę-
teribat. Mira res,nec minus ridicula. Alij iniurias ſuas iniuriis vindicãt,Imperator ſuas
pace vindicabat. Cùm autem domini cum ſatellitibus ſuis per aliquot annos hac lege
ſtringerentur anxij,quòd nõ liceret eis vti libertate peruerſitatis ſuæ, iterum aduerſus
Imperatorem murmur mouebant,iterum ſuper eius factis ſiniſtrum rumorem ſemi-
nabãt. Quid illud(rogo)eſt,quod admiſit? Nempe hoc erat,quòd ſcelera prohibebat,
quòd pacem & iuſtitiam reuocabat, quòd iam latro viam nõ obſẽdit, quòd ſylua ſuas
inſidias nõ occultauit,quòd nautis mercatoribuſq; liberum erat ſuam ire viam, quòd
vetitis rapinis raptor eſuriebat. Cur, obſecro, vobis non aliunde niſi ex rapto viuere
placet? Reddite agris,quos ex agro depuliſtis armis: coæquate numerum ſatellitum
ad menſuram facultatum,recolligite prædia veſtra, quæ ſtultè ſparſiſtis,vt multos ar-
matos haberetis,& redundabũt omnibus bonis horrea & cellaria veſtra: nec erit am-
pliùs neceſſe aliena tollere,cùm quilibet ex proprio poſſit abundare. Sic fit,vt nec Im-
perator crimine denotetur, nec bellum in regno moueatur. Sic fit,vt & corpori ſatiſ-
facere habeatis,& animas veſtras(quod feliciſſimũ eſt)ſaluetis. Sed nihil ago,aſinum
ad lyram voco: Conſuetudo mala aut nunquam aut vix tollitur. Igitur aſſueti rapinis,
vt occaſionem repetendę conſuetudinis inuenirent,mouendis iterum bellis animum
intendebant,iterum æmulum Imperatoris reperire quærebant. Ad quam rem filium
eius maximè idoneum exiſtimabant. Itaq; vt ſuggeſtioni locum inuenirẽt,quæ prima
decipiendi lenocinia erant,frequenter eum venatum ſecum abducebant, conuiuio-
rum illecebris ineſcabant,iocis in diſſolutionem animi mulcebant, & ad pleraq; faci-
enda quæ adoleſcentia ſuadet,ſecum trahebant. Deniq; vt fit inter adoleſcentes,quo-
dam ſodalitatis glutino vincti ſunt, vt etiam fidem dextramq; mutuis ſacramentis da-
rent. Cùm ergo eum multis dolis irretitum decipi poſſe conſiderarent, quodam die
inter alia tanquam ex obliquo patrem eius in mentionem adducebãt: ſe mirari,quòd
tam durum patrem pati poſſet: nihil eum à ſeruo differre, cùm omnia quæ ſerui ſunt,
toleraret: patrem eius ſenem eſſe,& moderandis regni habenis inualidum: Si inueſti-
turam regni vſq; ad obitum eius differret, haud dubium quin alter illud ſibi præri-
peret: illum multos fautores habiturum propter inuidiam & odium patris ſui: ſe autem
omnium vota in ſe transferre,ſi non cunctaretur ſuſcepti regni gubernacula poſſide-
re,maximè cùm patrẽ eius excommunicatum & eccleſia dudũ reiecerit, & proceres
regni reprobauerint. Nec ſibi obſeruandũ, quod incautè iurauerit, imò tum demum
ſe ſanctificaſſe,ſi iuramẽtum excommunicato iuratum irritum faceret. Pater verò de
filio nihil mali ſuſpicatus,familiaritatem eius cum maioribus regni probauit, ſperans
eos ſibi poſtmodum tanto fidelius & validius auxilium ad obtinendum regnum latu-
ros,quanto prius inuicem in amore magis coaluiſſent. Quid multa? ſtatim illectus &
abſtractus à concupiſcentia,malignæ ſuggeſtioni (vt ſemper ſeductilis eſt adoleſcen-
tia)nec voto defuit nec facto. Igitur filius Imperatoris obſeruans tempus recedendi à
patre,quando id maximo patris incommodo fieret,euntem illũ cum exercitu contra
quoſdam Saxonũ rebelles,qui per legatos obuiam Imperatori miſſos pactioni inſiſte-
bant,repentè abſtractis ab eo multis,deſeruit,proculdubio deſerẽdus ab iis, qui ſibi vt
deſertor fieret,perſuaſerũt. Miſſis Imperator poſt eũ legatis,tam lacrymis quàm man-
datis reuocauit,obteſtans eum,ne ſenem patrẽ contriſtaret: imò ne patrem omnium
offenderet,ne ſe ſputis hominũ exponeret,ne ſe fabulam mundo faceret. Inſuper me-
miniſſet,qua ſe ſibi cautione obligaſſet: hoſtes eſſe non amicos, inſidiatores non con-
ſultores,qui ſibi talia ſuggeſſiſſent. Ille prorſus abnuit,& ſe non vlterius ſecum partem
habiturum,quia excommunicatus eſſet,aſſeruit. Ita ſub ſpecie cauſæ Dei ſuã cauſam
egit. Illico Bauariam,Sueuiam,Saxoniam percurrit,proceres cõuenit, attraxit omnes
(vt ſunt ingenia nouarum rerum cupida)& ſubintrauit in regiã poteſtatem,tanquam
ſepeliiſſet patrem. Mox caſtellum Norinberch minax obſedit,vbi quanta virtute pu-
gnatum ſit,clades vtriuſq; partis argumento fuit. Sed obſeſſis quanto minus ſpei,tãto
plus animi inerat: & niſi Imperator ſceleri parcens,caſtellũ tradere præcepiſſet,adhuc
ibi caſſa obſidione laboraret, excepto ſi ſola fames quæ cũcta expugnat,illud non ex-
pugnaret. Ecce quanta pietas patris! Reddidit cõtra filij factum paternitatis affectum:
non attẽdit iniuriam ſed naturam: maluit oppidũ tradi, quàm filij diſcrimine liberari:

maluit eius iniurias tolerare, quàm vindicare. Igitur oppidani oblata qualem vellent pactione, oppidum tradiderunt: dimisso q; exercitu, rex Ratisbonam se cõtulit, vt eam dum adhuc ancipiti pẽderet animo, stabilẽ sibi fixaq; fide immobilem faceret. Quod vbi comperit Imperator (sedit enim tunc in vrbe Wirtziburgensi) reputans filium vel in itinere vel in vrbe cõprehendi posse, tam præcipiti tamq; tacito cursu vestigia eius sequebatur, vt iter eius non antè, donec modica turba suorum, transito Danubio, ad vrbem immissis equis ruerent, præsciretur. Obstupefactus filius ad tam subitam & inopinatam rem, ex vrbe profugit. Cur fugis nõ fugiendum? cur fugis patrem tuum: sequitur te, non persequitur: sequitur, inquam, non vt hostis, sed vt pater: non vt perdat, sed vt seruet: sequitur vt turbatam ex te rempublicam in quietum statum restituat, & tuis rebus in futurum prospiciat. Missis illico rex nunciis per Bauariã & Sueuiam, sparsum exercitum recolligit: Quæ res Imperatorem coëgit, vt & ipse exercitum cogeret. Igitur exercitus vterq; ad fluuium cui Regino nomen, se sibi opposuit: hinc pater, inde filius: hinc pietas, inde furor consedit. Cumq; potentiores vtriusq; partis, tanquã tanti dissidij mediatores conuenirent, qui ex parte Imperatoris erant, persuasibilibus illecti verbis, & multis magnisq; pollicitationibus attracti, erga Imperatorem in fide frigebant: & nisi domesticam fraudem præsensisset, solus cum paucis periculo relictus esset. Igitur quod faciendum fuit, sceleri fortunæq; cedendum putauit, & ad similitudinẽ Dauid, ne filius parricida fieret, fugit. Quàm mirabiliter gratia Dei operatur? quàm euidenti signo nos docet, si doceri vellemus, si cæcum cor non haberemus? Cogitans Imperator, quòd inimici sui via qua venerat, persequerẽtur eum, ad ducem Bohemię diuertit. Qui quamuis nuper eum in arcto non benè reliquisset, cum magno tamen honore susceptit, & vsq; in Saxoniam deduxit: vbi quamuis infestos & fortes inimicos haberet, per eos tamen, & ab eis vsq; ad Rhenum honorificè deductus est. Vnde hoc? nisi quòd manus Domini erat cum eo, & inuisibilem ducem habebat, qui eum securum per tela, per hostes ducebat? Hoc miraculo monitus es, ô fili Imperatoris, si moneri posses, vt disceres venerari patrem tuum, non persequi, quem venerati sunt, cùm in manus eorum venisset, etiam inimici. Sed durius moneberis, cùm ex hac tam leni admonitione non corrigaris. Cùm autem Imperatoris fuga cognita esset, euentus ille multos ab eo seduxit, multumq; rebus filij sui accedere, suis autẽ decedere fecit. Continuò rex vt fauentem sibi fortunam vrgeret, curiam Moguntinam ad natalem Domini indixit, inuitauit proceres, accersiuit multos, vt cunctis innotesceret, quia dominus rerum esse vellet. Ad quam curiam etiam Imperator, conuocatis necessariis suis, venire disposuit, volens in rationem ponere, rectè ne secum an secus actũ esset. Quod cùm agnouissent aduersarij eius, metuentes sibi & causæ suæ, si veniret ille, tam armatus multitudine, quàm ratione, hanc fraudẽ regi suggerebant, vt obuius patri sumpto valde pœnitẽtis vultu culpam fateretur, & gratiam expeteret: dolere se, quòd malignę suggestioni consensisset, paratum se ad omnem satisfactionem, dum gratiam inueniret. Et si sic occasionem fraudis inuenire posset, vteretur illa: Sin autem, fraus ipsa pro fide, simulatio teneretur pro veritate. Hac instructus arte cùm venisset ad patrem, pater credulus verbis & lachrymis filij, irruit super collum eius, flens & deosculans eum, gauisus instar illius euangelici patris, reuixisse filiũ qui mortuus erat, & inuentum qui perierat? Quid multa? condonauit filio tam pœnam quàm culpam: & hoc fuit illi iniuriam filij vindicasse, paterna lenitate filiũ corripuisse, iuxta illud Comici: pro magno peccato filij, paululũ supplicij satis est patri. Post hęc patrem sicut ficta pœnitudine, sic & consilio fefellit, suggerens ei, quemadmodũ sibi suggestum fuerat, vt dimissa tanta multitudine, ad curiam ambo mediocri copia venirent: nihil esse, cùm ipsi coiissent in concordiam, quod illi resisteret: vastari omnia, si pergerent ea copia. Placuit cõsilium patri: bonũ quidem, si fraudulentũ non fuisset. Dimissaq; multitudine, non plus quàm trecentis viris ad curiam filio comite pergebat. Ventum est ad nocturnã mansionem: ibi se filius obsequio patris totum impẽdebat, ibi se pater cum filio mirum in modum per totam illam noctem oblectabat, colloquebatur, colludebat, amplexabatur, osculabatur, auidus recompẽsare damnum oblectationis diu intermissæ: sed nescius illam oblectationis noctem vltimam esse. Mirum, fraudem vimq; tam ordinatã fortunam habuisse. Postera namq; die cùm appropinquarent Moguntiæ, venit nuncius subornatus

natus qui diceret, Bauaros & Sueuos cum ingenti multitudine Moguntiam venisse. Tunc filius suggessit Imperatori, non esse tutum venire in medios hostes, nisi prætentatis eorum animis: audaciam hominum nullis regi frenis: diuerteret potius ad castellum quod iuxta erat, dū ipse conueniret eos, & à sententia incœpti deduceret, & ad eū ob requirendam eius gratiam, secum adduceret. Fecit Imp. vti filius suggesserat, diuertit ad castellum, non cernens laqueum doli, quē texerat pulchra species mendacis fidei. Cùm autem Imp. cum paucis intrasset, occlusa porta, fidelibus eius adiutus negabatur, detectaq; fraude, qui receptus est vt Dominus, tētus est ibi vt captiuus: Itaq; appositis patri custodibus, cum hoc fraudis triumpho ad Moguntinam curiam reuersus filius, tanquam rem virtutis egisset, cum magna iactantia retulit, quo ingenio patrem cōprehendisset. Tum verò curia plausu lætitiaq; resonabat: & nefas iusticiæ, fraudem virtuti ascribebāt. Statim misso legato, patri mandauit, vt si vitam seruare vellet, absq; mora sibi crucem, coronam & lanceam, cæteraq; regalia trāsmitteret: & munitiones quas firmissimas tenebat, in manum eius transferret. Nec ille cunctabatur omnia quę iussus est facere, nec imperium pluris habebat quàm se. Sed non in hoc satis feciſſe videbatur, nisi & ipse coram veniret, & in conspectu omnium imperio renunciaret. Venit ergo non suę potestatis, sed in comprehensione adductus: Solus coram eis, qui dudum coram se stetterant, stetit: nec orationis libertatem habens, vt captiui fortuna postulabat, loquebatur. Inquisitus de spontanea imperij renunciatione, nō quod voluntas habuit, sed quod necessitas coēgit, respondit: se videlicet imperio renunciare, non vi coactum sed propria voluntate inductum, sibi iam defeciſſe vires ad moderandas regni habenas, nō se eius iam cupiditate teneri, quod longo vsu didiciſſet, habere plus molestiæ quàm gloriæ: tempus esse, vt honore cum onere depositō, prouideret animę suæ: tantùm filius caueret, ne quid tale faceret in se, quod indignum esset, & illum facere & se pati. Multos & oratio Imperatoris & fortuna ad gemitus & lachrymas commouit: filium autem ad miserationem nec ipsa natura mouere potuit. Et cùm caderet ad pedes filij, orans, vt recogitaret in se saltem ius naturæ, nec vultum nec animum ad patrem reflexit: Cùm ipse potius ad patris pedes aduolui debuisset, eò quòd illi regnum (cuius hæres ab ipso designatus fuerat) impatiens moræ, præripuisset. Præterea veniam precabatur ab omnibus, quos vnquam iniustè læsisset: Sed & pedibus Apostolici legati aduoluitur, orans & obsecrans, vt se à banno solueret, & communioni ecclesiæ redderet. Laici misericordia moti, veniam dabant: Legatus autem domini Apostolici absolutionem negabat, asserens non hoc suæ potestatis esse: oportere ab ipso Apostolico absolutionis gratiam eum expectare. Quid multa? abrenunciata imperiali dignitate priuatus discessit, & ad quandam ciuitatem, quam filius victui illius permiserat, recessit. Quàm impotēs potentia mundi, quàm instabilis! Sed nec potentia dicenda est, quæ ad omnia quæ vult efficax non est, & quā qui assequitur, amittere potest. His ita transactis, finitaq; curia, rex superiores Rheni regiones & vrbes pertrāsiit, & vt res postulabat, hos beneficio, illos iniuria sibi subiecit. Cùm autem intrasset Alsatiam, ibi fortuna eius aliquantulum hæsit, ibi pugnam tam infelici euentu, quàm imprudenti gessit incepto. Nam cùm in villa Rufach: quæ multitudine præualet & armis, satellites eius superbè grassarentur, frequētia ciuium iniuriam prohibebat: nec enim dum iniuria modum excederet, patiēs esse poterat. Audito tumultu, rex properabat, non vt iniuriam prohiberet, sed iuuaret, non vt pugnā sedaret, sed amplius commoueret. Quæ res totius villæ turbam exciuit: ruit irreuocabile vulgus, fœmina cum viro, seruus cum domino, ignauus cum forti: & vt plerunq; fit, animum iniuria ministrauit. Incepta pugna, incepta est fuga. Nam qui regiæ partis erant, cùm viderent impetum furentis turbæ, & rem in arcto sitam, considerātes in virtute sua cladem, in sola fuga salutem, qui poterant fuga vitam seruabant. O infelicem euentum, ô dedecus regni: fugiente rege, regalia insignia vulgi præda facta sunt. Resipisce tandem rex bone, resipisce, & supernam iram in hac sorte tua recognosce. Iudicium iræ Dei est, vt fugeres, qui patrē fugasti: & insignia perderes, quæ patri abstulisti. Sed his postea receptis, interueniente pacto pacis & gratia veniæ, regem sententiam mutare fecit altum vulnus iniuriæ, vt maiori robore collecto, villā incendio prædaq; vastaret, & in homines loci illius indiscreta cæde sæuiret. Sed quod in se fortuna tantū ausa est, ex patris consi-

lio prodisse suspicatus, nouas iniuriarum cogitationes in eum cogitare cœpit: & ne sibi esset obstaculi materia, vel ad comprehensionem eius, vel ad expulsionem animum intẽdit. Itaq; Leodij, vbi eum fidem & fortunæ suæ receptaculum inuenisse audierat, Paschа sibi celebrandum statuit, vt & ipsum, si fieri posset, comprehenderet, & ab episcopo qui sui honoris æmulum recepisset, iniuriam expostularet. Cumq; pater audisset, quòd filius Leodij Paschа celebrandum statuisset, legationem ad eum in hunc modum direxit: Si interrogem te, fili dulcissime, traditio hominum an mandatum Dei præstantius, magisq; tenendum sit, respondebis, nisi à vero deductus sis, similem esse iumentis, qui cœlestia terrenis, humanis diuina non præferat. Cur ergo magis audis eos, qui tibi suggerunt, persequere patrem tuum, quàm verbum ipsius Dei, honora patrem tuum? Isti te decipiunt, non instruunt: Isti honori tuo non prouident, sed inuident: Isti sub specie fidei, perfidiæ laqueos nectunt: non aliter peruenire potuerunt ad destructionem honoris tui, nisi per destructionem nostri. Fuerit sanè, vt peccatis meis exigentibus (quæ sententia aduersariorum meorum est) abiecerit me Deus, ne regnem: attamen tuum non erat, in abiectionem meam operam dedisse, & regnum quod tibi paraueram, mihi præripuisse. Barbara regna tam inhumanum facinus damnant ac deuouent: ipsi pagani abhorrent, & qui Deum nesciũt, quid in diligendis hominibus naturæ debeant, recognoscunt. Sed quid mirum, si maligna surreptio seductilem & immaturam ætatem decepit, cùm etiam senes & fixum animi statum ad malum mala consilia nonnunquam inflectant? Fortuna mea alieni potius, quàm tui sceleris est: Nam tu in manibus suadentium eras, non ille in tuis. Si autem iniuriam addideris, non iam excusari poteris, cùm & factã crimen esse scias, & infectam non facere queas. Audiui enim, quòd Paschа Leodij celebrandum decreueris: Quo in loco fides & pietas episcopi me recepit, cùm non esset, qui vel beneficiorum nostrorum recordaretur, vel fortunæ compateretur: cuius profectò beneficiis in me te decet regia liberalitate respondere: tantoq; certior de eius fide poteris esse, quanto fidelius erga nos probatur egisse. Hic, nisi te fortè domo receperit, me secum in festiuitate paschali retinendum decreuit. At dicis, dignum & conueniens esse, vt ea festiuitas nos iungat, potius quàm diuidat: te velle, te cupere, vt ibi tecum agam dies paschalis lætitiæ: quod quidem & ego admodum cuperem, si non esset, quod timerem. Neque enim non possum non timere eos, quos mihi vitam permisisse pœnitet, dum in manibus eorum mors & vita fuisset. Omnia mihi suspecta sunt, omnia timenda sunt, maximè in turba, vbi tanto difficilior est periculi cautio, quanto maior sceleris occasio. Inde est, quòd ex medio eorum qui me oderunt, longè recessi, & in extremis regni tui finibus me contraxi: vt vel secessu loci tutus sim, vel si fortuna mea postulauerit extraneam humanitatem expetere, citius regno tuo cedere possim. Precor ergo vt causa patris tui paschalem curiam alibi disponas, & in domo eius, qui me humanitatis gratia recepit, cùm non liceat Imperatorem, saltem hospitem esse sinas, ne vel in meum ludibrium, vel in tuum opprobriũ narretur, quòd in solennitate dominicæ resurrectionis incerta hospitia fortuna mea quærere cogatur. Si feceris quod postulo, maximas grates habeo: Sin autem, malo villicus esse in externis regnis, quàm ludibrio haberi in regnis quondam meis. Hanc legationem patris aure surda audiuit filius, nec à sententia sua deduci potuit. Quamobrem cùm iam instante paschа pater recedere vellet, episcopus & Henricus dux (qui & ipse ab episcopo fuerat inuitatus) eum recedere prohibebant: Non se posse pati, vt in tanta festiuitate è tectis hominum syluas peteret latebrasq; ferarum: illum quidem absq; causa destitutum imperio, sed nõ amicorum obsequio: si pace frui permitterentur, nihil se magis quàm pacem velle: sin autem res armis agenda sit, arma sibi non defore. Ille verò ne eis materia cladis esset, cedere quàm manere vtilius asserens, tandem eis cùm importunius instarent, consensit, & vt postulabant mansit. Iamq; multus equitatus faciem regis longè præcedens ad pontem fluuij qui vocatur Mosa, venerat, & alterius ripæ crepidinem filius prædicti ducis cum paucis occupat. Nam turbam armatorum non longè per opportuna loca in insidiis locauerat. Qui vt pugnam prouocaret, nunc equum in rectam cursus lineam immisit, nunc in orbes flexit & reflexit, & si pares numero confligere secum auderent, inquisiuit. Nec mora, transierunt ad eos totidem ex parte regis, mixtique inter se vario

reflexu,

reflexu, nunc pugnam inferebant, nunc fugã agitabant. Interim vnus & alter transito ponte sociorum numerum latenter auxit, & rupto certaminis pacto, ex æquali inæqualem fecit. Quod videns filius ducis terga cum suis vertit, nõ tam vt fugeret, quam vt falleret: nec tam vt fugiens periculum vitaret, quàm vt sequentes in periculum deduceret. Hi autem qui ex aduersa ripa erant, visa fuga, præcipiti cursu pontem transeuntes fugientes persequebantur, ignari futuræ sortis & fraudis quę latebat. Postquam enim ventum est ad locum, vbi dispositæ fuerant insidiæ, exurgentes de insidiis, impetu magno in persequentes ferebantur. Illi autem inopino territi periculo metuq́ turbante, nil rationis in armis habentes, in fugam se retorserunt. Sed quid profuit auertisse pectora, & vulneribus terga dedisse? Itaque multi capti, multi truncati, multi occisi sunt: victorq́ cruentus non alium modum sceleris habebat, nisi quem fastidium faciebat. Ad pontem verò vbi fugax multitudo se coarctauerat, tanto plus sceleris impia manus peregit, quanto minus constipata turba se mouere potuit. Sed multo plures fluuius absorbuit, quàm ensis hausit. Nam cùm hostis à tergo premeret, impellente metu se in fluuium præcipitabant, & attoniti confusiq; de morte in mortem ruebant. Erat ibi cernere & aliam miseriam vel maximam, cùm pons multitudine prægrauatus repentè corruit, & fluuius homines equosq; pariter inuoluit. Nulli locus erat euadendi: nulli profuit ingenium natandi. Nam aut armorum pondere, aut inhærentium connexione fatigatus in profundum trahebatur. Quod malum vt scelestius esset, in ipsa die parasceue contigit, creuitq́ magnitudo sceleris ex reuerentia temporis. His ita transactis, rex iter Coloniam conuertit. Sed cùm illa quoque aditum sibi præclusisset, in villa quæ dicitur Bonna, dominica tantum Paschæ peracta, Moguntiam festinus rediit. Et sparsis vbique legatis, querimoniam ad proceres in hunc modum direxit: si per inuasionem regnum occupassem, tamen resistentes protestati nostræ retunderem, in quantum possem. Nunc autem cùm in sumpta regni dignitate vestris paruerim præceptis, ausus est quispiam impunè in publicam contumeliam regnum & nos armis vexare. Cùm enim Leodium iturus, vbi nobis curia paschalis habenda fuerat, ad fluuium Mosam venissemus, episcopus Leodiensis & dux Henricus, de quorum fide & obsequij deuotione multum præsumebamus, nobis latenter insidias posuerunt, & nostros inscios & ad pugnam imparatos cædebant, capiebant, fugabant. Quæ & quanta clades ibi acciderit, tam pudet referre, quàm inultum dimittere. Igitur constrictus & euentus asperitate & temporis articulo Coloniam diuerti. Quæ cùm me recipere satis superbè refutaret, apud villam Bonnam sanctum diem Paschæ vtcunq; peregi. Cui vnquam regiæ personæ tanta contumelia facta est? Nec solùm me petit hæc contumelia, vos despecti estis: isti præsumptores decreta vestra authoritatem habere nolunt, sua tantùm statuta firma esse volunt: deniq; in quos totum regni pondus se reclinet, haberi cupiunt, regem quem constituistis, destituere parant, vt nihil eorum quæ vos decernitis, ratum sit. Igitur hæc iniuria mea regni potius est, quàm mea. Nam vnius capitis licet summi deiectio, reparabile regni dãnum est. Principum autem conculcatio, ruina regni est. An hæc impunè feremus? & ex ignobili patientia nostra magis tumebit eorum superbia? Absit, vt qui dicimur inhonorati, dicamur & inulti: pauca dixisse sat est: desides animi prolixæ cohortationis stimulo opus habent. In strenuis causa magis ad incitamentum facit, quàm verba. Quia igitur contra tam superbos hostes R. P. viribus vtendum est, expeditionem vobis & rogando præcipimus & præcipiendo rogamus, cuius collectioni tempus calendas Iulias, locum Wirziburgensem vrbem præfinimus. Cùm ergo audisset Henricus dux, & Colonienses cum Leodiensibus, quòd super se rex exercitum ducere vellet, arma parabant, copias colligebant, vrbes firmabant, & ad resistendum pari voto studioq́ se accingebant. Sed & Imperatorem consiliis & precibus vrgebant, vt imperialem dignitatem, quam non ratione conuictus, sed vi ferroq́ mortem intentante coactus dimisisset, resumeret, se sibi nec armis defore nec animis: multos illum in breui fautores habiturum, quia multi multum abominarentur tam insolitum facinus & inhumanum. Quorum importunitati hacille ratione reniti cœpit, impossibile esse amissum imperium armis repetere, quod possessum armis retinere nequiuisset: illud sibi non esse tanti, vt multorum exitio recipiendum existimaret: beatius sibi &

tutius fore, vt priuatus, licet indignè deiectus, viueret. Sic vtrinque data redditaq; ratione, cùm instare non desinerent, ne benignitatem circa se remoueret à se, nec ad integrum consensit, nec abnuit, prouidusq; futuri, præcipites eorum animos spe dubia suspendit. Igitur primò Coloniam, quæ primum impetum latura fuerat, vallo turribusque muniebant, & congestis belli stipendiis, impositoque præsidio periculum suum fortibus animis expectabant. Sic & alias vrbes quas inuadendas credebant, munitione, machinis, & robore militum firmabant. Sed & edictum sub comminatione crudeli vbique spargebant, vt aduersus exercitum in magna superbia super se venturum parati essent, & patriam, libertatem, vitamq; defenderent, nec sinerent vxores suas corruptionis ludibrio substerni, vel agros in alienos dominos distrahi. Iam rex Rhenum cum exercitu valido transierat, & primò Coloniam, quæ quasi caput inter alias vrbes eminebat, magno impetu inuasit, putans se sibi membra facilius subiicere posse, contrito tam valido capite. Sed res longè præter spem euenit. Nam cruenta repulsa retroacti, procul locatis castris vrbem obsidione vallabant. Magis autem dixerim, obsessores ab obsessis obsessos. Nam prereptis sibi nauibus, quæ per Rhenum descendentes exercitui commeatum portabant, premente fame quasi quadam obsidione constricti laborabant. Interim vt vrbem ab obsidione liberarent, totius patriæ robur vndique coibat. Sed Imperator tam cruentum facinus detestatus, pugnam obnixè dissuadebat: cur eis tantus ardor pellendę obsidionis inesset: quæ non nisi magna sui clade pelli posset: tollerent omnem solicitudinem capiendæ vrbis, quæ & ex firmitate murorum & ex forti milite tutissima, & omni victus genere esset opulentissima, accedente & Rheni beneficio, qui per naues delicias quas appeterent, inuito obsessore subministraret: sinerent potius eos in cladem suam furere, & in expugnabilem vrbem, vnde vulnera tantùm cæsosq; reportarent, impugnare: sinerent eos latè vastare, dum ruris copia consumpta, esurire inciperent: sinerent eos grassari, dum equos vires-que labor eneruaret: fore vt victoria sibi paruo constaret, si paululum tolerantia & opportunitate temporis vti voluissent. Sic Imperatoris hortatu à pugna reuocati, hostiles tantum excursus obseruabant, & ignaros loci passim cædentes metum hosti, ne longius euagaretur, incutiebant. Omnia verò quæ prædixerat Imperator, euenerunt. Quoties enim tentabant portas infringere, ariete murum perrumpere, tormentis turres deiicere, infecto negotio, vulnera tantùm & funera ad castra reportabant. Sed nec vlterius progredi latitante in insidiis hoste præsumebant: homines & equi exhausti tã alimentorum penuria quàm laboris improbitate, viribus deficiebant. Nam agris in circuitu vastatis, nihil reperiebant. Accessit his malis etiam morbus, quem fœtor castrorum (vt fieri solet) aëre vitiato concitauerat, qui non solùm vulgus, sed ipsos principes aut ægritudine confecit, aut letho rapuit. Huiusmodi rerum aduersitate fatigati, quid facturi essent, ambigebant, quia volentes mori, occasionem pugnæ nõ inueniebant: aut si reditum pararẽt, certi quòd hostis à tergo premeret, exercitum suum fuga spargendum metuebant. Qua tempestate mentis dum fluctuarent, subitò fama veniens, nubila tantæ perturbationis in serenum conuertit. Retulit enim, Imperatorem mortis debitum persoluisse. Ad quam famam primò hæsitabant. Sed cùm nuncius extremum munus, patris annulum videlicet & gladium, cum mandatis filio portans venisset, tanta lætitia oborta est, vt voces gratulãtium minimè sedari possent. Sed non minor luctus circa funus Imperatoris erat: proceres plangebant, vulgus lamentabatur, vbiq; gemitus, vbiq; planctus, vbique vox dolentium audiebatur: ad exequias illas viduæ, pupilli, denique totius patriæ pauperes conueniunt: deflent se orbatos patre, fundunt in corpus lacrymas, deosculantur largas manus, vix auellebantur ab amplexu extincti corporis, vix illud condendi copia dabatur. Sed nec tumulum deserebant, ibi vigiles lacrymis & orationibus vacabant, plangendo recitantes, & recitando plangentes, quænam opera misericordiæ feciſſet in se: quanquam mors eius plangenda non fuit, quam bona vita præcessit, qui fidem rectam, spem firmam, compunctionem cordis amaram in extremis suis tenuit, quem nec de pudendis admissis publicam agere confessionem puduit, qui tota cordis auiditate dominici corporis cibum sumpsit. Felix es Imperator Henrice, qui tales excubias, tales intercessores tibi parasti, qui nunc multipliciter auctum de manu Domini recipis, quod in manus

nus pauperum abſcondiſti: turbulentum regnum pro tranquillo, defectiuum pro æterno, terrenum pro cœleſti mutaſti. Nunc demum regnas, nunc diadema portas, quod tibi nec hæres tuus præripiat, nec aduerſarius inuideat. Ergo continendæ ſunt lacrymæ, ſi contineri poſſunt: huic tuæ felicitati debetur tripudium, non luctus; exultatio, non planctus; voces gratulantium, non dolentium. Poſt hunc rerum euentum hi qui contra regiam maieſtatem bellum ſuſceperant, mortua ſpe ſua animis & viribus deficiebant, & quod in illo rerum articulo faciendum fuit, ad gratiam regis deditione, pecunia, quoque modo quiſque poterat, recurrebant.

Ecce habes de geſtis, de expenſis in pauperes, de fortuna, de obitu Imperatoris Henrici, quæ ſicut non poterant abſq; lacrymis à me ſcribi, ſic non poterunt abſq; lacrymis à te legi.

HISTORIAE DE VITA HENRICI IIII, Imperatoris Finis.

EPISTOLAE ALIQVOT HENRICI IIII, IMP. AVG. AD PONTIFICEM ROMAN. ET ALIOS principes.

HENRICVS DEI GRATIA REX Annoni, Colonienſi Archiepiſcopo, gratiam, ſalutem, dilectionem.

IN maximis negotiis maximis maximorum opus eſt conſiliis, qui & facultatem habeant exterius, & voluntate non careant interius, vt rei cui bene cupiunt, bene conſulere & velint & poſſint. Quia in cuiuſlibet rei profectu, nec facultas ſine voluntate, nec voluntas ſine facultate prodeſt. Quod vtrunque tu fideliſſime, vt arbitramur, æqualiter poſſides, vel vt verius dicamus, licet maximo tibi maxima non deſit facultas, maior tamen adhuc maxima facultate (ſi te bene nouimus, ſi fidem tuam diligẽter notauimus) in noſtram & regni vtilitatem exuberat voluntas. De præteritis enim fideliter exhibitis in futuris creſcit ſpes fidelius exhibendis. Tuæ autem dilectioni cõmittimus, ne ſpes noſtra maior ſit fide tua: quia de nullius regni principum vel epiſcoporum fidelitate, quàm de tua maiora ſperamus, ſicut hactenus non modò in præteritarum rerum exhibitione, verùm etiam in ſperandarum promiſſione tua gauiſi ſumus. Adſit igitur hoc tempore opportuna tua cum facultate voluntas, quam non modò noſtra, verùm & omnium epiſcoporum fratrumq; tuorum, imò totius oppreſſæ eccleſiæ exoptat neceſſitas. Nõ etiam hanc oppreſſionem ignoras, tantùm vide ne oppreſſæ eccleſiæ te ſubtrahas, ſed regno & ſacerdotio condoleas: quo vtroq; ſicut hucuſq; eccleſia eſt exaltata, ita nunc heu humiliatur viduata. Nam vnus dum vtrunq; ſibi vendicauit, vtrunq; diſſipauit, nec in vno profuit, qui in neutro prodeſſe voluit, nec potuit. Et ne diutius notati nomine te ſuſpendamus, accipe quem dicimus, Hiltebrandum ſcilicet, monachum habitu quidem, dictum Apoſtolicum, non paſtoris cura ſed inuaſoris violentia Apoſtolicæ ſedi præſidentem, & de ſede pacis catholicæ, pacis vnitæ vincula diſſipantem, vt tibimet in promptu eſt ſcire. Vt enim de pluribus pauca referamus, regnum ac ſacerdotium Deo neſciente ſibi vſurpauit, in quo piam Dei ordinationem contempſit, qui non in vno ſed in duobus duo, id eſt regnum & ſacerdotium, principaliter conſiſtere voluit: ſicut ipſe Dominus Saluator in paſſione ſua de duorum gladiorum ſufficientia typica intelligi innuit. Cui cùm diceretur: Ecce Domine, duo gladij hîc: reſpondit, ſatis eſt: ſignificans hac ſufficiente dualitate ſpiritualem & carnalem gladium in eccleſia eſſe gerendum, quibus omne nociuum foret amputandum, videlicet ſacerdo-

tali ad obedientiam regis pro Deo, regali verò gladio ad expellendos Christi inimicos Christi exterius, & ad obedientiam sacerdotij interius, omnem hominem docens fore castigandum, vt ita de alia in aliam charitate tenderetur, dum nec regnum sacerdotij, nec sacerdotium regni honore priuaretur. Hanc Dei ordinationem qualiter Hildebrandica insania confuderit, tu ipse nosti, si scire voluisti. Nam nullum eius iudicio licet esse sacerdotem, nisi qui hoc à fastu suo emendicauerit. Me quoque, quem Deus in regnum, non autem illum vocauit ad sacerdotium, quia me de Deo, & non de illo regnare velle vidit, quia ipse me regem non constituit, regno priuare studuit, minitans regnum animamque mihi tollere, quorum neutrum concessit. Hęc & iis similia cùm sæpius in nostram, vt ipse nosti, contumeliam struxerit, non tamen adhuc sufficere credit, qui de die in diem noua exquisita confusionis genera nobis ingerit, vt in nostris nunciis nouiter argumentum dedit. Nam charta exponere non sufficit, qualiter eosdem nostros nuncios tractauerit, quàm indignis modis affecerit, quàm crudeliter eosdem incarcerauerit, & carceratos nuditate, frigore, fame, siti ac plagis contriuerit, sicque demum ad exemplum per medium ciuitatis circumductos omnibus spectaculum præbere iusserit, ita vt eundem cum Decio tyranno insanire, & sanctos assare credas & dicas. Vnde ne pigeat, charissime, communi nostrum, scilicet meæ & coëpiscoporum tuorum petitioni satisfacere, vt in Pentecosten Wormatiam venias, & ibi plura, quorum pauca docet chartula, cum cæteris audias principibus, & quid agendum sit, doceas: rogatus per dilectionem coëpiscoporum, monitus per ecclesiæ vtilitatem, obligatus per vitæ nostræ & regni totius honorem.

Henricus Dei gratia rex vniuersæ sanctæ Rom. ecclesiæ, clero & populo, gratiam, salutem & omne bonum.

HÆc fides firma & inconcussa creditur, quæ semper & eadem & præsenti & absenti seruatur, nec diuturna eius, cui debetur, absentia, nec longi temporis tædio immutatur. Et de alia epistola: Exurgite in eum fidelissimi, & primus in fide, sit primus in eius damnatione. Non autem vt sanguinem eius effundatis, dicimus: quippe cùm maior sit sibi post damnationem pœna vita quàm mors. Sed vt eum, si nolit descendere, cogatis, & alium communi omnium episcoporum & vestro consilio à vobis electum, in Apostolicam sedem recipiatis, qui quod iste in ecclesia vulnerauit, curare velit & possit.

Henricus non vsurpatiuè, sed pia Dei ordinatione rex, Hiltebrando non iam Apostolico sed falso monacho.

HAnc talem pro confusione tua salutationem promeruisti, qui nullum in ecclesia ordinem prætermisisti, quem confusionis non honoris, maledictionis non benedictionis, participem non feceris. Vt enim de multis pauca & egregia loquamur: rectores sanctæ ecclesiæ, videlicet archiepiscopos, episcopos vel presbyteros non modò non tangere, sicut Christos Domini, non timuisti, quin sicut seruos, nescientes quid faciat Dominus eorum, sub pedibus tuis calcasti: in quorum conculcatione tibi fauorem ab ore vulgi comparasti, quos omnes nihil scire, te autem solum omnia nosse iudicasti: qua vtique scientia non ad ædificationem sed ad destructionem vti studuisti: vt iure hoc beatum Gregorium, cuius nomen tibi vendicasti, de te credamus prophetasse dicentem sic: Ex affluentia subiectorum plerunque animus prælati extollitur: existimat se plus omnibus nosse, cùm se videt plus omnibus posse. Et nos quidem hæc omnia sustinuimus, dum Apostolicæ sedis honorem conseruare studuimus. Sed tu humilitatem nostram timori fore intellexisti: ideoq; in ipsam regiam potestatem, nobis à Deo concessam, exurgere non timuisti, quàm à nobis auferre ausus es minari: quasi nos à te regnum acceperimus: quasi in tua & non Dei manu sit regnũ vel imperium, quia Dominus noster Iesus Christus nos ad regnum, te autem non vocauit ad sacerdotiũ. Tu enim his gradibus ascendisti: scilicet astutia & fraude, quodq; mona-

monachica profeſſio abominatur, pecunia fauorem, fauore ferrum, ferro ſedem pacis adiſti, & de ſede pacis pacem turbaſti, dum ſubditos in prælatos armaſti, dum epiſcopos noſtros à Deo vocatos, tu non vocatus ſpernẽdos docuiſti: dum laicis miniſterium eorum ſuper ſacerdotes vſurpaſti, vt ipſi deponant vel condemnent, qui ipſos de manu Domini per impoſitionem manuum epiſcoporũ docendos acceperant. Me quoq; licet indignus inter Chriſtianos ſum ad regnum vocatus, te teſte, quem ſanctorum patrum traditio ſoli Deo iudicandum docuit, nec pro aliquo crimine, niſi à fide (quod abſit) exorbitauerim, deponendum aſſeruit: cùm etiam Iulianum Apoſtatam prudentia ſanctorum epiſcoporum non ſibi, ſed ſoli Deo deponendum commiſerit. Ipſe verò quid verus papa beatus Petrus clamat? Deum timete, regem honorificate. Tu, inquam, quia Deum non times, me conſtitutũ eius inhonoras. Vnde beatus Paulus, vbi angelo de cœlo alia ſi prædicauerit non pepercit, te quoq; in terris alia docentem non excepit. Ait enim, Si quid vel ego vel angelus è cœlo prẽter id, quod euangelizauimus, vobis euãgelizauerit, anathema ſit. Tu igitur hoc anathemate, & omnium epiſcoporum noſtrorum iudicio damnatus, deſcende, vendicatam tibi ſedem Apoſtolicam relinque, alius in ſolium beati Petri aſcendat, qui nulla violentia religionem palliet, ſed beati Petri ſanam doctrinam doceat. Ego Henricus rex Dei gratia cum omnibus epiſcopis noſtris tibi dicimus deſcende, deſcende.

Henricus Imp. Romano Pontifici Paſchali.

SI illa inter nos pax eſſet & concordia, quæ inter noſtros olim & tuos fuit anteceſſores, quę inter nos etiam & Nicolaum & Alexandrum, viros catholicos & religioſos Romanos pontifices, plena charitate & integra deuotione viguit, mandaremus tibi quicquid filius patri: ſed diſtulimus expectantes, & recognoſcere deſiderantes, ſi in beneplacito Dei ſit, nobis in charitate & amicabiliter poſſe conuenire, & eccleſiam ſuam noſtris temporibus, noſtro labore ipſo cooperante in ſtatum redire vnitatis priſtinæ. Hoc quanquam dudum, Deo teſte, deſiderauimus, tamẽ cognita nimia eorum auſteritate qui in Romana erant eccleſia, non vtile nobis viſum eſt, vel competẽs, eos de hac cauſa conuenire: quia magis videbantur nos proſequi odio & indignatione, quàm zelo iuſtitiæ, vel etiam quàm velle nos amplecti dulcedine charitatis ad profectum eccleſiæ. Effectus hoc probat: quia cùm ipſi regnum hæreditario iure nobis collatum tempore religioſorum virorum Romanorum pontificum pacificè à nobis diu poſſeſſum cõtra nos commouere ſtuderent & armare, multa inde orta eſt ſtrages populorum, tam corporum quàm etiam, quod magis dolendum eſt, animarum. Nunc quoq; filius noſter, quem tam vehementer dileximus, vt vſq; ad ſolium regni noſtri exaltaremus, eodem veneno infectus, cõſilio quorundã perfidiſſimorum & periuratorum ſibi adhærentiũ, inſurgit in nos: poſtpoſitis omnibus ſacramentis quibus ſe nobis obligauerat: poſthabita omni fide & iuſtitia, tantùm vt eccleſiarum bona & regni liberè valeant perdere, rapere, & inter ſe diuidere. Et cũ multi nobis perſuadeant, abſq; dilatione in eos vi & armis eſſe vlciſcendum, maluimus tamen adhuc differre, vt tam in Italico quàm in Teutonico regno ſciatur manifeſtè, quòd nec noſtræ ſit volũtatis, nec culpę, ſi tandem inuiti & coacti in eos inſurrexerimus, quęcunq; mala vel infortunia vel populorum ſtrages inde euenerint. Præterea quia audiuimus, te hominem diſcretum, Deum timentẽ, charitati inſudantẽ, ſanguinem hominum non ſitire, rapinis & incendiis non gaudere, vnitatem eccleſiæ ſuper omnia diligere, conſilio & ſuggeſtione principum noſtrorum mittimus tibi nuncium iſtum cum legatione noſtra. Per hanc quippe volumus cognoſcere, ſi eſt tibi volũtati, te nobis in charitate & amicabiliter, & nos vniri tibi, ſaluo nobis honore regni & imperij & totius noſtrę dignitatis, ſicut & auus & pater noſter alijq; anteceſſores noſtri habuerunt, ſeruato etiam tibi à nobis honore Apoſtolicæ dignitatis, ſicut anteceſſores noſtri, tuis anteceſſoribꝫ ſeruauerunt, & nos prefatis pontificibus. Quod ſi placuerit tibi, paternè nobiſcũ agere, & eam quam mundus dare non poteſt, pacem integrè nobiſcum componere, mitte nobis familiarem nuncium tuum, cum priuatis literis tuis & ſecreta legatione, cum hoc nuncio noſtro, vt hoc modo indubitãter poſſimus cognoſcere omnem de hac re cer-

titudinem volũtatis tuę. Qua cognita, mittemus tibi de maioribus principibus noſtris, quales & nos tibi mittere, & te deceat à nobis recipere, ad tantam rem componẽdam, per quos excluſa omni ambiguitate manifeſtè poſſis cognoſcere, nos veraciter velle cõplere, quæ tibi mãdamus ſecretè. Præterea quæ hîc inſcripta nõ ſunt, commiſimus huic fideliſſimo noſtro nuncio, quædam tibi dicẽda, quibus tam veraciter quàm ſcriptis credas.

Epiſtola Henrici regis ad Hiltebrandum.

CVM hactenus à te ea quæ ſunt patris, expectarem, tibiq; in omnibus magna fidelium noſtrorum indignatione obedirem, recepi à te viciſſitudinem, qualẽ oportebat ab eo, qui vitæ regniq; noſtri perniciоſiſſimus hoſtis eſſet. Nam cùm primum omnem hæreditariam dignitatem, quæ mihi ab illa ſede Apoſtolica debebatur, ſuperbo auſu rapuiſſes, longius inde progrediens, regnum Italiæ peſſimis artibus alienare tentaſti: neq; hoc contentus, in reuerendiſſimos epiſcopos, qui nobis velut dulciſſima membra vniti ſunt, manum mittere non timuiſti, eosq; ſuperbiſſimis iniuriis acerbiſſimisq; contumeliis contra diuina & humana iura, vt ipſi agũt, exagitaſti: quæ omnia cùm ego quadam patientia diſſimularem, tu hoc non patientiam ſed ignauiam exiſtimans, in ipſum caput inſurgere auſus es, mãdans quæ noſti, ſcilicet, vt tuis verbis vtar, quòd aut tu morereris, aut mihi animamq; regnumq; tolleres.

Henricus rex regi Celtarum.

PRINCEPS clariſſime, & omnium in quibus poſt Deum ſperamus fideliſſime: primum & præcipuum inter omnes vos excepi, cui conqueri & deplorare omnes calamitates meas & miſerias neceſſarium duxi, & etiam genibus veſtris aduolui, ſi licet ſalua maieſtate imperij. Primum quidẽ eſt, quod non ſolùm vobis, ſed totius Chriſtianæ profeſſionis hominibus grauiſſimum, ac intolerabile arbitramur, quòd de Apoſtolica ſede, vnde vſq; ad memoriam noſtri temporis ſalutifer fructus cõſolationis, dulcedinis & ſaluationis animarum oriebatur, modò perſecutionis, excõmunicationis, & omne perditionis flagellum emittitur: nec ponunt vllum modũ ſententiæ, tantùm vt ſatisfiat voluntati indiſcretæ. Huius voluntatis ſuę intẽperantia adeò vſq; nunc abuſi ſunt, vt nec Deum, nec quid aut quantum mali inde proueniat penſantes, per ſe & per ſuos omnibus modis in nos inuehantur, cùm obedientiam & omnẽ ſubiectionem debitam ſæpe obtulerim Apoſtolicæ ſedi: ſi tamen honor debitus & reuerentia, ſicut anteceſſoribus meis, exhiberetur & mihi. Quid autem intendant, opportunius ſignificabo vobis, ſi quando optati colloquij copiam Deus dederit nobis. In hac igitur perſecutionis & odij ſui inflammatione, cùm parum viderent ſe proficere, contra ipſum ius naturæ laborãtes, quod ſine maximo cordis dolore, ſine multis lacrymis dicere non valeo, & quia dicitur, vehementer contremiſco, filium meum, Abſolon inquam dilectiſſimum, non ſolùm contra me armauerunt, ſed etiam tanto furore animauerunt, vt inprimis contra fidem & ſacramentum, quod vt miles domino iurauerat, regnum meum inuaderet, epiſcopos & abbates meos deponeret, inimicos & perſecutores meos ſuſtineret: ad vltimum, quod maximè vellem taceri, aut ſi taceri non poteſt, vellẽ non credi, omnem affectũ naturæ abiiciens, in ſalutem & animã meam intenderet, nec quicquam penſi haberet, quomodo vi & fraude ad hanc periculi & ignominiæ ſuæ ſummã aſpiraret. In hac tanta mali ſui machinatione, cũ eſſem in pace & in aliqua ſalutis meæ ſecuritate, in locum qui Confluentia dicitur, in ipſis dominici aduentus ſanctiſſimis diebus ad colloquiũ euocauit me, quaſi de communi ſalute & honore filius tractaturus cum patre. Quem cùm vidi, illico ex paterno affectu tactus, intrinſecus dolore cordis mei ad pedes ſuos procidi, admonens & obteſtãs per fidem, per ſalutem animæ, ſi pro peccatis meis flagellandus eram à Deo, de me ipſe nullam conquireret maculam honori & nomini ſuo, quia culpæ patris vindicem filium eſſe nulla diuinæ legis conſtituit ſanctio. At ille tam pulchrè, imò miſerrimè inſtitutus ad malitiam, quaſi abominabile & execrabile ſcelus cœpit deteſtari. Et procidens ipſe ad pedes meos, de præteritis cœpit veniam deprecari: in reliquum vt miles domino,

vt

vt patri filius, cum fide & veritate per omnia se mihi obauditurũ promisit cum lacrymis, si modò sedi Apostolicę vellem reconciliari. Quod cùm promtissimè annuissem, & deliberationi suæ & consilio principum hoc tantùm mancipandum promisissem, in presenti natiuitate se productum me Moguntiam, & ibi de honore & reconciliatione mea, quàm fidelius posset acturum, & inde in pacem & securitatem me reducendum, promisit in ea veritate & fide, qua patrem à filio honorari, & filium à patre præcipit Deus diligi. Hac promissione, quæ & gentili obseruanda est, securus ibam, & filius meus aliquantulum me præcesserat. Et ecce quidam fideles verissimè me deceptum affirmabant, & proditum sub falsa pacis & fidei sponsione. Reuocatus autem filius meus, & iterum à me instantissimè admonitus, sub eiusdem fidei & sacramẽti obtestatione, animam suam pro anima mea fore promisit secunda vice. Cùm ergo ad locum qui Binga vocatur, peruenissem, iam existente die Veneris ante natiuitatem, numerus armatorum suorum iam satis augebatur, iam fraus ipsa de se detegebatur, & filius ad me, Pater, inquit, nobis secedendum est in vicinum castellum: quia Moguntinus episcopus in suam ciuitatem non admittet vos, quamdiu in banno eritis. Nec vos inpacatum & irreconciliatum audeo ingerere inimicis vestris. Illic Natiuitatem cum honore & pace agatis, quoscunq; placuerit vobis, vobiscũ habeatis: ego interim quanto instantius, quanto fidelius potero, pro nobis vtrisq; laborabo, quia causam vestram meam existimo esse. At ego, mi inquam fili, iudex & testis sermonum & fidei sit inter nos hodie Deus, quomodo te in virum & hæredem meum produxerim, quantis tribulationibus meis honori tuo inseruierim, quot & quãtas inimicitias pro te habuerim & habeam, solus conscius es. Ille autem tertiò sub eiusdem fidei & sacramenti attestatione, si ingrueret occasio periculi, caput suum pro meo capite fore mihi promisit. Sic postquã clausit me in eodem castello, quo omnia animo & corde fuerit locutus, manifestè rei ostendit euentus. Ex omnibus meis quartus ego sum inclusus, nec quilibet alius admitti potuit: custodes deputati, qui vitę meæ erant atroces inimici. Benedictus per omnia Deus, exaltandi & humiliandi quæ voluerit rex potentissimus. Cùm ergo ipso sacratissimo die Natiuitatis suæ omnibus redemptis suis ille sanctus sanctorum puer fuisset natus, mihi soli filius ille non est datus. Nam vt taceã opprobria, iniurias, minas, gladios in ceruicem meam exertos, nisi omnia imperata facerem, pręterea famem & sitim, quam perferebam ab illis quos iniuria erat videre & audire, vt etiam taceam, quod est grauius, me olim satis felicem fuisse: illud nunquam obliuiscar, illud nunquam desinam omnibus Christianis conqueri, quòd illis sanctissimis diebus sine omni Christiana communione in carcere illo fui. In illis pœnitentiæ & tribulationis meæ diebus à filio meo missus venit ad me quidam princeps Wigbertus, dicens, nullum vitæ meæ esse cõsilium, nisi sine vlla contradictione omnia regni insignia redderem ex voluntate & imperio principum. At ego etsi omnis terra, quantũ inhabitatur, mei regni terminus esset, nollem regno vitam commutare: quia vellem nollem sic agendum, & sicut definitum intelligebam, coronam, sceptrum, crucem, lanceam, gladium misi Moguntiam. Tunc communicato consilio cum inimicis meis meus filius egrediens, relictis ibidem fidelibus & amicis meis, quasi me eò adducturus, sub multa frequentia armatorum suorum me abductum ad villam quæ dicitur Engilzaim, fecit me ad se adduci, vbi maximam inimicorum meorum multitudinem collectam inueni, nec ipsum filiũ cæteris mihi meliorem reperi: & quia firmius & stabilius videbatur eis esse, si propria manu cogerent me regnũ & omnia regalia exfestucare, simili modo & ipsi omnes minabantur mihi, nisi omnia imperata facerem, nullum vitæ meæ consilium fieri posse. Tũc ego inquã, quia de sola vita mea agitur, qua nihil pretiosius habeo, vt saltem viuens pœnitentiam exhibeã Deo, quicquid imperatis faciam. Cumq; inquirerem, si saltem sic de vita mea certus essem, Apostolicę sedis legatus qui ibidem aderat, (nõ dico qui omnia hæc audiuerat) respondit, me nullo modo eripi posse, nisi publicè confiterer, me iniustè Hiltebrandum persecutum esse, Wigbertum ei iniustè suppositum esse, & iniustam persecutionem in Apost. sedem & omnem ecclesiam hactenus exercuisse. Tunc cũ magna contritione animi prostratus cœpi per Deũ, per ipsam conscientiam orare, vt locus & tempus mihi daretur, vbi in presentia omnium principum, cùm innocens essem, vellẽ ex iudicio omniũ me expurgare, & in quo culpabi-

lem me recognoscerent, ex consilio omnium sanioris sententiæ pœnitentiam & satisfactionem, quo ordine iuberent, quærere, & in principibus regni de fidelibus nostris, quoscunq; obsides vellent, dare. At idem legatus locum & diē mihi abnegauit, dicens: aut tibi totum debere determinari, aut nulla spes mihi esset euadendi. In tanto tribulationis articulo, cùm interrogarem, si confiterer omnia quæ imperabantur, an confessio mea, vt iustum est, veniam & absolutionem cōsequeretur: ibi legatus dixit, non esse iuris sui me absoluere: Si vellem, inquit, absolui, Romam irem satisfacere Apostolicæ sedi. Sic desolatum & spoliatum (nam & castella & patrimonia, & quicquid in regno conquisierā, eadem vi & arte sua extorserant à me) in eadē villa reliquerūt me. In qua cùm aliquo tempore commoratus essem, & filius meus ex eodē fraudis suæ consilio demādasset, vt ibidem eum expectarem, superueniens quorundā fidelium meorum legatio præmonuit, vt siquidem ad monitum ibidem remanerē, fore aut in perpetuam raperer captiuitatem, aut in eodē decollaret. Quo nuncio satis tunc vitæ meę diffisus, illico aufugiens, fugiendo Coloniam veni, & ibi aliquot diebus commoratus, postea Leodium veni. In quibus locis fideles viros, & in fide regni constantes semper inueni. Horū cæterorūq; regni fidelium consilio vsus, vobis fiducialius & honestius habeo deplorare has oēs meas miserias. Fiducialius quidē propter mutuū consanguinitatis & antiquæ amicitiæ debitum: honestius autem propter tanti regni nomē gloriosum. Vos igitur per fidem, per amicitiam rogo, in tantis tribulationibus meis ac iniuriis propinquo & amico consulatis. Quæ fidei & amicitiæ vincula etsi inter nos non essent, vestra tamē & omniū regum terræ interesset, iniuriā & contemptū meum vindicare, & tam nefatiæ proditionis & malitiæ exemplum de superficie terręextirpare.

Henricus Dei gratia Rom. Imp. Aug. Henrico filio suo.

SI ea nos debita affectione tractasses qua deberes, lubentissimè tecum loqueremur, & paterna tibi manderemus: verùm quia longè alius quàm paternæ affectionis & humanitatis circa nos animus tibi fuit, nequimus aliter tecum loqui, quàm quod ipsa rei manifestissimæ veritas habet. Tu enim ipse scis, sicut ipse publico experimento facti tibi conscius es, qualiter data fide & securitate personæ & honoris nostri, omni affectione deuotionis promisisti, nos ducere Moguntiam coram principibus, & inde nos securissimè reducere quocunq; vellemus. Hac fiducia cùm tecum amanter & indubitanter ascenderemus, contra datam fidem apud Bingam nos cepisti: vbi nec paternæ lacrymæ, nec patris mœror, nec tristitia, qua ad pedes tuos aliorumq; aduoluebamur, te commouit ad misericordiā, quin nos caperes, & captum mortalibus inimicis illudendū & custodiendum traderes, vbi multimodo genere contumelię & terroris afflicti, compulsi sumus ferme venire v sq; ad ipsum mortis articulū. Ante captiuitatem abstulisti nobis episcopatus, & quicquid de honore regni potuisti, & prędia nostra: & ipsam familiam: in captiuitate verò quicquid residuum erat, vt lanceam & crucem & omnia regalia insignia vi & timore mortis, vt ipse bene scis, & omni ferme notum est Christianitati, à nobis extorsisti, relicta vix ipsa vita. Cùm hoc tibi de nobis nō sufficeret, postea semper vbicunq; fuimus, modis omnibus quibus potuisti, nos persequi non cessasti, vt vel perderes, vel de regno expelleres. Verùm nos satis mirari non possumus, qua ratione vel occasione tā obstinatè facias, cùm de domino papa & Romana ecclesia nulla tibi residua sit occasio. Nos enim nuncio domini papæ, & Romanæ ecclesiæ te præsente parati fuimus & sumus obedire, & omnem debitam obedientiam & reuerentiā ei coram & semper exhibere, & cōsilio principum & spiritualis patris nostri Henrici, Cluniacensis abbatis, aliorūq; religiosorum virorū de statu ecclesiæ & honore regni libētissimè agere. Te ergo rogamus pro honore regni & tua & paterna deuotione, & per autoritatē Romani pontificis & Romanæ ecclesiæ, vt de iniuria nobis illata, & de his quæ nobis vi & iniustè abstulisti, iustitiam facias. Rogamus etiā, vt cùm nil rationis tibi sit, quare nos persequaris, nos & fideles nostros cesses infestare, imò permittas nos pacificè & quietè viuere, vt integrè & cum tranquillitate possimus omnia suprà dicta agere. Recognosce etiam, & tecum cogita quia Deus iustus iudex est, cui commisimus causam nostram & vindictam: cuius etiam iudicia

sunt

sunt occulta, velut abyssus multa. Quoniam quantumcunque super afflictionem & infortunia glorieris, & super humilitatem te extollas, forsitan de sede sancta sua inter me & te gratuita misericordia aliud iam definiuit, intercedente iustitia, quàm tu ipse cogites & disponas. Quod si nulla alia vel reuerentia vel intercessio nobis valet, opto vt iustitiam consequi possimus, vel vt tuæ persecutionis impetus cesset. Ad hoc idem Romanum pontificem, & sanctam vniuersalem Romanam ecclesiam appellamus.

Henricus Dei gratia Rom. Imp. Aug. archiepiscopis, & cæteris Saxoniæ principibus, ac etiam reliquo populo, gratiam & dilectionem dignantibus eam recipere.

COnquerimur Deo omnipotenti, & dominæ meæ sanctæ Mariæ, & beato Petro, principi Apostolorum, patrono nostro, & vobis principibus omnibus, quia iniustè & inhumanè & crudeliter in illa confisi fide, qua dubitare non debuimus, tractati sumus, & tam honore regni quàm prædiis omnibus, quę habebamus contra diuinum & humanum ius, ad infamiam & vituperium regni, ita expoliati sumus, vt nihil penitus præter vitam nobis relictũ sit. Vbi cùm ferme omnes essetis, magna pars vestrûm visa est dolore contristari: sed proh dolor, nihil nobis contulit vestra tristitia, quin in nobis sibi satisfaceret voluntas inimicorum odiosa. Et quia consilio & rogatu filij nostri, fide & securitate vitæ & honoris primùm ab eo accepta, fiducialiter & desideranter Moguntiam in præsentiam legati Romani & principum tenderamus, vt eorũ dispositione ageremus tam de statu ecclesiæ & honore regni, quàm de salute animæ nostrę, ipse non est veritus in hac voluntate & obedientia nos contra datam fidem capere, & vsq; ad articulum mortis ferme ducere: non ausi sumus ita nos illi credere, vt iniuria & cõtumeliis nos pro voluntate sua, sicut prius, valeat tractare. Quapropter multum vos rogamus, & obnixè precamur, vt pro timore Dei & honore regni, & honestate vestra, dignemini studere, quomodo de iniuria in manibus vestris nobis illata, per vos possimus recuperare iustitiam. Nos autem pro consilio vestro, & aliorum qui nos odio non habẽt, religiosorum virorũ parati sumus, tam filio nostro, si in aliquo eũ offendimus, quàm alicui in regno libẽter rationem dare. Præterea sicut domino papæ in præsentia legati sui & vestra obedire parati fuimus, ita nũc parati sumus, ei omnem debitam reuerentiam & obedientiam syncero corde & deuotione præsentialiter exhibere, & tam consilio vestro quàm spiritualis patris nostri Henrici, Cluniacensis abbatis, aliorumq; religiosorum de statu ecclesiæ & honore regni quantum in nobis est disponere. Cùm ergo ad hæc omnia parati simus, rogamus vos & obnixè precamur, quatenus pro Deo & honore regni & vestro instanter moneatis filium nostrum, cùm nulla ei secundum prędictam sententiam aduersum nos residua sit occasio, à modo desistat nos & fideles nostros persequi, & pacificè & quietè viuere permittat, vt suprà dicta integrè & cum tranquillitate perficiantur. Quod si noluerit, rogamus vos per autoritatem Rom. ecclesiæ, cui nos committimus & honorem regni, ne super nos & fideles nostros veniatis, quia manifestum est, non eum diuinæ legis zelo, vel Romanæ ecclesiæ dilectione, sed concupiscentia regni, patre iniustè eo priuato, hoc incepisse. Apud quem si interpellatio vestra nullaq; alia interuẽtio ad præsens prodesse poterit, appellamus Rom. pontificem, & sanctam vniuersalem Rom. sedem & ecclesiam.

Henricus Dei gratia Imp. Rom. Aug. archiepiscopis, episcopis, ducibus, comitibus, cæterisq; regni principibus gratiam & dilectionem, dignantibus eam recipere.

ROgamus filium nostrum, & vos multùm precati sumus, vt dimisso exercitu ordinaretur, quomodo possemus conuenire, vt de iniuria nostra & pace componenda ad honorem regni possit dignè & decenter definiri. Placuit vobis remandare, vnde nobis longè grauior priori oritur querimonia, quòd dimissa obsidione Coloniæ vultis super nos & fideles nostros sub specie colloquij cũ exercitu venire, datis inducijs octo dierum, quæ nunq; datæ sunt homini alicuius conditionis, vt bene scitis, vsq; ad

hanc diem pro legitima definitione alicuius minoris negotij, nedum pro tanta re, ſecundum legem diuinam vel humanam, vel etiam ſecũdum vſum hominum. Oportet enim nos habere, ſi vobis placeret, ſaltem tales inducias, intra quas poſſimus conuocare, & precibus inuitare, ad hanc eandem cauſam, Moguntinum, Treuirenſem, & Bremenſem, archiepiſcopos; Friſingenſem, Auguſtenſem, Curienſem, Baſilienſem, epiſcopos; ducem Magnum cum duce Theodorico, & ducem Bohemicum & comitem Flandrenſem cum comite Burgundiæ, & aliis qui ad præfatum negotium, vt bene ſcitis, ſunt valde neceſſarij. Quapropter (ſicut prius) rogamus & obnixè precamur, quatenus pro Deo & anima veſtra & pro appellatione Domini Rom. pontificis Paſchalis & Rom. eccleſiæ, & pro honore regni, dignemini apud filium noſtrum efficere, vt dimiſſo exercitu ceſſet nos perſequi, & ordinetur, quomodo ſecurè & abſq; ambiguitate poſſimus nos cum cæteris ſuprà dictis ad agendum de noſtra iniuria & pace in regno componenda, quietè & pacificè conuenire. Quòd ſi nullatenus ceſſare voluerit, proclamationẽ inde fecimus, & ſemper facimus Deo & S. Mariæ, & beato Petro, patrono noſtro, & omnibus ſanctis, & omnibus Chriſtianis, & vobis maximè, omni deuotione precãtes, vt dignemini ceſſare eum perſequi ad perſecutionem tantæ iniurię, & vos eũ imitari. Appellauimus, & tertiò appellamus Dñm Rom. põtificẽ Paſchalem, & ſanctam vniuerſalem ſedem & Rom. eccleſiam. Quòd ſi hoc tantum nobis, & ad hoc, vt ipſe ceſſet nos perſequi, prodeſſe non poterit, committemus nos omnipotenti Patri & filio, ſanctoque Spiritui paracleto, & beatæ Mariæ perpetuæ virgini, & beato Petro & Paulo & ſancto Lamberto omnibusq; ſanctis, vt diuina miſeratio, omniumq; ſanctorum interceſſio humilitatem noſtram reſpicere, nosq; contra tantum tamq; iniurioſum imperium defendere dignetur,

AMEN.

EPISTOLARVM HENRICI IIII, Imperatoris Finis.

VI.

OTTONIS FRISINGENSIS EPISCOPI, DE GESTIS FRIDERICI PRIMI CÆSARIS AVGVSTI, LIBRI DVO, NVNC DEMVM ACcuratè recogniti & à mendis repurgati.

M

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 136;Leibn. Marg. 136, Stück 1, [419] - -

HOs Ænobarbicæ historiæ libros, ab Ottone Frisingensi episcopo, Friderici primi Cæsaris Augusti, patruelis iussu atq; subsidio scriptos, ab eiusdem auctoris Chronico non aliam ob causam separandos duxi, quàm vt eos scriptores qui Cæsarum historiam cõtexuerunt, in vnam & quidem interruptam aciem collocare possem: cuiusmodi sunt auctores Hermannum subsequentes, qui vel vnius ætatis res memorandas, vel vnius aut alterius Cæsaris vitam & res gestas singulariter tradiderunt. Cui ordini, quoniam Chronicon minimè congruit, quippe quòd compẽdiosam narrationem contineat rerum memorabilium, quæ à mundi primordio per continuum seculorum decursum, vbiq; terrarum contigerunt, quales sunt, imperiorum, regnorum & illustrium Rerumpublicarum initia, progressus, iactationes, ruinæ: religionis Christianæ & Ethnicæ incunabula & propagationes: hominum sanctitate, eruditione ac opibus celebrium ætates, &c. idcirco dandus quidem ei in hoc syntagmate locus fuit, ne prætermissum, de industria neglectum videri potuisset: à fronte autem locandum, ne (vt dixi) cõtinuam reliquorum seriem interrumperet. Affert enim maximè lumen memoriæ ordo. Atq; id mihi tanto magis licere existimaui, quòd neq; hi cum Chronicorum libris semper coniuncti reperiuntur. Nam è duobus manuscriptis exẽplaribus Chronici Ottonis, è Tigurina bibliotheca mihi cõmunicatis, neutrum hosce Ænobarbicæ historiæ libros continebat. In hisce porrò Ottonis & Radeuici continuatoris eius libris accuratè recognitis, loca quædam ex sententia præstantiss. Iurisconsultorum Fr. Hotomanni & P. Pithœi, restituta sunt. Auctarij vice Ottonis genus hic subiicere libuit.

OTTONIS EPISCOPI GENVS.



FRIDE-

FRIDERICVS DEI GRATIA ROMANORVM IMPERATOR SEMPER AVGVSTVS, DILECTO PATRUO SUO OTTONI FRISINGENSI EPISCOPO, GRATIAM SUAM, & OMNE BONUM.

CHRONICA quę tua sapientia digessit, vel desuetudine inumbrata in luculentam erexit consonantiam, à dilectione tua nobis promissa & transmissa cum ingenti gaudio suscepimus, & post belli-cos sudores interdum delectari in his, & per magnifica gesta Imperatorum, ad virtutes informari præoptamus. Ea verò quæ ab ingressu regni à nobis gesta sunt, ad petitionē tuam breuiter compilata, notitiæ tuæ libenter commendaremus, nisi quòd ad similitudinem priorum gestorum, quæ ab excellentissimis vitis edita sunt, magis dici possunt vmbra quàm facta. Tamen quia tuum præclarum ingenium humilia extollere, & de parua materia multa scribere nouit, plus confisi tuis laudibus, quàm nostris meritis, tantillum hoc, quod in Romano orbe per quinquennium fecimus, paucis perstringere curamus.

POST *primam vnctionem Aquisgrani, & acceptam coronam Teutonici regni, generalem curiam* Merseburg *in Pentecoste celebrauimus: vbi rex Danorum Petrus ad curiam nostram vocatus venit, & hominio ac fidelitate nobis facta, coronam regni de manu nostra suscepit. Deinde Cicensem episcopum Wicmannum ad archiepiscopatum Magdeburgensem transtulimus. Et quanquam multæ lites & controuersiæ inter nos & Romanam ecclesiam inde fuissent, ad vltimum tamen quod à nobis laudabiliter factum fuit, auctoritas Apostolica cōfirmauit. Post hæc expeditionem Romam mouimus, & valida manu Longobardiam intrauimus. Hæc quia propter longam absentiam Imperatorum ad insolentiam declinauerat, & suis confisa viribus aliquantum rebellare cœperat, nos animo indignati, omnia ferè castella eorum, furore debito & iusto, non militum, sed seruientium destruximus. Mediolanenses versuti & superbi verba sine fide nobis dederunt, & vt nostra concessione super Cumas & Laudam dominium habere mererentur, multam pecuniam nobis promiserunt: sed cum nec prece, nec precio flectere nos possent, & cum ad terram eorum veniissemus, à terra copiosa sua declinantes, tres dies in solitudine nos duxerunt, quousq; tandem contra voluntatem eorum iuxta Mediolanum ad miliare Teutonicum castrametati essemus. Ibi dum ab eis mercatum quæreremus, & ipsi nobis eum negarent, nobilissimum castrum eorum Rosatum videlicet, quod quingentos milites armatos habebat, capi, & incendio destrui fecimus. Ibi milites nostri vsque ad portam Mediolanensium iuerunt, & multos vulnerauerunt, & multos ceperunt. Hinc inde ortis inimicitiis inter nos & illos, fluuium Ticinum versus Nouariam transeuntes, pontes duos, quos ipsi armauerant & incastellauerāt, violenter occupauimus: quos post transitum totius exercitus nostri destruximus. Inde tria castra eorum fortißima, Minimam videlicet, Gailardam & Trecam destruximus. Et natale Domini cum maxima iocunditate celebrato per Vercellas & Taurinum euntes, Padum transiuimus. Inde Chairam maximam & munitißimam villam destruximus, & ciuitatem Astam incendio vastauimus. Deinde Terdonam ciuitatem munitißimam natura & arte, obsedimus. Et post tres dies Burgo capto, ipsam arcem cepissemus, nisi nox & maxima tempestas nos cohibuisset. Tandem post multos assultus, multas cædes, & miserabilem stragem illorum, & nō modicum damnum nostrorum, arcem per deditionem occupauimus. Quendam principem Græcorum, qui à Marchione Malaspina captus erat, liberauimus. Destructa Terdona, Papienses vt glorioſum post victoriam triumphum nobis facerent, ad ciuitatem nos inuitauerunt. Ibi in corona, & maxima lætitia, & ingenti seruitio ciuitatis tres dies deduximus. Deinde directo tramite per Longobardiam in Romaniam & Tusciam euntes, Sutrium vsq; peruenimus: ibi dominus papa cum tota ecclesia Romana gaudenter nobis occurrit, & consecrationem nobis paternè obtulit, suaq; grauamina quæ à Romano populo passus erat, nobis conquestus est. Sic nos quotidie simul euntes & simul hospitantes, dulciaq; miscentes colloquia, Romam vsq; peruenimus. Romani nuncios suos ad nos miserunt, & maximam pecuniam pro fidelitate eorum ac*

Epitome primi quinquennij regni Friderici primi.

seruitio, tria quoque à nobis iuramenta exquisierunt. Inde cum domino Papa & Cardinalibus consilio inito, quia imperium emere noluimus, & sacramenta vulgo præstare non debuimus, vt omnes dolos & machinamenta eorum declinaremus, Octauiano cardinale conducente, maxima pars militiæ nostræ nocte per portam paruulam iuxta S. Petrum intrauit, & sic monasterium sancti Petri præoccupauit. Manè facto, dominus Papa cum tota ecclesia ad basilicam S. Petri nos præcessit, & ad gradus cum maxima processione nos suscepit: & Missa celebrata ad altare S. Apostolorum Petri & Pauli, in honore S. Mariæ virginis, quia sabbathum erat, benedictionem coronæ Romani Imperij largiter super caput nostrum effudit. Quo ritè facto & peracto, dum omnes nimio labore & æstu confecti, ad tentoria rediremus, & cibum caperemus, Romani de ponte Tyberino prosiluerunt, & in monasterio S. Petri, duobus seruis nostris occisis, & cardinalibus spoliatis, Papam capere intendebant. Nos verò deforis strepitum audientes, armati per muros irruimus, & tota die cum Romanis conflictum habentes, eorum penè mille occidimus, & in Tyberi submersimus, & captiuos deduximus, donec nox nos & illos diremit. Manè facto, quia victualia nobis defecerant, assumpto Papa & Cardinalibus, cum triumpho victoriæ læti discessimus: & omnibus castris & munitionibus quæ circa vrbem erant, in potestatem nostram deditis, vsq; Albam venimus, & per aliquot dies ibi cum Papa morati sumus. Inde venimus Spoletum, & quia rebellis erat, & comitem Guidonem Guerram, & cæteros nuncios nostros in captiuitate tenebant, assultum ad ciuitatem fecimus. Mirabile & inscrutabile iudicium Dei. A tertia vsq; ad nonam munitissimam ciuitatem, quæ penè centum turres habebat, vicepimus, igne videlicet & gladio: & infinitis spoliis acceptis, pluribus igne consumptis, funditus eam destruximus. Inde euntes versus Anconam, Palæologum nobilissimum principem Græcorum, & Maroducum socium eius, cum cæteris nunciis Constantinopolitanis obuios habuimus. Qui vt in Apuliam iremus, & hostem vtriusq; imperij Guilhelmum potētia virtutis nostræ conterere vellemus, infinitam pecuniam nobis dare spoponderunt. Quia verò militia nostra propter multos labores & bella nimis attrita fuit, placuit magis principibus redire, quàm in Apuliam descendere. Sicq; nobis redeuntibus, & Græcis cum superbia multitudinis suæ, & copiosa pecunia in Apuliam euntibus, Palæologus post adeptum Barum, & munitionem destructam obiit, & Wilhelmus congregato exercitu repentè in Græcos irruit, & paucis captis, cæteris occisis, omnem pecuniam asportauit. Nos verò cum maxima victoria à Deo nobis præstita, qualem cum mille octingentis militibus conquisitam prius nūquam audiuimus, Veronam vsq; peruenimus. Qualiter illi in præcipitio cuiusdam montis nobis insidias posuerint, & qualiter à nobis occisi, & duodecim suspensi sint, tu audisti. Scis etiam in ordine, quam inter fratrem tuum ducem Austriæ & ducem Baioariæ concordiam fecerimus, & quàm gloriosè Fridericum in Colonienſi archiepiscopatu sublimauerimus. Hæc pauca paucis comprehensa, illustri ingenio tuo dilatanda & multiplicanda porrigimus.

OTTO.

OTTONIS FRISINGENSIS EPISCOPI PROLOGVS, AD FRIDERICVM PRIMVM, CÆSAREM Augustum.

OMNIVM *qui ante nos res gestas scripserunt, hæc (vt arbitror) fuit intentio, virorum fortium clara facinora, ob mouendos hominum ad virtutem animos, extollere: ignauorum verò obscura facta, vel silentio supprimere, vel, si ad lucem trahantur, ad terrendas eorundem mortalium mentes, promendo ponere. Vnde hoc tempore scribentes quodammodo iudico beatos, dum post turbulentiam præteritorum, non solum pacis inaudita reluxit serenitas: sed & ob victoriosissimi principis virtutes, tanta Romani Imperij pollet auctoritas, vt & sub eius principatu gens viuens, humiliter silendo conquiescat, & barbarus quique, vel Græcus, extra terminos ipsius positus, auctoritatis eius pondere pressus, contremiscat. Fateor, dum ante aliquot annos priorem Historiam terminassem, spiritus q. peregrini Dei ad sumenda contra gentes quæ Orientem inhabitant arma, totam penè Hesperiam afflasset, pro pacis iocunditate, quæ orbi momentaneè tunc arriserat, stylum vertere cogitáram, iamq. scribere cœperam: sed quo instinctu nescio, tanquam animo futura præsagiente, finemq. inspiciente, cœptum proieci Opus. Sic tanquam à nolente seu nesciente, præsenti tempori propositi implendi negocium reseruatum fuisse æstimo, dum firma quies (si tamen rebus caducis aliqua fides adhibenda est) sub strenuissimo principe in Romano orbe expectatur. Quòd autem dixi, illo in tempore spiritu peregrini Dei Occidentales populos afflatos, nemo sic intelligat, ac si quisquã à nobis peregrinus Deus putetur: sed ab illo scripto, quod illis in diebus in multis Galliæ locis lectitabatur, nos hoc dictũ mutuasse sciat, quod tale fuit:* Tibi dico L. pastor corporum primo elemẽto materiæ tuæ syluę, quem inspirauit spiritus diei peregrini Dei. *In cuius scripturæ tenore quodam verborũ inuolucro de expugnatione regiæ vrbis, necnon antiquæ Babylonis, & ad instar Cyri regis Persarum, vel Herculis, totius Orientis triumphus præfato Lodouico Francorum regi promittebatur. Vnde talia ibidem dicta reperta sunt:* Cùm peruenieris ad costam tetragoni sedentis æterni, & ad costam tetragonorum stantium æternorum, & ad multiplicationem beati numeri per actuale primum cubum, surge ad eam quam promisit angelus matris tuæ visitare; & non visitauit, & pertinges ad ea vsque ad penultimum primum: cuius cùm ascenderit promissor, deficit promissio propter optimam mercem: & figantur vexilla tua rosea vsque ad extremos labores Herculis, & aperietur tibi porta ciuitatis B. Nam erexit te sponsus Arthemonem, barcha cuius penè cecidit, in capite cuius triangulare velum, vt sequatur te qui præcessit te. Tuum ergo L. vertetur in C. qui disperxit aquas fluminis, donec pertransirẽt illud, quæ studenti in procuratione filiorum. *Quod scriptum tantæ auctoritatis à probatissimis & religiosissimis Galliarum personis tunc putabatur, vt à quibusdam in Sibyllinis libris repertum, & ab aliis cuidam Armenio diuinitus reuelatum affirmaretur. Sed quisquis fuit ille propheta seu Trotannus qui hoc promulgauit, videat si in futuro adhuc aliqua expeditione implendum expectetur: aut tanquam iam non impletum conculcãdum Gallicanæ leuitati, quòd fidem aliquam habere potuit, imputetur. Hoc tantùm sciens, quòd non sine rationis proportione spiritus ille omnes penè Occidentales in peregrinationem mittens, spiritus peregrini Dei tam à nobis, quàm ab illo vocatus est. Sicut enim iuxta quorundam in Logica notorum positionem, cùm non formarum, sed subsistentium proprium sit prædicari seu declarari: genera tamen & species prædicamento transsumpto ad causam prædicari dicuntur. Vel, vt communiori vtar exemplo, sicut albedo clara, mors pallida, eò quòd claritatis altera, palloris altera causa sit, appellatur, vtq.*

spiritum peregrini Dei.

Ratio nominis.

dicitur, Eurus fundit aquas: sic & causam dicti considerantes, spiritum peregrini Dei dicimus, qui, vt tot & tanti propter Deum peregrinandi habitum assumerent, causa fuit. Cum igitur rebus in melius mutatis, post tempus flendi tempus ridendi, post tempus belli tempus pacis aduenerit: indignum ratus sum, Augustorum clarissime Friderice, cæterorum regum seu Imperatorum gestis enumeratis, tua silentio supprimere: imò, vt verius dicam, dignissimum putaui priorum virtutibus tua sicut auro gemmam supponere. Inter omnes enim Romanorum principes tibi penè soli hoc reseruatum est priuilegium, vt quamuis à prima adolescentia bellicis desudasse cognoscaris officiis, obscœnum tibi nondum vultum fortuna verterit. Sic etiam temperãs in prosperis, fortis in aduersis, iustus in iudiciis, prudens & acutus in causis esse cognoscaris, vt non solùm ex conuictu hæc tecum coaluisse, sed tanquam diuinitùs inspirata, & à Deo tibi ob vniuersale totius orbis emolumentum concessa videantur. Hanc ergo tuæ nobilitati offero historiam, ab omnium bonorum datore Deo postulans & petens, vt tuo bono principio melior finis apponatur. Sed antequam tuorum gestorum seriem attingam, de auo, patre, patruoq; tuo quædam summatim prælibare cogitaui: vt sic quasi quodam filo narrationis descendens, per clara, clariora quæ de tua persona dicenda fuerint, appareant. Si qua verò ex aliis regnis ecclesiastica, secularisve personæ gesta incidenter interserta fuerint, ab huius negocij materia aliena non putabuntur, dum omnium regnorum vel gentium ad Romanæ reipub. statum, tãquam ad fontem recurrat narratio. Nec si à plana historia, dictione ad euagandum opportunitate nacta, ad altiora velut philosophica acumina attollatur oratio, præter rem eiusmodi æstimabuntur, dum & ipsum Romani imperij prærogatiuæ non sit extraneum, rebus simplicioribus altiora interponere. Nam & Lucanus, Vergilius, cæteriq; Vrbis scriptores, non solùm res gestas, sed etiam fabulosas, siue more pastorum, vel colonorum summissius, vel principum dominorumq; orbis altiùs narrando, stylum tamen frequenter ad intima quædam philosophiæ secreta attingenda sustulerunt. Sic enim non solùm hi, quibus rerum gestarum audiendi seriem ineſt voluptas: sed & illi, quos rationum amplius delectat subtilitatis sublimitas, ad eiusmodi legenda seu cognoscenda trahuntur. Ac propositæ historiæ Deo auctore tale sumatur exordium.

OTTO-

OTTONIS FRISINGENSIS EPISCOPI, DE GESTIS FRIDERICI I. CÆSARIS AVGVSTI, LIBER primus.

CAPVT I.

Qua occasione Hiltebrandus ab Imperatore abiectus, & Guibertus in locum eius subrogatus sit.

CVM sub Imperatore Hentico, qui inter reges quartus, inter Imperatores tertius huius nominis inuenitur, imperium grauissimè scissum fuisset, parteq; maxima optimatum principi suo rebellante, tota penè regni latitudo ferro, flamma fœdaretur: Gregorius septimus, qui tunc vrbis Romę pontificatum tenebat, eundē Imperatorem tanquam à suis destitutū, anathematis gladio feriendum decernit. Cuius rei nouitate eò vehementiùs indignatione motum susceptit imperium, quò nunquam ante hæc tempora huiusmodi sentētiam in principem Romanorum promulgatam cognouerat. Eapropter pluribus ex Italia, Gallia, Germania, apud Baioariæ ciuitatem Brixinoram, in ipso Pyrenæo, haud procul à valle Tridentina sitam, coadunatis episcopis, princeps curiam magnam celebrauit. Vbi omnibus aduenientibus, iniurias sibi à Romana ecclesia irrogatas affectuosè conqueritur, quòd videlicet ipso inconsulto (qui tanquam rex & patricius primus in electione suæ vrbis episcopi esse deberet) Romani sibi pōtificem præfecissent, cùm à patre suo Imperatore plures ibidē quasi sine electione intronizati fuerint. Hac querimonia omnium animi eò faciliùs contra Romanam ecclesiam inclinari poterant, quò & laici secularis honoris consideratione accensi, & episcopi consilio clericorum suorum, quibus recenter connubia ab eodem pontifice inhibita fuerant, inflammati, voluntati principis accedebant. His igitur acclamātibus, præfata electio ab eis cassanda iudicatur, Guibertusq; Rauennatensium archiepiscopus, Clemens vocatus, assensu principis, vrbis episcopus creatur, Gregoriusq; VII ab ipsis pseudomonachus, vel necromanticus appellatus, exufflatur. Vnde cōmuni consilio prænominato pontifici scriptum conuiciis & detractionibus plenum dirigere præsumpserunt, inter cætera dicentes: *Sicut hactenus solebas dicere, quòd nullus nostrum esset episcopus, ita scias quòd nulli nostrùm deinceps eris apostolicus.*

Henr. 4. Cæsarum primus priorum cōmunione summus. Anno 1076.

Guibertus Rauennas antipapa. Anno 1080.

CAPVT II.

Quomodo Imperator Italiam ingressus, Gregorium vrbe fugauit.

POST hæc princeps militem copiosum colligens, Italiam ingreditur. ad Vrbemq; vsq; progressus, Romani populi fauore, pulso Gregorio, Guibertum ibidē ponens, Imperatoris & Augusti nomen sortitur. Venerabilis autem sacerdos persecutionem fugiens, ad tutiora montana Tusciæ, in terram Comitissæ Mathildis, quę Imper. consanguinea fuit, se contulit: ibiq; per aliquot dies manens, sententiāq; anathematis renouans, epistolis quę multis in locis habentur, principes regni aduersus Imperatorem suum concitauit. Deinde Campaniam seu Apuliam ingrediens, in municipia Normānorum, qui nuper Roberto Guiscardo duce, prouincias illas, indigenis necatis vel electis, seu seruituti subactis, irruperant, se recepit, ibiq; diem mortis expectauit.

Anno 1084

Dira Gregoriana in Henricum repetita.

CAPVT III.

Quomodo Robertus Guiscardus cum Romanis Campaniam & Apuliam occupauit.

Imperij Nortmannicis in Apulia ortus.

ROBERTVS iste ex mediocri stirpe in Nortmannia, ex eorum militum ordine, quos Vauassores vulgò ibi dicere solent, in plaga quam Constantiam indigenæ dicunt, editus, cum Rogerio fratre tam patri, famis tempore, morem (vt aiunt) gerēs, quàm ob locorum sterilitatis molestiam à natali solo progressus, multo tempore multas prouincias opportuniorem ad inhabitandum terram quærens, oberrauit: vnde & ab oberrandi circuitu, patria lingua *Guiscardus*, tanquam oberrator vel gyrator appellatus est. Cum ergo non paucis (vt dictum est) diebus, multarum regionum gyrator existeret, à citeriori Italia, quæ modò Apulia, seu Calabria dicitur, tandem excipitur. Quam dum à Longobardis possessam, inertis plebis inhabitatione tanquam industrię defensionis vacuam inueniret, remissis in Galliam nunciis, expositaq; locorum idoneitate, ac gentis inertia, ad expugnationem earum prouinciarum consocios inuitauit. Et ne multis detinear, virtute, dolo, arte, ignaui populi victor existens, Campaniæ, Apuliæ, Calabriæ, Siciliæ ad vltimum possessor inuentus est. Reliquit autem Rogerio fratri ex parte sui comitatum Siciliæ tenendum: ipse verò ducatum Apuliæ cum Calabria sibi retinuit. Huius filius, qui multa postmodum tam in Græcia, quàm in cæteris Orientis partibus fortia & gloriosa gessit opera, Boimundus fuit. Fratris verò sui Rogerij, Rogerius, qui postmodum regium nomen vsurpauit, natus erat: huius qui in præsentiarum est Guilhelmi pater. Sed hæc hactenus.

Guiscards nomen.

CAPVT IIII.

De rebellione Saxonum.

Anno 1087. Castrum Hartzburg.

CIRCA idem tempus Saxonum gens inquietissima more suo principi rebellans, castrum quoddam Harzburg dictum, ob eiusdem gētis oppugnationem, ab Imperatore in ingressu prouinciæ in loco munitissimo fundatum, cum ecclesia pariter, in qua congregatio Canonicorum fuit, funditùs deleuit. Occasio tamen huius rebellionis non tantùm ex prædictæ gētis instabilitate, sed ex principis lasciuia ortū sumpserat. Dum enim prædictus princeps in iuuenili adhuc posita ætate, toto regno silente, dominumq; suum humiliter portante, præfatam terram ingressus fuisset, iuueniliter dixisse fertur: Se mirari, nullum per totum imperij ambitum inueniri, in quo vires suas exercere posset: idq; non virtuti, sed ignauiæ deputabat. Quod dictum, non secundum naturam generis sui, percusso aëre mox transiit, sed tam efficaciter in mentibus plurium radices figens germinauit, vt tota in breui prouincia illa aduersus ipsum commota, & in vnum corpus coadunata, innumeris populis & gentibus letifera pocula ministrauerit. Discant ergo principes orbis in summo positi, omnium summum creatorem suum præ mente habendo, moderātiam seruare, vt iuxta Ciceronē, quantò maiores sunt, tantò se gerant submissiùs. Optimè enim à physicis fallaciā cōplexionum considerātibus, dictū cognoscitur: *Melius ad summum est, quàm in summo.* Cùm. n. homo natus ad laborē, breui viuens tēpore, natura tanq; ex multis composita ad dissolutionem tendente, nunquam in eodem statu manere valeat, si in summo fuerit, mox eum declinare oportebit. Cuius rei causa paulisper philosophari liceat. Etenim,

Hērici Cæs. vox insolēs.

Felix qui potuit rerum cognoscere causas.

CAPVT V.

Excursus philosophicus, vel potius theologicus.

QVICQVID est, genuinum est, aut natiuum. Sicut aūt genuinum non potest esse non simplex, &, vt ita dixerim, non singulare, non solitarium: ita natiuū non potest esse non compositum, non conforme, non concretum. Primò ergo videamus quid genuinum, quid natiuum appelletur, vt exhinc horum sensus verborum facilius appareat. Genuinum dicitur tanquam generans, & non genitum, id est, carēs generatio-

neratione. Natiuum velut natum, aut genitum, descendens à genuino. Vnde Plato: *Est igitur, vt mihi videtur, in primis diuidendum, quid sit quod semper est, carens generatione: quid item quod gignitur, nec est semper.* Et Boetius:

— qui tempus ab æuo Ire iubes.

Generationem verò largè accipimus, pro ingressu in quamlibet proprietatem: vel (vt manifestius loquar) pro quolibet ingressu de non esse ad esse. Vnde Aristoteles: *Ex oppositis fiunt generationes.* In omni enim natiuo, negatio prior est affirmatione. Genuinũ est igitur carens generatione, carens principio, quale apud nos vnum tantùm inuenitur, æternitas videlicet, soli diuinitati accommoda. Non enim tria apud nos, quæ Plato posuit, inueniuntur principia, sed vnum tantùm, Deus pater, ex quo omnia: Deus filius, per quẽ omnia: Deus Spiritussanctus, in quo omnia. Et hi tres sicut nec tres dij, ita nec tria principia, nec tria æterna, sed vnum principium, & vnum æternum. Sola ergo diuinitas principio carẽs, simplex esse necessariis probatur rationibus. Quicquid enim componitur, ab alio componi necessarium est: nulla enim res, sicut se nõ gignit ita nec se componit. Quod autem ab alio componitur, ab alio esse necesse est. Diuinitas verò ab alio non est: ab alio componi ergo nequit. Simplex igitur est. Vnde Boetius in tertio libro de Consolatione: *Quòd si natura quidem ineſt, sed ratione diuersum, cum de rerum principe loquamur Deo, fingat qui potest, quis hæc diuersa coniunxerit.* Hæc eadem diuina essentia, eò quòd nec actu, nec natura conformem habeat, singularis esse probatur. Quod ex intuitu naturalium facilius consideratur. Cùm enim ad contemplanda celsa diuinitatis attollimur, eò quòd intellectus noster in quo sedeat nõ habet, tanquam de re incerta palpitantes, melius negando quàm affirmando: id est, quid nõ sit, quàm quid sit, conspicimus. In natiuis igitur omnem naturam seu formam, quæ integrum esse subsistentis sit, vel actu & natura, vel natura saltem conformem habere necesse est. Verbi gratia, Humanitas Socratis actu & natura conformis est humanitati Platonis, dum secũdum omnes partes, & omnimodum effectum (quod quidam formam substantię, & substantiã formæ vocant) tam in isto, quàm in illo inueniatur. Vnde quamuis Socrates & Plato ratione partiendi in numerum veniant, vt duo dicantur homines: tamen ratione assimilandi, vnus possunt dici homo. Substantialis nãq; similitudo non solùm subiecta conformia, sed & eadem & vnũ dici facit, iuxta illud: *Participatione speciei, plures homines, vnus.* Et secũdum quod soliti sumus dicere, Idem vinum bibitur hìc, quod Romæ. Partes autem hìc voco eas formas, quæ ad componendam speciem aut in capite ponuntur, vt generales: aut aggregantur, vt differẽtiales: aut eas comitantur, vt accidentales. Omnis quippe diffinitio alterius est, & alteri conuenit. nã formæ est, & subsistenti conuenit. Iã ex his, vt arbitror, patet quod dixi, humanitatem Socratis secundum omnes partes, & omnimodũ effectum humanitati Platonis conformem esse: ac secundum hoc Socratem & Platonẽ, eundem & vnum in vniuersali dici solere. Si enim altera rationalis, altera esset mortalis: nec tota esset in isto, nec tota in illo, sed aliam partem ista, aliam partem caperet illa. De effectu quoq; clarum est, quòd sicut hæc illum rationalem seu mortalem, ita illa hunc rationalem seu mortalem facit. Concretio etiam in naturalibus non solùm coadunatione formæ & subsistentis, sed ex multitudine accidentium, quę substantiale esse comitantur, considerari potest. Verbi causa, Humanitas quæ est integrum esse hominis, & ex multis (vt ostensum est) formis composita, ad hoc vt subiectum informet, risibilitatẽ, cæteraq; trahit accidentia. Sunt aliæ formæ subiectum integrũ informantes, quæ naturã tãtum conformem habent. Esse quippe solis, etsi non actu, natura conformem habere noscitur. Quare quamuis plures soles non sint, sine repugnantia tamen naturæ plures esse possunt. Patet igitur ex oppositio per negationem, quòd diuina essentia nec cõformis est, nec concretioni subiacet. Quare, vt verba naturalia in diuinam vertantur prædicationẽ, sicut simplex, sic & singularis & solitaria dicatur: vt simplex contra cõpositionem, singularis contra conformitatem, solitaria diuidat cõtra concretionem. Nec igitur actu, nec natura conformis est, quia nec fuit, nec est, nec esse poterit alius Deus, alius creator, alius omnipotẽs. Vnde Psalmista: *Deus quis similis tibi?* Concretionẽ non recipit, cum nec subiectum quod informet, habeat, nec aliquã comitantiam accidentium admittat. Quare nec substantia propriè dici potest. Substantia enim potest quodam- *Psalm. 86.*

modo ſubiectum vocari: forma verò nullo modo ſubiectũ eſſe poteſt. Hoc verò cum iuxta Philoſophum, nec paſſionibus, nec motui ſubijciatur, ex hoc aut ex illo conſtãs, ſed quicquid eſt, vnum eſt, & ideo verè eſt, & fortiſſimum, nullo nitens, multo melius forma dicitur. Omne namq; eſſe, ex forma eſt. Non eſt ergo hoc & hoc, ſed hoc tantum pulcherrimum & fortiſſimum. Si enim conforme haberet, pulcherrimum dici non poſſet. Si ſubiecto nitens, comitantia accidentium ageret, fortiſſimum non eſſet. Quare pulcherrimum & fortiſſimum eſt, nullo nitens: & vt optimè à prædicto Philoſopho dictum eſt, nec diffinitioni, nec diuiſioni, multò minus demonſtrationi, vel reſolutioni apta eſt verè. Cùm enim ſuperueniens genus quo cõponatur, non habeat, diffinitionem non admittit. Diuiſionis ſectionem quomodo reciperet, quæ omnibus in quas diuidi poſſet ſpeciebus caret? Demonſtrationi quoq; qualiter pateret: quę velut omnium principium & primum, primiora, veriora, notiora ſuper ſe habere nõ poteſt? Vnde neceſſariò ex ſimplicitatis, ſingularitatis, ſolitaritatis, vt ita dicam, natura, reſolutionis neceſſitudinem excludit; vt iurè ſolum externum, inuariabile, incommutabile & ſit, & naturaliter eſſe credatur. Cętera namq; ſi qua ſint, quę variationem non ſuſcipiunt, vt angeli, non ex propria natura, ſed ex opificis ſui gratia, à cuius inuariabilitate ipſi inuariabiles denominantur, hoc habere probantur: vt ſecundum hoc, cùm dico: Deus eſt inuariabilis, angelus eſt inuariabilis; nõ alia in ſecunda, quã in prima propoſitione prædicetur inuariabilitas, ſed eadẽ. Verbi gratia: Cùm dico artificem humanum & opus humanum: non aliam & aliam prędico humanitatẽ: ſed hoc quod de artifice ſubſtantiuè, de opere prædico denominatiuè. Velut cùm dico: Socrates ridet, pratum ridet: non aliam de Socrate, aliam de prato prædico proprietatẽ, ſed eandem quam de Socrate propriè, de prato impropriè vel tranſumptiuè enuncio. Quod conſiderans Boetius ait: *Tropus nullius eſt proprietatis.*

Oſtenſo de diuina eſſentia, iuxta iudicium negationis, cùm nec compoſita, conformis, cõcreta dici poſſit, ſimplicem, ſingularem, ſolitariam eam quoquo modo cõpræhendi: nunc qualiter omne natiuum compoſitum, conforme, concretum intelligatur, dicendum reſtat. Omne quippe quod natum eſt, ab alio ſine dubio originem ſumit. Nihil enim à ſe naſci poteſt. Quod autem ex alio eſt, principium nõ eſt: ergo eſt hoc & hoc: ergo ſimplex non eſt, compoſitum eſt igitur. Non enim hîc ad effandum de theologica & ineffabili generatione ſeu natiuitate attollimur: ſed tãtùm de ea, quæ à Philoſophis genitura, à nobis factura, ſeu creatura dici ſolet, diſputationem inſtituimus. Sed notandum, quòd compoſitio alia formarum, alia eſt ſubſiſtentium. Formarum ex formis, ſubſiſtentium ex ſubſiſtentibus. Nulla enim forma ſubſiſtentium, nec ſubſiſtens formarum compoſitionem admittit. Nam tanta diuerſitate, eſſe, & id quod eſt, ſeiunguntur, vt nec quod eſt, eſſe ſui, nec eſſe, eius quod ipſo eſt, compoſitionem admittat: & cum ſub nullo genere conueniant, compoſitionemq; (vt dictum eſt) alterum alterius non admittat, alterum tamen ſine altero eſſe nequit. Hæcq; talis diuerſiſſimorum, vt ita dixerim, compactio, concretio potius oppoſitorum, quàm compoſitio ſimilium vocatur. Compoſitio igitur alia, vt dictum eſt, formarũ, alia eſt ſubſiſtentium. Formarum autem aliæ compoſitæ, aliæ ſimplices. Simplices, vt albedo: compoſitæ, vt humanitas. At ſimplices in compoſitione compoſitę venire poſſunt. Nulla autem ſimplex per ſe in naturalibus ſubiectum informare valet, ſed tãtùm compoſitam informantem comitatur. Omnem igitur formam ad hoc vt integrè ſubſiſtentem informet, compoſitã eſſe neceſſe eſt, & eſſe hoc & hoc. Subſiſtentes quoq; ex ſubſiſtentibus conſtare, nulli dubium eſt. Omne enim corpus ex corporibus conſtat. Nec inconueniens arbitrantur Philoſophi, ſicut quantitatem in immenſas quantitates, ſic & corpus in infinita ſecare corpora. Nullum itaq; ſubſiſtens ſimplex, nulla forma quæ ſit integrum eſſe, poteſt eſſe non compoſita. Sed ſciendum eſt, quòd ſubſiſtens aliud ſuſcipit coniunctionem partium, aliud non. Corpus ſuſcipit, ſpiritus non: quare & ſpiritus ſimplex eſſe videtur. At hoc vidẽdum eſt, ſimplicitatem quandoq; contra compoſitionem tantum, quandoque contra compoſitionem ſimul & concretionem diuidere. Vnde Boetius in octaua regula libri Hebdomade: *Omni compoſito aliud eſt eſſe, aliud ipſum eſt.* Non enim in hac regula diuerſitas inter id quod eſt, & quo eſt, quæ in ſecunda regula, in qua dicitur: Diuerſum eſt eſſe, & id quod eſt, aſſignata eſt, notatur:

ſed

sed potius ea diuersitas formarum, qua subiectum alio est, & alio aliquid est. Verbi gratia, vt corporeitate esse, colore aliquid esse dicitur. Sic & spiritus creatus, cùm alio sit, alio sapiens sit, quamuis copulatione partium carens, simplex esse videatur: tamen quia formam ex formis compositam habet, & ex concretione huiusmodi formæ & subsistentis plenariè, simplex dici non potest. Omne igitur natiuum compositum. De conformitate & concretione suprà probatum est, quòd videlicet ex substantiali similitudine conforme, ex eo quòd subiectum informet, multitudinemque post se accidentium trahat, concretum dicatur. Inter omnia verò natiua nihil magis compositum inuenitur, quàm homo: qui non solùm ex esse compositum habet esse, vel subsistentem ex subsistentibus, sed & ex oppositis compactus subsistentibus, oppositorum subsistentium iuncturam, & eorundem diuersarum subsistentiarum compositionem recipit. Quare haud mirandum, si ex tota & tanta compositione compactus, facilius resolutioni subiacet. Item cum iuxta Boetij nonam regulam, Omnis diuersitas discors, similitudo appetenda sit, & quod appetit aliud, tale ipsum esse naturaliter ostenditur, quale est illud hoc ipsum quod appetitur: tanto vehementiùs ad dissolutionem tendimus, quantò dissidentiùs ex oppositis partibus constamus. Verbi causa: Corpore ex quatuor elementis compacto, igne sursum, terra deorsum, aqua & aëre quasi è regione distrahentibus, sibiq; hoc modo partibus dissidentibus: quid inæqualius esse poterit? Idipsum etsi non sensus, ratio tamen in compositione formæ percipit. Accedit ad hoc, quòd non solùm forma substãtiale est esse ex formis composita: sed quòd ipsæ formæ componentes, nunc nascentes, nunc occidentes, neque vnquam in existendi conditione constanti & rata perseuerantes, subiectum quiescere non permittunt. Vnde decedentibus aliis, aliæ semper sine interuallo succedunt. Quem celerrimum fluxum formarum, cùm sequatur fluxus morarum, tempus tam acutum emergit, vt eius instans vix, vel nunquam conspici queat. Bene ergo à tam mutabilitate naturæ, quàm morę considerantibus, dictum est: Meliùs est ad summum, quàm in summo: quia cùm amplius quo crescat non habeat, decrescere necesse est. Sicut autem à Medicis præcipitur, vt bonæ habitudines, cùm in summo fuerint, soluantur: sic non immeritò à probatis animarum medicis suadetur, vt mens, quæ rerum prosperitate in summo posita eleuari assolet, malorum intuitu reprimatur. Vnde est illud: *In die bonorum ne immemor sis malorum.* Eccles. 11. Sed iam ad propositum redeamus.

CAPVT VI.

De Saxonibus bello graui superatis, & quòd Guelfo dux Noricorum, & Rudolfus dux Sueuorum rebellare cœperunt.

IGITVR Saxonibus à capite suo dissidẽtibus, ex omnibus regni visceribus, princeps ad debellandos eos, fortem & magnum militem cogens, instauransq; exercitum, prædictam prouinciam ingreditur. Fuerunt in comitatu eius quatuor magni duces, singuli cum singulis legionibus, Zuendebaldus dux Boemorum, Guelfo dux Noricorum, Rudolfus dux Sueuorum, Gotefridus dux Lotharingiorum, & alij principes, comites, nobilesq; innumerabiles. Ita iuxta fluuium, Vnstruot dictum, publico bello commisso, cruenta rex potitus victoria rediit. Non multo pòst tempore, duo præfati duces Guelfo & Rudolfus, qua occasione, dubium, principi rebellantes, Saxonibus iunguntur. Gotefridus autem Lotharingiæ dux, Orientalem expeditionem aggressus, Hierosolymis ducatum populi Dei tenens, ibidem in pace quieuit.

CAPVT VII.

Quòd idem Rudolfus instinctu Gregorij rex creatur, & paulo pòst in prælio occiditur.

ATROMANVS põtifex Gregorius, qui iam (vt dictum est) principes aduersus Imperatorem concitabat, omnibus vt alium crearent, latenter & manifestè scribebat. Igitur Rudolfus dux Sueuorum ab eis rex factus, diadema à Romana ecclesia accepisse traditur, cum huiusmodi scripto: *Rudolfus aduersus Henricum Cæsarem excommunicatus. Anno 1077*

*alij, Petra. *Roma dedit Petro, Petrus diadema Rudolfo.

Huius Rudolfi filiam quidam ex nobilissimis regni optimatibus, Bertolfus nomine, de castro Zeringen, habuit. Non multo pòst tempore, Rudolfus in publico bello à fidelibus Imperatoris necatur, & in ecclesia Merseburg cultu regio sepelitur. Fertur de Imperatore, quòd cùm pacatis paulisper his seditionũ motibus, ad prædictam ecclesiam Merseburg venisset, ibiq; præfatum Rudolfum velut regem humatum vidisset, cuidam dicenti, cur eum qui rex non fuerat, velut regali honore sepultum iacere permitteret? dixerit: Vtinam omnes inimici mei tam honorificè iacerent. Occiso Rudolfo, gener eius Bertolfus ducatum Sueuiæ, tanquam à socero sibi concessum, vsurpat.

CAPVT VIII.

De comite Friderico, quòd gener Imperatoris factus, ducatum Sueuiæ obtinuerit.

Fridericus à Hohenstauffen Sueuiæ dux. EA tempestate comes quidam Fridericus nomine, ex nobilissimis Sueuiæ comitibus originem trahens, in castro Stoyphe dicto coloniam posuerat. Hic cùm esset consilio prouidus, armis strenuus, ad curiam Imperatoris assumptus, per multos dies ibidem militarat, strenuissimiq; ac nobilissimi militis officium implens, in omnibus periculis suis viriliter Imperatori astiterat. Videns princeps ergo reipublicæ tam dubium statum, vocato ad se secretò prędicto comite, sic eum alloquitur: Virorum optime, quem inter omnes in pace fidelissimum, & in bello fortissimum expertus sum, cerne qualiter Romanus orbis tenebris inuolutus, fide vacuus, iuxta quod dicitur,

Vltima cælicolũm terras Astræa reliquit,

ad ausus nefarios, factaq; nefandissima concitatur. Nec parentibus reuerentia, nec dominis debita subiectio seruatur: sacramenta quæ tam iure poli, quàm iure fori principi à milite publicè exhiberi solent, contemnuntur: factiosaq; iuramenta, quę contra leges diuinas & humanas in angulis fiunt, diabolo instigante, pro sacrosanctis habentur: nullis legibus, nullis diuinis sanctionibus honor impẽditur. Cùm enim omnis potestas à Deo sit, qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit. Assurge igitur huic tam pessimo morbo, atq; ad debellandos imperij hostes viriliter accingere. Neque enim priorum meritorum tuorum immemor existo, nec futurorum ingratus ero. Filiam quippe quam habeo vnicam, tibi in matrimonio sortiendam tradam, ducatumq; Sueuiæ, quem Bertolfus inuasit, concedam.

Bertolfus Zeringensis Sueuiæ ducatum abdicare coactus anno 1021. Tigurum. Sic itaque prædictus Fridericus, dux simul Sueuorum, & gener regis factus, ad propria rediit: & ne multis morer, Bertolfum tandem pacem petere coegit: quod tamen quidam sub filio suo Friderico factum tradunt. Conditio autem pacis talis fuit, vt Bertolfus ducatum exfestucaret, sic tamen quòd Turegum nobilissimum Sueuiæ oppidum, à manu Imperatoris ei tenendum remaneret. Hoc oppidum in faucibus montium versus Italiam super lacum vnde Lemannus fluuius fluit, situm, Imperatorum seu regum olim colonia fuit, tantæq; iuxta maiorum nostrorum traditionem, auctoritatis, vt Mediolanenses, si quando ab Imperatore ad transalpina vocarentur iudicia, ibi discuti, vel iudicari de iure deberent. Vnde ex eiusdem tam in rebus, quàm honoribus abundantia, in ipsius porta scriptum dicitur:

Nobile Turegum multarum copia rerum.

A prædicto etiam Lemanno fluuio, vnde Lucanus:

Deseruere cauo tentoria fixa Lemanno,

Alemannia nomen. tota illa prouincia Alemania vocatur. Quare quidam totam Teutonicam terram Alemaniam dictam putant, omnesq; Teutonicos Alemanos vocare solent, cùm illa tantum prouincia, id est Sueuia, à Lemanno fluuio vocetur Alemania, populiq; eã inhabitantes solummodo vocentur Alemani. Bertolfus iste, quamuis in hoc negocio imperio simul & iustitiæ cesserit, tamen strenuissimus ac fortissimus fuisse traditur. Vnde & adhuc ab antiquioribus de ipso dicitur, quòd si quando nuncius aliqua tristia ipsi apportans, secundum quod fieri assolet, hæsitare voluisset, dixerit: Dic, dic: scio enim quòd semper læta tristia, vel tristia præcedunt læta. Quare tantundem mihi est primò audire nubilosa, cum postmodum auditurus sim serena, quàm primò auditis serenis, pòst auditurus sim nubilosa. Magnifica vox, & viro forti digna, qui natiuorum volubi-

volubilitatem sine literis, naturali percipiens ingenio, nec in diebus bonorum immemor malorum, eleuatus: nec in diebus malorum immemor bonorum, fuit fractus. Fridericus autem ducatum Alemaniæ exhinc sine contradictione habuit, ac strenuè diebus non paucis rexit.

CAPVT IX.

Quòd post genitos sibi filios Fridericum & Conradum, diem obiit.

SVSCEPIT verò ex nobilissima cõpare sua Agnete duos filios, Fridericum & Conradum: & ipse post multa virtutum suarum insignia, in senectute bona diem vltimum claudens, in monasterio Laureacensi, in proprio fundo constructo, humatus est. At suprà nominatus Bertolfus, vacuum exhinc nomen ducis gerens, id quasi hæreditarium posteris reliquit. Omnes enim vsq; ad præsentem diem duces dicti sunt, nullum ducatum habentes, soloq; nomine sine re participantes. Nisi quis ducatum esse dicat, comitatum inter Iuram & montem Iouis, quem post mortem Wilhelmi comitis, filius suus Conradus ab Impetatore Lothario suscepit: vel à ducatu Carentano, quem nunquam habuerunt, Ducis eos nomine honorandos contendat: in aliis tamen rerum & honoris non parua pollentes magnificentia.

Friderici Sueuiæ D. liberi.

Zeringensibus vnde Ducum nomen.

CAPVT X.

De vxore eius Agnete, quòd Leopaldo Marchioni nupserit, & quòd defuncto Imperatore filius eius Henricus potenter regnum obtinuit.

MORTVO Alemanorum duce Friderico, Agnetem ab ipso viduatam, frater suus Henricus, Imperatoris Henrici filius, in sua suscepit, eamq; Leopaldo Orientali Marchioni (quod aliàs à nobis plenius dictum est) in vxorem dedit, filiis ipsius Friderico quindecim, Conrado duodecim annos habentibus. Porrò Fridericus qui maior natu erat, patri in ducatum successerat. Circa idem tempus Imperator Henricus apud Leodium Belgicæ vrbem, diem obiit. Sepultisq; ibidem intestinis eius, corpus in Galliæ ciuitatem Spiram deportatur: ibiq; in ecclesia beatæ Dei genitricis, semperq; virginis Mariæ, quam ipse miro & artificioso, sicut hodie cernitur, construxerat opere, iuxta patrem, auum, Imperatores, cultu regio sepelitur: eiq; in regnum successit filius suus Henricus, in ordine Imperatorum quartus, Regum verò quintus. Hic armis strenuissimus, totum imperium ita in breui suæ subiecit ditioni, vt & omnes in Romano orbe positi, subiectionis iugum humiliter portarent, & vicini dominationem eius suspectam habentes, metu obrigescerent.

Henrici 4 Imp. obitus, anno 1106.

Henricus quintus Cæsar.

CAPVT XI.

Quomodo apud Barum comitem Reinaldum cepit, & abduxit.

QVOT ergo, & quanta tam Romæ, quàm in Italia fortia gesserit, quia in priori dicta sunt historia, supersedemus. Hoc tantùm ad præsens ponere sufficiat, quòd cum in summo statu positus, omnibus Gallicanis trepidantibus, castrum Barum contra opinionem multorum, assultu cepisset, ibiq́ue comitem Reinaldum comprehensum, captiuum abduxisset, iuxta eiusdem comitis arcem Munzun dictum, castrum posuit. Quam in altissimo monte sitam, naturaq; locorum munitissimam, dum nulla arte, vel vi capere valeret, patibulũ erigi præcepit, dicens: quòd nisi velociter castrum redderetur, comitem ipsum suspendio perimeret. Oppidani vsq; in alterum diem inducias petunt. Illa in nocte comitissa filium genuit. Itaque oppidani conuenientes, infantulo recenter genito, sacramento fidelitatis astringuntur. Manè facto, cum Imperator ad deditionem castri oppidanos exposceret, dominoq́ue illorum comite coram ducto, suspendium interminaretur, ipsi responderunt: Se propter mortem illius castrum reddere nolle, præsertim cum nouum dominum, quem illa nocte vxor eius sibi peperisset, haberent. Qua de re inflammatus princeps, prædictum Comitem ad patibulum trahi iussit. Cumq; à principibus qui aderant, ne id faceret, rogaretur, ipso-

Munzun arx Burgundia.

Reinoldus Burgundiæ Comes captus anno 1113.

que in proposito perseuerãte, à quibusdam vt saltem diuina animaduersione à cœpto
Psal.114. desisteret, turbato præ ira oculo, respõdisse fertur: *Cælum cæli domino, terram autem dedit filiis hominum.* Tandem tamen irrationabili motu deferuescente, cunctorum precibus Augustus inclinatus, à mortis sententia animum reuocauit, prædictumq; Comitem secum captiuum ducens, ad familiaria domicilia rediit.

CAPVT XII.

Quòd in nuptijs apud Moguntiam regnum scissum est: & de gestis Friderici ducis.

Anno 1114. NON multo pòst tempore, ipso in ciuitate Galliæ Moguntia nuptias cum multorum principum adstipulatione magnificè celebrante, Imperium (vt alibi a nobis profusiùs dictum est) scinditur. Quæ scissura illo tempore tam grauis fuit, vt præter Fridericum Ducem, fratremq; suum, & Gotefridum Palatinum comitem Rheni, vix aliqui ex principibus fuerint, qui principi suo non rebellarent. Quot & quanta ergo Fridericus Sueuorum dux nobilissimus vel Imperatore præsente, vel in Italia morante, stylo tunc digna gesserit, quia in multorum adhuc habentur memoria, summatim dicemus. Ipse enim de Alemania in Galliam transmisso Rheno, se recipiens, totam prouinciam à Basilea vsq; Moguntiam, vbi maxima vis regni esse noscitur, paulatim ad suam inclinauit voluntatem. Nam semper secundum alueum Rheni descendens, nunc castrum in aliquo apto loco ædificans, vicina quæque coegit: nunc iterum procedens, relicto priore, aliud muniuit: vt de ipso in prouerbio diceretur: *Dux Fridericus in cauda equi sui semper trahit castrum.* Erat autem prædictus Dux in bellis fortis, in negociis ingeniosus, vultu & animo serenus, in sermone vrbanus, donisque tam largus, vt ob hoc multitudo maxima militum ad eum confluueret, seque ad seruiendum illi vltrò offerret.

Maxima vis regni Germanici ad Rhenum.

CAPVT XIII.

Quomodo Moguntiam obsedit, & quomodo de ipsis & suo archiepiscopo triumphauit.

IGITVR omnibus circa Rhenum, vt suprà dictum est, ad nutum suum inclinatis, Moguntino archiepiscopo Alberto, omnium illius temporis regni principum versutissimo & locupletissimo, eò quòd prædictę factionis caput & auctor fuerat, bellum indixit. Vastatisq; cunctis in circuitu, tandem & ipsam ciuitatem cum infinita multitudine militum ac plebis obsidione cinxit. Est autem prædicta ciuitas magna & fortis, super Rhenum posita, & ex ea parte qua Rhenum attingit, spissa & populosa, & ex alio latere, rarum habitatorem habens, vacua: muro tantũ forti, non paucas turres habenti, circundata. Porrecta in immensum longitudine, in lato angustior, necessitas locum signauit. Nam ex ea parte qua Gallię contigua est, monte mediocriter in altum sublato, artatur, ex alio verò latere, qua Germaniam respicit, Rheno: vnde fit, quòd circa Rhenum nobilibus templis & ædificiis vestita sit, & versus montem vinetis, aliisq; vsibus exposita. Vulgus quod cum duce in obsidione fuit, ex illa parte qua rara est ciuitas, prædandi gratia eam assultu capere voluit. Timens autem nobilissimus dux, si irrationabili plebis furori talis daretur licentia, sanctorum fortè loca direptioni & flammæ exponi: ne voluntas illorum effectui manciparetur, summopere laborauit. At episcopus ciuitatis, fidei ducis non rectam recompensationem reddẽs, directis de ciuitate ad ipsum in dolo nunciis, treugam postulat: diem quando, & vbi conueniant petit, se ad gratiam Imperatoris velle venire promittit: sicq; ducem exercitũ dimittere, obsidionem soluere, ac ita cum paucis ad propria redire persuadet. Episcopus solutam obsidionem & dimissum cernens exercitum, apertis portis, cum magna ducem insequens militia, ex improuiso inuasit. Dux cum suis, quos adhuc de tanto exercitu habebat, tunc primò dolum sentiendo, non, vt assolet arma ex improuiso arripientibus accidere, mente turbatus, sed ex præsentia hostium amplius ad virtutem animatus, arma sumit, in hostem ruit: viriliterq; pugnantibus Alemannis, tandem ex parte Francorum comes Emicho, qui cæterorum primipilarius erat, lethali sauciatus vulnere, occubuit. Qua de re fracti animo Franci, terga verterunt, præsidioq; fugæ se committunt.

Moguntia.

Moguntinensium clades.

eunt. Quos fortissimus dux insecutus, occisis plurimis, & captis, reliquos vsq; ad portas ciuitatis cum episcopo suo triumpho potitus, fugauit. Ciues qui parentes & amicos in illa cæde amiserant, tanta cordis amaritudine affecti erant, vt penè in proprium episcopum, velut huius concussionis auctorem, irruerent.

CAPVT XIIII.

Qualiter idem dux castrum Limpurg ab obsidione liberauit, & de eius coniugio.

IDEM etiam dux illustrissimus, alia vice dum prædictus Albertus episcopus cum Lothario Saxonum duce, aliisq; principibus, in magna & valida militum manu castrum Limpurg, in territorio Spirensi situm, obsidione clausisset, & iam oppidanis fame & inedia astrictis, castrum penè ad deditionem coegisset, militem colligens, superuenit, prædictosq; principes obsidionem soluere fecit. Fertur prætaxatos oppidanos, dum fame laborarent, quid facto opus esset consilium iniisse. Dumque alij & alij sic & sic consulerēt, Vlricum quendam de Horningen, natione Alemanum, vi mentis, corporisque proceritate insignem, dixisse: melius fore vt pingues monachi (nam monachorum cœnobium in eodem castro positum erat) ederentur, quàm castrum propter ciborum inopiam hostibus traderetur. Quo dicto cognito, monachi perculsi, cibaria quæ reposita habebant, publicauerunt, cunctosq; ibidem manentes milites, vsq; ad liberationem castri, in his quibus poterant alimentis pauerunt. Quid plura? Prætaxatus Dux, vt breuiter dicam, per omnia patrem induens, tam fidus principi miles, tam vtilis auunculo amicus extitit, vt sua virtute honorem regni labefactatum, viriliter contra hostes tamdiu decertando sustentaret, donec membra à capite dissidentia, ad gratiam principis veniendo, ad cor redirent. Accepit autem Henrici Noricorum ducis filiam in vxorem, ex qua postmodum Fridericum gloriosissimum, qui in præsentiarum Imperator est, & Iuditham, quæ modò Matthæo Lotharingiorum duci copulata noscitur, genuit.

Friderici iunioris Sueuia Ducis coniunx & liberi.

CAPVT XV.

Vbi Imperator Henricus mortuus, & sepultus.

IMPERATOR Henricus, reuocatis in pacem qui erant ei oppositi principibus, liberè potitus imperio, apud inferius Traiectum, Frisiæ vrbem, in Pentecoste curiam celebrauit: vbi morbo correptus, rebus humanis exemptus, sepultisq; ibidem interioribus, per ripam Rheni ad superiora deportatus, in ciuitate Spira patribus suis appositus est. Ac imperatrix Mathildis Henrici regis Anglorum filia, regalia in potestate sua habebat. Quam prædictus Albertus Moguntinæ ecclesiæ archiepiscopus ad se vocauit, falsisq; promissionibus ad sibi tradenda regalia induxit.

Henrici V obitus anno 1125.

CAPVT XVI.

Lotharius dux Saxonum in Imperatorem eligitur, qui mox hæredes Henrici persequitur, & Noricum castrum ab ipso obsidione cingitur.

IGITVR Albertus (nam id iuris, dum regnum vacat, Moguntini archiepiscopi ab antiquioribus esse traditur) principes regni in ipsa ciuitate Moguntina tempore autumnali conuocat, malorumq; à duce Friderico sibi illatorum haud immemor, cum prædictus Dux ad regnum à multis exposceretur, ipse Lotharium ducem Saxonum, virum tamen ex probitatis industria omni honore dignum, plus familiari rei, quantum in ipso erat, quàm communi commodo consulens, in regē à cunctis qui aderant principibus eligi persuasit. Quæ res laudabiliter facta, grauissimę tamen scissuræ seminarium denuò fuit. Nam prædictus princeps consilio eiusdem Alberti Moguntini episcopi, iuxta quod dicitur,

Lotharius Saxo rex Roman.

Non missura cutem nisi plena cruoris hirudo,

nondum odio in hæredes Imperatoris Henrici satiati, Fridericum ducem, fratremq; suum Conradum persequitur. Cuius rei gratia castrum Noricum, vbi ipsi præsidia

Noriberga.

posuerant,& tanquam iure hæreditario possidebant, adiuncto sibi Boemorum duce Vlrico,& Baioariorum Henrico,obsidione clausit. Dux autem Boemorum,eò quòd Barbari qui cum ipso venerant, nec Deum timentes, nec hominem reuerentes,omnia vicina depopulando,nec etiam ecclesiis parcerent,à principe post aliquod tempus redire permissus est.

CAPVT XVII.

Fridericus & Conradus fugato Lothario,oppidum muniunt.

Norimberga obsidione liberatur.

ITAQVE Fridericus dux,fraterq; suus Conradus militem colligunt,ac data oppidanis die ac signo, ipsi quadam die cum militia sua castro appropinquant. Quod videntes oppidani,læticiam cordis dissimulare non valentes, in voces magnas & cantus prorumpunt. Princeps tutius iudicans alio in tempore præfatum castrum obsidione cingere,quàm infidæ fortunæ fidei se incautè committere, obsidionem soluit, ac per Babenberg transiens,in ciuitatem Herbipolim se contulit. Oppidani cum ingenti clamore descendentes,castra iam vacua irruunt, & siqua ibi remanserant diripiunt,dominosq; suos cum magna lætitia susciPientes,in castrum ducunt, duces oppidum ipsum victualibus,aliisq; necessariis muniunt:sicq; regem insequentes, illo in ciuitate manente,Tyrocinium,quod vulgo nunc Turniamentum dicitur,cum militibus eius extrà exercendo,vsque ad muros ipsos progrediuntur. Post hæc Rhenum transeunt,in Spirensiq; ciuitate,cuius populus eos, ob fidelitatem Imperatorum, qui ibidem humati sunt,tanquam eiusdem sanguinis consortes deuotè susceperat,præsidia collocant. Qua Princeps,iuncto sibi Alberto Moguntino, obsidione circundata, multos ibi dies consumens,prævalere tunc non potuit.

CAPVT XVIII.

Quomodo iidem duces Henricum Noricorum ducem ex Alemania fugauerunt.

Bauarus Friderico Sueuorum duci bellum mouet.

PORRO Henricus Noricorum dux,suprà nominati Hērici ducis filius,ob gratiam principis,cuius filiam Gertrudim nouiter in vxorem duxerat,Friderico duci,haud memor affinitatis, quæ ex copula sororis suæ Iudithæ inter ipsos erat, bellum indicit. Coadunatoq; ex Baioaria non paruo milite, Alemaniam ingressus, non longè à Danubio super fluuium Werenza dictum,tabernacula locauit.Quo comperto,sæpe dicti duces & ipsi militem colligunt,nec longè ab eo castrametantur. At dux Noricorum missis exploratoribus,quod hostium robur sit inquirit. Quibus redeuntibus,& ea quæ viderant enarrantibus,suos consuluit, quidque facto opus sit,requirit. Illi,incautum fore si hostes expectentur iudicantes,fugam consulunt. Tanta ergo cum festinatione Norici,hostes tanquam sibi iam imminentes declinauerunt,vt pontis angustias suspectas habendo,in infidis prædicti amnis procellis, qui ex multitudine imbrium plus solito excreuerat,incautè se committerent,ipsoq; non tam transuadando, quàm transnatando periculosè transmisso,ad propria cum rubore remearent.

CAPVT XIX.

Quomodo Fridericus insidias eiusdem ducis euasit.

Henricus Bauariæ dux.

ALIO inde tempore prædictus dux Henricus Alemaniam ingressus,ad propria ibi domicilia se contulit. Erat enim natione Alemanus, ex antiqua & nobilissima Guelforum familia originem trahens,ac per hoc multas possessiones ex ea parte,qua Pyrenæos montes attingit Alemania,iure hæreditario habens: vir per omnia laudabilis,tam animi,quàm generis nobilitate insignis, in hoc solo facto tantùm reprehensibilis. Missis itaq; legatis ad Fridericum ducem Sueuorum,eum amicè tanquam sororis suæ maritum monet,vt ad gratiam principis redeat: durum esse dicens,quempiam quantumcunque magnum,vel probum principem,totius Imperij pondus solùm sustinere. Addit etiam, huius negocij se, si monitis eius acquiescere vellet, fidum fore mediatorem. Vbi ergo,& qua die simul conueniant,oreque ad os de hoc familiariùs confe-

riùs conferant, monasterium quoddam Zuifalten dictum, constituitur. Dux Fridericus nil perperam expectans, ad prædictum locum cum paucis venit. Ille verò nõ simpliciter ambulans, quo loco nocte cubare vellet, latenter explorauit. Itaq; Sole ad inferius hemisphærium descendente, cum tenebrosis mentibus tenebratum opportunitas se offerret, cubiculum in quo Dux iacebat, circundatur, & quòd non amicus, sed vt hostis aduenerit, re & voce aperitur. Quid faceret, quò se verteret? arma corriperet? sed penè nullum quo iuuaretur habuit. Fugeret? sed nullum cubiculi meatum sciens, fugæ præsidium non inuenit. Dolum itaque cognoscens, ad diuinæ tantũ gratiæ se vertit adiutorium. Qua opitulante, per abdita quædam cubiculi penetralia tunc sibi primò quasi cœlitùs ostensa, ecclesiam introiuit, turrim quæ ecclesiæ contigua erat, ascendit. Hostes cubiculum irrumpunt, & non inuento Duce, claustra etiam monachorum ingrediuntur, cunctas officinas ipsorum ferro perscrutantur. Phœbo ab inferis redeunte, superioremq; aëris regionem illuminare incipiente, vicini quiq; fideles Ducis, iam teterrimo cognito facto, aggregatim in adiutorium eius aduolant. Hostibus adhuc secretiora claustri rimantibus, ignemq; minantibus, Fridericus suos de turre aduentare prospiciens, iam securus factus, Hericum ducem exposcit, eumq; sic affatur: Contra fas, bone dux, feceris, qui me in pace vocatum, pacis non ferens signa, inimicum te potiùs quàm amicum ostendisti. Nec te ab hoc facto propriæ famæ reuocauit honestas, nec carnis, qua coniungimur, affinitas. Ne autem malũ pro malo reddere videar, te tanquam amicum fideliter admoneo, ne fideles meos, quos vndiq; aduentare cerno, expectes. Excusatur à quibusdam hoc factum Ducis, non solùm ex hoc, quòd eo in tempore inimici fuerunt, iuxta illud,

Dolus an virtus quis in hoste requirat?

sed ex eo, quòd pro fidelitate regni, & reipublicæ quiete, principi eum tradere, pacẽq; imperio instaurare volens, hoc fecerit.

CAPVT XX.

De expeditione Lotharij in Boemiam.

DISSENSIO igitur inter Fridericum ducem, Lotharium q; Imperatorem penè per decem annos protracta, imperium quiescere non permisit. Qualiter autem ad vltimum pacatum fuerit, & quot, & quanta virtutum insignia Lotharius reliquerit, in priore historia dictum sufficiat.

Verùm silentio præterire nolumus, quòd prædictus princeps aduersam nimis circa regni primordia fortunam sensit. Quidam enim Otto Morauiæ comes, ducatum Boemiæ affectans, principem adiit, eiq; magnam pecuniam promittens, ad hoc vt Boemiam secum intraret, ibiq; eum Ducẽ crearet, inclinauit. Quod Vlricus, qui eundem ducatum fortè habebat, impedire volens, nullo principem obsequio à cœpto reuocare potuit. Igitur rex Saxoniam intrans, militem instaurat: ducensq; secum Ottonem, claustra syluarum, quæ Boemiam & Saxoniam seiungunt, hyemali tempore ingreditur. Dux Boemię Vlricus in ipsis syluarum abditis locis, septis vndiq; syluis, super amniculum quendam castra posuit. Rex cum suis propter nimietatem niuium à recta via exorbitans, ac per deuia syluarum oberrãs, ad prædictum amnem fortè venit, suis viæ labore nimio & inedia exhaustis quiescere volentibus. Barbari turbatum cernentes amnem, hostes in proximo esse præsentiunt. Ex improuisoq; superuenientes, Saxones, qui in prima acie erant, iam per niues deambulando fatigatos inuadũt, ac paucis per fugam elapsis, quibusdam captis, cæteros crudeliter occidunt. Videns hoc princeps, suisque ex angustia viarum nullum præsidium ferre valens, sæuissima mentis amaritudine perculsus, rerum tamen quas ab adolescentia gesserat, ac antiquæ virtutis memoria, quasi cœlesti rore repletus, in collem quendam cum paucis, quos adhuc residuos habebat, se recepit. Quem præfatus dux suis in circuitu positis, magnarumque arborum iactu & clausura reditum negantibus, tanquam clausum tenuit. Tandem Henrico Saxoniæ Marchione, qui de sorore ducis natus, cum rege aduenerat, mediante, ad pedes Imperatoris satisfactionem offerens, humiliter Dux venit, hominiumque sibi cum sacramento fidelitatis exhibens, ducatum ab eo suscepit, captiuos

Lotharius in Bohemiæ fusus anno 1126.

reddidit: ficque Princeps portatis secum eorum qui nobiliores erant, funeribus, cum multo mœrore rediit.

CAPVT XXI.

Qui principes ibi occubuerint, & de secundis nuptiis Friderici.

Initiũ odij inter Saxones & Bohemos.

INTER cæteros nobilissimus Marchio Saxoniæ Albertus captus fuerat. Tanta verò strages Saxonum, & præcipuè nobilium & illustrium virorum ibi facta fuit, vt perpetui odij inter Saxones & Boemos fomes tunc accensus, nondum extinctus sit. Otto quoq; qui huius concussionis auctor fuerat, ambitionis suæ pœnas luens, ibidem necatus est. Sed vt dicitur,

Flebile principium melior fortuna sequetur,

sic & hunc principem melior fortuna secuta, ad tantum apicem prouexit, vt sedatis omnium tempestatum motibus, cum triumpho & victoria de Italia rediens, in ipsis montibus viuendi fecerit finem. Verùm Fridericus dux, mortua vxore sua Iuditha, dissensionis tempore, Friderici comitis de Sarbur, fratris Alberti episcopi, filiam Agnetem in vxorem duxit, ab eaq; Conradum, qui Palatinus Comes nunc Rheni esse noscitur, & Claritiam Ludouici Thuringiæ Comitis vxorem, accepit.

CAPVT XXII.

Quòd mortuo Lothario Conradus rex creatur, & quis Alberto Moguntino successerit.

Conradus Sueuus Cæsar renunciatus anno 1139.

DEFVNCTO Imperatore Lothario, ac in monasterio Lutre, quod in eius proprio fundo situm est, humato, principes regni apud Galliæ oppidum Confluentiam, vbi Mosella Rhenum influit, conueniunt, & de eligendo principe consilium ineunt. Igitur Conradus Friderici ducis frater, ab omnibus qui aderant, exposcitur, ad regnũque leuatus in palatio Aquis coronatur. Quod eò facilius fieri potuit, quòd Imperatoris Henrici odium in mentibus plurimùm iam deferbuerat, Albertusq; Moguntinus archiepiscopus, iam recenter viuendi finem fecerat. Accessit etiam ad huius negocij promotionem, quòd Henricus Noricorum dux, pro nota superbiæ, penè omnium, qui in expeditione Italica cum Lothario Imperatore fuerant, odium contraxerat. Itaque Fridericus dux Moguntiam, quæ tunc pastore suo orbata vacabat, venit: omnesque tam clericos, quàm laicos ad hoc vt Albertum iuniorem, vxoris suę, quam secundò acceperat, fratrem eligerent, induxit, principe ad hoc corroborandum ascito. Qui patruum suum seniorem Albertum non exuens, non bene gratus beneficiorum extitit, nec plenè fidum principi suo se exhibuit. Qualiter verò Henricus dux Noricorum, prædictæ sublimationi Principis contradixerit, & quem finem ipse sortitus fuerit, quomodo etiam princeps tam de ipsò, quàm de multis aliis triumphauerit, in priori historia dictum sufficiat.

CAPVT XXIII.

Qualiter soror Gertrudis reginæ sociata est Manuel Græcorum Imperatori.

CIRCA idem tempus, Ioannis Regiæ vrbis Imperatoris apocrisiarij, viri clarissimi, Romanorum principem adeunt, tam confœderationis vinculum ob Rogerij Siculi insolentiam, inter duo imperia, Hesperiæ videlicet & Orientis, renouare cupientes: quàm in huius rei argumentum aliquam regalis sanguinis puellam filio suo in vxorem dandam, postulantes. Princeps comparis suæ sororem potiùs illò destinauit: in huiusq; rei confirmationem venerabilem Herbipolẽsem episcopum Embriconem, virum prudentem & literatum, in Græciam misit: Ioanne iam mortuo, sedenteque in vrbe filio suo prædicto Manuel. Qui omnia sapienter & solerter ordinans, nuptias, proxima post Epiphaniam hebdomada, in vrbe regia celebrari cum fastu & decore regio persuasit. Et ipse non paucis ibi diebus ad promotionem huius, & aliorum regni negociorum manens, dum remigãdo ad patriam redire cogitaret, multis Græcorum xeniis honoratus & oneratus, apud Aquileiam vita decessit. Super his autem negociis,

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 136;Leibn. Marg. 136, Stück 1, [436] - 418

ciis, inter vtrumq; principē huiusmodi directæ inueniuntur epistolæ. Quæ ne omnes ponerentur, compendium in causa fuit.

Conradus Dei gratia Romanorum Imperator Augustus, Ioanni eadem gratia Constantinopolitano Imperatori, Salutem, & dilectionem fraternam, amicitiam, honorem, & gloriam.

Conradi epistola ad Græcorum Imperatorē.

Vt parentes nostri, videlicet Romanorum Imperatores antecessores nostri, ad antecessores vestros, scilicet regnum & populum Græcorum constituerunt, constituo: & sicut seruauerunt, conseruabo. Non est gens, regnum, aut populus, qui nō nouerit, nostræ Romanæ reipub. vestram nouam Romam & dici & fore filiam, ex huius radice ramos, & fructus eius processisse: propter quod hæreditatem, quæ à matre debetur filiæ, constituimus, æternamq; volumus, & eò ampliùs, quòd quæ matri debetur, filiam velle cernimus, scilicet vt auctoritas materna præcinat consilio, auxilio, respōdeat autem gloria & honore filiastina dilectio. Sint ergo res vtriusq; communes, vtriusque amicus idem, idem inimicus, siue in terra, siue in mari: & cognoscat ac timeat matris virtutem & valentiam, qui non honorauerit filiam, siue Nortmannus, siue Siculus, siue quis alter quicunq;, vbicunq;. Neq; enim obliti sumus, vel ego, vel principes nostri imperij, quoscunq; hostium nostrorum incursus, vel inuasiones in imperium, & magnificentiam Romanam. Sed cùm diuina clementia subueniet, retribuemus vnicuique ipsorum secundùm multitudinem ipsorum malitiæ. Videbit ergo, & audiet vniuersa regnorum latitudo, quàm facili manu prosternentur latrones, qui insurrexerūt in vtriusq; imperij nostri monarchiam: quia cooperante Deo, si alas excutiemus, hostem modò volitantem capiemus, & cordis eius euiscerabimus audentiā, quæ modò extollitur contra vtriusq; imperij nostri honorem & gloriam. Cōseruamus igitur quæ iusta & amicabilia sunt ad vos, eadem vos ad nos: & tanto studiosiùs, quantò per coniugium sororis dilectissimæ coniugis nostræ, imperatricis videlicet nobilissimæ, & filij cui confœderati sumus propinquiùs. Verùm quia de nostris hilarescere successibus, dilectionis & nobilitatis tuæ credimus experientiam, quid post discessum prudentissimorum apocrisiariorum tuorum, in generali & solenni curia cum vniuersis imperij nostri principibus celebrata, cui eos interesse voluimus, Deo auxiliante actum sit, tibi sicut vnico fratri nostro, & amico dilectissimo dignum duximus intimare. Noueris igitur, quòd omnes qui imperium nostrū offendisse videbantur, cooperante Deo, potenter in nostro imperiali iure inclinauimus, eosq; in plenitudinem gratię nostræ suscipientes, vniuersas imperij nostri partes abundanti pace ditauimus. Ad hoc Francia & Hispania, Anglia, Dania, cæteraq; regna imperio nostro adiacentia, quotidiana legatione sua, cum debita reuerentia & obsequio nos frequentant, ad ea quæ imperij nostri mandata sunt, se prompta esse tam obsidibus, quàm sacramentis affirmantes. Nolumus etiam latere discretionis tuæ prudentiam, q; dominus Papa, totaq; Apulia, Italia & Longobardia, de die in diem aduentum nostrum desiderant: & vt nostra eis imperiali subueniamus potentia, cū omni deuotione expostulant. Huius rei gratia dilectissimum & præcordialem imperij nostri principem Embriconem, venerabilem Herbipolensem episcopum amicum tuum, ad exquirendam domini papæ voluntatem, Romam direximus. Cognita verò ipsius circa nos volūtate, communicato principum nostrorum consilio, ea quæ ad vtriusq; imperij nostri honorem spectant, per charissimos & prudentes nuncios nostros, Robertum scilicet principem Capuanum, illustrem vtiq; virum ac nobilem, nobisq; fidelem, nec non Albertum dilectum capellanum nostrum, & in fide constantem, tuæ significamus nobilitati. Hos igitur tanquam nos audias, & quæ tibi dixerint, sicut decet excellentiam tuam, & sicut de te speramus & credimus, ad effectum perducas, & honestos & idoneos apocrisiarios tuos, vnà eum nunciis nostris sine dilatione ad nos remittas. Præterea de Rutenis, qui ad cōtemptum imperij nostri occisis hominibus nostris, pecuniam nostram sibi vsurpauerunt, sicut conuenit in causa amici, & propinqui tui, & sicut nobis scripsisti, ita facias. Militibus quoque imperij nostri Alemanis scilicet, qui apud te sunt, sicut decet excellētiam tuam, benignus existas. Nihilominus etiam te rogamus, vt hominibus imperij nostri, Teutonicis videlicet, qui Constantinopoli morantur, locum in quem ad honorem Dei ecclesiam ædificent, concedas, tum respectu diuinæ remunerationis,

Fauorem, auxilium & συμμαχίαν pollicetur.

Affinitas inter Imperatores ma.

Imperij accidus statū refert.

Germanis exercendæ religionis locum concedi petit.

tum & interuentu ac petitione noſtræ dilectionis. Recordari quoq; debet tua diſcretio, quòd nos in literis prioribus per præfatum capellanũ noſtrum tuæ nobilitati præſentatis, hoc idem à te pro Dei amore & honore petiuimus: quia ſi ipſe qui dat ſalutem regibus, fuerit in medio noſtri, certum eſt quòd non gaudebũt inimici noſtri. Datum XVIII Kal. Ratiſponæ, in Chriſto feliciter, Amen.

CAPVT XXIIII.

Exemplar literarum tunc temporis hinc inde miſſarum.

Ioannes in Chriſto Deo fidelis rex Porphyrogenitus, ſublimis, fortis, Auguſtus, Comnenos & Imperator Romanorum, ad nobiliſsimum fratrem & amicum imperii mei.

NOBILISSIME & dilecte amice imperij mei rex, Litera tuæ nobilitatis fraterni affectus ſignum, ad noſtram delata manſuetudinem per prudẽtiſſimum apocriſiarium nobilitatis tuæ, multa nos lætitia repleuit. Nam bona tuæ nobilitatis voluntas, & cognationis, & amicabilis affectio & dilectio, quam demonſtraſti, & per literas, & per verba, & per opera ipſa erga imperium noſtrum: noſtram conſequenter pietatem totam, toto animo ad tuum amorem pertraxit. Quare etiam diuerſos fideliſſimorum & familiariſſimorum hominum ſuorum ad tuam nobilitatem emiſit, recommunicare per eos volens nobilitati tuę totis de cauſis, propter quas & mandaſti, & ſcripſiſti ei. Vult enim in Deo in omnibus amicè ſapere, & cognationabiliter, & fraternè ad tuam voluntatem, & omnia agere ſecundùm quod videtur ei, quæ ad honorem ſunt nobilitatis tuæ. Quia verò prudentiſſimus dux Venetiæ Petrus Polanus mediator à nobilitate tua in his cauſis aſſumptus eſt, ſicut vir bonus & fidelis ambabus partibus: & hoc nobis placere dignum viſum eſt. De cauſa Apuliæ & Longobardiæ, prudentiſſimis apocriſiariis noſtris, quæ à nobis viſa ſunt, iuſſimus. Nam & ſi quidam horum ad ſuſceptionem magis nobiliſſimæ cum Deo futuræ nurus imperij mei, miſſi ſunt, tamen etiam communiter eis notum imperij mei velle. De cauſa quæ facta eſt in Ruſſia, ſicut imperio meo ſcripſiſti, ſicut cõuenit imperio meo facere in cauſa amici & propinqui ſui, ſic & feci. Sed de caballariis nobilitatis tuæ, quod ſcripta tua nominatim comprehendebant, & magis de eo qui defecit in viuentibus ex eis, ſic fecit imperium meum, vt ſcripſiſti. Vale nobiliſſime amice imperij mei rex.

Dux Venetus inter Græcos & Latinos pacis arbiter.

Conradus Dei gratia Romanorum Imperator Auguſtus, chariſſimo fratri ſuo E. Porphyrogenito Comneno, illuſtri & glorioſo regi Græcorum, Salutem, & fraternam dilectionem.

Nobilitatis tuæ literas, vt à tanto, & tam charo amico noſtro ſerenitati noſtræ trãſmiſſas, gratanter excepimus: & viſo earundem tenore, de incolumitate & ſublimitate tua admodum gauiſi ſumus. Sed auditis à Νικηφόρῳ tuæ dilectionis prudẽti apocriſiario, præter illa quæ in literis continebantur, quibuſdam verbis duris, & (vt verum fateamur) ab omni retro tempore inauditis, & noſtræ maieſtatis, vltrà quàm lingua explere valeat, perturbata eſt manſuetudo, & eſt admirata vniuerſa imperij noſtri latitudo. Vnde vel à quo hoc tam amarum verbum proceſſerit, miramur: præſertim cum inter cætera huius mundi regna, Græcorum regnum omni ſapiẽtia & diſcretione hactenus floruerit. Si enim idem nuncius tuus Νικηφόρος vnicum filium noſtrum Henricum in præſentia noſtra morti dediſſet, ad maiorẽ iram maieſtatis noſtræ animum prouocare nõ poterat. Cumq; iam per triduum in hoc* acerbo laboraſſet, & rigorem noſtri animi nullo ingenio, nullaq; ſapientia ad ſuam voluntatem inflectere potuiſſet: vix tandem quarto die aliis verbis dulcioribus excellentiam noſtram exhilarauit, noſtræq; furore indignationis mitigato, nobilitatis tuæ volũtatem nobis aperuit. Et quoniam ita nunc eſt, & eſſe debet, quòd tu amicorum amiciſſime, vxorem accipies dilectiſſimam filiam noſtram, ſororem videlicet nobiliſſimæ cõthoralis noſtræ, volumus vt inſit æternum fœdus perennis amicitiæ, quam videlicet amicitiam preſenti apocriſiario tuo ore & manuſcripto firmari iuſſimus, ita videlicet, vt & amici amicorũ tuorum, & inimici ſimus inimicorum tuorum. Proinde certa ſit prudẽtia tua, quòd ſi tuę nobilitati vndecunque aliqua moleſtia vel iniuria fuerit illata, non hanc tibi tantùm, ſed

**for. arcendo.*

Fœdus inter Imperatores ſancitũ.

sed etiam nobis factam iure dilectionis reputamus: quoniam virtutis tuæ nobilitas,& maximè generosi sanguinis,quo in pignus perpetuæ dilectionis confœderati sumus, propinquitas nos inuitat, vt te tanq̃ filium chariſſimũ,totius vlnis charitatis amplectamur,& cũcta quæ tibi placita sunt,libenti animo faciamus.In qua re iustũ arbitramur, vt eandem amicitiam nobis & imperio nostro firmari facias,vt completis omnibus honorificè,vtrique imperio debitus honor exinde deferatur,& pax, & nomen Christi per vniuersum mundum inde magnificetur. Porrò de quingentis militibus, quos nobilitas tua petiit, hoc tibi respondemus, quòd non solùm quingentos, sed etiam duo, vel tria milia,si necesse habueris,tibi mittemus:& quod maius est,antequam detrimentum aliquod honoris tui pati videremus, elaborata totius imperij nostri fortitudine,in propria persona tibi,sicut præcordiali filio, & fratri chariſſimo, deficere & deesse non possemus. Præterea scripsit nobis tua nobilitas, quòd magnos & charos nuncios sinceritati tuæ mitteremus: in quo voluntati tuæ acquieuimus: quoniam quos chariores habuimus,excellentiæ tuæ transmisimus: scilicet, chariſſimum præcordialem nostrum Embriconem, venerabilem Wirtzburgensem episcopum, illustrem & magnum imperij principem,qui est cor nostrum, & anima nostra: necnon dilectiſſimum nostrum Robertum illustrem & nobilem principem Capuanum.Misimus etiam quasi vtrasque manus nostras Germanos duos fratres, scilicet fratrem Bernonem virum sapientem & religiosum, & fratrem ipsius Riwinum, qui nobis valde charus est & familiaris & nobilis: & honorandum principem imperij nostri Rogerium illustrem comitem de Adriano,cuius fidem & constantiam sæpius experti sumus:& Gualterum fidelem nostrum. Istis itaque ea quæ in literis non continentur,industriæ tuæ referenda commisimus: quorum verbis fidem adhibeas,& quæ tibi dixerint,tanquam à nobis dicta credas. De Ruthenis verò, pro quibus patri tuo diuæ recordationis Ioanni Imperatori,per fideliſſimum capellanum nostrum Adalbertum,& per comitem Alexandrum de Grauina scripsimus, & de loco in quo nostris Teutonicis ad honorem Dei ecclesiam ædificari volumus,& de nobilibus baronibus Apuliæ, Alexandro videlicet Clarimontis, Philippi de Surre,& Henrico comite,& Senne Pustel,ille noster præcordialis Wirtzburgensis episcopus,& cæteri familiares nostri voluntatem nostram tibi referent, quibus tanquam nobis credas. Super his omnibus fidelem apocrisiarium tuum Nikephorum, licet in principio legationis suæ nos conturbauerit,tibi attentiùs commendamus, & quia constanter perdurauit, vt eum remuneres,rogamus. Vale.

Legati imperiales ad Græcos.

CAPVT XXV.

De Friderico iuniore,& de his quæ gesſit apud Wolfrateshusen.

CReverat Fridericus,Friderici strenuiſſimi ducis filius, militiæque cingulum iam sumpserat,nobilis patris futurus hæres nobilior. Igitur bonæ indolis virtutem non dissimulans, educatus,vt assolet, ludis militaribus, ad seria tandem tyrocinandi accingitur negocia, adhuc patre viuente, terramque suam plenariè tenente. Nam & comitem quendam nobilem Henricum de Wolfrateshusen hostem denuncians,Baioariam cum magna militum copia ingreditur. Norici & maximè comites,& nobiles,velut tyrocinium celebraturi, quod modò nundinas vocare solemus,in prædicti comitis castro se recipiunt. Itaque strenuiſſimus superueniens adolescens,Noricos ante murum stantes,ipsumq; armatos expectantes,non vt iocando, sed vt rem seriam agendo,viriliter aggressus est, diuque & fortiter vtrisque pugnantibus,tandem vt hostes castro se reciperent,coegit.Versis in fugam Noricis, ac ex angustia portarum artatis,comes quidam Conradus de Dachowe tunc nobilis comes, postea dux factus Croatiæ & Dalmatiæ, qui incautus extra remanserat, ab hostibus capitur.Sicque adolescens præfatum ducens comitem, ad propria cum victoria reuertitur.Cumque à multis sibi suaderetur,vt pecuniam magnam ab eo extorqueret, ipse ex innata sibi nobilitate,prauorum declinauit consilia.Nam sicut fortiter captum,sic eum liberaliter dimissum,ad propria redire sine pecuniæ exactione permisit.

Frid.barbarossa tyrocinia.

Conradus à Dachou comes capitur

CAPVT XXVI.

Quomodo etiam Bertolfum ducem superauit.

Frid. Zaringium bello persequitur Anno 1138.

POST hæc Conrado duci, supradicti Bertolfi ducis filio, bellum indicit: captoque suprà memorato Alemaniæ oppido Turego, præsidia ibidem posuit. Dehinc iunctis sibi etiam quibusdam de Baioaria nobilibus, præfati ducis terrã cum magna manu militum introiuit, atque ad vltima penè Alemaniæ procedens, ad Zaringen vsque eiusdem Ducis castrum peruenit, nullo sibi obuiante, vel resistere valente. Non multò post etiam arcem ipsius quandam, quæ cunctis adhuc cernentibus inexpugnabilis esse videtur, cepit & expugnauit: ac contra multorum opinionem, fortissimum & ditissimum Ducem tam acriter debellauit, vt ad patrem, patruumq; suum supplicem eum venire, ac pacem petere cogeret. Hæc & alia tam ardua in ipsa puerili ætate gessit negocia, vt non immeritò cum multorum stupore, de ipso dici posset illud Euangelij, *Luc. x.* *Quis putas puer iste erit?*

CAPVT XXVII.

Quomodo instinctu Arnoldi, Romani aduersus suum pontificem concitantur, & senatoriam dignitatem instaurare moliuntur.

Arnoldus Brixianus anno 1139.

HIS diebus Arnoldus quidam religionis habitum habens, sed eum minimè, vt ex doctrina eius patuit, seruans, ex ecclesiastici honoris inuidia vrbem Romam ingreditur: ac senatoriam dignitatem, equestremq; ordinem renouare ad instar antiquorum volens, totam penè vrbem, ac præcipuè populum, aduersus pontificem suum concitauit. Vnde & ad eorundem temeritatis, vel potius fatuitatis corroborationem, ab eis ad principem destinatum, tale scriptum inuenitur.

CAPVT XXVIII.

Epistola Romanorum ad Regem.

Excellentissimo atque præclaro Vrbis & orbis totius domino, Conrado Dei gratia Romanorum regi semper Augusto, Senatus populusq; Romanus, Salutem, & Romani imperij felicem & inclytam gubernationem.

REGALI excellentiæ per plurima iam scripta nostra facta & negocia diligenter exposuimus: quomodo in vestra fidelitate permaneamus, ac pro vestra imperiali corona exaltanda, & omni modo augenda, quotidie decertamus. Ad quæ quia regalis industria, vt postulauimus, rescribere dignata non fuit, plane tanquam filij & fideles de domino & patre satis miramur. Nos enim quicquid agimus, pro vestra fidelitate & honore facimus. Et quidem regnum & imperium Romanorum, vestro à Deo regimini concessum, exaltare atq; amplificare cupiẽtes, in eum statum, quo fuit tempore Constãtini & Iustiniani, qui totum orbem vigore senatus, & populi Romani suis tenuêre manibus, reducere, senatu pro his omnibus Dei gratia restituto, & eis qui vestro imperio semper rebelles erant, quiq; tantum honorem Rom. Imperio subripuerant, magna ex parte conculcatis, quatenus ea quæ Cæsari & imperio deberentur, per omnia & in omnibus obtineatis, vehementer atq; vnanimiter satagimus, atque studemus. Et ob huius rei effectum, bonum principium ac fundamẽtum fecimus. Nam pacem & iusticiam omnibus eam volentibus obseruamus, fortitudines, id est, turres & domos potentum vrbis, qui vestro imperio vnà cum Siculo & Papa resistere parabant, cepimus, & quasdam in vestra fidelitate tenemus, quasdam verò subuertentes solo coæquauimus. Sed pro his omnibus quæ vestræ dilectionis fidelitate facimus, Papa Franjipanes, & filij Petri Leonis, homines & amici Siculi, excepto Iordano nostro, fidelitate in vestra vexillifero & adiutore, Tolomeus quoque, & alij plures vndique nos impugnant, ne liberè vt decet, imperialem regio capiti valeamus imponere coronam. At nos, quoniam amanti nullus labor grauis est, licet inde plurima

damna

damna ſuſtineamus, pro veſtro amore & honore gratanter patimur. Scimus namq; nos à vobis proinde præmium, ſicut à patre, accepturos, vosque in eos ſicut in imperij hoſtes vindictam daturos. Cùm tanta igitur noſtra in vobis fidelitas ſit, tantaque pro vobis ſuſtineamus, precamur ne ſpes iſta nobis deficiat, ne regia dignitas nos veſtros fideles & filios deſpiciat. Neq; ſi in regalibus auribus aura ſiniſtra de ſenatu & nobis flauerit, in eam intendat, aut reſpiciat: quia qui de nobis veſtræ altitudini mala ſuggerunt, de veſtra & noſtra, quod abſit, diſſenſione lætari volunt, & vtroſq; vt ſoliti ſunt, callidè opprimere moliuntur. Sed circa hæc ne fiant, regalis prudentia, vt decet, ſolicita ſit & prouida: reminiſcaturq; veſtra ſolertia, quot & quanta mala papalis curia, & dicti quondam ciues noſtri Imperatoribus, qui fuerunt ante vos, fecerint: & nunc deteriora vobis cum Siculo facere tentauerunt: ſed nos Chriſti gratia in veſtra fidelitate viriliter eis reſiſtimus, ac plures ex illis ab vrbe, ſicut peſſimos hoſtes imperij, vt ſunt, pepulimus. Appropinquet itaq; nobis imperialis celeriter vigor: quoniam quicquid vultis in vrbe obtinere, poteritis: & vt breuiter ac ſuccinctè loquamur, potenter in vrbe, quæ caput mundi eſt, vt optamus, habitare, toti Italiæ ac regno Teutonico, omni clericorum remoto obſtaculo, liberius & meliùs quàm omnes ferè anteceſſores veſtri, dominari valebitis. Sine mora ergo precamur, vt veniatis, & interim de ſtatu veſtro, quem ſemper deſideramus ſalubrem & proſperũ, de his regalibus literis ac nunciis nos lætificare dignemini: ſumus enim per omnia veſtræ voluntati ſemper obtemperare parati. Sciatis præterea, quia pontem Miluium extra Vrbem parum longè, per tempora multa pro Imperatorum contrario deſtructum: nos, vt exercitus veſter per eum tranſire queat, ne Pettileones per caſtellum ſancti Angeli vobis nocere poſſint, vt ſtatuerant cũ Papa & Siculo, magno conamine reſtauramus, & in parui temporis ſpacio muro fortiſſimo, & ſilicibus, iuuante Deo, complebitur. Concordiam autem inter Siculum & Papam huiuſmodi eſſe accepimus. Papa cõceſſit Siculo virgam & anulum, Dalmaticam & mitram, atq; ſandalia, & ne vllum mittat in terram ſuam legatum, niſi quem Siculus petierit: & Siculus dedit ei multam pecuniam pro detrimento veſtro, & Romani imperij, quod Dei gratia veſtrum exiſtit. Hæc omnia ſolicitè veſtra animaduertat, optime rex, prudentia.

Papalis curia Imperatoribus infeſta.

Rex valeat, quicquid cupit obtineat, ſuper hoſtes
Imperium teneat, Romæ ſedeat, regat orbem.
Princeps terrarum, ceu fecit Iuſtinianus,
Cæſaris accipiat Cæſar, quæ ſunt ſua præſul,
Vt Chriſtus iuſſit Petro ſoluente tributum.

Nos de cætero legatos noſtros, precamur, vt benignè recipiatis, & quod vobis dixerint credatis: quia ſcribere cuncta nequiuimus: ſunt enim nobiles viri, Guido ſenator, Iacobus filius Sixti procuratoris, & Nicolaus eorum ſocius.

At Chriſtianiſſimus princeps huiuſmodi verbis ſiue næniis præbere aures abnuit: quinimò veniẽtes ad ſe ex parte Rom. eccleſiæ viros magnos & claros, quorum vnus Guido Piſanus, eiuſdem Curiæ Cardinalis & cancellarius erat, renouationemq; antiquorum priuilegiorum ſuorum poſtulantes, honorificè ſuſcepit, & honeſtè dimiſit.

CAPVT XXIX.

De diuerſis præliis per expeditionem Hieroſolymitanam ſopitis.

EA tempeſtate, vbique terrarum bellorum turbine orbem replente, fermeque totum imperium ſeditionum motibus inuoluente (nam & in Alemania inter prædictum adoleſcentem Fridericum, & prænominatum ducem Cõradum, hoc diſſenſionis malum agitabatur: in Baioaria inter Henricum, Leopaldi marchionis filium, eiuſdem terræ Ducem, & item Henricum Ratiſponenſem epiſcopum, grauiſſimum bellum excitatum indies augmentabatur: in Belgica Gallia viris magnis & egregiis Alberone Treuerorum archiepiſcopo, & Henrico Namurcenſe comite debellantibus, omniaq; præda & incendio commiſcentibus, maximum reip. diſpendium expectabatur: Polonia quatuor fratribus, tribus cum quarto pro Ducatu contendentibus, maximam effuſionem ſanguinis minabatur) cæteris quoque imperij prouinciis huius

mali non extorribus, repentè per dexteram excelsi, tanta facta est mutatio, vt sopitis omnibus his bellorum tempestatibus, in breui totam terram quiescere, & innumerabiles ex Gallia & Germania contra inimicos crucis, crucibus acceptis, militiam profiteri cerneres. Sed antequam huius tam inauditæ mutationis historiam attingamus, pauca de priori turbulentia præmittenda sunt.

CAPVT XXX.

Qualiter castrum regis Vngariæ Bosan, quod & Bresburg, captum & requisitum sit, & de Boritio.

IGITVR eo tempore quo prædictus Henricus Noricorum dux cum prænominato Henrico Ratisponensium episcopo, ciuibusq; suis, ac Styrensi Marchione Odoacro grauissimam guerram agitabat. Quidam milites de Orientali marchia egressi, Pannoniam latenter ingrediuntur, ac noctu castrum Bosan, quod & Bresburg, quod olim Imperator Henricus obsidione cinxerat, ex improuiso aggressi, capiunt: quibusdam comprehensis, nonnullis occisis, aliis per fugam elapsis. Quod audiens rex Vngariæ Gerza, Beli regis filius, præmissis quibusdam comitibus suis, qui quare, vel qualiter hoc factum fuerat, inquirerent: ipse eosdem subsecutus, ad liberationem castri cum magna Vngarorum properat multitudine. Comites qui præcesserant, ab oppidanis, cuius rei causa tam grauem regi intulerint iniuriam, solerter percunctantur. Qui respondérunt: Se nec pro Romanorum principe, nec pro Duce suo hoc fecisse, sed pro domino suo Boritio. Erat autem Boritius Colomanni quondam regis Vngariæ filius, prædictum regnum Vngariæ (vt in prioribus Chronicis dictum est) iure hæreditario repetens, ac ob hoc adipiscendum, vtrosq; principes, Romanorum scilicet ac Græcorum, frequenter sollicitans, multosq; ex militibus nostris ad fauorem suum pecunia inducens. Igitur rex Vngariæ superueniens, castraq; ponens, oppidum cinxit, diuersis instrumentis, tormentorumq; generibus adhibitis, ac sagittariis oppido circumfusis. Teutonici, eò quòd dux in superioribus Baioariæ partibus moraretur, princeps verò in remotis regni maneret locis, cum nullum liberationis suæ solatium haberent, de facienda cum Vngaris pace pertractare incipiunt. Ita ne multis morer, mutuò colloquentes, accepto à rege sub iureiurando promisso trium millium librarum in pondere, castrum sibi reddunt, ipsiq; ad propria redeunt. Rex autem Vngarorum damnum sibi à Teutonicis illatum grauiter ferens, ducem Noricum habens suspectum, hostem denunciat, exercitumq; maximum per totam regni sui latitudinem colligit. Sed antequam de egressione huius gentis dicamus, breuiter quædam de ipsius terræ situ, nationisq; ritu prælibanda videntur.

Posanium Vngariæ.

CAPVT XXXI.

De situ Vngariæ, & more gentis.

HÆc enim prouincia, eò quòd circumquaq; syluis & montibus, & præcipuè Appennino clauditur, ex antiquo Pannonia dicta, intus planicie campi latissima, decursu fluminum & amnium conspicua, nemoribus diuersarum ferarum generibus plenis conferta, tam innata amœnitate faciei læta, quàm agrorum fertilitate locuples esse cognoscitur, vt tanquam paradisus Dei, vel Ægyptus spectabilis esse videatur. Habet enim pulcherrimum, vt dixi, naturaliter spectaculum, sed ex barbarie gentis mœnium vel ędium rarum ornatum, terminosq; non tam montium vel syluarum, quàm cursu maximorum fluminum septos. Attingitur ab Oriēte vbi Sowa famosus fluuius Danubio recipitur, Bulgaria: ab Occidente, Morauia & Orientali Teutonicorum Marchia: ad Austrum, Croatia, Dalmatia, Histria, vel Carinthia: ad Septentrionem, Boemia, Polonia, Rutenia. Inter Austrum & Orientem Roma: inter Aquilonem, & item Orientem, Pecenarorum & Falonum, maximam venationum copiam habente, sed vomere ac rastro penè experte Campania. Crebras verò Barbarorum irruptiones passa, haud mirum, si moribus, aut lingua agrestis manet & insulsa. Nam primò (quod alibi latius à nobis dictum est) Hunorum, qui iuxta Iordanum ex incubis & meretri-

Vngaria limites.

meretricibus orti fuerant, direptioni patuit: postmodum Auarorũ crudis & immundis carnibus vescentium conculcationi: ad vltimum Vngarorũ, à Scythia egressorum, qui & adhuc eam incolunt, relicta est possessioni. Sunt aũt prædicti Vngari facie tetri, profundis oculis, statura humiles, moribus & lingua barbari & feroces, vt iure fortuna culpanda, vel potius diuina patientia sit admiranda, quæ, ne dicam hominibus, sed talibus hominũ monstris tam delectabilem exposuit terram. In hoc tamen Græcorum imitantur solertiam, quòd nullam rem magnam sine crebra & longa consultatione aggrediuntur. Deniq; cum vilissima in vicis, vel oppidis ibi, i. ex cannis tantùm, rara ex lignis, rarissima ex lapidibus habeantur habitacula, toto æstatis vel autumni tempore papiliones inhabitant. Ad curiam regis sui singulis ex primoribus sellam secũ portantibus conueniunt, ac de suæ reip. statu pertractare & discutere non negligunt: hyemis algore in domiciliis, qui habent, id ipsum faciẽtes. At omnes sic principi suo obsequũtur, vt vnusquisq;, ne dicam manifestis illum contradictionibus exasperare, sed & occultis susurris lacerare nefas arbitretur. Hinc est, vt cum prædictum regnum per LXX vel amplius diuisum sit Comitatus, de omni iusticia ad fiscum regiũ duæ lucri partes cedãt, tertia tantùm comiti remaneat, nullusq; in tam spacioso ambitu, rege excepto, monetam vel telonium habere audeat. Quòd si aliquis ex Comitũ ordine regem vel in modico offenderit, vel etiam de hoc quandoq; non iustè infamatus fuerit: quilibet infimæ conditionis lixa, à curia missus, eum, licet satellitibus suis stipatum, solus comprehendit, in vinculis ponit, ad diuersa tormentorum genera trahit. Nulla sententia à principe, sicut apud nos moris est, per pares suos exposcitur: nulla accusato excusandi licentia datur: sed sola principis voluntas apud omnes pro ratione habetur. Si quando verò exercitum rex ducere voluerit, cuncti sine contradictione quasi in vnum corpus adunantur. Coloni quidem, qui in vicis morãtur, nouem decimum, vel etiam septem octauum, vel infrà, si necesse fuerit, cum supellectili ad bellum necessaria instruunt, cæteris pro cultura terræ domi relictis. Qui verò de militum ordine sunt, nulla occasione nisi grauissima, domi remanere audebunt. At in ipsa regis acie hospites, quorum ibi magna copia est, & qui apud eos principes dicuntur, latus principis ad muniẽdum ambiunt. Omnes penè tetri, tetris in armis procedunt: nisi quòd iã ab hospitibus, quos nunc solidarios dicimus, educati, vel ab eisdem etiam geniti, quandam non innatam, sed quasi extrinsecus affixam virtutem trahẽtes, principes tantùm & hospites nostros in pugnandi peritia, armorumq; splendore imitantur. Sed de prædictæ gentis ritu hæc dicta sufficiant.

Vngari barbari. *Vngarorum corporis habitus.* *Terræ cultus.* *Politia.* *Militandi mos.* *mercenarij* *soldat*

CAPVT XXXII.

De pugna habita inter regem Vngariæ, & ducem Henricum.

IGITVR rex ad portam Mesiam, LXX pugnatorum milia, vel amplius habens, erupit: in campoq; inter portam præfatã, & fluuium Litahe, qui Teutonica lingua Viruelt & Leruelt, quod nos *vacantem campum* dicere possumus, castra posuit. Dux etiam cum suis non longè ex altera parte eiusdem fluuij, qui imperij Romani, & regni illius ex vno Danubij latere (nã ex altero Maraha fluuius) limes est, suos conuocans, itidem castrametatur, missis exploratoribus, qui statũ hostium diligenter inquirendo ediscerent. Altera die rex in prædicto campo ad quandam ligneam ecclesiã accedit, ibiq; ab episcopis (nam eousq; in puerilibus annis positus, nondũ militem induerat) accepta sacerdotali benedictione ad hoc instituta, armis accingitur. Post hęc acies ordinat, militem instaurat, positis in capite duabus alis, in quibus sagittarij, quatenus vim hostium eminus repellerent, erant, & è regione vna magna acie, cui auunculus suus Bela dux præerat, in propria legione (vt aiunt) plus quàm XII millia equitum retinens. Dehinc fluuium Litahe ex improuiso exploratoribus Ducis nõ bene, propter quod missi erãt, obseruantibus, transuadando permeat, apposito mox in vicinis igne: dux itidem acies instituerat, & iã quid facto opus esset cõsultabat, frustra exploratores, qui aut dolo, aut pigritia tardabant, expectans. Cumq; alij pugnandũ, nonnulli ex alio latere amnis Viscahe, super quem residebat, à termino ad duo tantùm Teutonica miliaria distãtem, expectandum, atq; robur hostium meliùs explorandum consuluêre: subitò fumus ap-

Leita & Marcast. *Vngaria & Austria limitanei.* *Vischa fl.*

parens, ignis & hostium certũ signum dedit: quibusdã ex nostris putantibus ac dicentibus, ab hostibus in fugam versis propria castra ignibus data esse. Itaq; Dux (est enim manu fortis, mente audax, sed moræ impatiens) subitò arma corripit, & secus quàm disciplina militaris & ordo exposcit, non pedetentim incedens, sed præcipitanter aduolans, in hostem ruit, suis gregatim aduentantibus, & dirupto legionum ordine confusè veniẽtibus. Deniq; ex præpetis cursus nimia velocitate, sagittariorum impetum, qui in duabus præcedentibus alis positi erant, præuenit: ac illas cum duobus Comitibus, qui eisdem præerant, fermè funditus deleuit. Post hæc illas duas magnas acies, regis scilicet & auunculi sui ducis impegit: ex Regis legione nullo egrediente, sed tanq̃ in modum syluæ fixa immobiliter manente. Iamiam Vngari de fuga cogitabant, dorsaq; vertere volebãt: & ecce Teutonici, qui in posterioribus alis Ducem suum sequebantur, fugã ineunt, Duce ignorante, vel ea quæ fiebant, ex pulueris multitudine, qui illis in partibus siccitatis tempore maximus esse solet, conspicere non valente. Barbari tunc primò vires sumunt, Duciq́ue tanquam à suis destituto circumfunduntur. Dux tũc demum terga hosti dare compellitur, ac tam pugnacis dextræ, quam pulueris aërem obducentis beneficio belli periculis exemptus, in vicinũ oppidum Viennis, quod olim à Romanis inhabitatum Fauianis dicebatur, declinauit. Vngari vsq; ad prædictũ fluuiũ tantùm Viscahe hostes persequentes, ad propria redeunt. Cecidit in hoc prælio virorum nobiliũ & illustrium pars magna, vulgi verò multitudo innumerabilis, maior tamen, vt dicitur, ex Vngaris. Cuius rei, & tam dedecoris facinoris vltio nondum facta, Deo opitulante, à victrice præsentis Imperatoris dextra futura expectatur.

Bauari & Austrij prope Posoniũ fusi.

Vienna Austriæ.

CAPVT XXXIII.

Quomodo Rogerius triremes in Græciam destinat, captis atque expugnatis quibusdam ciuitatibus ac arcibus, captiuos abducens.

CIRCA idem tempus Rogerius Siculus, aptatis in Apulia, Calabria, Sicilia, triremibus & biremibus, quas modò galeas seu sagittas vulgò dicere solent, aliisq; nauibus bellicis onerariis, classem in Græciam destinat, præfectis eis ducibus strenuis, & in nauali prælio gnaris. Armatis itaq; nauibus Græciæ fines ingrediuntur, ac Mutino sine impedimento, grauiq; negocio capto, ad Gurfol vsque fortissimum Græciæ castrum procedunt. Quod dum nulla capere vi præualerent, ad dolos & ingenia se vertunt. Igitur præmissis quibusdam, vt dicitur, qui se quempiam mortuum humandi gratia deferre simularent (est enim in prædicta arce castri, sicut Græcis mos est, congregatio clericorum seu monachorum,) idem castrum irruunt, arcem occupãt, Græcis eiectis, præsidiisq; suis ibidem locatis. Inde ad interiora Græciæ progressi, Corinthum, Thebas, Athenas, antiqua nobilitate celebres expugnant: ac maxima ibidem præda direpta, opifices etiam qui sericos pannos texere solent, ob ignominiam Imperatoris illius, suiq; principis gloriam, captiuos deducunt. Quos Rogerius in Palermo Siciliæ metropoli collocans, artem illam texẽdi suos edocere præcepit: & exhinc prædicta ars illa prius à Græcis tantùm inter Christianos habita, Romanis patere cœpit ingeniis. Sed vt ad id, vnde paulisper digressi fuimus, stylus redeat, de pacis serenitate, quæ post hanc orbis conflictationem, contra multorum opinionem subitò reluxit, breuiter aliqua dicenda essent.

Sagenas

Apuli apud Græcos arma circumferunt.

Ars fericaria in Italiam.

CAPVT XXXIIII.

Quomodo auctoritate sedis apostolicæ transmarina expeditio persuasa est.

EVGENIO in vrbe Roma sedente, Conrado in eadem, Ludouico in Occidentali Francia regnãtibus, imperante in vrbe regia Manuel, Hierosolymis Falcone, Ludouicus dum occultè Hierusalem eũdi desiderium haberet, eò quòd frater suus Philippus eodem voto astrictus, morte præuentus fuerat, diutius protelare nolens propositum, quibusdam ex principibus suis vocatis, quid in mente volueret, aperuit. Erat illo in tempore in Gallia cœnobij Clarauallensis abbas quidam, Bernardus dictus, vita & moribus venerabilis, religionis ordine conspicuus, sapientia, literarumq; scientia præditus,

D. Bernardus abbas Clarauallis.

præditus, signis & miraculis clarus. Hunc principes vocandum, ab eoq; , quid de hac re fieri oporteret, tanquam à diuino oraculo consulendum decernunt. Vocatur præfatus abbas, consiliumq; ipsius super prædicti expoſcitur principis voluntate. Ille de tam grandi negocio, ex propriæ auctoritatis arbitrio responsum dare friuolum iudicans, vt ad Romani pontificis audientiam & examen deferatur, optimũ esse respondit. Itaq; missa ad Eugenium legatione, totum illi negocium aperitur. Qui antecessorum suorum exempla reuoluens, quòd videlicet Vrbanus huiusmodi occasione trãsmarinam ecclesiam, duasq; patriarchales sedes, id est Antiochiam & Hierosolymã, ab obedientia Romanæ sedis scissas, in pacis vnitatem receperit, votis prædicti regis pro dilatando Christianæ religionis ritu annuit: auctoritate prædicandi, animosque cunctorum ad hoc commouendi, prænominato abbati, qui apud omnes Galliæ ac Germaniæ populos, vt propheta, vel apostolus habebatur, concessa. Vnde eius scriptum tale ad regem, principesq; suos, directum inuenitur.

Consultur Pontifex de sacra expeditione.

CAPVT XXXV.

Epistola Eugenij papæ super prædicta re.

Eugenius episcopus, seruus seruorum Dei, charissimo filio Ludouico illustri & glorioso Francorum regi, & dilectis filiis principibus, & vniuersis Dei fidelibus per Galliam constitutis, salutem & apostolicam benedictionem.

QVANTVM prædecessores nostri Romani pontifices pro liberatione Orientalis ecclesiæ laborauerunt, antiquorum relatione didicimus, & in gestis eorum scriptum reperimus. Prædecessor etenim noster felicis memoriæ papa Vrbanus, tãquam tuba intonuit, & ad ipsius deliberationem sanctæ Romanæ ecclesiæ filios, de diuersis mundi partibus solicitare, curauit. Ad ipsius siquidem vocem vltramontani, & præcipuè Francorum regni fortissimi & strenui bellatores, & illi etiam de Italia, charitatis ardore succensi conuenerunt: & maximo congregato exercitu, non sine magna proprij sanguinis effusione, diuino eos auxilio comitante, ciuitatem illam, in qua Saluator noster pro nobis pati voluit, & gloriosum ipsius sepulchrum, passionis suæ nobis memoriale dimisit, & quam plures alias, quas prolixitatem vitantes memorare supersedimus, à paganorum sputcitia liberarent. Quæ per gratiã Dei, & patrum vestrorum studium, qui per interualla temporum eas defendere, & Christianũ nomẽ in partibus illis dilatare pro viribus studuerunt, vsq; ad nostra tẽpora à Christianis detentæ sunt, & aliæ vrbes infidelium ab ipsis viriliter expugnatę. Nunc autem nostris, & ipsius populi peccatis exigentibus, quod sine magno dolore & gemitu proferre nõ possumus, Edessa ciuitas, quæ nostra lingua Rohais dicitur, quæ etiam vt fertur, cum quondam in Oriente tota terra à paganis detineretur, ipsa sola sub Christianorum potestate domino seruiebat, ab inimicis crucis Christi capta est, & multa Christianorũ castella ab ipsis occupata, ipsius quoq; ciuitatis archiepiscopus cũ clericis suis, & multi alij Christiani ibidem interfecti sunt, & sanctorum reliquiæ in infidelium conculcationẽ datæ sunt, & dispersæ. In quo quãtum ecclesiæ Dei, & toti Christianitati periculum immineat, & nos cognoscimus, & prudentiam vestram latere non credimus. Maximum namq; nobilitatis & probitatis indicium fore cognoscitur, si ea quę patrum strenuitas acquisiuit, à vobis filiis strenuè defendantur. Veruntamen si (quod absit) secus contigerit, patrum fortitudo in filiis imminuta probatur. Vniuersitatem itaque vestram in Domino commonemus, rogamus atq; præcipimus, & in peccatorum remissionem iniungimus, vt qui Dei sunt, & maximè potentiores & nobiles, viriliter accingantur: & infidelium multitudini, quæ se tempus victoriæ super nos adeptum lætatur, sic occurrere, & ecclesiam Orientalem tanta patrum vestrorum, vt prædiximus, sanguinis effusione, ab eorum tyrannide liberatam, ita defendere, & multa captiuorum millia confratrum nostrorum, de ipsorum manibus eripere studeatis, vt Christiani nominis dignitas vestro tempore augeatur, & vestra fortitudo, quæ per vniuersum mundum laudatur, integra & illibata seruetur. Sit vobis etiam in exemplum bonus ille Mathias, qui pro paternis legibus conseruandis, seipsum cum filiis & parẽtibus suis morti

Successus belli sacri sub Vrbano papa.

Edessa Syria.

exponere, & quicquid in mundo possidebat, relinquere nullatenus dubitauit: atque tandem diuino cooperante auxilio, per multos tamen labores tam ipse, quàm sua progenies de inimicis viriliter triumphauit. Nos autem vestrorum quieti, & eiusdē ecclesię destitutioni paterna sollicitudine prouidentes, illis, qui tam sanctum, tamq; pernecessarium opus & laborē, deuotionis intuitu, susciperē & perficere decreuerint, illam peccatorum remissionem, quam prędecessor noster papa Vrbanus instituit, auctoritate nobis à Deo concessa, concedimus & confirmamus: atq; vxores & filios eorum, bona quoq; & possessiones sub sanctæ ecclesiæ, nostra etiam & archiepiscoporum, episcoporū, & aliorum prælatorum ecclesiæ Dei protectione manere decernimus. Auctoritate etiam apostolica prohibemus, vt de omnibus, quæ cùm crucem acceperint, quietè possederint, nulla deinceps quæstio moueatur, donec de ipsorum rediru vel obitu certissimè cognoscatur. Præterea, quoniam illi qui Domino militant, nequaquam in vestibus preciosis, nec cultu formæ, nec canibus, vel accipitribus, vel aliis quæ portendant lasciuiam debent intendere: Prudentiam vestram in Domino commonemus, vt qui tam sanctum opus incipere decreuerint, ad hæc non intēdant: sed in armis, equis, & cęteris, quibus infideles expugnent, totis viribus studium & diligentiam adhibeant. Quicunq; verò ære premuntur alieno, & tam sanctum iter puro corde inceperint, de præterito vsuras non soluant: & si ipsi, vel alij pro eis occasione vsurarū astricti sunt sacramento vel fide, apostolica eos auctoritate absoluimus. Liceat eis etiam terras siue cæteras possessiones suas (postquam commoniti propinqui, siue domini, ad quorum feudum pertinēt, pecuniam commodare aut noluerint, aut non valuerint) ecclesiis, vel personis ecclesiasticis, vel aliis quoq; fidelibus, liberè, sine vlla reclamatione, impignorare. Peccatorum remissionem & absolutionem iuxta præfati prædecessoris nostri institutionem, omnipotentis Dei, & beati Petri apostolorū principis auctoritate, nobis à Deo concessa, talem cōcedimus, vt qui tam sanctum iter deuotè inceperit & perfecerit, siue ibidem mortuus fuerit, de omnibus peccatis suis, quibus corde contrito & humiliato confessionem susceperit, absolutionem obtineat, & sempiternæ retributionis fructum ab omnium remuneratione percipiat. Datum Vetrallæ, Kalend. Decembris.

Indulgētia & immunitates militū bello sacri.

CAPVT XXXVI.

Quomodo prædicatione Bernardi Claraualensis abbatis, rex Franciæ cum suis principibus cruces acceperunt.

IGITVR vt ad narrationis seriem redeamus, Bernardus abbas venerabilis, concessa sibi Apost. sedis auctoritate non abusus, gladio verbi Dei fortiter accingitur, ac excitatis ad transmarinam expeditionem multorum animis: tandem curia generalis apud Verzelacum Galliæ oppidum, vbi B. Mariæ Magdalenæ ossa recōdita sunt, indicitur: conuocatis ex diuersis Galliæ prouinciis optimatibus, virisq; illustribus. Ibi Ludouicus Francorum rex, crucem, à prætaxato abbate, cum multa mentis alacritate sumēs, militiam transmarinam professus est, cum Theodorico Flandrensi, & Hērico Theobaldi Blesensis filio, Comitibus, aliis de regno suo baronibus, virisq; nobilibus.

Anno 1146.

CAPVT XXXVII.

Quomodo ad prædicationem cuiusdam Rudolphi, Orientalis Francia ex magna parte eandem militiam professa est, & de persecutione contra Iudæos.

INTER hæc *Rudolphus monachus, vir quidem religionis habitum habēs, religionisq; seueritatem solerter imitans, sed literarum notitia sobriè imbutus, eas partes Galliæ, quæ Rhenum attingunt, ingreditur: multaq; populorum millia ex Agrippina, Moguntia, Vormacia, Spira, Argentina, aliisq; vicinis ciuitatibus, oppidis seu vicis, ad accipiendam crucem accendit. Hoc tamen doctrinæ suæ non vigilanter interserens, quòd Iudæi in ciuitatibus oppidisque passim manentes, tanquam Christianę religionis hostes trucidarentur. Quod doctrinæ semen in multis Galliæ, Germaniæque ciuitatibus vel oppidis tam firmiter radicem figens germinauit, vt plurimis ex Iudæis hac

**Radulphus.*

hac tumultuosa seditione necatis, multi sub principis Romanorum alas tuitionis causa confugerent. Vnde factum est, vt non pauci ex ipsis huiusmodi immanitatem fugientes, in oppido principis, quod Noricum, seu Norenberg appellatur, aliisq; municipiis eius ad conseruandam vitam se reciperent. *Iudæi iniusto zelo necati.* 1146.

CAPVT XXXVIII.

Dehortatio Clarauallensis abbatis ab hac re.

AT præfatus Clarauallensis abbas huiusmodi doctrinam præcauendam docens, ad Galliæ, Germaniæque populos nuncios, seu literas destinauit: in quibus ex auctoritate sacræ paginæ luculenter ostendit Iudæos ob scelerum suorum excessus, non occidendos, sed dispergendos fore. Vnde & Psalmographi testimonium induxit, in 57 Psalmo dicentis: *Deus ostendit mihi super inimicos meos, ne occidas eos.* Et item: *Disperge illos in virtute tua.*

CAPVT XXXIX.

Quomodo idem abbas regi Conrodo, & multis principibus crucem accipere persuasit, & de obitu senioris Friderici ducis.

IGITVR innumerabilibus in Occidentali Gallia ad transmarinam expeditionem excitatis, Bernardus prædicationis nomine mouendum Orientale Francorum regnum aggredi disponit: tam ob hoc, vt animum principis Romanorum, sacrę exhortationis verbo, ad accipiendam crucem emolliret: quàm vt Rudolfo, occasione Iudęorum crebras in ciuitatibus seditiones populo contra dominos suos mouenti, silẽtium imponeret. Audiẽs hoc Princeps, generalem curiam in Natiuitate domini apud Spiram ciuitatem celebrandam indixit. Quò veniens prędictus abbas, Principi cum Friderico fratris sui filio, aliisq; principibus, & viris illustribus crucem accipere persuasit, plurima in publico, vel occulto faciendo miracula. Moguntiam quoq; veniens, Rudolfum in maximo fauore populi morantem, inuenit. Quo accersito, prædictoq;, ne contra monachorum regulam, per orbem vagando, propria auctoritate verbum prædicationis assumeret, tandem ad hoc eum, vt sibi promissa obedientia, in cœnobium suum trãsiret, induxit: populo grauiter indignante, & nisi ipsius sanctitatis consideratione reuocaretur, etiam seditionem mouere volente. *Conradus belli sacri tesseram accipit.*

Inter hæc Fridericus dux nobilissimus, in Gallia manens, graui infirmitate detinebatur, acrem in mente contra dominum, & fratrem suum Conradum regem, indignationem gerens, quòd filium suum Fridericum, quem ipse tanquam primogenitum, ac nobilissimæ prioris comparis suæ filium vnicum committendo ipsius gratiæ, cum filio suo paruulo * ex secunda vxore, totius terræ suæ hæredem fecerat, crucem permiserat accipere. Quem prædictus abbas visitandi grãtia adiit, & benedicens ei, in orationes recepit. Ipse tamen vim doloris non sustinẽs, non multis pòst diebus viuendi finem fecit, ac in monasterio quod sanctæ Walpurgis vocatur, in terminis Alsatiæ sito, humatus est: successitq; ei in ducatu filius suus Fridericus. *Friderici Sueuiæ ducis obitus.* *fortè secundum vxorẽ.

CAPVT XL.

Quòd multi de principibus, & innumerabilis multitudo apud Ratisbonam cruces acceperunt, & quòd Saxones contra alios paganos expeditionem professi sunt.

POST hæc Princeps Baioariam ingreditur, ibiq; mense Februario generalem curiam celebrauit, ducens secum vice Clarauallensis abbatis, Eberacensem abbatem Adam, virum religiosum, & honestè eruditum. Qui Missarum solennia ex more celebrans, inuocataq; sancti spiritus gratia, ambonem ascendit: ac lectis Apostolicæ sedis & Clarauallensis abbatis literis, breui exhortatione facta, penè omnibus qui aderant, præfatam militiam profiteri persuasit. Neq; enim persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, vel artificiosæ iuxta præcepta Rhetorum orationis circuitus insinuatione egebat: cunctis qui aderant, ex priori rumore excitatis, ad accipiendam crucem vltrò ac-

1146. currentibus. Accepere eadem hora crucem tres episcopi, videlicet Henricus Ratisponensis, Otto Frisingensis, Reginbertus Patauiensis, & dux Noricorum Henricus, frater regis, de ordine eq; Comitum, nobilium, virorum illustrium innumerabiles. Tanta etiam (mirum dictu) prædonum & latronum aduolabat multitudo, vt nullus sani capitis hãc tam subitam, quàm insolitam mutationem, ex dextra excelsi prouenire non cognosceret, cognoscendo, attonita mente non obstupesceret. Guelfo quoq;, Henrici prioris Ducis frater, de nobilissimis regni optimatibus, in ipsa natiuitatis dominicæ nocte, in propria villa Bitengou, eandem militiam cum multis professus fuerat. Sed & dux Boemorum Labeslaus, & Styrensis marchio Odoacer, & Carinthiæ illustris comes Bernardus, non multò pòst, cum magno suorum comitatu, cruces accepere. Saxones verò, quia quasdam gentes spurcitiis idolorum deditas vicinas habent, ad Orientem proficisci abnuentes, cruces itidem easdem gentes bello attentaturi assumpserunt: à nostris in hoc distantes, quòd non simpliciter vestibus assutæ, sed à rota subterpositæ, in altum protendebantnr.

CAPVT XLI.

Epistola Clarauallensis abbatis, super hac re.

Exhortatio ad capessendam militiam sacram. EXEMPLAR autem epistolæ Clarauallensis abbatis, in Orientale Francorum regnum destinatæ, tale est:

Dominis & patribus charissimis, archiepiscopis, episcopis, & vniuerso clero, & populo Orientalis Franciæ, & Baioariæ, Bernardus Clarauallensis vocatus abbas, spiritu fortitudinis abundare.

Sermo mihi ad vos de negocio Christi, in quo est vtique salus vestra: nec dico vt excuset indignitatem personæ loquentis auctoritas domini, excuset & consideratio propriæ vtilitatis. Modicus quidem sum, sed nõ modicè cupio vos in viscеribus Christi Iesu. Ea mihi nunc ratio scribendi ad vos, ea causa, vt vniuersitatem vestram literis audeam conuenire. Agerem id libentiùs viua voce, si vt voluntas non deest, suppeteret & facultas. Ecce nunc fratres, tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis, copiosæ salutis. Commota est siquidem & contremuit terra, quia cœpit Deus cœli perdere terram suam. Suam, in qua visus est, & annis plus quàm triginta homo cum hominibus conuersatus est. Suam vtiq;, quam illustrauit miraculis, quam dedicauit sanguine proprio, in qua primi resurrectionis flores apparuerunt. Et nunc peccatis nostris exigentibus, crucis aduersarij caput extulere sacrilegum, depopulantes in ore gladij terram benedictam, terram promissionis. Propè est, si non fuerit qui resistat, vt in ipsam Dei viuentis irruant ciuitatem, vt officinas nostræ redemptionis euertant, vt polluant loca sancta agni immaculati purpurata cruore. Ad ipsum (proh dolor) religionis Christianæ sacrarium inhiant ore sacrilego, lectumq; ipsum inuadere & cõculcare conantur, in quo propter nos vita nostra obdormiuit in morte. Quid facitis viri fortes? quid facitis serui crucis? Itane dabitis sanctum canibus, & margaritas porcis? Quam multi illic peccatores, confitentes peccata cum lachrymis, veniam obtinuere, postquam patrum gladiis eliminata est spurcitia paganorum? Videt hoc malignus, & inuidet: dentibus frendet, & tabescit. Excitat vasa iniquitatis suæ, ne vlla quidem iam pietatis signa aut vestigia relicturus, si quando fortè (quod Deus auertat) obtinere valuerit. Verum id quidem omnibus seculis deinceps incõsolabilis dolor, quia irrecuperabile damnum: specialiter autẽ generationi huic pessimæ infinita confusio, & opprobrium sempiternum. Quid tamen arbitramur fratres? Nunquid abbreuiata est manus Domini, aut impotens facta est ad saluandum, quòd ad tuendam & restituendam sibi hereditatem suam exiguos vermiculos vocat? Nunquid non potest mittere angelorum plus quàm XII legiones, aut certè tantùm dicere verbo, & liberabitur terra? Omnino subest ei cum voluerit, posse. Sed dico vobis, tentat vos dominus Deus vester. Respicit super filios hominum, vt si fortè sit qui intelligat, & requirat, & doleat vicem eius. Miseratur enim populum suum Deus, & lapsis grauiter prouidet remedium salutis. Considerate quanto ad soluendos vos artificio vtitur, & obstupescite. Intuemini pietatis abyssum, & confidite peccatores. Non vult mortem vestrã, sed vt conuertamini, & viua-

& viuatis: quia sic quærit occasionem non aduersum vos, sed pro vobis, &c. In quibus & circa eandem, oratorum more vel ordine, versatur materiam. Et quòd Iudæi non sint occidendi, ratione probat & auctoritate. Vnde est illud, Beatam dixerim generationem, quam apprehendet tam vberis indulgentiæ tẽpus, quam inuenit superstitem annus iste placabilis domino, & verè Iubileus. Diffunditur enim hęc benedictio in vniuersum mundum, & ad signum vitæ conuolant vniuersi. Quia ergo fœcunda est terra vestra virorum fortium, & robusta noscitur iuuẽtute referta: sicut laus est vestra in vniuerso mundo, & virtutis vestræ fama repleuit orbem, accingimini & vos viriliter, & felicia arma corripite. Et de Iudæis sic: *Deus*, inquit ecclesia, *ostendit mihi super inimicos meos, ne occidas eos*: viui quidam apices nobis sunt, repræsentantes iugiter dominicam passionem: & plura alia in hunc modum. 1147.

CAPVT XLII.

Quòd huius rei occasione, subitò pax incredibilis facta est.

IGITVR non solùm ex Romano imperio, sed etiã ex vicinis regnis, id est, Occidentali Francia, Anglia, Pannonia, innumeris populis ac nationibus, hac expeditionis fama ad sumendam crucem commotis, repentè sic totus penè Occidens siluit, vt non solùm bella mouere, sed & arma quempiam in publico portare nefas haberetur.

CAPVT XLIII.

Quomodo Conradus rex filium suum Henricum socium regni legit, & coronari fecit, & de filio ducis Henrici.

AT Conradus Romanorum rex principes conuocans, in oppido Orientalis Franciæ Franconefurt (quod Latinè vadum Francorum dici potest, eò quòd Carolus ad debellandos Saxones, cum Francis proficiscens, vadum illò Mogi fluminis, qui Moguntiæ Rheno illabitur, inuenisse dicitur) generalem curiam celebrat: ibique filio suo Henrico adhuc puero, per electionem principum rege constituto, in palatio Aquis eum Dominica medianæ Quadragesimæ, regem inungi ac coronari iubens, regni participem legit. Ad prædictam curiam Henricus, Henrici (de quo suprà dictum est) Noricorum ducis filius, qui iam adoleuerat, venit, Ducatum Noricum, quem patri suo non iustè abiudicatum asserebat, iure hæreditario reposcens. Quem Princeps multa prudentia & ingenio inductum, vsq; ad reditum suum suspendens, quietè expectare persuasit.

Francofurtum.

Henricum Conradi F. rex Romanorum creatur Anno 1147.

CAPVT XLIIII.

Quòd rex Conradus in transmarinam expeditionem procinctum mouit, subsequente eum rege Francorum cum suis.

ITAQVE hyemalis algoris austeritate detersa, cum Veris benigna humiditate ex telluris partu flores & herbæ procrearẽtur, camporumq; viriditas lætam terræ faciem monstrans, orbi arrideret: Conradus rex à Norico castro cum suis procinctũ mouẽs, per Danubium iturus, Ratisponæ naues ingreditur, ac in Ascensione domini, in Orientali Marchia, iuxta Burgum, qui Ardacher vocatur, castra ponens, suos qui iam aduentabant, duobus seu tribus diebus expectauit. Inde vsque ad terminos fermè regni sui procedens, non longè à fluuio Viscahe mansionem locauit: celebrataq; ibi sancta Pentecoste, cum vniuersis penè copiis suis Litahe transiens, in Pannonia tentoria fixit, aliis per Danubium nauigãtibus, aliis per terram euntibus. Tantam autem post se multitudinem traxit, vt & flumina ad nauigandum, camporumq; latitudo ad ambulandum vix sufficere videretur: quem Francorũ rex Ludouicus, non multò post cum suis subsecutus est, ducens secum ex nostris Lotharingos, quorũ principes seu primores erant, Stephanus Metensis, Henr. Tullensis episcopi, Reginaldus Munzunensis, Hugo Waidemontensis comes, & de Italia Amedeum Taurinensem, fratremq; eius Guilhelmum Marchionem de Monte-Ferrato auunculos suos, & alios quamplures.

Christianorum in Syriam expeditio.

Verùm quia peccatis noſtris exigentibus, quem finem prædicta expeditio ſortita fuerit, omnibus notum eſt: nos qui non hac vice tragœdiam, ſed iocundam ſcribere propoſuimus hiſtoriam, aliis, vel aliàs hoc dicendum relinquimus. Qualiter etiam Saxones, vicinas, vt dixi, gentes aggreſſi, principibus inter ſe diſcordantibus, ad propria remeauerint, à memoria eorum qui adhuc ſuperſunt, nõdum excidit. Attamen ne Friderici principis, qui in præſentiarum eſt, fortuna, quæ ei ab adoleſcentia etiam in periculis grauibus, vſque ad præſentem diem nunquam ad plenum nubiloſum vultum
1147. oſtendit, ſilentio tegatur, vnum de omnibus & pro omnibus, quæ nobis in eadem via acciderunt, caſum ponere volui.

CAPVT XLV.

Breuis narratio de euentu huius expeditionis.

PERMEATA magno labore, viarumque difficultatis diſpendio, poſt Pannoniam Bulgaria, emenſaq; tranſmiſſo Hebro ſuperiore Thracia, cùm iam per aliquot dies in locis fertiliſſimis per inferiorem Thraciam, cum multa mentis lætitia ambulantes, vrbi Regiæ accederemus, v i i Idus Septembr. id eſt, proxima ante natiuitatem beatę Mariæ feria, vallem quandam iuxta oppidulum Chereuach dictum, campi viriditate lætam, amniculi cuiuſdam medio decurſu conſpicuam attingimus. Cuius loci amœnitate capti omnes, illic tentoria figere, iocundumq; Dei genitricis ſemperq; virginis ortum cum magna iocunditate celebraturi, ea die ibidem pauſare diſponimus, ſolo cum ſuis duce Friderico, auũculoq; eius Welfone (nam Lotharingiorum legio nondum ſe nobis iunxerat) in latere cuiuſdam montis è regione iuxta nos caſtrametante.

Propõticum mare. Erat in vicino mare Proponticum, quod modò brachium ſancti Georgij ab indigenis dicitur, duoq; ſuper litus eius, vnde mercatum expectabamus, oppida parua, & natura ſalubria. Hoc mare olim Helleſpontiacum, à nota Phrixis & Helles fabula, vel Proponticum, velut antè Ponticum dicebatur, eò quòd à Pontico mari duorum maximorum fluminum Tanais & Danubij impetu propulſum, quaſi tenuiter fluens, vt volunt, in Adriatico ſeu Tyrrheno mari, iuxta Troiam antiquam recipiatur. Fateor, toto expeditionis tempore nunquam lætiora habuimus tabernacula, nũquam, quantum ad ſenſus iudicium, maiorem ambitum occupauerant tentoria. Et ecce circa vi-

Germanorũ caſtra grauis tempeſtate iactata. giliam matutinam nubecula quædam parua exorta, imbrem mitem produxit, quem ſubitò tantus pluuiarum, ventorumq; impetuoſus turbo ſubſecutus eſt, vt concuſſis & ſolutis, ſeu ad terram deiectis tabernaculis, grauiſſimè qui poſt matutinorum laudes lectis nos receperamus, excitaret: clamor totum vicinum replens aërem, attollitur. Amniculus enim an ex refluxione proximi maris, imbriũm ve multitudine, an ex cataractis ruptis in cœlo, ex ſupernæ maieſtatis vltione, tantùm intumuerat, ex tumoreque præter morem inundauerat, vt totum cooperiret exercitum. Quid ageremus? Diuinam id animaduerſionem potius quàm naturalem inundationem eſſe conſiderantes, amplius attoniti fuimus. Ad equorum tamen robur conuolamus, vnuſquiſq; prout poterat, amnem tranſire geſtiens. Videres alios natantes, alios equis adhærentes, alios vt periculum effugerent, per funes miſerabiliter trahi: alios in flumen inordinatè ruentes, ex eo quòd aliis impræmeditatè implicarentur, demergi, populoſque quòd poſſent prætergredi æſtimantes, fluminis ictu abripi: cautibus opprimi, viq; gurgitum abſorptos, animam reddere in flumine. Nonnullos natandi indoctos, vbi natantes apprehendiſſent vt euaderent, tenere: ſicq; aſtrictos defatigare, donec reſupini ceſſantibus brachiorum remigiis, vtrique ſubmerſi ſuffocarentur. Aliqui ergo de nobis in tentoria Friderici ducis, quæ ſola ab hac pernicioſa clade penitùs illæſa manebant, nos tranſtulimus, ibiq; ſacra Miſſarum ſolennia audientes, non cum gaudio, ſed cum multa amaritudine cordis, noſtrorum luctum & gemitum audientes, *Gaudeamus*, cecinimus. Deniq; alij amnem cum magno timore ac labore tranſmeabant, alij adunatis rhedis, aliiſq; quæ habere poterant inſtrumentis adhibitis, contra impetum aquæ quaſi deſperati repagulum ponebant, tranſitum inundationis præſtolãtes. Quantum verò damnum tam in perſonis quàm in rebus & vtenſilibus ad tã longam viam neceſſariis, exercitus noſter ibi acceperit, dicere non oportet. Cerneres ſequẽti die,

die, cùm mitigatis aquis, terrarum facies appareret, omnibus nobis hac & illac dispersis, tam tristissimum tabernaculorum nostrorum aspectum, quàm perendie poteras videre lætissimum: vt non immeritò quanta diuinæ celsitudinis esset potẽtia, quamq; humanæ iocunditatis nihil firmi habens, velox momentum, luce clarius appareret. Sed de his hactenus.

CAPVT XLVI.

De Giliberto Pictauiensi episcopo, quomodo à suis clericis super doctrina sua pulsatus est.

FVIT illis in diebus in Aquitania Galliæ, ciuitate Pictauis, episcopus Gilibertus nomine: hic ex eadem ciuitate oriundus, ab adolescẽtia vsq; ad vltimam senectutem, in diuersis Galliæ locis philosophiæ studium colens, re & nomine magistri officium administrârat, nouiterq; ante hos dies ad culmen pontificale in præfata ciuitate sublimatus fuerat: consuetus ex ingenij subtilis magnitudine, ac rationum acumine, multa præter communem hominum morem dicere. Is igitur cum quadam vice, conuẽtum de sua diœcesi clericorum magnum celebrans, sermoni, quem fortè gratia exhortãdi habebat, quędam de fide S. Trinitatis interseret: à duobus archidiaconis suis Arnaldo & Calone, tanquam contra catholicæ normam ecclesiæ doctrinam, instituens, ad summi pontificis, Romanæq; sedis examen, interposita appellatione, vocatur. Sic vtriq; viam carpunt, Romanoq; pontifici Eugenio ab Vrbe in Gallias tendenti, Senis ciuitate Tusciæ occurrunt. Quibus Romanus antistes auditis, causaque viæ cognita, breuiter respõdit: Se Gallias intrroire, ibiq; de hoc verbo, eò quòd propter literatorum virorum copiam ibidem manentium, opportuniorem examinandi facultatem haberet, pleniùs velle cognoscere. Archidiaconi in Gallias redeunt, ac consulto Bernardo suprà memorato abbate, eum in cõmodum causæ suę aduersus episcopum inclinant.

Gilbertus Porretanus.

CAPVT XLVII.

Quomodo abbas Clarauallensis contra eum inductus est, & de Petro Abailardo.

ERAT autem prædictus abbas, tam ex Christianæ religionis feruore zelotypus, quam ex habitudinali mansuetudine quodammodo credulus, vt & magistros qui humanis rationibus, seculari sapientia confisi, nimium inhærebant, abhorreret: & si quicquam ei Christianæ fidei absonum de talibus diceretur, facilè aurem præberet. Ex quo factum est, vt non multò ante hos dies ipso auctore, primò ab episcopis Galliæ, pòst à Romano pontifice Petro Abailardo, silentium impositum fuerit. Petrus iste ex ea Galliæ prouincia, quæ nunc ab incolis Britannia dicitur, originem trahens. (Est enim prædicta terra clericorum, acuta ingenia & artibus applicata habentium, sed ad alia negocia penè stolidorum ferax, quales fuerunt duo fratres Bernardus & Theodoricus viri doctissimi) is, inquam, literarum studiis, aliisque facetiis ab ineunte ætate deditus fuit: sed tam arrogans, suoq; tantùm ingenio confidẽs, vt vix ad audiendos magistros ab altitudine mentis suæ humiliatus descenderet. Habuit tamen primò præceptorem Rozelinum quẽdam, qui primus nostris temporibus in Logica sententiam vocum instituit, & pòst ad grauissimos viros Anselmum Laudunẽsem, Guilhelmum Campellensem Cataulani episcopum migrans, ipsorumq; dictorum pondus, tanquam subtilitatis acumine vacuum iudicans, nõ diu sustinuit. Inde magistrum induens, Patrhisius venit, plurimùm in inuentionum subtilitate non solùm ad philosophiam necessariarum, sed & pro commouendis ad iocos animis hominum vtilium valens. Vbi occasione quadam satis nota, nõ bene tractatus, monachus in monasterio S. Dionysij effectus est. Ibi die noctuq; lectioni ac meditationi incubans, de acuto acutior, de literato efficitur literatior, intantum, vt post aliquod tempus ab obediẽtia Abbatis sui solutus, ad publicum prodiret, docendiq; rursus officium assumeret. Sententiam ergo vocum seu nominum in naturali tenens facultate, non cautè Theologiæ admiscuit. Quare de S. Trinitate docens & scribẽs, tres personas, quas sancta ecclesia non vacua nomina tantùm, sed res distinctas, suisq; proprietatibus discretis, hactenus & piè credidit, & fideliter docuit, nimis attenuans, non bonis vsus exẽplis, inter cętera

Petrus Abailardus Britannus.

Abelardi de Trinitate error damnatus.

dixit: *Sicut eadem oratio est propositio, assumptio, & conclusio, ita eadem essentia est pater, & filius, & spiritus sanctus.* Ob hoc Suessionis prouinciali contra eum synodo sub præsentia Romanæ sedis legati cõgregata, ab egregiis viris, & nominatis magistris, Alberico Remense, & Leutaldo Nouariense, Sabellianus hæreticus iudicatus, libros quos ediderat, propria manu ab episcopis igni dare coactus est, nulla sibi respondendi facultate, eò quòd disceptandi in eo peritia ab omnibus suspecta haberetur, cõcessa. Hæc sub Ludouico seniore Francorum rege facta sunt.

CAPVT XLVIII.

Epistolæ pro eius condemnatione ad summum pontificem, & eiusdem pontificis responsiua.

POST hæc dum rursus pluribus diebus legeret, maximamq; post se sociorum multitudinem traheret, sedente in vrbe Roma Innocentio, in Francia verò Ludouico, superioris Ludouici filio regnante, ab episcopis, abbateq; Bernardo denuò ad audientiam apud Senonas euocatur, præsentibus Ludouico rege, Theobaldoq; Palatino comite, & aliis nobilibus, de populoq; innumeris. Vbi dũ de fide sua discuteretur, seditionem populi timens, apostolicæ sedis præsentiã appellauit. Episcopi verò, simul & abbas, missa ad Romanam ecclesiam legatione, ac eis pro quibus impetebatur capitulis, damnationis eius sententiam in literis reportauerunt, quarum exemplar hoc est:

Reuerendissimo domino, & dilectissimo patri, Dei gratia summo pontifici Innocentio, S. Remensis archiepiscopus, Iozelinus Suessionis, Guilhel. Catalaunensis A. Abanensis episcopi, debitæ subiectionis voluntarium obsequium.

Auribus occupatis ad plurima, verbum facimus breue de prolixo negocio, pro eo maximè, quòd idipsum plenius & diffusius continetur in literis domini Senonensis. Petrus Abailardus Christianæ fidei meritum euacuare nititur, dũ totum quod Deus est, humana ratione arbitratur comprehendere: ascendit vsq; ad cœlos, & descendit vsq; ad abyssos. Nihil est quod lateat eum, siue in profundum inferni, siue in excelsum suprà. Homo est magnus in oculis suis, disputans de fide contra fidem, ambulans in magnis & mirabilibus super se. Scrutator maiestatis, hæresum fabricator, iamdudum fecerat librum de S. trinitate, sed sub legato Romanæ ecclesiæ, igne examinatus est: quia inuenta est in eo iniquitas. Maledictus qui reædificat ruinas Hiericho. Surrexit à mortuis liber ille, & cum eo multorum hæreses qui dormierant, surrexerunt, & apparuerunt multis. Deniq; iam extendit palmites suos vsq; ad mare, & vsq; ad Romam propagines eius. Hęc gloriatio hominis illius, quòd liber suus in curia Romana habet, vbi caput suum reclinet: hinc cõfortatus & confirmatus est error illius. Proinde cum fiducia prędicat verbum iniquitatis vsquequaq;. Propterea cùm in conspectu episcoporum super his eum argueret abbas Clarauallensis, zelo iusticiæ & fidei armatus, ille nec confessus est, nec negauit, sed à die, à loco & iudice, quem ipse sibi elegerat, sine læsione, sine grauamine, vt prolongaret iniquitatem, sedem apostolicam appellauit. Episcopi qui propter hoc vnum conuenerant, vestræ reuerentiæ deferentes, nihil in personam eius egerunt, sed tantummodo capitula à sanctis olim patribus condemnata, medicinali necessitate, ne morbus serperet, adiudicauerunt. Quia ergo homo ille multitudinem trahit post se, & populũ qui sibi credat, habet: necesse est vt huic morbo celeri medicina occurratis.

Serò enim medicina paratur,
Cùm mala per longas conualuere moras.

Processimus nos in hoc negocio quousq; ausi sumus. Tuum, beatissime pater, est de cætero prouidere, ne aliqua hæreticæ prauitatis macula decor ecclesiæ contaminetur. Tibi commissa est sponsa Christi, ô amice sponsi. Tuum est eandem vni viro virginem castam exhibere Christo.

Rescriptum verò Innocentij tale:

Innocen-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 136;Leibn. Marg. 136, Stück 1, [452] - 434

Innocentius episcopus, seruus seruorum Dei, venerabilibus fratribus Henrico Senonensi, Reinaldo Remensi archiepiscopis, eorumq; suffraganeis, & charissimo in Christo filio Bern. Clarauallensi abbati Salutem & Apostolicam benedictionem.

Testante Apostolo, sicut vnus Deus, vna fides esse dinoscitur: in qua tanquam immobili fundamento, præterquam nemo aliud potest ponere, firmitas catholicæ ecclesiæ inuiolata cõsistit: Inde est, quòd beatus Petrus apostolorum princeps, pro eximia huius fidei confessione audire meruit: *Tues*, inquam, *beatus Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam.* Petram vtiq; firmitatem fidei, & catholicę vnitatis soliditatem manifestè designans. Hæc siquidem est inconsutilis tunica redemptoris nostri, super quam milites sortiti sunt, sed eam diuidere minimè potuerunt. Cõtra quam in initio fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania. Astiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in vnum. Verùm apostoli duces dominici gregis, & eorum successores apostolici viri, ardore charitatis, & zelo rectitudinis succensi, fidem defendere, & eam in cordibus populorum proprij sanguinis effusione plantare non dubitauerunt. Demum cessante persecutorum rabie, imperauit ventis, & facta est in ecclesia tranquillitas magna. Sed quia hostis humani generis semper circuit, quærens quem deuoret, ad expugnandam sinceritatem fidei, fraudulentam hæreticorum fallaciam subinduxit. Contra quas veri ecclesiarum rectores viriliter insurgentes, eorum praua dogmata cum ipsorum auctoribus condemnarũt. In magna namq; Nicæna synodo, Arrius hæreticus est damnatus. Constantinopolitana synodus Manichęũ hæreticum debita sententia condemnauit. In Ephesina synodo Nestorius condignam sui erroris condemnationem recepit. Chalcedonensis quoq; synodus Nestorianam hæresin & Euthicianam cum Dioscoro, & eius complicibus, iustissima sententia confutauit. Martianus præterea licet laicus, Christianissimus tamen Imperator, catholicæ fidei amore succensus, prædecessori nostro sanctissimo Papæ Ioanni scribens, aduersus eos qui sacra mysteria profanare contendunt, inter cætera sic loquitur, dicens: *Nemo clericus vel militaris, vel alterius cuiuslibet conditionis, de fide Christiana publicè conetur in posterum tractare. Nam iniuriam facit iudicio reuerendissimæ synodi, si quis semel iudicata, & rectè dispositа renoluere, & iterũ disputare contendit: & in contemptores huius legis tanquam in sacrilegos pœna non deerit. Igitur si quis clericus erit, qui publicè tractare de religione ausus fuerit, à consortio clericorum remouebitur.* Dolemus autem, quoniam sicut literarum vestrarum inspectione, & missis à fraternitate vestra nobis errorum capitulis cognouimus, in nouissimis diebus quando instant periculosa tempora, M.P. Abailardi pernicioſa doctrina, & prædictorum hæreses, & alia peruersa dogmata catholicæ fidei obuiantia, pullulare cœperunt. Verùm in hoc maximè consolamur, & omnipotẽti Deo gratias agimus, quòd in partibus vestris pro patribus tales filios suscitauit, & in tempore apostolatus nostri in ecclesia sua tam præclaros voluit esse pastores, qui noui hæretici studeant calumniis obuiare, & immaculatam sponsam vni viro virginem castam exhibere Christo. Nos itaq; qui in cathedra sancti Petri, cui à domino dictum est, *Et tu aliquando conuersus confirma fratres tuos*, licet indigni, residere cõspicimur, communicato fratrum nostrorum episcoporum cardinalium cõsilio, destinata nobis à vestra discretione capitula, & vniuersa ipsius Petri dogmata, sanctorum canonum auctoritate, cum suo auctore damnauimus, eiq́ue tanquam hæretico perpetuum silentium imposuimus. Vniuersos quoq; errores sui sectatores & defensores, à fidelium consortio sequestrandos, & excommunicationis vinculo innodandos esse cẽsemus. Datum Laterani XII Kalend. Augusti.

Hæreses in Conciliis damnatæ.

Matth. 16.

Luc. 22.

CAPVT XLIX.

De apologetico eiusdem Petri, & super quibus capitulis putabatur, & obitu eius.

PETRVS damnationem sui dogmatis à Romana ecclesia confirmatam cognoscẽs, ad Cluniacense cœnobium se contulit, Apologeticum scribens, prædictorum capitulorum partim verba, ex toto autem sensum negans, qui sic incipit: Ne iuxta Boetianum illud, procemiis nihil afferentibus, tempus teratur, ad rem ipsam veniendũ est,

vt innocentiam meam ipsa rerum veritas potius quàm verborum excuset prolixitas. Hæc autem pauca de multis contra eum posita sufficiant capitula.

Quòd pater sit plena potentia, filius quædam potentia, spiritussanctus nulla potentia.

Quòd spiritussanctus non sit de substantia patris.

Quòd spiritussanctus sit anima mundi.

Quòd Christus non assumpsit carnem, vt nos à iugo diaboli liberaret.

Quòd non peccauerunt qui Christum ignoranter crucifixerunt. Ipse verò non multis pòst diebus, coram fratribus suis fidem suam humiliter exponens, in eodem vitam finiuit cœnobio.

CAPVT L.

De studio Giliberti, & de quibus impeteretur capitulis.

IGITVR vt ad id à quo digressa fuit, & redeat oratio, prætaxati archidiaconi adscito sibi tãtæ auctoritatis & æstimationis viro, abbate Bernardo, episcopum Gilibertum eadem qua prædictum Petrum via damnare attentabant. Sed nec eadem causa, nec similis erat materia. Iste enim ab adolescentia magnorum virorum disciplinæ se subiiciens, magisq; illorum ponderi, quàm suo credens ingenio, qualis primò fuit Hilarius Pictauiensis, pòst Bernardus Carnotensis, ad vltimum Anshelmus & Radulphus Laudunẽses germani fratres, non leuem ab eis, sed grauem doctrinam hauserat, manu non subitò ferulæ subducta, à scientia haud censura morum, vitæq; grauitate discordante: non iocis vel ludicris, sed seriis rebus mentem applicârat. Hinc erat, vt tam gestu quàm voce pondus seruans, sicut in factis, sic in dictis se ostẽderet difficilem, vt nunquam puerilibus, vix autem eruditis & exercitatis quæ ab eo dicebantur, paterent animis. Is itaq; primò Antisiodorum, pòst Parrhisius vocatus est. Erant inter cætera quæ illi obiiciebantur, de diuina maiestate quatuor capitula:

Dogmata Porretani.

Quòd videlicet assereret diuinam essentiam non esse Deum.

Quòd proprietates personarum non essent ipsæ personæ.

Quòd theologicæ personæ in nulla prædicarentur propositione.

Quòd diuina natura non esset incarnata. Et præter hæc alia minora, id est:

Quòd meritum humanum attenuando, nullũ mereri diceret præter Christum.

Quòd ecclesiæ sacramenta euacuando, diceret nullũ baptizari, nisi saluandum.

& cætera in hunc modum.

CAPVT LI.

Quibus testibus conuinci putabatur posse.

ITAQVE præsidente cum Cardinalibus episcopis, aliisq; viris venerabilibus, & eruditis in iam dicta ciuitate Parrhisius, summo pontifice Eugenio, prædictus episcopus Gilibertus consistorio præsentatur, de his capitulis responsurus. Producũtur contra eum duo magistri, Adam de paruo ponte, vir subtilis & Parrhisiensis ecclesiæ canonicus recenter factus: Hugo de campo florido, cancellarius regis, asserentibus eis, & quasi sub sacramento pollicentibus, se aliqua ex his de proprio eius ore audisse, non sine multorum qui aderant admiratione, viros magnos, & in ratione disserendi exercitatos, pro argumento iuramentum afferre.

Test. aduersus Porretanum producti.

CAPVT LII.

Subtilis eiusdem responsio.

IBIDEM dum hinc inde multa sibi obiicerentur, pluriumq; impulsationibus ad responsionem de re tam ineffabili cogeretur, intra cætera dixisse traditur: *Audacter confiteor patrem alio esse patrem, alio Deum, nec tamen esse hoc & hoc.* Cuius dicti obscuritatem tanquam verborum prophanam nouitatem, tam impatienter magister Iohelinus Sueßionensium piscopus excepit, vt iuxta prouerbium, medium vitando incurreret

curreret ripam. Nondum enim auctoritatem illam Augustini legerat, vel fortassis lectam intellexerat, qua de eodem altissimo loqui gestiens secreto, inter cętera dicit: *Sic aliud est Deo esse, aliud subsistere, sicut aliud Deo esse, aliud patrem esse, vel dominum esse. Quod enim est, ad se dicitur: pater autem ad filium, & dominus ad seruientem creaturam.* Ait ergo prædictus episcopus: *Quid est quod dicis, Esse Deum nihil est?* Erat quippe quorundam in Logica sententia, cùm quis diceret, Socratem esse, nihil diceret. Quos præfatus episcopus sectans, talem dicti vsum haud præmeditatè ad Theologiam verterat. Quo verbo omnium penè auditorum ab illo in se retorsit spicula. Post hoc sedato clamore, cùm à circunstantibus rogaretur episcopus Gilibertus, vt quare in Theologia personas intantum distingueret, aperire vellet, breuiter respondit: *Quia omnis persona est per se vna.* Et ita non sine magno multorum qui aderant stupore, conuentus ea die soluitur.

Alia rursus die in causam ductus, pulsatusq; de nouitate dictionis, eò quòd in prosa de S. Trinitate tres personas tria singularia vocauerit: N. Rothomagensis archiepiscopus causam aggrauauit, dicens: Deum potiùs debere dici vnum singulare, quàm tria singularia: non tamen sine multorum scandalo, cum Hilarius in libro de Synodis dicat: *Sicut duos Deos dicere profanum est, ita singularem & solitarium dicere sacrilegium est.* Et idem in eodem: *Nihil solitarium ex diuinis sacramentis ad suspicionem audientium, & ad occasionem blasphemantium proferamus.*

CAPVT LIII.

Excursus Theologicus.

EPISCOPVS verò Pictauiensis in præfatis dictis suis se habuisse simplicem sensum testabatur, affirmans per singularia non theologicas personas, sed ipsarum excellentiam intellexisse, secundum quod antonomasicè Paulum solemus vocare Apostolum, vel gloriosam Dei genitricem, Virginem singularē: eò quòd nec est, nec fuit, nec erit talis virgo, quæ videlicet simul sit mater & virgo. Ea rationis proportione triū personarum excellentiam se considerasse, cùm tria singularia diceret, asserebat: cum nec sit, nec fuerit, nec futurus sit talis pater, qui scilicet sit pater & Deus: atque in eundem modum talis filius, talis Spiritussanctus. Quia verò personam in theologia tanq̄ rem per se vnam, prænominatum virum intellexisse diximus, in ipsius sensum paulisper introire libet, quatenus eiusdem iudicium dictionis facilius posteris pateat. Ad cuius intelligentiam hæc diuisio præmittenda videtur. In naturis proprietas substantialis, alia vniuersalis, alia est singularis, vel indiuidualis, vel particularis. Indiuidualis alia personalis, alia non. Personam aũt à personalitate, quasi denominatiuè sumptam, voco: non quam Græci ab anteponendo προσωπον, Latini à personando dicunt: sed eam quam Boetius in libro de Persona & natura, contra Euticen & Nestorium disputans, à Græcis ὑποστασιν, non etymologiam vocis, sed rei rationem secutus, personam vocauit, secundum hoc & sic eam diffiniens: *Persona est rationalis naturæ indiuidua substantia.* Vniuersalem verò dico, non ex eò quòd vna in pluribus sit, quod est impossibile: sed ex hoc, quòd plura in similitudine viuendo, ab assimilandi vnione vniuersalis, quasi in vnum versalis dicatur. Qualis est à plurium similitudine maior corporeitas, minor animalitas, minima vel vltima humanitas significata: Vnde Boetius: *Species est forma indiuiduorum, & vltima similitudo: post hanc enim non similitudo, sed dissimilitudo potiùs occurrit.* Ex quo patet alterum membrum, quare videlicet singularem, indiuidualem, vel particularem dixerim proprietatem, eam nimirum, quę suum subiectum non assimilat aliis, vt humanitas: sed ab aliis diuidit, discernit, partitur, vt ea quàm ficto nomine solemus dicere Platonitas, à diuidendo indiuidua, à partiendo particularis, à dissimilando singularis dicta. Nec opponas, quòd potius à diuidendo diuiduam, quàm indiuiduam dici oporteat. Nam cum suum subiectum non solùm ab aliis diuidat, vel dissimilet, sed etiam in sua indiuidualitate & dissimilitudine tam firmiter manere faciat, vt nec sit, nec fuerit, nec futurum sit aliud subiectum, quod secundùm eiusmodi proprietatem illi assimilari queat, meliùs indiuiduum priuando, quàm diuiduum ponendo vocatur: eiusq; oppositum quod diuidendo pluribus cõmuni-

cat,& communicando diuidit,rectiùs diuiduum dici debet.Sed notandum,quòd indiuiduum & ſingulare non ſunt ad ſe conuertētia:nam omne indiuiduum ſingulare, ſed non omne ſingulare indiuiduum:hæc enim albedo ſingulare eſt, ſed non indiuiduum.Deniq; in naturis nullum ſimplex indiuiduum eſſe poteſt. Item non omne indiuiduum perſonale,ſed omne perſonale indiuiduum, ſecundùm præmiſſam ſubdiuiſionem,qua dictum eſt,Indiuiduum aliud perſonale,aliud non: quod ex antepoſita perſonę diffinitione facilius patebit.Cùm enim omne eſſe ex forma ſit,quodlibet ſubſiſtens rem & nomen à ſua capit forma:item cum omnis diffinitio alterius ſit,& alteri conueniat,nõ ſine rationis via altero pro altero vti licet. Perſona ergo à ſuo eſſe,quod ficto nomine perſonalitas dici poteſt,vocabulum trahit: ſed in diffinitione indiuidua ſubſtantia tantùm perſona non dicitur,niſi cum adiunctione rationalis naturæ.Cuius rei cauſa videndum eſt apud Græcos, qui dicendi inopes non ſunt, aliud οὐσίαν, aliud ὑσίωσιν, aliud ὑπόστασιν vocari. At nos οὐσίαν eſſentiam, οὐσίωσιν ſubſiſtentiam dicere poſſumus, ὑπόστασιν ex Latini eloquij penuria,vno non valentes verbo exprimere. Nam cum tam apud nos,quàm apud illos ſubſtantia, vel hypoſtaſis à ſubſtando notetur,in hoc eſt differentia, quòd noſtra ſubſtantia ad cuncta quæ ſubſtant,eſt vaga: eorum verò hypoſtaſis ad ea tantùm,quæ in rationali ſubſtant natura,eſt accommoda.Quare Latinus interpres,cùm verbum ex verbo non poſſet exprimere,maluit ſenſum ex ſenſu retinendo,perſonam potius quàm ſubſtantiam transferre. Vnde & perſonæ prædicta adhibetur diffinitio:Perſona eſt rationalis naturæ indiuidua ſubſtãtia. Patet igitur quòd non omne indiuiduum eſt perſona,quia non omnis indiuidua ſubſtantia eſt rationalis natura:ſicut eſſe huius Berilli ſingularis,vel (vt conſortio rationis vtar)ipſe Berillus vel eſt indiuiduum,vel indiuidua ſubſtantia, non tamen rationalis natura:quamuis etiam ſi rationalis naturæ eſſet,tamen nondum plenariè Berillus indiuidua ſubſtantia dici poſſet.Neq; enim indiuiduam ſubſtãtiam dicere ſolemus eam rem ſingularem,quæ cum alia itidem re ſingulari,ad aliquod totum conſtituendum conuenire valens,non eſt per ſe vna. Nam per ſe vnum eſt,quod nec actu,nec natura poteſt,potuit,poterit cum alio ad conſtituendum aliquod totum concurrere.Ex quo fit,vt hæc anima quæ ſubſtantia eſt,& rationalis naturæ, tamen quia hoc modo non eſt per ſe vna,vel indiuidua,eò quòd cum hoc corpore ad conſtituendum hunc hominem conueniat,non videatur dici perſona:cum (ſecundùm quod oſtenſum eſt)ab ea remoueatur diffinitio hæc, Perſona eſt rationalis naturæ indiuidua ſubſtantia. Quare & diffinitum:iuxta Logicorum regulam,A quocunq; diffinitio & diffinitum. Hic leo etiam, quanquam præfato modo res ſit per ſe vna & indiuidua: tamen quia rationalis natura non eſt,ſecundùm ſtrictam perſonæ acceptionem, perſona dici nequit.Reſtat vt hic angelus, & hic homo tantùm plenariè in naturalibus perſonæ vocentur.Prædictus ergo epiſcopus duas in naturalibus regulas ponens, quæ tales ſunt: *Diuerſorum ſubſiſtentium diuerſas eſſe ſubſiſtentias:Diuerſarum perſonarum diuerſas eſſe perſonales proprietates:* vnam à Theologia excluſit,alteram admiſit.Priorem enim,qua totidem dicuntur ſubſiſtentiæ quot ſubſiſtẽtes,cum ab orthodoxis inter Arrium & Sabellium diuidentibus,tres perſonæ & vna credatur eſſentia, penitùs amouit: alteram admittens,cùm nulla perſonalis proprietas in S.trinitate patris ſit quæ filij,vel ecõuerſo.Ex quo perſonam à præmiſſo naturalium vſu,non ab eo quod προσωπον vocatur, ad Theologiam tranſſumptam aſſerebat,illud Hilarij frequenter inducens, *Abſit vt idem nunc ſe patrem,nunc ſe filium laruari ſimilitudine mentiatur*: inde eas perſonas etiam per ſe vnas dicebat. Quòd autem alio patrem dixit,aliò Deum eſſe, nec tamen hoc & hoc,hũc ſenſum habuit:Deus in Subſtantia prædicatur,pater Ad aliquid:quę diuerſa prædicamenta eſſe etiam in Theologia,ex libro Boetij,quẽ de S.trinitate ſcripſit,probatur:nec propter hoc rectè concludi,Si eſt alio pater,alio Deus: ergo eſt hoc & hoc: cùm hoc non rectè concludatur,niſi prius conceſſo,quòd vtraq; de Deo prædicẽtur in ſubſtantiam: vt cùm dicimus,Deus eſt bonus,ſapiens,omnipotens.Hęc enim cum prædicentur in ſubſtãtiam,ſi diuerſa eſſent,proculdubio Deus eſſet hoc & hoc:Cùm verò idem ſit,Deum eſſe ſapientem,quod bonum,vt benè contra vſum naturalium liceat dicere,Eſt ſapientia bonus,bonitate ſapiens:ac ſi ita in naturalibus procederem, Hæc margarita eſt albedine candida, candore alba: non eſt hoc & hoc,ſed eſt hoc.

Quo ratio interpretandi hypoſtaſin perſonam.

Quid

Quid senserit posui, quid sentiendum sit, iudicent alij. Sed hæc hactenus. Nunc ad historiæ seriem redeamus.

CAPVT LIIII.

Qualiter causa episcopi vsque ad generale concilium dilata est, & de hæretico Per eum.

DVM ita per aliquot dies, iam sæpe dictus episcopus coram summo pontifice de fide sua in ciuitate Parrhisiis discutereturr: sentiens Papa, vtpote vir cautus & religiosus, causæ difficultatem, protelandam eam vsq; ad vniuersale concilium adiudicauit. Erat enim in proxima medianæ quadragesimæ dominica, apud illius Galliæ metropolim Remis generale indictum concilium: tam ex eo, quòd prętaxatus Papa persecutionem populi sui declinando, in Galliis morabatur: quàm ob hoc, quòd quidam penè laicus, hæretici honorem in vaccis populorum affectans, examini ecclesię reseruandus in vinculis tenebatur. Iste in angulis Galliæ, id est, circa Britanniam & Guasconiam, eò quòd remotis ibi à corde Franciæ populis, simplicitas, vel potius (vt ita dixerim) stulticitas, cui facilè error obrepere solet, abūdat, verbum prædicationis assumpserat, eumq; tanq̃ Dei filium se nominans, multam post se rudis populi traxit multitudinẽ, dicens: q; ipse esset per quem omnis oratio concluditur, cũ dicimus, *Per eũ*, &c. *Blasphemio obscuris cuiusdam conuersionatorũ.*

CAPVT LV.

De condemnatione eiusdem Eum, & de gestis concilij, ad quod nuncij Henrici iunioris Romanorum regis venerunt.

IGITVR voluente tempore, cum eadem mediana quadragesima aduenisset, dumque à Turcis populi dispersi Hierusalem tendentes per altum nauigaremus æquor, in basilica Dei genitricis, semperq; virginis Mariæ, Remis, præsidente summo pontifice Eugenio, sedit concilium, productus fuit ibi, vt fingere liceat, cum scriptulis suis prædictus Eum, vir rusticanus, & illiteratus, nec hæretici nomine dignus, ac pro contumaci fatuitate, vel fatua contumacia sua puniendus, Sigerio abbati S. Dionysij, qui regni negocia ob absentiam regis in Occidentali Francia, iuxta illius cœnobij prærogatiuam, administrabat, commissus, ab eoq; arctę custodiæ mancipatus, vitam in breui finiuit. Venerunt ad prędictum concilium cum bulla aurea nuncij iunioris Romanorum regis Henrici, tam de sublimatione sua ad imperium Romano pontifici significantes, quàm de tribus fratribus Poloniæ, qui electo quarto & seniore, ducatum intra se diuiserant, ac de episcopis illius prouinciæ, qui super hoc patri ipsorum iuramentum præstiterant, querimoniam facientes. Famæ quoq; malum, omnibus motabilibus velocius, iuxta illud, *Concilium Rhemense.*

Fama malum, quo non aliud velocius vllum:
Mobilitate viget, viresq́, acquirit eundo,

immensitatem soli ex naturæ suæ celeritate transuolans, de expeditionis nostræ euentu certa promens indicia, in auribus oréve omnium ibi versabatur.

CAPVT LVI.

Quomodo episcopus Gilibertus post concilium discussus est, & responsio eiusdem: & qualiter Gallicani episcopi conuenientes, fidem suam in scripto digesserunt.

ITAQVE finita synodo, salutiferisq; ad innouationem seu cõfirmationem antiquorum ibidem promulgatis decretorum capitulis, prudentiores & viciniores, ad causam episcopi Giliberti terminandam reseruantur. Decursa medianæ quadragesimæ hebdomada, sacroq; dominicæ passionis tempore inchoante, episcopus Pictauinus, manente adhuc summo pontifice Remis, rursus ad iudicium trahitur: in cubiculo vbi vrbis episcopus cum senioribus sedit, vocatur: & ab eo quid de fide sanctæ Trinitatis sentiat, subtiliter interrogatur. Ille orthodoxorum patrum, quas non in schedulis, sed in corpore librorum integras attulerat, legi faciens auctoritates, eandẽ se quam illi fidem tenere asserebat. Cumq; huiuscemodi sermone, seu legendi prolixitate dies *Porretanus ad dogmatũ suũ discussionẽ vocatus. Anno 1148.*

detineretur, tãquam tædio affectus Romanus inquit antistes: Multa frater dicis, multa, & ea fortassis quæ à nobis non intelliguntur, legi facis. Sed simpliciter à te cognoscere velim: anne illam summam essentiam, qua tres personas profiteris vnũ Deum, credas esse Deum? Qui diutina collatione fatigatus, minùs præmeditate respondit: Non. Quod dictum mox ab eius ore raptum notarius excepit, scribens in hunc modum: Episcopus Pictauiensis scripsit & dixit, quòd diuina essentia non est Deus. In cõmentario enim super Boetium de Trinitate, vbi auctor theologica à naturalibus prædicamenta discernens, inter cætera posuit, Substantia qua Deus est, iste apposuit, non quæ Deus est: id est, vt non ad subsistentem, sed ad subsistentiam referatur. Sicque in hęc verba conuentus ea die dimittitur. Episcopus totum quod superfuit illius diei spaciũ, cum nocte sequente, amicos suos ex cardinalibus, quos habuit nõ paucos, circuit.

In crastino ipso denuò coram summo pontifice in causa posito, recitatur scriptum: cuius vt ab eo reddatur ratio, exposcitur. Ipse se hoc non simpliciter concessisse asserebat. Dicebat enim hoc nomen *Deus*, quandoq; in designatione naturæ, quandoq; in designatione personæ vnius etiam poni. In designatione naturæ, vt cùm dicitur, *Deus tuus vnus est*: personę, vt cùm dicitur, *Pater est Deus, filius est Deus*: personæ & vnius tantùm de tribus, vt ibi, *Ascendit Deus in iubilatione*: quod de persona filij dictum esse nemo ambigit. Quare & aiebat se, diuinitatem esse Deum, in illo tantùm sensu concedere, quo Deus ponitur pro natura. In eo verò absolutè concedere nõ audere, quo pro qualibet personarum hoc nomen Deus accommodatur: ne videlicet si indeterminatè profiteretur diuinitatem esse Deum, id est, quamlibet personarum: cogeretur sine determinatione concedere quicquid de qualibet personarum, & de essentia: sicq; in hanc incideret absurditatem, vt sicut personam filij, ita diuinam essentiam indeterminatè incarnatam, passam confiteretur. Ex qua absurditate facilè sensus hæreticus, iuxta Sabellium emergeret, vt eadem res diceretur & generans, & genita, & eadem seipsam genuisse. Quòd autem inter naturam & personam non mathematica abstractione, sed theologica consideratione, quoquo modo diuideret ratio, & ratione, & auctoritate probare nitebatur. Ratione, ne videlicet iuxta Arrium, sicut personarum, ita & pluralitatem admitteret essentiarum: vel secundùm Sabellium, ad essentiæ singularitatem, Christianæ fidei religio pluralitatem restringeret personarum, hac Theodereti contra Sabellium vtens auctoritate: *Oportet ergo desiderantem spirituales diuitias, & volentem Christianorum dogmata vendicare, rerum non ignorare proprietatem, ne fortè aliud pro aliis intelligens, circa dogmata peccet. Qui enim naturam & personam idem esse intelligit, aut in diuisionem Arrij incidit, aut in confusionem Sabellii.* Et illa Hilarij, *Discerne igitur ô hæretice, spiritum Christi ab spiritu Dei, & excitati à mortuis spiritum Christi à spiritu Dei, Christum à mortuis excitantis. Et quæro nunc, in spiritu Dei vtrum naturam, aut rem naturæ significatam existimes? Non idem est enim natura, quod naturæ res est. Sicuti non idem est homo, & quod hominis est, nec idem ignis, & quod ipsius ignis est: & secundùm hoc non idem est Deus, & quod Dei est.* Item quòd non natura, sed filij persona carnem suscepisse credenda sit, hac auctoritate Toletani Concilij ostendit: *Solum verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Et cùm tota cooperata sit Trinitas formationem suscepti hominis, quoniam inseparabilia sunt opera Trinitatis: solus tamen accepit hominem in singularitate personæ, non vnitate diuinæ naturæ: id est, id quod est proprium filii, non quod commune Trinitati.* Quam auctoritatem cum determinare vellet Clarauallensis abbas, aliqua verba quæ Cardinalibus displicerent, protulit: episcopo Pictauino dicente, *Et hoc scribatur.* Ad quod ille respondit: Scribatur stylo ferreo, vngue adamantino. Moxque ad publicum progressus, omnes quos poterat conuocauit. Ibi cum archiepiscopis, virisque religiosis & eruditis, contra quatuor prædicta, quæ Pictauino episcopo imponebantur capitula, fidem suam in hunc modum, ipse cum aliis, & alij cum ipso exposuerunt.

Psal. 47.

Confessio episcoporum Galliæ, de mysterio adorandæ Triadis.

Credimus simpliciter naturam diuinitatis esse DEVM, nec aliquo sensu Catholico posse negari, quin diuinitas sit DEVS, & DEVS diuinitas. Si verò dicitur, sapientia sapientem, magnitudine magnum, æternitate æternum, vnitate vnum, diuinitate DEVM esse, & alia huiusmodi: credamus non nisi ea sapientia

quæ

quæ est ipse Deus, sapientem esse: non nisi magnitudine quæ est ipse Deus, magnum esse: non nisi ea æternitate, quæ est ipse Deus, æternum esse: non nisi ea vnitate, qua ipse est, vnum esse, non nisi ea diuinitate Deum, quæ est ipse, id est, seipso sapientem, magnum, æternum, vnum Deum.

Cùm de tribus personis, Patre, Filio, Spiritu sancto loquimur, ipsas vnum Deum, vnam diuinam substantiam fatemur esse: & econuerso, Cùm de vno Deo, vna diuina substantia loquimur, ipsum vnum Deum, vnam diuinam substantiam, esse tres personas profitemur.

Credimus solum Deum patrem, & filium, & spiritum sanctum ęternum esse, nec aliquas omnino res, siue relationes, siue proprietates, siue singularitates, vel vnitates dicantur, & huiusmodi alia à Deo esse, quæ sint ab æterno, & non sint Deus.

Credimus ipsam diuinitatem (siue substantiam diuinam, siue naturam diuinam dicas) incarnatam, sed in filio esse.

CAPVT LVII.

Quòd Cardinales Romanæ ecclesiæ de hoc indignati sunt, & oratio eorum contra Papam Eugenium, & quomodo tandem hæc contentio finem habuerit, & quomodo Gilibertus episcopus euaserit.

QVOD Gallicanæ ecclesiæ factum tam grauiter sacer cardinalium Senatus accepit, vt cum magna mentis indignatione curiam intraret, ac tanquam vnum corpus effecti, vna omnes voce Pontifici suo dicerẽt: Scire debes, quòd à nobis, per quos tanquam per cardines vniuersalis ecclesiæ voluitur axis, ad regimen totius ecclesiæ promotus, à priuato vniuersalis pater effectus, iam deinceps te nõ tuum, sed nostrum potiùs esse oportere: nec priuatas & modernas amicitias antiquis & communibus præponere, sed omnium vtilitati consulere, Romanæq́ue curiæ culmen ex officij tui necessitudine curare & obseruare debere. Sed quid fecit abbas tuus, & cum eo Gallicana ecclesia? qua fronte, quo ausu ceruicem contra Romanæ sedis primatum & apicem erexit? Hæc est enim sola quæ claudit, & nemo aperit: aperit, & nemo claudit. Ipsa sola de fide catholica discutere habens, à nullo, etiam absens, in hoc singulari honore præiudicium pati potest. Sed ecce Galli isti, etiam faciem nostram contemnentes, super capitulis quæ his diebus nobis assidentibus agitata sunt, tanquã finituræ sententiæ vltimam manum apponendo, nobis inconsultis fidem suam scribere præsumpserunt. Certè si in Oriente, vtpote Alexandria vel Antiochia, corã omnibus patriarchis huiusmodi tractaretur negocium, nihil firma stabilitate solidum sine nostra diffiniri valeret auctoritate: quinimò, iuxta antiquorum patrum instituta vel exempla, Romano seruaretur examini terminandum. Quomodo ergo isti in nostra præsentia vsurpare audent, quod etiam remotioribus & maioribus nobis nõ licet? Volumus igitur huic tam temerariæ nouitati celeriter assurgas, ipsorumq́ue contumaciam punire non differas. Quos Romanus pontifex blando mitigans eloquio, abbate ad se vocato, de hoc facto, qualitatéve facti solerter inquirit. Cui ille humiliter, & cum reuerentia respondit: Se, vel dominos episcopos nihil de præfatis capitulis diffinisse: sed quia ab episcopo Pictauino audierat, vt fides sua scriberetur: idcirco quia solus nollet, illorum auctoritate ac testimonio simpliciter se quod sentiret, exposuisse. Hocq́; tam humili, quàm modesto ipsius responso, prædicta Cardinalium indignatio conquieuit, ita tamen, vt præfatum scriptum tanquam inconsulta curia prolatum, velut auctoritatis pondere carens, pro symbolo in ecclesia, quod in conciliis contra hęreses congregatis fieri solet, non haberetur. Benedictus per omnia Deus, qui sic ecclesiæ suæ, sponsæ suę prouidit, ne vel summa membra à capite suo dissiderẽt, vel tantus religiosarum & discretarum personarum numerus Gallicanæ ecclesiæ, aliquod iudicij pondus à sede Romana reportans, schismatis non parui occasio esset.

Romanẽses indignãtur ipsis inconsultis factũ in fidei negocio determinationem.

Hæc pauca ex multis de illius concilij agenda dixisse sufficiat: hoc tamen apposito, quòd de tribus capitulis propter præmissam tumultuationem nihil diffiniri potuit. Nec mirum. In quarto enim non multum ab aliis discordabat episcopus Gilibertus, cum illi profiterẽtur naturam incarnatam, sed in filio: iste personam filij incarnatam,

non ſine ſua natura. De prædicatione perſonarum quid diffinirent, cùm eius vſum quidem, quid ſcilicet propriè prædicari diceret, ab aliis magiſtris etiam in naturalibus alienum non haberent. De proprietatibus, an perſonæ eſſent, tam ob prædictam cauſam, quàm ob theologicas rationes, quæ hinc inde habẽtur, ſuppreſſum eſt. De primo tantùm Romanus pontifex diffiniuit, ne aliqua ratio in theologia inter naturam & perſonam diuideret: néve Deus diuina eſſentia diceretur ex ſenſu ablatiui tantùm, ſed etiam nominatiui. Vnde adhuc à probatioribus eiuſdẽ epiſcopi auditoribus tenetur, ne ratio ibi diſcernat in intelligendo, ſed in dicendo. Epiſcopus verò præmiſſam ſummi pontificis ſententiam reuerenter excipiens, archidiaconis ſuis in gratiam receptis, cùm ordinis integritate, & honoris plenitudine, ad propriam diœceſim remeauit.

Vtrum autem prædictus abbas Clarauallenſis in hoc negocio ex humanæ infirmitatis fragilitate, tanquam homo deceptus fuerit, vel epiſcopus tanquam vir literatiſſimus propoſitum aſtutè celando, eccleſiæ iudicium euaſerit, diſcutere, vel iudicare noſtrum non eſt. Quòd enim ſancti & ſapientes viri, corruptibili carne circundati frequenter in talibus fallantur, & nouis & antiquis probatur teſtimoniis. Nam vt de illo taceam, quod beatus Gregorius ſancto Dauid, in quem ſpiritus domini directus aſſeritur, ad patriam, à qua à filio propulſus fuerat, reuertenti, à ſeruo Miphiboſet cum xeniis occurrenti ſurreptum inducit, exemplo, Chriſtianis temporibus beatus Epiphanius Salaminæ Cypri epiſcopus, tam eximiæ, vt mortuum quoque ſuſcitaret, ſanctitatis, aduerſus Ioannem Chryſoſtomum, cuius hodie in eccleſia viget memoria, tam acriter ab æmulis induci potuit, vt eũ in propria ciuitate declinãs, cõmunicareq; nolens, ẽt populum ſibi commiſſum, quãtum in ipſo fuit, contra illũ concitaret. Quod in priori noſtra ex Tripartita ſumptum hiſtoria pleniùs dictum eſt. Hactenus iſta.

CAPVT LVIII.

De exercitu noſtro, & rege Francorum, vbi in tranſmarinis applicuerit, & quando Hieroſolymam venerit, & de rege Conrado, & de præfato rege Ludouico, qualiter & vbi ſe inuicem viderint.

DVM hæc & huiuſmodi aguntur in Gallia, exercitus noſter (vt ſuprà dictum eſt) nauigandi labore diſperſus, pelagus operiebat, quolibet prout poterat & quando, diuerſa per loca littus attingere conante. Nam Ludouicus Francorum rex iuxta Antiochiam, patrui comparis ſuæ principis terram, circa mediam Quadrageſimam applicuit, in eo loco qui portus S. Simeonis vocatur: aliis ex noſtris apud Ptolemaidam, quæ & Achon, aliis apud Tyrum & Sidonem, in Sarepta oppido Sidoniorum, non ſine naufragij metu, optatum portum capientibus: nonnullis ipſum naufragium paſſis, quibuſdam aquis abſorptis, cæteris ſeminudis euadentibus. Illi ergo qui tam maturè applicuerant, circa Palmas ciuitatem ſanctam intrauere, dominicam paſſionem, ſanctamq; reſurrectionem, ſingula loca vbi hæc facta ſunt, circumeundo, ac (vt dicitur) oculo ad oculum videndo, cum multa cordis deuotione celebrantes.

Conradus Cæſ. Hieroſolymam venit. anno 1148.

At Conradus Romanorum princeps, habens adhuc in comitatu ſuo ex principibus Ortlibum Baſilienſem epiſcopum, Arnaldum cancellarium ſuum, Fridericum ducem Sueuorum, Henricum ducem Baioariorum, Guelfonem ducem, aliosq; Comites, virosq; illuſtres & nobiles, in ipſa paſchali hebdomada Ptolemaidæ applicans, ac poſt paucos dies Hieroſolymam veniens, in magna cleri & populi iocũditate, cum ingenti honore ſuſcipitur. Mortuus tunc fuit in comitatu regis vir clariſſimus Fridericus Ratiſponenſis eccleſiæ aduocatus, ac ad vrbem ſanctam deportatus, & in cœmiterio militum templi non longè ab antiquo templo domini ſepultus. Rex per aliquot ibi dies in palatio Templariorum, vbi olim regia domus, qua & templum Salomonis, conſtructa fuit, manens, & ſancta vbique loca peragrans, per Samariam & Galilæam Ptolemaidam rediit, omnes aduentantes quos poterat milites, pecunia ad remanendum inducens. Conuenerat enim cum rege illius terræ, & patriarcha, militibuſque templi circa proximum Iulium, in Syriam ad expugnationem Damaſci exercitũ ducere. Qua de re multa largè diſperſa pecunia, militem quem tunc poterat collegit. Rex etiam Frãciæ Ludouicus idem pro poſſe ſuo ſectans, de Antiochia reuerſus, apud Tyrum

rum manebat. Ambo itaq; inter Tyrum & Ptolemaidam, in loco qui Palma nomen à re sortitus appellatur, mense Iunio, circa natiuitatem S. Ioannis Baptistæ conueniũt, de die, loco, vbi, & quando exercitus instauraretur, ordinantes. Nondum tamen ex tot & tantis attritionibus fastus inter eos regalis decoctus conquieuerat. Vnde quem & prouentum & euẽtum hæc quoq; Damascena sortita fuerit expeditio, aliàs, & fortassis ab aliis, dicenda erunt. *Conuentus regum in Syria.*

CAPVT LIX.

De reditu regis Conradi, & quòd Fridericum ducem ante se remiserit.

EXPLETA verò hac expeditione, principes ad propria rẽdire disponunt: Romanus quidem per Græciam, alter verò per Calabriam & Apuliam. Itaque Conradus Romanorum princeps, naues apud Ptolemaidam ingressus, ac per æquor nauigans, fratrem & amicum suum Manuel, Regiæ vrbis principem, in Achaiæ seu Thessaliæ finibus inueniens, adiit: cum eoq; tanquam ex longa via fatigatus, laboribusque fractus, & non modica infirmitate correptus, per aliquot temporis spacium quieuit. Ibi de reditu ordinans, Fridericum ducem fratris sui filium, ad cognoscendum, vel potius ad corroborãdum imperij statum præmisit. Qui per Bulgariam, Pannoniamque iter faciens, mense Aprili ad propria rediit, & illic quosdam ex propriis ministerialibus suis pro bono pacis, boni iudicis exercens officium suspendio peremit. Porrò patruus suus rex, transactis aliquot quibus in Græcia quieuerat diebus, habens secum prædictum Basilien sem episcopum, & cancellarium Arnaldum, fratremque suum Noricorum ducem Henricum (nam Guelfo dux per Calabriam & Apuliam reuersus fuerat) per Illyricum, Dalmaticumq; remigans æquor, in propriis imperij sui finibus apud Polam Histriæ ciuitatem applicuit: ibique sonipede insidens, ac per Aquileiam transiens, in Iuuania (quæ nunc Saltzeburga dicta Baioariæ metropolitana sedes esse noscitur) Pentecosten celebrauit, expletis ab eo, quo idem festum in Pannoniæ finibus egerat, duobus annis. Inde Ratisponæ cum magna principum frequentia curiam celebrauit. *Conradi in Germaniã reditus. Anno 1149.*

CAPVT LX.

Excursus ad excusandum euentum illius expeditionis.

PORRO quia nonnulli ex pusillis ecclesiæ frattibus scandalizati mirantur, mirando scandalizantur, de prætaxatæ nostræ expeditionis labore, quòd tam arduo & bono inchoata principio, tam humilem, & non bonum exitum acceperit, ipsis hoc modo respondendum videtur. Nihil verè dici bonum potest, illo solo excepto, qui non aliunde, sed ex se habens quod est, & verissimè esse, & verissimè bonus esse dicitur, iuxta illud, *Nemo bonus nisi solus Deus.* Cætera verò ab eo, non ex ipsius essentiæ sectione, sed ex eiusdem bonitatis denominatione bona dicuntur. Quicquid autem in naturalibus bonum vocatur, aut id fit simpliciter, aut secundùm quid. Sed si simpliciter fit, tunc datum naturæ dicitur, sicut concessum gratiæ donum: iuxta illud, *Omne datum optimum, & omne donum perfectum de sursum est.* Ipsum verò datum naturę, quod simpliciter bonum diximus, velut in ciuili facultate generalissimum, per donum gratiæ, tanquam per differentiam, ad constituendam quodammodo speciem, informatur: secundùm quod aliqua dicimus iusta, sobria. Cùm ergo aliqua simpliciter in natiuis bona dicuntur, proculdubio bonum naturæ intelligitur. Vnde dictum est: *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona*: quomodo lapis & lignum erit bonum. Cùm autem ad eius proximam speciem descendimus, vniuersalitate generis per specificam differentiam, quam donum gratiæ diximus, ad rationalem restricta naturam, illam tantùm solemus dicere iustam vel sobriam: nunquam verò lapidem, sicut bonum, sic vocamus sobrium vel iustum. Deniq; vt verbis Boetij in libro Regularum vtar, qui bonum generale, iustum speciale ponens, adnectit; Nec species descendit in omnia, i. vt de omnibus quæ supponuntur generi, prædicetur. Ita ex opposito dicere *Luc.18.* *Iacob.1.* *Gen.1.*

licet, quòd genus ad ea tantùm ad quæ ſpecies prædicatione ſua non contrahatur. Iuxta Logicorum enim regulam: *Methodus à genere ad deſtruendum, à ſpecie valet ad conſtruendum.* Sicut ergo cùm ſimpliciter aliquid bonum dico, naturæ datum quod velut vniuocè de ſuis ſpeciebus prædicatur, intelligo: ſic cùm ſecundũ quid aliquid bonum aſſero, vtilitatem potius quàm naturæ fontem intueor. Quo vſu eius acceptio ad infinita æquiuocatur. Hinc dicimus equum bonum ex vſu vectigandi, veſtem bonam ex vtilitate induendi, alimentum bonum ex emolumento nutriendi. Item eadem ratione quod alteri ſpeciei bonum, alteri aſſeritur malum. Verbi gratia, Iuſquiamum alit paſſerem, necat hominem. Eadem quoque res alia conſideratione eiuſdem ſpeciei contentis, vel etiam eidem ſingulari erit bona, & erit non bona. Vnde & ſolemus dicere, bonum eſt iſti calorem febrilem ſentienti bibere aquam: bonum eſt illi propter infirmitatem ſtomachi, iuxta Apoſtolum, modico vino vti. Nec ex hoc ſequitur, ſi ſecundum quid bonũ, iſti vel illi ſimpliciter eſſe bonum: ſicut non ſequitur; ſi Æthiops eſt albus dente, ergo eſt albus: vel econuerſo, non eſt niger dente, ergo non eſt niger. Quod etiam ex diuinæ paginæ vſu patet. Velut cùm dicimus: Non erat bonum Iudæis, vel Iudæ Chriſtum tradere, vel crucifigere, etſi nobis eſſet bonum. Sicut verò in humana philoſophia, album habere dentem, non aufert Æthiopi eſſe nigrum: ſic in diuina pagina malum Iudæorum non demit vniuerſitati paſſionem Chriſti non eſſe bonam.

Ex quo fit à ſimili propter eandem cauſam, de prædicta noſtra expeditione, quòd ſi non fuit bona pro dilatatione terminorum, vel commoditate corporum, bona tamen fuit ad multarum ſalutem animarum: ſic tamen vt bonum, nõ pro dato naturæ, ſed pro vtili ſemper accipias. Et ex eo vſu hæc emergat ſubdiuiſio, vt (ſicut ſuprà diximus) bonum quandoq; ſimpliciter dici, quandoque ſecundum quid: & quando ſecundum quid dicitur, ad diuerſum vſum vtilis æquiuocari: ita hoc bonum, idem vtile, quandoq; ſimpliciter, quandoq; ſecundum quid vocari. Quamuis ſi dicamus, ſanctum illum Abbatem ſpiritu Dei ad excitandos nos afflatum fuiſſe, ſed nos ob ſuperbiam, laſciuiamque noſtram ſalubria mandata non obſeruantes, meritò rerum, perſonarúmve diſpendium deportaſſe, non ſit à rationibus vel antiquis exemplis diſſonum: quanquam & ſpiritus prophetarum non ſemper ſubſit prophetis. Qualiter verò prædictus bonus vir ei libro, quem Eugenio Papæ de Conſideratione ſcribens ſuper hac re, ad excuſationem ſui apologeticum interſeruerit, curioſus rerum indagator inuenire poteſt.

CAPVT LXI.

Quomodo, & quibus epiſtolis idem rex à Papa Eugenio exceptus ſit.

QVOMODO autem Eugenius Papa Romanorum principem de tam graui tribulatione redeuntem, paternis cõſolationum verbis exceperit, ſubter annotatũ eſt

Eugenius epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, chariſſimo in Chriſto filio, Conrado Dei gratia Romanorum regi illuſtri, Salutem, & Apoſtolicam benedictionem.

Conſolatoria, ob infaustum belli ſacri euentum.

Cùm in hoc mundo cuncta mutabilitatis ordo corrumpat, ſicut nec proſperis eleuari, ita nec frangi aduerſis, confidentes de diuina miſeratione, debemus: quia Dei & hominum mediator admiranda diſpenſatione conſueuit omnem filium quem recipit, aduerſitatibus flagellare: vt dum ipſum per amorem ad æterna præmia vocat, præſens mundus eius animum perturbationes quas ingerit, à ſeipſo repellat: tantoque faciliùs ab huius ſeculi amore recedat, quantò magis impellitur, dum vocatur. Quod in Iſraelitico populo, Moyſe vocante & Pharaone ſignatur. Moyſes namq; tũc ad vocandum miſſus eſt, cum Pharao duris eum operibus perurgebat, quatenus alter vocando pertraheret, alter impelleret fœuiendo, vt plebs in ſeruitio turpiter fixa, vel prouocata bonis, vel impulſa moleſtiis moueretur. Hoc itaq; rationis debito incitati, diſcretionem tuam commonemus, & exhortamur in domino, quatenus tribulationes, quas tibi & exercitui tuo omnipotens Deus irrogauit, patienter ſupportes, & in eo ſpẽ tuam conſtituas, qui quem vult permittit affligi, & confidentes in ſe, miſericorditer liberare

liberare consueuit. Si enim patientiam & humilitatem in aduersis perfectè tenueris, per desertum huius vitæ, sub protectione columnæ nubis & ignis, id est patientiæ solatio, & charitatis ardore intrepidus perduceris. Quia igitur personam tuam vera charitate diligimus, & de te valde confidimus, si post tuum reditum sine dilatione, de his quæ ad honorem sanctæ ecclesiæ & regni spectare noscuntur, tecum mutuis potuissemus tractare colloquiis, nobis vtiq; gratum fuisset. Verùm quia id nobis temporis qualitas denegauit, & de tua salute sumus solliciti, quosdam de fratribus nostris, postquam te ad Longobardiæ partes, auctore Domino, incolumẽ peruenisse accepimus, sicut per venerabiles fratres nostros, Artuuicum Bremẽsem archiepiscopum, & Anshelmum Hauelburgensem episcopum tibi significauimus, ad tuam serenitatem duximus destinandos, vt affectum & beneuolentiam, quam erga te gerimus, tibi exponerent, & quod de te audire cupimus, ipsorũ relatione nosceremus. Quibus dedimus in mandatis, vt tibi tanq̃ charissimo filio nostro, & catholico principi, atq; speciali Romanæ sanctæ ecclesiæ defensori, ipsius ecclesiæ statum & nostrũ exponerent. Qui siquidem in Tusciam vsq; progressi, ex quo te ad Teutonicas partes pertransisse nouerunt, longitudinẽ viæ, & difficultatẽ itineris propter æstatis intemperiem metuentes, ad nostram præsentiã redierunt. Cæterùm quia statum tuũ, & dilecti filij nostri Henrici iunioris regis, quem post discessum tuũ paterno affectu dileximus, & in posterum actiones eius prosperari in domino præoptamus, cognoscere cupimus, cum fratres nostri propter ętatis feruorem, laborem tanti itineris perficere non valerent, per fidelem nostrum Franconem latorem prẽsentium, & apostolica scripta tuã excellentiam visitantes, nobilitatem tuam monemus, & exhortamur in Domino, quatenus ea quæ circa te & ipsum geruntur, & statum regni, per eundem Franconem nobis studeas intimare, & hoc tempore deuotionem quam erga matrem tuam sanctam Romanam ecclesiam geris, ostendas, vt nostro respondere affectui congruè videaris, & B. Petri Apostolorum principis intercessionibus, cui te totum debes exponere, creatoris nostri largiorem debeas gratiam promereri. Datum in Tusculano 8 Kal. Iulij.

De statu vegni certior fieri cupit.

CAPVT LXII.

De obitu Henrici iunioris regis, & Hartliebi Traiectensis episcopi, & Arnaldi Colonensis episcopi.

CIRCA idem tempus filius regis Henricus, quem ipse, vt suprà dictum est, per electionem principum regem ordinauerat, diem obiit, habens adhuc alium fratrem paruulum nomine Fridericum.

Regis Henrici obitus anno 1150.

Ea quoq; tempestate in inferiori Traiecto Fresiæ vrbe, Hartliebo eiusdem ecclesiæ pontifice obeunte, graue schisma ibidem oritur: quibusdam Fridericum Adulfi comitis filium, aliis Hermannum ecclesiæ S. Gereonis in suburbio Colonensi sitæ præpositum, in illius ecclesiæ præsulem eligentibus. Illi verò qui Hermannum elegerant, alios præoccupantes, Principem apud Noricum castrum adeunt, ab eoq; inuestituram regalium suscipiunt. Quos altera pars in ciuitatem Galliæ Spiram subsecuta, inducias ab eo vsque ad proximos dies Rogationum in palatium Nouiomagense accepit. Inter hæc Arnaldus quoq; Colonensis archiepiscopus, vir ad omnia ecclesiastica & secularia negocia inutilis, vitam finiuit.

Cõtrouersia de episcopatu Traiectensi.

Igitur Conradus rex tam de subrogatione Colonensis, quàm super determinatione illius controuersiæ, quæ in Traiectensi ecclesia agitabatur, examẽ laturus, inferiores Rheni partes adiit, habens secum ex Baioaria Ottonem Frisingensem, ex Saxonia Albertũ Misnensem episcopos. Cumq; ad Bobardiam villam regalem, in territorium Treuerorum super Rhenum positam venisset, legatos obuios habuit, nunciantes, Arnaldum cancellarium suum in præfata Colonensi ecclesia electum esse, sed eũ huius rei assensum vsq; ad aduentum ipsius distulisse. Quod verbum gratanter rex accepit, ac inde extra viam paulisper digrediens, duas arces fortissimas, quarum altera super Mosellam Cohina, altera super Rheni litus posita, Rinecca dicebatur, expugnauit: in Cohina præsidia ponens, alteram igni tradens. Ibi prænominatum Colonensem electum excipiens, cum eoq; ad inferiora descendens, capellam operosam, quam ille

non longè à Colonia in proprio fundo constructerat, à prædictis quos secum duxerat episcopis, consecrari fecit. Inde naues ingressus, ac per Rhenum remigans, Coloniam Agrippinam venit, cum maximo cleri ac populi tripudio susceptus. Igitur finita, vt assolet, processionis solennitate, rex in principali B. Petri ecclesia sedens, Arnaldum renitentem valde & reclamantem, pōtificatus simul & ducatus regalibus inuestit, sicq; ad Nouiomagense palatium Traiectensium causam iudicaturus venit.

Traiectenses Fridericum in ciuitate non sine fastu habebant, Hermanno electo. Itaq; conductum primò de personarum incolumitate petentes, cum magna multitudine nauium à Rheno per Wal fluuium, qui ab eo scissus ipsius brachium esse noscitur, veniunt. Quos rex in causa ponens, ad pacemq; cum aduersariis suis, sine litis contestatione reuocare volens, cùm hoc modo procedere non posset, tandem eis iuris districtionem obtulit. Illi viaticum redeundi postulauerunt, dicentes: Se, eò q; causa ipsa tanquā ecclesiastica ad ecclesiasticum iudicē, i. ad aures summi Pontificis translata esset, respondere coram cincto iudice non posse. Contra quos, vtpote aduersus Romanum principem agentes maiestatis reos, quia in continenti propter præstitū cōmeatum vlcisci non valuit, acerbā rex vsus cōquestione: mox etiam pro huius temeritatis debita vindicta sumēda, ad ciuitatem ipsorum processisset, nisi quod propter quorundam Noricorum Comitum insolentiam, in eandem reuocabatur prouinciam.

Traiectēses à Cæsare ad papam prouocantes, maiestatis rei.

CAPVT LXIII.

Conradus rex ad inferiores Rheni partes proficiscitur, & quomodo post auditam causam Traiectensium, Baioariam ingressus est, & ibi omnibus bene compositis Babenbergæ diem obiit.

IGITVR proximam Pentecosten in Confluentia, vbi & nuncios regis Hispanorum iam diu secum moratos dimisit, sub corona incedendo celebrans, Baioariam ingreditur: Ratisponæq; curiā habens, duos ex cardinalibus Romanæ sedis legatos, Iordanum scilicet, & Octauianū obuios excepit. Post hæc Palatino comite Ottone ob filiorum suorū excessus proscripto, vicinum eius castrum Chelcheim dictum, rapido Danubij fluminis ambitu clausum, obsidione cingit, eūq; ad hoc vt vnum filiorū suorum obsidem daret, coegit. Inde in Gallias rediens, Traiectensium negotium reuocatis omnibus ad subiectionem Hermanni, cum imperij honore terminauit: ac ne aliquis in posterum eius facti scrupulus haberetur, à Romana sede ratihabitionē obtinuit. Ipse verò non multò post omnibus bene in Gallia & Germania compositis, cum etiam iurata expeditione in proximo imperij coronam accepturus esset, non sine suspicione quorundam, quos ex Italia habuit, medicorum, quasi ex Rogerij Siculi metu submissorum, morbo corripitur: sicq; tamen tanto nō fractus infirmitatis dolore, curiam celebraturus, Babenberg venit: vbi cum multorum planctu raptus, prioris fortitudinis in vltimo discrimine retinens animum, proxima à capite ieiunij sexta feria, id est, XV Kal. Martij vitam finiuit: regalia duci Friderico, cum vnico suo item Friderico, commendans. Erat enim tanquam vir prudens de filio suo adhuc paruulo, ne in regē sublimaretur, quasi desperatus: idcirco & priuatæ & rei publicæ meliùs profuturum iudicabat, si is potiùs qui fratris sui filius erat, ob multa virtutum suarum clara facinora, sibi succederet. Volentibus verò familiaribus suis, iuxta eius (vt asserebant) petitionē, eum ad Laureacense monasterium deferre, ibiq; in proprio fundo iuxta patrem humare, Babenbergensis ecclesia hoc contumeliosum sibi fore iudicans, non permisit: quinimò conuenientissimum & honestissimum & ecclesiæ illi, & imperio decernēs, iuxta tumbam Imp. Henrici, eius loci fundatoris, qui nuper auctoritate Romanæ ecclesiæ in loca sancta leuatus, pro sancto habetur, regio cultu eum sepeliuit.

Kelheim.

Conradi Cæs. decessus 1152.

Hæc & alia, Augustorum inuictissime, excellentiæ tuæ scribuntur: quædam tibi vt tibi, quædam tibi, sed non vt tibi: quæ acutus clericorum tuorum discernere debebit oculus. Verùm quia iuxta quod proposui, decursis summatim aui, patris, patruiq; tui, non sine aliqua tui mētione factis, ad tua principaliter gesta venimus, huic primo Volumini, quiescendi paulisper causa, finem imponere liceat: vt ad ea quæ de tua dicenda erunt magnificentia, faciliùs resumatur spiritus.

LIBRI PRIMI FINIS.

OTTO-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 136;Leibn. Marg. 136, Stück 1, [464] - 446
PUBLIC DOMAIN

OTTONIS FRISINGENSIS PROLOGVS, IN SECVNDVM LIBRVM, DE GESTIS FRIDERICI IMP. AVG.

NOn sum nescius, Imperatorum, seu Regum decus, dum gestorum tuorum magnificentiam prosequi conor, crebrescentibus victoriis stylum materiæ succubiturum. Inter duo tamen, vt ita dixerim, mala, melius fore iudicaui, minus dicendo à materia Opus superari, quàm cuncta tacendo gloriosa facta silentio tecta deperire. Verùm quia priorem libellum vsque ad regni, seu imperij tui ortum, in obitu glorioſissimi patrui tui Conradi regis, terminaui: huic secundo Operi de tui principatus gloria contenturo, tale Deo fauente, imponatur initium.

CAPVT I.

De electione Friderici ducis Sueuorum (qui fuit fratruelis Conradi regis) ad Imperium.

ANNO ab vrbe cõdita M.D.CCC, ab incarnatione verò Domini M.CLII, decedente ab hac luce vernali tempore, id est, sexta feria proxima (vt dictũ est) post caput ieiunij, in ciuitate Babenbergensi, piissimo rege Conrado, III Nonas Martij, id est, tertia feria post *Oculi mei*, in oppido Franconefurt, de tam immẽsa transalpini regni latitudine, vniuersum (mirum dictu) principum robur, non sine quibusdam ex Italia baronibus, tanquam in vnum corpus coadunari potuit. Vbi cum de eligendo principe primates consultarent (nam id iuris Romani imperij apex, videlicet non per sanguinis propaginem descendere, sed per principum electionem reges creare, sibi tanquam ex singulari vendicat prærogatiua) tandem ab omnibus Fridericus Sueuorum dux, Friderici ducis filius petitur, cunctorumq; fauore in regem sublimatur. *Electio Friderici anno 1152.*

CAPVT II.

Ratio quare in eum tam facilè consenserit vniuersitas principum.

HVIVS consultationis summa, in illamq; personam tam vnanimis assensus ratio, vt recolo, hæc fuit. Duæ in Romano orbe apud Galliæ, Germaniæve fines famosæ familiæ hactenus fuere: vna Henricorum de Gueibelinga, alia Guelforum de Altdorfio: altera Imperatores, altera magnos Duces producere solita. Istæ, vt inter viros magnos, gloriæq; auidos assolet fieri, frequenter sese inuicem æmulantes, reip. quietem multotiens perturbârant. Nutu verò Dei, vt creditur, paci populi sui in posterum prouidentis, sub Henrico quinto factum est, vt Fridericus dux pater huius, qui de altera, id est, de regum familia descenderat, de altera Henrici scilicet Noricorum ducis filiam in vxorem acciperet, ex eaq; Fridericum, qui in præsentiarum est & regnat, generaret. Principes ergo non solùm industriam ac virtutem iam sæpe dicti iuuenis, sed etiam hoc quòd vtriusq; sanguinis cõsors, tanquam angularis lapis, vtrorumq; horum parietum dissidentiam vnire posset, considerantes, caput regni eum constituere adiudicauerunt: plurimùm reip. profuturum prægogitantes, si tam grauis & diutina inter maximos imperij viros, ob priuatum emolumentum simultas, hac demum occasione, Deo cooperante, sopiretur. Ita non regis Conradi zelo, sed vniuersitatis (vt dictum est) boni intuitu, hunc Fridericum, eius filio item Friderico adhuc paruulo præponere maluerunt. Hac consideratione & ordine electio Friderici celebrata est. *Fridericum & Gibellinorum & Guelforum sanguinis consors.*

CAPVT III.

Quòd post acceptam fidelitatem à principibus, Aquisgrani consecratur, secumq; Fridericus Monasterienſis episcopus.

1152. *Aquensis inauguratio nouis Cæsaris.*

ASTRICTIS igitur omnibus qui illò confluxerant, fidelitate & hominio principibus, cum paucis, quos ad hoc idoneos iudicauit, cæteris in pace dimissis, Rex cum multa iocunditate quinta feria naues ingreditur: ac per Mogum & Rhenum nauigãs, in villa regali Sinciche applicuit, ibi equos ascendens, in proximo sabbato Aquisgranum venit. Sequenti die, id est ea dominica qua *Lætare Hierusalem* canitur, ab episcopis à palatio in ecclesiam beatæ Mariæ semper virginis deductus, cum omnium qui aderant applausu, ab Arnoldo Colonienſi archiepiscopo, aliis cooperantibus coronatus, in sede regni Francorum, qui in eadem ecclesia à Carolo magno posita est, collocatur: non sine multorum stupore, quòd in tã paruo temporis spacio, non solùm tanta principum, seu de regno nobilium confluxerat multitudo, sed & quòd de Occidentali Gallia, ad quam nondum huius facti rumor peruenisse putabatur, nonnulli aduenerant. Nec prætereundum æstimo, quòd dum finito vnctionis sacramento, diadema sibi imponeretur, quidam de ministris eius, qui pro quibusdam excessibus gratia sua adhuc priuati, sequestratus fuerat, circa mediam ecclesiam ad pedes ipsius se proiecit, sperans ob præsentis diei alacritatem, eius se animum à rigore iusticiæ emollire posse. Ipse verò mentem in priori seueritate retinens, & tanquam fixus manens, constantiæ suæ omnibus nobis non paruum dedit indicium, dicens: non ex odio, sed iusticiæ intuitu illum à gratia sua exclusum fuisse. Nec hoc etiam sine admiratione plurium, quòd virum iuuenem, tanquam senis indutum animo, tanta flectere à rigoris virtute ad remissionis vitium non potuit gloria. Quid multa? Non illi misero intercessio principum, non arridentis fortunæ blandimentum, non tantæ festiuitatis instans gaudium suppeditare poterant, ab inexorabili inexauditus abiit.

Sed & hoc silentio tegendum non erit, quòd eadem die, in eadem ecclesia, Monasteriẽsis electus, item Fridericus, ab eisdem à quibus & rex, episcopis, in episcopum consecratur, vt reuera summus rex & sacerdos præsenti iocũditati, hoc quasi prognostico interesse crederetur: quia in vna ecclesia, vna dies duarũ personarum, quæ solæ noui ac veteris Instrumenti institutione sacramentaliter vnguntur, & Christi domini ritè dicuntur, vidit vnctionem.

CAPVT IIII.

Qui legati ad Vrbem, & in Italiam destinati sint, & quò Rex diuerterit.

PERACTIS omnibus quæ ad coronæ decorem spectabant, princeps in palatij secreta se recipit, vocatisq; prudentioribus, seu maioribus ex numero principum, de statu reip. consultans, legatos ad Romanum pontificem Eugenium, Vrbem ac totam Italiam destinandos disponit, de promotione sua in regnum significaturos. Mittuntur itaq; Hilinus Treuerensis electus, & Eberhardus Babenbergensis episcopus, viri prudentes, & literati. Dehinc Traiectensium contumaciam, qua (vt superius dictum est) in patruum suum Conradum regem vsi fuerant, vlturus, inferiores Rheni partes adiit: ipsisq; pecuniaria pœna multatis, ac Herimano episcopo confirmato, ad superiora remeando, sanctum pascha Coloniæ Agrippinæ celebrauit. Inde per Guesfaliam transiens, Saxoniam intrauit.

Traiectẽses multati.

CAPVT V.

Quomodo litem duorum consanguineorum de regno Daciæ dederit.

ERAT illo tempore in regno Danorum inter duos consanguineos, Petrum scilicet qui & Sueuus, & Guuotonem de regno grauis controuersia. Quos rex ad se venire præcipiens, curiam magnam in ciuitate Saxoniæ Martinopoli, quæ & Merseburg, cum multa principum frequentia habuit. Eò præfati iuuenes venientes, eius se mandato humiliter supposuerunt, eorumq; ad vltimum causa, iudicio seu consilio primatum, sic decisa fuisse dicitur. Guuoto relictis sibi quibusdam prouinciis, regium nomẽ per porrectum gladium abdicaret. Est enim cõsuetudo Curiæ, vt regna per gladium, prouinciæ per vexillum à principe tradantur, vel recipiantur. Petrus verò accepto ab ipsius manu regno, fidelitate & hominio ei obligaretur. Ita corona regni per manum princi-

Conuentus Merseburgensis.

Regalium tradendorũ ritus.

principis sibi imposita, in die sancto Pentecostes ipse coronatus, gladium regis sub co- 1152
rona incedentis portauit. Gualdemarus etiam qui eiusdem sanguinis particeps fuit, ducatum quendam Daniæ accepit.

CAPVT VI.

Quomodo rex controuersiam, quæ in Magdeburgensi ecclesia orta fuit, terminauerit, & quòd Vngaris bellum indicere voluerit.

CIRCA idem tempus Magdeburgensis ecclesia, quæ Saxoniæ metropolis esse dinoscitur, pastore suo viduata, ad electionem faciendam resedit. Dumq; alij eiusdem ecclesiæ præpositum Gerardum, alij Decanum eligerent: diuisis hinc inde personis, regem adhuc in Saxonia morantem, adire disponunt. Quos dum multis modis ad vnitatem, & vinculum pacis Princeps reducere satageret, ac proficere non valeret, alteri parti, id est, de[illegible] cum suis persuasit, vt Guicmannum Cicensem episcopum, virum adhuc iuuenem, sed nobilem eligerent: eiq; accersito, regalia eiusdem ecclesiæ concessit. Tradit enim Curia, & ab Ecclesia, eo tempore quo sub Henrico quinto de inuestitura episcoporum decisa fuit inter regnum & sacerdotium controuersia, sibi concessum autumat, quòd obeuntibus episcopis, si fortè in eligendo partes fiant, principis arbitrij esse, episcopum quem voluerit, ex primatum suorum consilio ponere: nec electum aliquem ante consecrandũ, quam ab ipsius manu regalia per sceptrum suscipiat. Rex omnibus in Saxonia benè ordinatis, cunctisq; principibus illius prouinciæ ad nutum suum inclinatis, Baioariam ingreditur, ac Ratisponæ Norici ducatus metropoli, in festiuitate apostolorum in monasterio sancti Emmeranni, (nam maior ecclesia, cum quibusdam ciuitatis vicis conflagrauerat) coronatur. Ad eandem curiam legati ad Eugenium Papam, Vrbem, ac cæteras ciuitates Italiæ directi, læta reportantes redeunt. Ibi etiam princeps, eò quòd omnibus in proprij imperij finibus ad eius voluntatem compositis, virtutem animi quam intus gerebat, extrà ferri disponeret, Vngaris bellum indicere, ipsosq; ad monarchiæ apicem reducere volebat. Sed cum assensum super hoc principum, quibusdam de causis latentibus, habere non posset, ad effectum tunc perducere ea quæ voluebat mente, non valens, ad opportuniora tempora distulit.

Ius Imperatoris, orta de episcopatu concertatione.

N B.

CAPVT VII.

Quomodo propter litem duorum ducum terminandam, apud Herbipolim curiam celebrauerit, & ibi expeditionem in Italiam iurarit.

ERAT verò multa serenissimi principis anxietas, cum omnia prosperè in regno agerentur, qualiter controuersia quæ inter eius carnem & sanguinem, id est, Henricum patruum suum, & itidem Henricum auunculi sui filium, duces, de Norico ducatu agitabatur, sine sanguinis effusione terminari posset. Fuit namq; Henricus iste Henrici quondam Norici ducis filius, quem (vt alibi dictum est,) Conradus rex à Baioaria electum, in Saxonia manere compulerat, ducatumq; ipsius primùm Leopaldo Marchionis Leopaldi filio, ac deinde fratri ipsius huic Henrico concesserat. Rex ergo prædictam litem iudicio vel consilio decisurus, vtriq; autumnali tempore mense Octobri in ciuitate Herbipoli curiam præfigit: quò dum alteri, id est, Henrici ducis filius veniret, alter se absentaret, iterum & iterum vocatur. In eadem curia exulibus Apuliæ, quos Rogerius de solo natali propulerat, lachrymabiliter conquerentibus, ac ad pedes principis miserabiliter se proijcientibus, expeditio Italica tam pro afflictione horum, quàm pro corona Imperij accipienda, paulò minus quàm ad duos annos iurata est.

CAPVT VIII.

Quòd Gerardus Magdeburgensis præpositus Guicmannum Cicensem episcopum Romæ accusauit: & epistola Papæ super hoc.

1152. POrrò Gerardus præpositus Romam pergens, Eugeniũ papam adiit, eiq; causam Magdeburgensis Ecclesiæ aperiens, Guicmannum à principe (vt suprà dictum est) per electionem alterius partis ibi locatum, multis modis de intrusione accusauit. Hanc rem quàm grauissime Romanus pontifex exceperit, tam ex literis, in quibus nonnullis episcopis, qui pro eo ob amorem regis Romanæ ecclesiæ scripserant, respondit, quàm ex Cardinalium, qui postmodum ad transalpina directi sunt, viua voce percepimus. Literarum autem talis tenor fuit:

Eugenius episcopus seruus seruorum Dei, venerabilibus fratribus Eberhardo Saltzburgensi, Artuuico Bremensi, & Hillino Treuerensi archiepiscopis, Eberhardo Babenbergensi, Hermanno Constantiensi, Henrico Ratisponensi, Ottoni Frisingensi, Conrado Patauiensi, Danieli Pragensi, Anshelmo Hauelburgensi, & Burckardo Eistadensi episcopis, salutem, & apostolicam benedictionem.

Ad quosdã Germaniæ episcopos monitoria, de negotio Ecclesiæ Magdeburgensis.

Literas quas pro causa Magdeburgensis ecclesiæ vestra nobis prudentia delegauit, debita benignitate suscepimus. In lectione autem & cognitione earum stupore nimio, & admiratione repleti sumus, eò quòd longè aliud in eis quàm vobis ex officio pontificatus imminet, perspeximus contineri. Cùm enim in ecclesiæ vertice sitis ex diuina prouidentia constituti, vt de medio eius quæ fuerint nociua propellere, quæ vtilia debeatis attento studio conseruare, in causa ista, sicut ex suggestione literarũ vestrarum nobis innotuit, non quod expediat ecclesiæ Dei, quod sacrorum canonum sanctioni concordet, quod exinde à cœlesti arbitrio approbetur, sed quod terrenis principibus placeat, attendistis: & qui eorum animos à sua minus recta debuistis deflectere intentione, atq; vbi esset via Domini, demonstrare. non persuasistis quod rectum est, nec stetistis murus pro domo Israel: quinimò ipsis, vt ait propheta, parietem ædificantibus, vos (quod sine grandi animi rancore vix dicimus) liniuistis illum luto absq; paleis. Non ita sentiebat princeps apostolorum, qui ex fidei suæ confessione, vt totius ecclesiæ fundamentum esset, accepit: sed comminantibus seculi filijs, & apostolis, si prædicarent in nomine Iesu mortis exterminium intentantibus, confisus de domini virtute respondit: *Oportet obedire Deo magis quàm hominibus.* Vos autem ne à terrenis videamini principibus dissentire, illi causæ fauorem vestrum impenditis, cui & ecclesiasticæ auctoritas constitutionis, & supernæ voluntatis examen pro certo creditur obuiare. Cùm enim translationes episcoporum sine manifestæ vtilitatis & necessitatis indicio, diuinæ legis oraculum non permittat: cùm etiam multò amplior, quàm in alijs electionibus cleri & populi eas debeat præuenire concordia: in facienda translatione de venerabili fratre nostro Guicmanno Cicensi episcopo, nihil horũ est, sed solus fauor principis expectatur: & nec inspecta necessitate illius ecclesiæ, nec considerata vtilitate personæ, clero nolente, imò (vt dicitur) ex parte maxima reclamante, in Magdeburgensi eum dicitis ecclesia supplantandum. Super quo tantò amplius admiramur, quantò persona illa, cuius grauitatis sit atq; scientiæ, ab anteactis agnouimus, ac perinde quantum ecclesiæ illi sit vtilis, non penitus ignoramus. Quoniam igitur quicunq; temporalis auræ flatibus agitentur, nos in illius petræ soliditate fundati, quæ in fundamento meruit ecclesiæ collocari, sicut non debemus, ita nec volumus omni vento circumferri doctrinæ, aut à sacrorum canonum rectitudine impulsu aliquo deuiare: per præsentia vobis scripta mandamus, quatenus causæ isti fauorem vlterius non præstetis, & apud charissimum filium nostrum Fridericum, quem Deus hoc tempore pro seruanda libertate ecclesiæ in eminentiam regni euexit, efficere vestris exhortationibus studeatis, vt & ipse à sua super hoc intentione desistat, & contra Deum, contra sacros canones, contra regiæ dignitatis officium, eidem causæ fauorem suum vlterius non impendat: sed ecclesiæ Magdeburgensi, sicut & alijs ecclesijs regni à Deo sibi commissi, liberam facultatem, quem voluerit secundum Deum eligendi, relinquat, & electionem ipsam postmodum fauore suo, sicut decet maiestatem regiam, prosequatur. Nos enim, si quod de supradicto fratre nostro facere nititur, videremus ratione fulciri, nec voluntati eius, nec postulationi vestræ duceremus aliquatenus obuiandum. Contra Deum autem, & sacrorum canonum sanctiones, nulli omnino petitioni possumus præbere consensum. Datum Signiæ XVI. Kalend. Septemb.

CA-

1153

CAPVT IX.

Quomodo per duos Cardinales assensu principis, quidam episcopi depositi sunt, & de duobus ducibus Henricis.

AT rex in proximo Pascha Babenberg coronam gestans, duos cardinales, videlicet Bernardum presbyterum, & Gregorium diaconum ad depositionem quorundam episcoporum, ab apostolica sede destinatos, secum habuit. Proximam dehinc Pentecosten Vormatiæ ferians, Henricum Moguntinæ sedis archiepiscopum, virum pro distractione ecclesiæ suæ frequenter correptum, nec correctum, per eosdem cardinales deposuit, ac Arnaldum cancellarium suum per quorundam ex clero & populo, qui illuc venerant, electionem, ei subrogauit. Ad prædictam curiam prænominati duces, ambo Henrici pro ducatu Norico, vt dictum est, contendentes venerunt: sed altero quòd legitimè vocatus non fuerit, prætendente, debitum finem negocium ibi habere non potuit. Iidem etiam cardinales permissu principis Burckardum Eistetensem senio grauem, de inutilitate causantes, itidem submouere. Dumq; post hæc in Magdeburgensem & quosdam alios sententiam ferre cogitarent, à principe inhibiti, & ad propria redire iussi sunt.

Moguntinus exauctoratur. Anno 1153.

CAPVT X.

Quòd mortuo Eugenio, Anastasius subrogatur, & quòd cardinalis Gerardus insolenter agere volens, prohibitus & in via mortuus est, & Guicmannus in episcopatu confirmatus.

EA tempestate Eugenius Papa, vir iustus, & religione insignis, ab hac luce transiens, Anastasio homini veterano, & in consuetudine illius Curiæ exercitato, sedem reliquit. A quo dum cardinalis quidam Gerhardus nomine, ad terminandam Magdeburgensis electi causam missus fuisset, ac Principem in eadem ciuitate natale Domini celebrantem adijsset, cum quædam ibi secus illius nutum tractare vellet, indignationem eius incurrens, infectis negotijs pro quibus venerat, mandatis sæuioribus, ingloriè redire coactus, in via etiam vita decessit. Verùm Princeps missis ad Anastasium cum Guicmanno nuncijs, non solùm facti sui ratihabitionem, sed etiam pallium obtinere eum fecit: non sine quorundam scandalo, qui ne vnquam id fieret, immobiliter fixum Romanos tenere à proprio ipsorum ore audierant. Exhinc non solùm in secularibus, sed & in ecclesiasticis negocijs disponendis, auctoritas principis plurimùm creuit.

Anastasium 4 Papa.

CAPVT XI.

Quòd legatos in Græciam destinauerit, & quòd Henrico Saxonum duci ducatus Baioariæ adiudicatur, & quòd rex in Italiam procinctum mouit.

CIRCA idem tempus, mense Septembri, principes, maioresq; Baioariæ à rege Ratisponæ conuocantur, sed nihil ibi de bono pacis in illa prouincia, propter duorum Ducum litem, terminari poterat. Rex tamen quia non multò ante hæc per apostolicæ sedis legatos, ab vxore sua ob vinculum consanguinitatis separatus fuerat, pro ducenda alia pertractans, ad Manuel Græcorum Imperatorem tam pro hoc negocio, quàm pro Guilhelmo Siculo, qui patri suo Rogerio nouiter defuncto, successerat, vtriusq; Imperij inuasore debellando, in Græciam legatos destinandos ordinat: sicq; primatum suorum consilio, Anshelmus Hamelburgensis, & Alexander Apuliæ quondam comes, sed à Rogerio cum cæteris eiusdem prouinciæ nobilibus, ob suspicionem dominandi propulsus, eandem legationem suscipiunt.

Proximo dehinc mense Decembri vtriq; duces, Henricus, itidem & Henricus, in ciuitate Spira, Principis adsistunt iudicio: sed iterum altero de legitima vocatione se excusante, res protelatur. Itaq; Fridericus dum iam ferè per biennium ad decidendam litem duorum principum, sibi (vt dictum est) ex propinquitate sanguinis tam

1154. affinium laborasset: tandem alterius instantia, qui in paternam hęreditatem, à qua diu propulsus fuerat, redire cupiebat, flexus, imminente etiam sibi expeditionis labore, in qua eundem iuuenem militem, sociumq; viæ habere debuit, finem negocio imponere cogebatur. Proinde in oppido Saxoniæ Goslaria curiam celebrans, vtrosq; Duces, datis edictis, euocauit. Vbi dum altero veniẽte, alter se absentaret, iudicio principum alteri, id est, Henrico Saxoniæ duci, Baioariæ ducatus adiudicatur.

Bauaria Henrico Saxonia Duci adiudicatur.

Post hæc Princeps de Saxonia in Baioariam se recipiens, ac inde per Alemaniam transiens, anno regni sui tertio, in Campania Lici fluminis termino Baioariæ, contra ciuitatem Augustensem, circa principium mensis Octob. militem in Italiã iturus collegit, finitis ex quo iurata fuerat primò expeditio, duobus annis. Nec illustrẽ animum à tam illustri facto, ex recenter prolata in tam magnum imperij principem sententia, & ex hinc obortũ non paruum aliorũ principum murmur reuocare poterat: quin omnia quæ retrò erant, tanq; floccipendens, Deo se committendo in anteriora extenderetur. Per Brixinoram itaq; & vallem Tridentinã transiens, emensis Alpium angustiis, in campestribus Veronensiũ, iuxta stagnum Gardæ, castrametatur. Vbi dum de processu ad vlteriora cum principibus consiliũ iniret, primò cœli principẽ conciliandum decreuit. Deniq; miles per claustra montiũ transiens, ob difficultatem locorum victui necessaria inuenire nequiens, dum penuriam magnã, quod in exercitibus molestum esse solet, pateretur, nonnulla sacra loca violarat. Ad hæc, quamuis prædictam necessitudinis excusationem habere viderentur, expianda, rex à toto exercitu collectam fieri iubet; & sic non modicam coadunatam pecuniam per quosdam religiosos viros, duobus episcopis, Tridentino scilicet & Brixinorensi remittendam, ac per singula sanctorum loca, quæ damnum passa fuerant, diuidendam statuit: pulchrè communi vtilitati consulens, pulchrè rectoris officiũ implens, vt maxima adorsurus negocia, ante omnia rectorẽ & plasmatorẽ omniũ, sine quo nihil benè incoatur, nihil prosperè consummatur, placandũ, eiusq; offensam à populo suo auertendam intenderet.

Fridericus Cæsar in Italiam mouet. Anno 1154.

CAPVT XII.

Quomodo apud Roncalias quibusdam episcopis regalia abiudicata sint.

Inde castra mouens in cãpo Roncaliæ super Padum, non longè à Placentia, mense Nouembri resedit. Est autem consuetudinis regum Francorum, quæ & Teutonicorum, vt quotiensq; ad sumendam Romani imperij coronam, militem ad transalpizandum coegerint, in prædicto campo mansionem faciant. Ibi ligno in altum porrecto scutum suspenditur, vniuersorumq; equitum agmen feuda habentium, ad excubias proxima nocte principi faciendas, per curiæ præconem exposcitur: quod sectantes qui in eius comitatu fuerunt, singuli singulos beneficiatos suos per præcones exposcunt. At sequenti die quicunq; nocturnis vigiliis defuisse deprẽsus fuerat, denuò ad præsentiam regis, aliorumq; principum, vel virorum illustrium euocatur: sicq; omnes omnium beneficiati, qui sine bona voluntate dominorum suorũ domi remanserunt, in feudis condemnantur. Hunc morem principe secuto, non solùm laicorum feuda, sed & quorundam episcoporum, id est, Hartuici Bremensis, & Vlrici Halberstatensis regalia personis tantùm, quia nec personis, sed ecclesiis perpetualiter à principibus tradita sunt, abiudicata fuere. Sed quoniam huius terræ mentio habita est, de ipsius situ ac ritu, & à quibus prius inhabitata, quóve nomine dicta, à quibus postmodum possessa, quo censeatur vocabulo, paucis absoluam.

Mos priscus Cæsare apud Roncalias castrametante. NB.

CAPVT XIII.

De situ Italiæ, & more gentis eiusdem. Item de situ & superbia Mediolani, & de consuetudine & iustitia regni, atque de diuersis querimoniis ad principem delatis.

Hæc Pyrenæo, seu Apennino altissimis & scopulosissimis alpibus in oblongũ ductis, hincinde septa, tanquam eorundem, vel potius eiusdem montis vmbilicus, vtve deliciarum hortus, à Tyrrheno mari vsq; ad Adriatici æquoris oram protẽditur: habens ad Septentrionem Pyreneas (vt dictum est) Alpes: ab Austro Apenninum, qui modò

Italiæ termini.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 136;Leibn. Marg. 136, Stück 1, [470] - 452

modò mutato nomine mons Bardonis vulgò dicitur: ab Occidente Tyrrhenum, ab Oriente Adriaticum æquor. Padi vel Eridani fluminis, quem vnum inter tria Europæ flumina famosissima Topographi ponunt, cæterorumq; amniũ decursu irrigua, soli dulcedine, cœliq; temperie: frumenti, vini & olei ferax: intantum vt arbores fructiferas, præcipuè castaneas, ficeta, & oliueta instar nemorum educet. Romanorũ colonia vlterior Italia olim dicebatur, tribus distincta prouincijs, Venetia, Æmilia, Liguria: quarum primæ Aquileia, secundæ Rauenna, tertiæ Mediolanũ metropoles fuere. At in ipso Apennino, vbi & vrbs Roma sita esse noscitur (quæ modò Tuscia vocatur, eò quòd Apennino inclusa, Vrbem quoq; ipsam in sinu suo contineat) interior Italia iure dicta est. Illa verò quæ post emensionem montium Campania excipitur, vnde & à re nomen trahens, Campania adhuc dici solet, ac vsq; ad Farum, brachium maris, nauibus ob syrtes importunum, Siciliam à solido seiungens, producitur. Nam Sicilia Europam terminans, Sardiniæ, cæterisq; Italiæ insulis adnumeratur. Olim citerior Italia, vel maior Græcia vocabatur, nunc Apulia vel Calabria dicta. Quamuis aliqui hanc & mediam pro vna reputantes Italia, citeriorem seu maiorem Græciam dicere maluerint Italiam, non tres, sicut præmissum est, sed duas tantùm, vlteriorẽ & citeriorem ponentes Italias. Nonnulli tamen prædictas Alpes Apenninum & Pyrenæũ eadem montana esse volunt, eò quòd circa eas partes, qua Ianua ciuitas in naualib. præ- lijs satis exercitata, super Tyrrhenum æquor sita est, conueniendo, prędictam claudãt prouinciam: in argumentum suæ assertionis inducentes, quòd Pannonia, iuxta Isidorum, tanquam Apennino clausa nomen accepit, quã non Apenninus, qui mons Bardonis, sed Pirenęæ attingunt Alpes. Patet, vt arbitror, cur hanc terram duorum montium, vel eiusdem, supra vmbilicum dixerim. Barbarorum verò incursionibus, ac dominationi, qui à Scanzia insula cum Alboni duce venientes, Pannonias primò inhabitarunt, subiacere incipiens, ab eisdem, eò quòd ad augendum exercitũ, fœminis reflexis ad mentum crinibus, sicq; virilem & barbatam faciem imitantibus, & idcirco Longobardis à longis barbis vocitatis, & ipsa Longobardia appellari consueuit. Ex quo contingit, vt circa Hexarchatum Rauennatensem artatis antiquis eiusdẽ prouinciæ incolis, ea pars Italiæ quæ antea Æmilia dicebatur, nunc Romaniola, quod diminutiuum à Roma tractum noscitur, vulgò vsq; hodie dici soleat. Veruntamen barbaricæ depositio feritatis rancore, ex eo forsan quòd indigenis per connubia iuncti, filios ex materno sanguine, ac terræ aërisve proprietate aliquid Romanæ mansuetudinis & sagacitatis trahentes, genuerint, Latini sermonis elegantiam, morumq; retinẽt vrbanitatem. In ciuitatum quoq; dispositione, ac reip. conseruatione, antiquorum adhuc Romanorum imitantur solertiam. Deniq; libertatem tantopere affectant, vt potestatis insolentiam fugiendo, Consulum potius quàm imperantiũ regantur arbitrio. Cumq; tres inter eos ordines, id est capitaneorum, valuassorum, & plebis esse noscantur, ad reprimendam superbiam, non de vno, sed de singulis prædicti consules eliguntur, neúe ad dominandi libidinem prorumpant, singulis penè annis variãtur. Ex quo fit, vt tota illa terra intra ciuitates fermè diuisa, singulæ ad commanẽdum secum diœcesanos compulerint, vixq; aliquis nobilis, vel vir magnus, tam magno ambitu inueniri queat qui ciuitatis suæ non sequatur imperium. Consuerunt autem singuli singula territoria, ex hac comminandi potestate, Comitatus suos appellare. Vt etiam ad comprimendos vicinos materia non careãt, inferioris conditionis iuuenes, vel quoslibet contemptibilium etiam mechanicarum artium opifices, quos cæterę gentes ab honestioribus & liberioribus studijs, tanquam pestem propellunt, ad militiæ cingulũ, vel dignitatum gradus assumere non dedignantur. Ex quo factum est, vt cæteris orbis ciuitatibus, diuitijs, & potentia pręemineant. Iuuantur ad hoc non solùm (vt dictũ est) morum suorum industria, sed & principum in transalpinis manere assuetorum absentia. In hoc tamen antiquæ nobilitatis immemores, barbaricæ fecis retinent vestigia: quòd cum legibus se viuere glorientur, legibus nõ obsequuntur. Nam Principem, cui voluntariam exhibere deberent subiectionis reuerẽtiam, vix aut nunquam reuerenter suscipiunt: vel ea quæ secundum legum integritatem sanciuerit, obedienter excipiunt, nisi eius multi militis astipulatione coacti, sentiãt auctoritatem. Ob ea frequenter contingit, vt quamuis ciuis lege flectendus, aduersarius armis cogẽdus secundum

Diuisio.

Longobardia.

Romãdiola.

Comitatus tractus sunt Omnis iuuenilis etiam subiectionis fugę.

Italorum erga Cæsares contumacia.

1154. leges sit: ipsum tamen, quem vt proprium principem mitem susc̃ipere oportebat, sæpius iura propria exposcentem, hostiliter excipiant. Ex quo duplex reipub. nascitur detrimentum, vt Princeps ad subiugationem, ciuis in colligendo exercitu distrahatur: & ciuis, non sine magno rerum suarũ dispendio, ad obedientiam Principis compellatur. Quare eadem ratione qua populum super hoc incusat temeritas: sic Principem apud Deum & homines excusare debebit necessitas.

Mediolanum. Inter cæteras eiusdem gentis ciuitates Mediolanum primatum nunc obtinet, inter Padum & Pyrenæum sita. Ticino & Adua ab eodem Pyreneo nascentibus, ac in Pado se recipientibus, & ob hoc sinum quendam fertilissimum in modum insulæ facientibus media posita, ritè Mediolanum vocatur: quamuis nonnulli ex quodam portentuoso sue, vnam medietatem setas, & alteram lanam habente, è fundatoribus Mediolanum dictam putent. Hæc ergo non solùm ex sui magnitudine, virorumve fortium copia, verum etiam ex hoc, quòd duas ciuitates vicinas, in eodem sinu positas, id est, Cumam & Laudam ditioni suæ adiecit, alijs (vt dictum est) ciuitatibus celebrior habetur. Porrò vt in rebus caducis ex arridentis fortunæ blandimento fieri solet, rebus secundis elata, intantum elationis extumuit audaciam, vt non solùm vicinos quosque infestare non refugiat: sed & ipsius Principis maiestatem non reformidando, eius ausa fuerit incurrere recenter offensam. Quod quibus de causis exordium sumpserit, breuiter aperiam. Interea quædam de iusticia regni dicenda videntur.

NB. Iura Cæsarum Italiam ingredientiũ. Fodrum regale. Mos enim antiquis, ex quo imperium Romanum ad Francos deriuatum est, ad nostra vsq; deductus est tempora, vt quotiescunq; reges Italiam ingredi destinauerint, gnaros quoslibet de familiaribus suis præmittant, qui singulas ciuitates seu oppida peragrando, ea quæ ad fiscum regalem spectant, quæ ab accolis Fodrum dicuntur, exquirant. Ex quo fit, vt Principe adueniente plurimæ ciuitates, oppida, castella, quę huic iusticiæ vel omnino contradicendo, vel integraliter non persoluendo, reniti conantur, ad solum vsq; prostrata, proteruiæ suæ documentum posteris ostendant. *Vacatio dignitatum.* Alia itidem ex antiqua consuetudine manasse traditur iusticia, vt Principe Italiam intrante, cunctæ vacare debeant dignitates & magistratus, ac ad ipsius nutũ secundum scita legum, iurisq; peritorum iudicium, vniuersa tractari. Tantam ei quoq; iudices terræ recognoscere dicuntur iurisdictionem, vt ex omnibus quæ terra producere solet, vsui necessarijs, exceptis vix bubus & seminibus, ad excolendam terram idoneis, de cæteris quantũ necesse fuerit militi profuturis, ad regios vsus suppeditare æquum arbitrentur.

Igitur rege apud Roncalias per quinque, vt aiunt, dies sedente, & ex principum, ac de vniuersis penè ciuitatibus consulum seu maiorum conuentu curiam celebrante, diuersa hinc inde diuersis ex querimonijs emersere negocia. Inter quæ Guilhelmus marchio de monte Ferrato, vir nobilis & magnus, & qui penè solus ex Italiæ baronibus ciuitatum effugere potuit imperium, simul & Astensis episcopus, grauem vterq; super Astensium, alter, id est, Marchio super oppidanorum Kairæ conquestionem facientes insolentia. Neq; enim multum ad principis triumphi titulum, respectu ipsius gestorum fortium, facere arbitramur, si de castellis, rupibus, oppidis, villisq; magnis, quæ ab ingressu suo non solùm militari ordine, sed etiam armigerorum tumultuationis assultu subuersa sunt, diceremus, ad maiora festinantes. Aderant etiam Cumanorum seu Laudensium consules, de attritionis suæ diutina miseria, lachrymabilem super Mediolanensium superbia facientes querimoniam, præsentibus duobus consulibus eiusdem ciuitatis, Oberto de Orto, & Gerardo Nigro. Princeps igitur his de causis superiores Italiæ partes aditurus, per Mediolanensium fines transire volens, prædictos consules tanquam viæ duces futuros, & de idoneis tabernaculorum locis dispositurus, secum retinuit. Venerunt etiam ad eandem curiam legati Iauensium, qui non longè ante hæc ipsa, captis in Hispania inclytis ciuitatibus, & in sericorum pannorum opificio prænobilissimis, Almaria & Vlyxibona, Sarracenorum spolijs onusti redierant, leones, struthiones, psitacos, cum cæteris precios̃is muneribus Principi præsentantes.

CA-

CAPVT XIII. 1154.

Quibus occasionibus rex in Mediolanenses arma conuerterit.

FRIDERICVS ergo ad superiora (vt dictum est) vlteriotis Italiæ, profecturus, à Roncalijs copias ducens, in territorio Mediolanensium castra posuit. Dumque à prænominatis consulibus per arida, vbi nec stipendia inueniri, nec ex mercatu haberi possent, circunduceretur loca: indignatione motus, iussis primò vt ad propria redirent consulibus, in Mediolanenses arma conuertit. Accessit ad huius indignationis cumulum, quòd ex maxima imbrium effusione totus exacerbatus fuisse dicitur exercitus, vt ex hac duplici inediæ videlicet & cœli inclementiæ molestia, cuncti prout poterant principem aduersus eos concitarent. Alia itidem huius commotionis causa non parua fuit, quòd princeps temeritatis illorum in hoc tumorem præsenserat, quòd non solùm ciuitates quas destruxerant, reædificari pati nollent, quinetiam ad iniquitatis illorum assensum, ipsius nobilem & incorruptum hactenus animum pecunia inclinare ac corrumpere satagebant. Rex castra de aridis locis mouens, ad fertilia ipsius territorij habitacula non longè à ciuitate se transferens, militem lassatum refecit.

CAPVT XIIII.

Quædam oppida ac castra Mediolanensium euertuntur, & de Nouaria suoq; comite.

Rosatum opp.

ERAT in vicinio oppidum quoddam satis populosum Rosatum, vbi Mediolanenses circiter quingentorum equitum armatorum præsidia locauerant. Iubentur ergo equites ad ciuitatem redire, direptisq; omnibus vsui necessarijs, ipsum oppidum flammæ datur. Ibi quidam ex equitibus principis vsq; ad portas Mediolanensiũ progressi, quibusdam vulneratis, quosdam cepere. Mediolanenses nõ solùm damno præsentium, sed & metu futurorum stupefacti, Gerardi consulis, tanquam huius mali auctoris, domum, principis iram mitigaturi, dirimunt. At princeps huius rei nihil pensi habens, ad Ticinum vsq; amnem, maiores his clades irrogaturus, procedit. Is amnis à *Ticinus fl.* Pyrenæo, vt suprà ostensum est, surgens, & Padum seu Eridanum iuxta Papiam, quæ ex hinc Ticinum vocatur, influens, insulam Mediolanensium ab Occidentali latere cingit. Ibi duos pontes ligneos, quos ipsi ob incursum in Papienses & Nouarienses constructuxerant, ac ob illorum impetum reprimendum propugnaculis munierant, occupat, transmissoq; per eos milite ignibus tradit. Deniq; tria ipsorum castra munita & decora, id est Mummam, Gailardam, Tricam, quę ad expugnationem Nouariensium in ipsorum territorio firmauerant, expugnata cremantur. Est autem Nouaria *Nouaria.* ciuitas non magna, sed ex quo ab Imperatore Henrico olim euersa reædificari cœpit muro nouo, & vallo non modico munita, comitem habẽs in sua diœcesi Guidonem Blanderatensem, qui præter morem Italicum, totum ipsius ciuitatis territorium, vix ipsa ciuitate excepta, Mediolanensium possidet auctoritate: inhiantibus adhuc Mediolanensibus, vt & hanc simul & Papiam, sicut alias absorbeant ciuitates. Facta est hæc victoria Mense Decembri, nataleq; domini circa prædictorum excidium castrorum à principe cum magna celebratur alacritate.

CAPVT XV.

De subuersione Kairæ & Astæ, & de treuga militum.

POST hæc princeps per Vercellum & Taurinum transiens, transuadato ibi Pado ad inferiora versus Papiam iter reflectit. Verùm oppidani Cairæ, simul & Astenses ciues, eò quòd præcepta principis de exhibenda Marchioni suo Guilhelmo de Monte ferrato iusticia minimè paruissent, tanquam rebellionis rei hostes iudicati proscribuntur. Ad quorum puniendam contumaciam dum rex exercitum ducit, illi relictis munitionibus velut viribus suis diffidentes, ad vicina montana diffugiunt. Rex primò Cairam veniens, inuentis sufficienter victualibus, per aliquot ibi dies mansit. Turres quæ non paucæ ibidem fuere, destruxit, oppidumque succendit. Inde Astam procedens, vacuamq; non opibus sed habitatore reperiens ciuitatem, non paucis ibi diebus manens, igni eam & direptioni dedit. Antè verò quàm abinde castra mouerentur, consilio sapientum rex habito, propter crebras

Caira nunc Chiera & Asta vrbes in Subalpinis.

1155 quæ in exercitu ortæ fuerant ſeditiones, aliqua militi in poſterum profutura ordinare diſponit. Non ſolùm ergo edicto dato, ſed & à ſingulis maioribus & minoribus ſacramento præſtito, legem dedit, ne quis infra caſtrorum ambitum gladium ad quodlibet commilitonis nocumentum portare auderet, adijciens pœnam, vt quicunq; hanc treugam violando, quempiam de ſocijs vulneraret, manu mutilaretur, vel etiam capite obtruncaretur. Hacq; tam ſapienti, quàm neceſſaria lege data, de cætero iuuenilium irrationabilis impetus animorum conquieuit.

Edictum de pace caſtrenſi.

CAPVT XVI.

De Terdona, & quare obſeſſa ſit, & de eius ſitu, atq; præſidijs, & quomodo obſeſſa ac impugnata, qualiterue à ſuis defenſa fuerit.

FVIT non longè ab eo loco ciuitas Terdona, natura & arte munita, Mediolanenſibus amica, ipſisq; contra Papienſes fœdere iuncta. Igitur Papienſibus conquerentibus plus à Terdona ſe quàm à Mediolano moleſtari, eò quòd quamuis ciuitas Papia in ſinu quidem Mediolanenſium poſita, robur, tamen comitatus ſui vltra Ticinum fluuium habeat, iſti nullo montis ſeu fluminis obiectu expoſitum, iuſſa eſt à principe à Mediolani contubernio recedere, Papiæq; ſociari. Quod dum facere recuſaret, dumq; magis ſeditiosè & inimicè, quàm pacificè & amicè regibus, ciuitati adhærere delegiſſet, tanquam maieſtatis rea, & ipſa inter hoſtes imperij adnumerata proſcribitur. Princeps Terdonenſium ſicut & Aſtenſium vindicaturus inſolentiam, ab Aſta caſtra mouens, in marchia quadam, quæ Buſca dicitur, tentoria fixit. Ibi per aliquot dies moram faciens, quoſdam ex militibus cum fratre ſuo Conrado, Bertolfo Burgundionum duce, Ottone vexillifero ſuo, ex Baioaria Palatino comite præmittendos, ſitumq; ciuitatis exploraturos decreuit. Qui tranſmiſſo amne, qui Tanera vulgò dicitur, vſq; ad ipſam ciuitatem decurrentes, ac omnia circumſpicientes, non longè ab ea ſuper prædictum amnem metantur caſtra. Tertia dehinc luce rex ſuos inſecutus, altera fluminis ripa tabernacula fixit, ſuis ex prædicti amnis inundatione, qui ex ſubita imbrium multitudine plus ſolito excreuerat, iungi non valens. Attamen non multo pòſt fluuio aliquantiſper mitigato, tranſuadandi labore ſuis adiunctus, ad ciuitatem properauit. Primoq; aſſultu ſuburbia muro, turribus ſuffulta, cepit & expugnauit, ciuibus vix ad ſuperiorem ciuitatis arcem ſe recipiendi, ex noctis, quæ iam incumbebat, & ſuperuenientis tempeſtatis beneficio, facultatem habentibus. Eſt autem Terdona penè in pede Apennini montis, ex ea qua Apenninus & Pyrenæus, vt ſuprà dictum eſt, iunguntur, parte ſita, campaniam Papiæ ſeu Mediolani tanquam è ſpecula proſpiciens. In monte terete, ſcopuloſam faciem in prærupto laterum prætendente, poſita: turribus, & præcipuè vna lateritia, à Tarquinio Superbo olim facta, quæ & Rubea nunc ab indigenis dicebatur ſuperba: in decliuo montis ſuburbio, ex murorum ambitu, ac turrium celſarum, populiq; multitudine, cuiuſdam amniculi per medium tranſeuntis inſignis.

Terdonenſes à Friderico proſcripti.

Terdonæ ſitus.

Princeps nobilis, capto (vt dictum eſt) ſuburbio, arcem ipſam ſeu ciuitatem obſidione clauſit. Erat autem prædicta arx non ſolùm ſuis viribus, ſed etiam Mediolanenſium fortitudine, & vicinorum Baronum, quorum vnus Marchio Opitius, cognomento Malaſpina fuit, præſidijs munita, obq; tantæ opis confidentiam, ad propellēdam principis iram inſtrui auſa. Initiata eſt hæc celebris Terdonæ obſidio menſe Februario incipiente, poſt caput ieiunij proxima quadrageſimæ hebdomada. Receptis igitur ad anguſtias arcis Terdonenſibus, tantaque multitudine velut vno carcere incluſis, mons ipſe circumquaque à principe, ne vllus effugiendi pateret miſeris aditus, obſidione vallatur: Principe ipſo ex Occidentali parte, Henrico duce Saxoniæ in ſuburbio, quod Meridiem verſus Apenninum reſpicit, Papienſibus in Campania, quæ contra Papiam ſeu Mediolanum ad Orientem vel Aquilonem extenditur, reſidentibus. Nec mora, machinæ, diuerſorumq; tormentorum genera fabricantur, ſagittarij, baliſtarij, fundibularij arcem circunſeptam obſeruant. Tentabat omnia virtus principis, & vbi infirmiora arcis videbat loca, valentiori vrgebat manu. At Terdonenſes artiſſimis ſepti clauſtris effugij locum non habentes, ex deſpe-

Terdona obſeſſa anno 1155.

desperatione audaciam sumunt. Nulla enim (vt ait ille Historiographus) promptiorem bello militem reddit, quàm necessitas præliandi ex prærupto periculorum. Vrgentur iaculis, vrgentur balistis, quodq; his grauius est, propria remordentur conscientia: eò quòd proprio principi rebellando, quicunq; ex eis deprehensi fuissent, patibuli, quod in præsentiarum erectum cernebant, expectabant supplicium. Sicut enim est magna miseris tyrannicæ obuiantibus immanitati consolatio, conscientiæ spes: sic è conuerso tali principi, qui non solùm legitimus iudex, sed & primus præsul dici potest, reluctari conãtibus, miseriæ miseriam cumulat, contra conscientiam debitæ sententiæ metus. Crebris tamen excursionibus, quasi nullo timoris periculo vrgerentur, militem in castris manentem lacessebant, iuuenilesq; animi, laudis (vt assolet) auidi, virium suarum experientiam vtrobiq; capessebant: illis pro salute, istis pro triumpho dimicantibus. Nec hoc sine vtriusq; partis damno. Nam & ex nostris duo nobiles iuuenes, Kadolus ex Baioaria, & Ioannes de Saxonia, pluribus sauciatis, necantur. Ex illis verò, exceptis his quos occisos, vel vulneratos intus celabant, nonnulli viui deprehensi, ligni supplicio in oculis omnium pœnas meritas luebant. Ferunt quadam die lapidem vi tormenti ex balista, quam modò *margam* vulgò dicere solent, propulsum, ad superiora mœniorum loca conscendisse, ex collisione parietum tribus fractis frustis, tres simul milites armatos inter maiores ciuitatis, iuxta principalem ecclesiam de suæ reipublicæ statu consultantibus stantes, vno ictu percussisse, neciq; dedisse. 1155.

Marga tormenti bellicigenus.

Quia verò castra Papiensium maiorem incursum cæteris sustinebant, iunguntur eis ex imperio principis Guilhelmus marchio de monte Ferrato, & quidam alij ex Italicis Baronibus. Erat enim ex ea parte puteus seu fons, quo solo poterant oppidani vti: & idcirco Papiensibus prohibentibus, illisq; suprema necessitudine, cuius proprium est periculorum discriminis immemorem esse, audacter decertantibus, maior, imò quasi quotidiana instabat conflictatio. Nam amniculus, qui medius (vt suprà ostẽsum est) percurrebat suburbium, ex ruina turrium, cæterorúmve mœniũ, à proprio alueo excussus, ne in ipsorum vsum etiam feculentus prouenire posset, à duce Saxoniæ, fuisque acriter seruabatur. Videns Princeps plus cupito obsidionem produci, (anhelabat enim ad accipiendam orbis & vrbis monarchiæ coronam) non solum turres machinis quati, sed etiam inusitato satis vtens artificio, cuniculos versus turrim Tarquinij, quæ Rubea dicebatur, fieri iubet: vt sic ad turrem ipsam per ipsos subterraneos meatus procedẽtes, fundamento læso, eam ruinæ darent. Nam cùm prædicta ciuitas non in modum aliarum ciuitatum vallo seu fossa, sed præruptis vndique propè intercluſa rupibus, naturali præsidio muniatur: ex illa tantùm parte aliquantisper remissior, hispidæq; rupis firmamento carens, prædictæ turris munimentum, magniq; fossati robur, tanquam huius suæ imbecillitatis adiumentum, artificialiter admisit. Oppidani, non sine quorundam ex nostris proditionis suspicione, ingenium præsentiunt, commentisq; vsi, iuxta fundamentum turris & ipsi cuniculos faciunt: sicq; quibusdam ad euersionem turris procedentibus, suffocatis, cæteri à cœpto desistunt. Post hæc rex naturam naturę ope vincere volens, id est, vt naturæ præsidiis septos per inopiam cogeret potus, prædictum fontem humanis vsibus inutilem facere disponit. Iniiciuntur ibi hominum, pecorum fœtida & putrescentia cadauera. Sed nec sic repelli poterat misera oppidanorum auiditas. Aliud itidem inuenitur ingenium. Incutiuntur prædicto fonti ardentes faculæ, sulphureas & piceas flammas ferentes: sicq; aquæ ipsæ, humanis vsibus deinceps inutiles, amaricantur.

Terdonẽses aquatione prohibiti.

CAPVT XVII.

De inuasione cuiusdam castri.

ERAT in vicinio castrum quoddam Mediolanensium N. vocitatum, natura & ingenio munitum. Fiunt in castris, cernentibus Terdonensibus, scalæ, cæteraque pro ascendendis muris instrumenta vtilia, oppidanis arbitrantibus ad ipsorum hæc fieri nocumentum. Deliguntur gnari quique & fortes de equitum ordine viri, præfectisque sibi duobus ducibus, Bertolfo Duce, & Ottone Palatino comite, ad

prædictumq; castrum eo tempore quo noctis beneficio propositum celari poterat, properatur. Nec mora, iactis ad murum scalis, ad superioris conuexa tendunt, castrum ingrediuntur, ac sine dubio cunctis sopore depressis, voto potiti fuissent: nisi ex præmaturata clamoris concitatione oppidani excitati, ad fugamq; parati, vix tandem fiducia sumpta, ad arma conuolassent.

CAPVT XVIII.

De audacia cuiusdam scutiferi, & de miserabili conquestione Terdonensium.

Militis cuiusdam spectata virtus.

NEc prætereundum erit, de cuiusdam præruptæ audaciæ stratoris virtute, qui dum tædio longæ obsidionis affectus, cæteris assiliendi arcem exemplum dare vellet, gladio tantùm & clypeo, paruaq; (vt id genus hominum solet) securi, quæ sellæ ab eis alligatæ portantur, vsus, aggerem qui turri Rubeæ præiacet, aggreditur, viamq; securi qua pedem figeret, faciens, montem ascendit. Non illum crebri lapidum ictus, qui à machinis principis contra turrim, vi tormentorum propellebantur, deterrere: non eum iaculorum, seu saxorum ab arce ad modum imbrium, non interpolati iactus reuocare poterant: ad turrim vsq; iam semidirutam processit, ibiq; viriliter dimicando, militem etiam armatum ad terram ictibus deiecit, atq; inter tot periculorum discrimina illæsus, ad castra redire potuit. Quem rex ad se vocatum, militari cingulo ob tam præclarum facinus, honorandum decreuit. At ille cum se plebeium diceret, in eodemq; ordine velle remanere, sufficere sibi conditionem suam, honestè donatum, ad propria redire permisit contubernia.

Sed vt ad id vnde digressi sumus, redeamus. Vrgentur aquis amaricatis oppidani, intolerabili potus inedia, graui sitis molestia. Appropinquabat paschale festum, & princeps religionis intuitu quatuor diebus, id est à quinta cœnæ domini feria, vsq; ad proximæ Paschalis hebdomadæ secundam feriam, ab arcis impugnatione cessandum statuit. Itaq; proxima dehinc feria, id est, ea die qua passio domini in Parasceue à cunctis Christicolis celebratur, clerici & monachi cum oppidanis inclusi, vestibus sacris induti, cum crucibus, thuribulis, cæteriscq; Christiani ritus ornamentis, portis apertis egressi, ad tentoria principis venire cupiebant. Quos rex de longè prospiciens, missis in occursum episcopis viriscq; literatis, cur, & ad quid venirent, inquisiuit. At illi, Terdonæ nos aiunt, infelix portio, ad pedes regalis excellentiæ venire desiderabamus, calamitates deploraturi, quas sustinemus non merito nostro, sed perditæ ciuitatis, perditissimorumq; ciuium contagio. Nunc autem quia ad præsentiam non admittimur principis, liceat interim pedib⁹ vestræ prouolui benignitatis, obnixè postulantes: vt humanitatis gratia nos homines animaduertendo, humanæ miseriæ tanquam vestram sortem in nobis recognoscatis. Neq; pro condemnata ciuitate, nec pro ciuibus maiestate reis preces afferimus. Quos ô vtinam nunquam nostri vidissent oculi, nunquam eis sors iunxisset, quorum nobis sors tam futura fuerat obnoxia. Nunquid insons cum sonte, cum nocente innocens, innoxius cum reo, pari pœna ab æquo iudice plectendus erit? Vallamur claustrorum diuturnitate, quatimur tormentorum acerbitate, sitis infesta ariditate, piceas ac sulfureas, vsibusq; humanis ineptas, aquas haurire cogimur: vnde (quod magis dolendum est) non nobis hoc sacrosancto dominicæ passionis tempore Deo seruire licet, quia nec libet. Astantes enim sacris altaribus, sagittarum terremur spiculis, saxorum percellimur ictibus: sicq; semper ad omnem etiam naturalem motum pauidi, à mentis tranquillitate tanquam amentes circumferimur. Non securi in lectulis, non in oratorio imperculsi, animum ex periculorum instantia distractum, ad offerendum deo sacrificium pacis colligere pacificum non valemus. Quid fecimus? quid luimus? Nunquid Mediolano associati, rea contra Papiam arma tulimus? Nunquid ex fœdere seditiosæ ciuitatis iram principis incurrimus? At nos hactenus armorum ignari, ne dicam cum factiosis, sed nec vllis mortalibus confœderati, soli Deo armis spiritualibus, non carnalibus instructi militare consueuimus. Sine nostro consilio miles armatur: nobis inconsultis, imò ignorantibus in prælio certatur: consulum, maiorumq; ciuitatis hæc est dispositio, illorum nutu hæc geruntur, procerum motus (vt dicitur) hæc cuncta sequuntur. Ad nos nihil

Cleri Terdon. lamentabilis supplicatio.

spectat,

ſpectat, niſi eccleſiaſticarum excubiarum ſollicitudo, pro regum cæterorumúe in 1155
ſublimitate poſitorum tranquillitate ad regem regum Deum quotidiana afflagitatio. At dicet aliquis, Ex hoſtis contubernio & tu iudicaris hoſtis. Sis eius in pœna ſocius, cuius fuiſti in malefactis ſocius. Nam tangēs picem coinquinatur. Cum peruerſo manens peruertitur. Dicit enim Pſalmiſta: *Cum ſancto ſanctus eris, & cum peruerſo peruerteris.* Nunquid noſtro magis arbitrio, quàm diuina prouidentia ciuibus his commanendi neceſſitudine, non ex malefaciendi aſſenſione adiuncti ſumus? Nunquid non cum Babylonicis, qui affectu, non loco fugiendi ſunt, nos non Babylonici in vno ſepto eſſe poſſumus? Poſſum cum malefactore eſſe, nec tamen malefactoris ſocius, vel amicus iurè dici. Poſſum neceſſitatis lege ſic perſonæ iungi, vt perſonæ non iungar vitio iure naturæ in homine: naturam ſic hominis diligere, vt naturæ abhorream caſum. Nam qui ex inducto Sapientis, vel Pſalmographi teſtimonio, ſcilicet quòd ex contubernio bonorum bonus, ex conſortio malorum malus fiat, probare nititur: non ſic auctoritatem notabit, quaſi non de quodam ſic, & de quodam non ſic, ſed de omni ſic & ſemper accipiatur: verùm etſi de quodam ſic, & de quodam non ſic, non tamen de omni ſic vel ſemper, ſed vt frequentius dictum putet. Quem vſum in naturalibus non Mathematicorum, ſed Phyſicorum ſequuntur artes. Nec ritè pice tangi ex commanendi, ſed conſentiendi dicetur ratione. Quamuis & alium prædictæ auctoritati, prophetiæ præcedentia & conſequentia generent ſenſum, vt non de nobis, ſed de creatore hæc aſſerantur, qui ſcilicet, ſicut ſancto ſanctus apparet, miſericorditer eum iuſtificando: ſic peruerſo peruerſus putatur, iuſtè illum puniendo, ea locutione, vel proportionis ratione, qua linea recta curuo parieti appoſita, irrationali ſenſus opinione, non recta videtur. Vnde & alibi ab eodem propheta dicitur: *Quàm bonus Iſrael Deus his qui recto ſunt corde.* Et hic ſubſequenter adnectitur: *Quoniam tu populum humilem ſaluum facies, & oculos ſuperborum humiliabis.* Imitetur princeps terræ principem cœli, & ſi in eadem ciuitate cum ſuperbo humilis inueniatur, non tamen cum ſuperbo humilis puniatur. Miſeremini ergo domini & patres cōditionis noſtræ, reſpicite in nobis quæ geſtamus ſtigmata Chriſti: & quos ad pietatem non flectit noſtræ calamitatis acerbitas, inclinet ſaltem character Domini. Sed heu mortaliū ſortem. Commenta Papiæ luis Terdona, non tua delicta. Accuſas de malefactis Papia Terdonam, cùm tu ſi comparationem diſſimulando qualitatum admittit, peius fecerıs. At inquies, Improbæ ciuitati, ſuaq; contumaci ſuperbia vicinos quoſq; prementi fœdere nexa, ab æquo principe iure pœnas ſubire debes. Eſto: Mediolano aſſociata eſt Terdona. Quare non illius gratia, ſed tuo metu: non vt per illius potentiam imperaret, ſed vt per eius vires à tua excuteretur violentia. Senſi rem meam (inquit Terdona) agi, dum paries proximus, Lunellū dico, arderet, ſub Mediolani confugi alas. Mediolanum iudicas, quòd Cumas legitima occaſione deſtruxerit. Teipſam non reſpicis, quæ Lunellum imperiale oppidum, magna & robuſta equitum manu ſtipatū, Palatini comitis tui habitatione inclytum, oppidanis ipſis ad colloquium pacis dolo vocatis, fraudulenterq; captis, ad ſolum vſq; ſine cauſa proſternere non timueris. Factus eſt ille inter Italiæ proceres nobiliſſimus inquilinus tuus, qui debuit eſſe dominus. Reddit tibi nunc vectigal, cui tu principis vicem gerenti vectigal perſoluere ſolebas. Videat princeps, & animaduertat qua honeſtate ſui, imperijúe honore ipſius lateri iudicium de Italis laturus aſſideat. Vectigalis tuus conſideret, quo decore ſecuris, quo rei in Italia iure plectendi ſunt, ante ipſum deferatur, qui ſub tuis modò militat ſignis. Iudicetur igitur à iuſto rerum arbitrio æqua lance, primò Ticinum, eiusq; exemplo cæterarum Italiæ vrbium corrigantur exceſſus. Sed quid ad nos de talibus?

Tractent fabrilia fabri.

Nos miſerum vulgus, nos Dei tantùm ſeruitio mancipati, noſtram intueamur ſortem, Nihil ad nos de tyrannis terræ. Atq; ô vtinam felix nimium prior ætas, atq; aurea Saturni redirent ſecula, vt colonus terræ ſarculo, ligoneq; & raſtro, non cum naturæ conſorte, ſed cum terra pugnaret: ſicque ordo Deo ſacratus, orationibus obſecrationibus liberè inuigilare poſſet. Pereat qui ad cruentandum hominum genus arma extulit, qui beluina feritate hominem ſe non recognoſcens, humanum ſanguinem primò fudit. Ad nos redeamus. Nihil fecimus, alienas ob culpas plectimur.

Pſalm. 18.

Pſalm. 73.

1155 Nobis quæsumus pietas parcat principis, & si miserrimæ non vult ignoscere ciuitati, nos saltem inermes iam ex fœtore pestilentiæ morbidos, & iam morti propinquos, libertati datos, de tam grauibus claustris exire permittat. Hæc dicunt: & manus ad cœlos tendentes, lachrymisq; obortis rigantes genas, cum magno eiulatu ad pedes eorum qui missi fuerant, se prosternunt.

CAPVT XIX.

Quòd multis malis attriti Terdonenses de pace cogitant.

COGNITIS his princeps animum quidem intus ad misericordiam flexum præsensit, sed dissolutionis suspicionem vitans extrà eum in prioris seueritatis constantia seruauit, illis vt ad arcem redeant iussis. Condescendebat miseræ Cleri sorti, sed subridebat superbi populi fortunæ, quem hoc indicio quasi desperatum, & desolationi proximum animaduertebat. At oppidani nondum tot malis victos se fingentes, infra quatuor dies, quibus pro Christiani cultus deuotione principem hostibus pacem dedisse diximus, baleare tormentum instruunt, ignorante principe, ac eos treugam datam obseruare æstimante. Finito vt dictum est, quatriduo, oppidani rursus machinis pulsantur. Illi suo quod fecerant vim tormenti propellentes, vnum etiam quo magis infestabantur, quatiendo frangunt. Quo sine mora reparato, actius solito vrgentur. Tot impulsionum, ac maximè sitis defatigatione fracti, vltimaq; desperatione correpti Terdonenses, tandem de reddenda per deditionis præsidium pertractant arce.

CAPVT XX.

De euersione ciuitatis, & quomodo rex apud Papiam triumphum agens coronatur, & inde in Tusciam iter, & quomodo rex ad Vrbem tendens, Romanum pontificem obuium habuit, & de Arnaldo schismatico.

Terdona igne deletur.

IGITVR tertia post Paschalem solennitatem hebdomada, mense Aprili, animabus solùm ex miseratione & mansuetudine principis saluti & libertati datis, ciuitas primò direptioni exposita, excidio & flammæ mox traditur. Eripitur ibi de graui qua tenebatur captiuitate, quidam ex Græcorum proceribus, quem Opitius cognomento Malaspina, malè propter pecuniæ exactionem ceperat, asperisq; locis inclusum in ipsa arce tenebat. Videres miseros oppidanos, cum iam securitate concessa, de miseris claustrorum ergastulis ad liberam prodirent aeris temperiem, funebri facie tanquam de bustis egredientes imitari, in semet prætendentes, quod dicitur omnium miserabilius esse, claudi obsidione.

Fridericus Papiæ coronatur.

Peracta victoria, rex à Papiensibus ad ipsorum ciuitatem triumphum sibi exhibituris inuitatur, ibiq; ea dominica qua *Iubilate* canitur, in ecclesia S. Michaëlis, vbi antiquum regum Longobardorum palatium fuit, cum multo ciuium tripudio coronatur. Deductis ibi cum magna ciuitatis lætitia & impensa tribus diebus, inde per Placentiam transiens, iuxta Bononiam Pentecosten celebrat, ac ibidem transcenso Apennino citeriorem Italiam, quæ modò Tuscia vocari solet, perlustrat. Illic Pisanos viros in insulis, & transmarinis ciuitatibus potentes obuios habuit: eisq; vt naues contra Guilhelmum Siculum armarent, in mandatis dedit. Circa idem tempus Anselmus Hauelburgensis episcopus à Græcia reuersus, Rauennatensem archiepiscopatum per cleri & populi electionem, simul & eiusdem prouinciæ exarchatum, laboris sui magnificam recompensationem à Principe accepit.

Anshelmus Rauennatensis archiepiscopus.

Igitur rex ad Vrbem tendens, circa Viterbium castrametatur. Quò Romanus Antistes Adrianus cum cardinalibus suis veniens, ex debito officij sui honorificè susscipitur, grauiq; aduersus populum suum conquestione vtens, reuerenter auditus est. Prædictus enim populus, ex quo Senatorum ordinem renouare studuit, multis malis Pontifices suos affligere temeritatis ausu non formidauit.

Arnulfus Brixiensis ἐπιφοβόλος κακός.

Accessit ad huius seditiosi facinoris argumentum, quòd Arnolfus quidam Brixiensis, de quo suprà dictum est, sub typo religionis, & vt euangelicis verbis vtar, sub

ouina

ouina pelle lupum gerens, Vrbem ingreſſus, ad factionem iſtam rudis populi animis 1155
prærnolli dogmate ad animoſitatem accenſis, innumeram poſt ſe duxit, imò ſeduxit multitudinem. Arnaldus iſte ex Italia ciuitate Brixia oriundus, eiuſdēq; eccleſiæ clericus, ac tantùm lector ordinatus, Petrum Abailardum olim præceptorem habuerat. Vir quidem naturæ non hebetis, plus tamen verborum profluuio quàm ſententiarum pondere copioſus. Singularitatis amator, nouitatis cupidus: cuiuſmodi hominum ingenia ad fabricandas hæreſes, ſchiſmatūq; perturbationes ſunt prona. Is à ſtudio à Gallijs in Italiam reuertens, religioſum habitum, quo amplius decipere poſſet induit, omnia lacerans, omnia rodens, nemini parcens. Clericorum ac epiſcoporum derogator, monachorum perſecutor, laicis tantùm adulans. Dicebat enim nec clericos proprietatem, nec epiſcopos regalia, nec monachos poſſeſſiones habentes, aliqua ratione ſaluari poſſe. Cuncta hæc Principis eſſe, ab eiusq; beneficentia in vſum tantùm laicorum cedere oportere. Præter hæc de ſacramento altaris, baptiſmo paruulorum non ſanè dicitur ſenſiſſe. His alijsq; modis, quos longum eſt enumerare, dum Brixienſem eccleſiam perturbaret, laicisq; terræ illius prurientes erga clerum aures habentibus, eccleſiaſticas malitiosè exponeret paginas, in magno concilio Romę ſub Innocentio habito, ab epiſcopo ciuitatis illius, virisq; religioſis accuſatur. Romanus ergo pontifex, ne perniciosum dogma ad plures ſerperet, imponendū viro ſilentium decernit: ſicque factum eſt. Ita homo ille de Italia fugiens, ad tranſalpina ſe contulit: ibiq; in oppido Alemaniæ Turego officium doctoris aſſumens, perniciosum dogma aliquot diebus ſeminauit. Comperta verò morte Innocentij, circa principia pontificatus Eugenij, Vrbem ingreſſus, cùm eam contra pontificem ſuum in ſeditionem excitatam inueniſſet, viri ſapientis haud ſectatus conſilium, de huiuſmodi dicentis, *Ne in eius ignem ligna ſtruas*, amplius eam in ſeditionem excitauit: proponens antiquorum Romanorum exempla, qui ex ſenatus maturitatis conſulto, & ex iuuenum animorum fortitudinis ordine & integritate, totum orbem terræ ſuum fecerint. Quare reædificandum Capitolium, renouandam dignitatem ſenatoriam, reformandum equeſtrem ordinem docuit. Nihil in diſpoſitione Vrbis ad Romanum ſpectare pontificem, ſufficere ſibi eccleſiaſticum iudicium debere. In tantum verò huius venenoſæ doctrinæ cœpit inualeſcere malum, vt non ſolùm nobilium Romanorum, ſeu Cardinalium diruerentur domus, & ſplendida palatia, verum etiam de Cardinalibus reuerendæ perſonæ, inhoneſtè ſautiatis quibuſdam, à furenti plebe tractarentur. Hæc & his ſimilia cum multis diebus, id eſt, à morte Celeſtini, vſque ad hæc ab eo inceſſanter & irreuerenter agerentur tempora, cumq; ſententia paſtorum iuſtè in eum, & canonicè prolata, eius iudicio tanquam omnino auctoritatis vacua, contemnerentur: tandem in manus quorundam incidens, in Tuſciæ finibus captus, Principis examini reſeruatus eſt, & ad vltimum à præfecto Vrbis ligno adactus, ac rogo in puluerem redacto funere, ne à ſtolida plebe corpus eius veneratione haberetur, in Tyberim ſparſus.

Arnulfus Romæ igne crematur.

Sed vt ad id, vnde digreſſus eſt ſtylus, redeat, iunctis ſibi in comitatu rerum apicibus, ac per aliquot dies vnà procedentibus, quaſi inter ſpiritalem patrem & filium dulcia miſcentur colloquia, & tanquam ex duabus principalibus curijs vna repub. effecta, eccleſiaſtica ſimul & ſecularia tractantur negocia.

CAPVT XXI.

De legatis Romanorum, & eorum legatione, & quale reſponſum à principe acceperint. item qualiter hortatu ſummi pontificis Leoninam vrbem, & eccleſiam ſancti Petri princeps occupari fecerit.

AT Romanorum ciues de principis aduentu cognoſcentes prætentandum ipſius animum legatione adiudicarunt. Ordinatis ergo legatis induſtrijs & literatis, qui eum inter Suttrium & Romam adirent, accepto prius de ſecuritate viatico, ſicq; præſentatis regalis excellentiæ conſiſtorio viris, taliter adorſi ſunt.

Vrbis legati nos, vrbis non paruum momentum, rex optime, ad tuam à ſenatu populoq; Rom. deſtinati ſumus excellentiam. Audi ſerena mente, benignis auribus, quæ tibi ab alma orbis domina deferuntur vrbe, cuius in proximo, adiuuante Deo,

Romanorum abſurda & inſolentia Cæſare ſtulata

1155. futurus es princeps, imperator, & dominus. Pacificus ſi veniſti, imò quia vt arbitror, veniſti, gaudeo. Orbis imperium affectas, coronam præbitura gratanter aſſurgo, iocánter occurro. Cur enim ſuum viſitaturus populum non pacificè aduenire t, non glorioſa munificentia reſpiceret, qui indebitum clericorum excuſſurus iugum, ipſius magna ac diutina expectatione præſtolatus eſt aduentum? Reuertantur opto priſtina tempora, redeant rogo inclytæ vrbis priuilegia, orbis vrbs ſub hoc principe recipiat gubernacula, refrenetur hoc Imperatore, ac ad vrbis reducatur monarchiam orbis inſolentia. Tali rector Auguſti ſicut nomine, ſic induatur & gloria. Scis quòd vrbs Roma ex ſenatoriæ dignitatis ſapientia, ac equeſtris ordinis virtute & diſciplina, à mari vſq; ad mare palmites extendens, non ſolùm ad terminos orbis dilatauit, quin etiam inſulas extra orbem poſitas orbi adijciens, principatus illic propagines propagauit. Non illos procelloſi fluctus æquorum, non hos ſcopuloſæ & inacceſſibiles rupes Alpium tueri poterant, Romana virtus indomita cuncta perdomuit. Sed exigentibus peccatis, longè poſitis à nobis principibus noſtris, nobili illo antiquitatis inſigni, ſenatum loquor, ex inerti quorundam deſidia neglectui dato, dormitante prudentia, vires quoque minui neceſſe fuit. Aſſurrexi tuæ, ac diuæ reipub. profuturum gloriæ, ad ſacrum ſanctum vrbis ſenatum, equeſtremq; ordinem inſtaurandum, quatenus huius conſilijs, illius armis, Romano imperio, tuæq; perſonæ, antiqua redeat magnificentia. Nunquid hoc placere non debebit tuæ nobilitati? Nónne etiam remunerabile iudicabitur tam inſigne facinus, tamq; tuæ competens auctoritati? Audi ergo princeps, patienter & clementer pauca de tua, ac de mea iuſticia, prius tamen de tua quàm de mea. Etenim,

Ab Ioue principium.

Hoſpes eras, ciuem feci. Aduena fuiſti ex tranſalpinis partibus, principem conſtitui. Quod meum iure fuit, tibi dedi. Debes itaque primò ad obſeruandas meas bonas conſuetudines, legesq; antiquas, mihi ab anteceſſoribus tuis imperatoribus idoneis inſtrumentis firmatas, ne barbarorum violentur rabie, ſecuritatem præbere: officialibus meis, à quibus tibi in Capitolio adclamandum erit, vſque ad quinque milia librarum expenſam dare, iniuriam à repub. etiam vſque ad effuſionem ſanguinis propellere, & hæc omnia priuilegijs munire, ſacramentiq; interpoſitione propria manu confirmare.

Ad hæc rex tam ſuperbo quàm inuſitato orationis tenore, iuſta indignatione inflammmatus, curſum verborum illorum de ſuæ reip. ac imperij iuſticia, more Italico longa continuatione, periodorumq; circuitibus ſermonem producturum interrupit, & cum corporis modeſtia, orisq; venuſtate regalem ſeruans animum, ex improuiſo non improuisè reſpondit.

Friderici reſponſum extemporaneum.

Multa de Romanorum ſapientia, ſeu fortitudine hactenus audiuimus, magis tamen de ſapientia. Quare ſatis mirari non poſſumus, quòd verba veſtra plus arrogantiæ tumore inſipida, quàm ſale ſapientiæ condita ſentimus. Antiquam tuæ proponis vrbis nobilitatem, diuæ tuæ reip. veterem ſtatum ad ſydera ſuſtollis. Agnoſco, agnoſco, vt & tui ſcriptoris verbis vtar: fuit, fuit quondam in hac rep. virtus. Quondam dico, atque ô vtinam tam veraciter, quàm libenter Nunc dicere poſſemus. Senſit Roma tua, imò & noſtra viciſſitudines rerum. Sola euadere non potuit, æterna lege ab auctore omnium ſancitam cunctis ſub lunari globo degentibus ſortem. Quid dicam? Clarum eſt qualiter primò nobilitatis tuæ robur ab hac noſtra vrbe translatum ſit ad Orientis vrbem regiam, & per annorum curricula, vbera deliciarum tuarum Græculus eſuriens ſuxerit. Superuenit Francus, verè nomine & re nobilis, eamq; quæ adhuc in te reſidua fuit, ingenuitatem fortiter eripuit. Vis cognoſcere antiquam tuæ Romæ gloriam, ſenatorię dignitatis grauitatem, tabernaculorum diſpoſitionem, equeſtris ordinis virtutem & diſciplinam, ad conflictum procedentis intemeratam ac indomitam audaciam? Noſtram intuere rempub. Penes nos cuncta hæc ſunt. Ad nos ſimul omnia hęc cum imperio dimanârunt. Non ceſſit nobis nudum imperium: virtute ſua amictum venit, ornamenta ſua ſecum traxit. Penes nos ſunt conſules tui: penes nos eſt ſenatus tuus: penes nos eſt miles tuus. Proceres Francorum ipſi te conſilio regere, equites Francorum ipſi tuam ferro iniuriam propellere debebunt. Gloriatis

riaris me per te vocatum esse, me per te primò ciuem, pòst principem factum, quod 1155.
tuum erat à te susceptisse. Quæ dicti nouitas quàm ratione absona, quàm veritate vacua sit, æstimationi tuæ, prudentumq; relinquatur arbitrio. Reuoluamus modernorum Imperatorum gesta, si non diui nostri principes Carolus & Otto, nullius beneficio traditam, sed virtute expugnatam Græcis seu Longobardis Vrbem, cum Italia eripuerint, Francorumq; apposuerint terminis. Docet hæc Desiderius & Berengarius tyranni tui, in quibus gloriabaris, quibus tanquam principibus innitebaris. Eos à Francis nostris non solùm subactos & captos fuisse, sed & in seruitute ipsorum consenuisse, vitam finisse, vera relatione didicimus. Cineres ipsorum apud nos recondi-
10 ti, euidentissimum huius rei repræsentant indicium. Sed dicis, Vocatione mea venisti. Fateor, vocatus fui. Redde causam quare vocatus fuerim. Ab hostibus pulsabaris, nec propria manu, Græcorumve mollitie liberari poteras. Francorum virtus inuitatione adscita est. Imprecationem potius quàm vocationem hanc dixerim. Imploraſti misera felicem, debilis fortem, inualida validum, anxia securum. Eo tenore vocatus, si vocatio dicenda est, veni. Principem tuum militem meum feci, teq; deinceps vsque in præsentiarum in meam ditionem transfudi. Legitimus possessor sum. Eripiat quis si potest clauam de manu Herculis. Siculus in quo confidis, fortè hæc faciet? Ad priora respiciat exempla. Nondum facta est Francorum, siue Teutonicorũ
manus inualida. Deo largiente, vitaq; comite, & ipse temeritatis suæ quandoque ca-
20 pere poterit experimenta. Iusticiam tuam, quam tibi debeam, exquiris. Taceo quòd principem populo, non populum principi leges præscribere oporteat. Prætermitto quòd quilibet possessor possessionem suam ingressurus, nullum conditionis præiudicium pati debeat. Ratione contendamus. Proponis, vt mihi videtur, trium sacramentorum exactionem. De singulis respondeo. Dicis me debere iurare, vt leges antecessorum meorum Imperatorum, eorum priuilegijs tibi firmatas, & bonas consuetudines tuas obseruem. Apponis etiam, quòd patriæ vsque ad periculũ capitis, tuitionem iurem. Ad ista duo simul respondeo. Ea quæ postulas, aut iusta sunt, aut iniusta. Si iniusta sunt, nec tuum erit postulare, nec meum concedere. Si iusta, recognosco me hæc & debendo velle, & volendo debere. Quare superfluum erit voluntario debito,
30 & debitæ voluntati sacramentum apponere. Quomodo enim tibi tuam iusticiam infringerem, qui quibuslibet infimis etiam quod suum est, seruare cupio? Quomodo patriam, & præcipuè imperij mei sedem, vsque ad periculum capitis nõ defenderem, qui & ipsius terminos non sine eiusdem periculi æstimatione, quantum est in me, restaurare cogitauerim? Experta est hoc Dania nuper subacta, Romanoq; reddita orbi, & fortasse plures prouinciæ, pluraq; sensissent regna, si præsens negocium non impedisset. Ad tertium venio capitulum. Affirmas pro pecunia quadam iuramentum præberi à mea deberi persona. Proh nefas. A tuo Roma exigis principe, quod quilibet lixa potius petere deberet ab institore. A captiuis hæc penes nos exiguntur. Num in captiuitate detineor? Num vinculis hostium vrgeor? Nónne multo & forti stipa-
40 tus milite inclytus sedeo? Cogetur princeps Romanus contra suam voluntatẽ cuiuslibet præbitor esse, non largitor? Regaliter & magnificè hactenus mea cui libuit, & quantum decuit, & præcipuè benè de me meritis dare consueui. Sicut enim à minoribus debitum ritè expetitur obsequium: sic à maioribus meritum iustè repẽditur beneficium: hunc quem alibi à diuis parentibus meis acceptum seruaui morem, ciuibus cur negarem? Vrbemq; meo introitu lætam non facerem? Sed meritò non iusta iniustè petenti, cuncta iustè negantur.

Hæc dicens, & non sine condigna mentis indignatione orationem terminans, conticuit. Porro quibusdam ex circunstantibus inquirentibus ab his qui missi fuerant, an plura dicere vellent, paulisper deliberantes in dolo responderunt, se prius ea
50 quæ audierant, conciuibus suis referre, & tunc demum ex cõsilio ad principem redire velle. Sic accepto commeatu, à curia egredientes, ad Vrbem cum festinatione reuertuntur. Rex dolum præsentiens, consulendum super hoc negocio patrem suum Romanum pontificem decernit. Cui ille: Romanæ plebis fili, adhuc meliùs experieris versutiam. Cognosces enim in dolo eos venisse, & in dolo redisse. Sed Dei nos adiuuante clementia, dicentis, Comprehendam sapientes in astutia sua, præuenire eo-

1155. rum poterimus versutas insidias. Maturatò igitur præmittantur fortes & gnari de exercitu iuuenes, qui ecclesiam beati Petri: Leoninumq; occupent castrum. In præsidijs equites nostri ibi sunt, qui eos cognita voluntate nostra, statim admittent. Præterea Octauianum cardinalem presbyterum, qui de nobilissimo Romanorum descendit sanguine, fidelissimum tuum, eis adiungemus. Sicq; factum est. Eliguntur proxima nocte penè vsq; ad mille armatorum equitum lectissimi iuuenes, summoq; diluculo Leoninam intrantes vrbem, ecclesiam beati Petri, vestibulum & gradus occupaturi, obseruant. Redeunt ad castra nuncij hæc læta reportantes.

CAPVT XXII.

Quomodo rex in eadem ecclesia sancti Petri coronam Imperij acceperit: & de excursu Romanorum, & clade ac victoria Imperatoris.

SOLE orto, transacta iam prima hora, præcedēte cum cardinalibus & clericis summo pontifice Adriano, eiusq; aduentum in gradibus præstolante, rex castra mouens, armatus cum suis per decliuum montis Gaudij descendens, ea porta quam auream vocant, Leoninam vrbem, in qua beati Petri ecclesia sita noscitur, intrauit. Videres militem tam armorum splendore fulgentem, tam ordinis integritate decenter incedentem, vt rectè de illo dici posset, *Terribilis vt castrorum acies ordinata:* & illud *Cant. 6.* Machabæorum, *Refulsit Sol in clypeos aureos & æreos, & resplenduerunt montes ab eis.* *1. Mach. 6.* Mox princeps ad gradus ecclesiæ beati Petri veniens, à summo pontifice honorificè susceptus, ac vsq; ad confessionem beati Petri deductus est. Dehinc celebratis ab ipso Papa missarum solennibus, armato stipatus rex milite, cum benedictione debita imperij coronam accepit, Anno regni sui IIII. mense Iunio, XIIII. Kalend. Iulij. cunctis qui aderant, cum magna lætitia acclamātibus, Deumq; super tam glorioso facto glorificantibus. Interim à suis pons, qui iuxta castrum Crescentij ab vrbe Leonina vsque ad ingressum ipsius extēditur Vrbis, ne à furente populo celebritatis huius iocunditas interrumpi posset, seruabatur. Peractis omnibus, Imperator cum corona solus quum phaleratum insidens, cæteris pedes euntibus, per eandem qua introierat portam, ad tabernacula quæ ipsis muris adhærebant, reuertitur. Romano pontifice in palatio, quod iuxta ecclesiam habebat, remanente.

Fridericus Roma consecratur, Anno 1155.

Dum hæc agerentur, Romanus populus cum senatoribus suis in Capitolio conuenerant. Audientes autem Imperatorem sine sua adstipulatione coronam imperij accepisse, in furorem versi, cū impetu magno Tyberim transeunt: ac iuxta ecclesiam beati Petri procurrentes, quosdam ex stratoribus, qui remanserant, in ipsa sacrosancta ecclesia necare non timuerunt. Clamor attollitur. Audiens hæc Imperator, militem ex æstus magnitudine, sitisq; ac laboris defatigatione recreari cupientem, armari iubet. Festinabat eò amplius, quò timebat furentem plebem in Romanum pontificem cardinalesq; irruisse. Pugna conseritur ex vna parte iuxta castrum Crescentij cū Romanis, ex altero latere iuxta piscinam cum transtyberinis. Videres nunc hos istos versus castra propellere, nunc hos illos ad pontem vsq; repellere. Adiuuabantur nostri, quòd à castro Crescentij saxorum ictibus, seu iaculorum non lædebantur spiculis. Mulieribus etiam quæ in spectaculis stabāt, suos (vt aiunt) adhortantibus, ne propter inertis plebis temeritatem tām ordinatum equitum decus, ab his qui in arce erāt, prædictis modis sauciaretur. Dubia itaq; sorte dum diu ab vtrisq; decertaretur, Romani tandem atrocitatem nostrorum non ferentes, coguntur cedere. Cerneres nostros tam immaniter quàm audacter Romanos cædendo sternere, sternendo cædere, ac si dicerent, Accipe nunc Roma pro auro Arabico Teutonicum ferrum. Hæc est pecunia, quam tibi princeps tuus pro tua offert corona. Sic emitur à Francis imperium. Talia tibi à principe tuo tibi redduntur commercia, talia præstantur iuramenta. Prælium hoc à decima penè diei hora vsq; ad noctem protractum est. Cæsi fuerunt ibi, vel in Tyberi mersi penè mille, capti fermè ducenti, sautiati innumeri, cæteri in fugam versi, vno tantùm ex nostris (mirum dictu) occiso, vno capto. Plus enim nostros intemperies cœli, æstusq; illo in tempore maximè circa vrbem immoderatior, quàm Romanorum lædere poterant arma.

Romanorū contra Imp. insurgentiū clades.

CA-

CAPVT XXIII. 1155.

Imperator regressus ab vrbe, quò diuerterit, & quid fecerit. De euersione Spoleti. De legatis & muneribus Græcorum, & quos Imperator remiserit.

FINITO tam magnifico triumpho, Imperator ad castra redijt, ibiq; & se & suis, fessa lectulis recipientibus membra, nocte illa conquieuit. Altera die cùm mercatum à ciuibus amaricatis habere non posset, laborantem ciborum inedia militem ad superiora duxit, ac paulisper ad campi planitiem procedens, tentoria locauit. Dehinc iuxta montem Soractem, in quo beatum Syluestrum olim persecutionem fugiẽtem tradunt latuisse, Tyberim transuadans, in quadam valle campi viriditate amœna, cuiusdam amnis cursu conspicua, non longè à ciuitate Tyburto, militem tam crebris laboribus defatigatũ, aliquantum quiescere permisit. Aduentabat toti ecclesiæ, & præcipuè Romanæ vrbis pontifici & Imperatori venerabile festum Petri & Pauli. Ea ergo die Missam Adriano Papa celebrante, Imperator coronatur. Tradunt Romanorum ibi pontificem inter missarum solennia cunctos, qui fortasse in conflictu cũ Romanis habito sanguinem fuderant, absoluisse: allegationibus vsum, eò quòd miles proprio principi militans, eiusq; obedientiæ astrictus, contra hostem imperij dimicans, sanguinem fundens, iure tam poli quàm fori, non homicida, sed vindex affirmetur. Inde castra mouens, inter vrbem & Tusculanum resedit.

Soracte mons.

Miles iusto bello sanguinem fundens.

Iam tempus imminebat, quo Canis, ad morbidum pedem Orionis micans, exurgere deberet. Et vicinis stagnis, cauernosisq;, ac ruinosis circa vrbem locis tristibus erumpentibus & exhalantibus nebulis, totus vicinus crassatur aer, ad hauriendum mortalibus lethifer, ac pestilens. Vrgebatur hoc incommodo in vrbe ciuis, hoc tempore ad montana consuetus fugere: in castris miles, tanta desuetus aeris intemperie. Nec dubium quin ciuis ad obedientiam pontifici, ad deditionẽ principi suo venisset, si miles extrà tantum incommodum pati potuisset. Verùm innumeris hac cœli corruptione in morbos grauissimos incidentibus, Princeps dolens ac nolens, suisq; tantùm morem gerens, ad vicina montana transferre cogitur tabernacula. Itaq; proximum ascendens Apenninum super Nar fluuium, de quo Lucanus,

Aer Romanus sub Stirio pestilet.

Sulphureas Nar albus aquas,

tentoria fixit, circa Tyburtum à Romano pontifice relictis sibi captiuis, diuisus. Ibi per aliquot dies manens, acceptoq; prudentum consilio, corruptum quẽ biberant aerem pharmacis propellendum, exercitum quantum poterat recreauit.

Peractis ibi aliquot diebus, cùm Fodrum à vicinis ciuitatibus, & castellis, & oppidis exquireretur, Spoletani indignationem Principis incurrunt. Dupliciter enim peccauerant, cùm DCCC. librarum facti essent obnoxij, partim defraudando, partim falsam monetam dando. Adauxit huius indignationis cumulum, quòd Guidonem comitem, cognomento Guerram, inter omnes Tusciæ proceres opulentiorem, de Apulia in legatione Imperatoris ad ipsum redire volentem, in sua ciuitate hospitatum comprehendere, captumq; tenere ausi sint. Quodq; his peius erat, præceptum Principis, eum relaxari iubentis, contempserunt. Imperator ergo plus de captiuitate proceris sui, quàm de fraudatione pecuniæ motus, in Spoletanos transtulit arma. Illi murorum ambitu, altissimarumq; turrium muniminis multitudine non contenti, extra muros cum fundibularijs & sagittarijs egressi, occurrendum principi putantes, quos poterant percutiebant, & quos poterant figebant. Videns hoc princeps, Ludus ait hic puerorum, non virorum videtur concertatio. Dixit: suosq; fortiter in aduersarios ruere iubet. Quo sine mora facto, vallorumq; obstaculis, tanquam plano ex feruentium animorum fortitudine transmissis, cæduntur Spoletani, ac aliquandiu viriliter resistentes cedere coguntur. Vrbis refugio se recipere volentibus, miles qui à tergo imminebat, simul recipitur, fortuna iuuante virtutem. Ciuitas direptioni datur, & antequam asportari vsui hominum profutura possent, à quodam apposito igne concrematur. Ciues qui ferrum flammamq; effugere poterant in vicinum montem seminudi, vitam tantùm seruantes, se recipiunt. Protendebatur conflictus iste à ter-

Causa excidij Spoletani.

1155. tia vsque ad nonam. Nullus in illa concertatione priuatus principe strenuior: nullus nec gregarius miles ad sumenda arma promptior: nullus ad periculorum exceptionem nec conductitius eo paratior. Denique ea ex parte qua maioris ecclesiæ pontificalem sedem versus ex conuexo montis inaccessibilior ciuitas videbatur, ipse non solùm suos ad assultum adhortatione vrgebat, minis cogebat, verùm etiam alijs exempla præbebat, non sine maximo periculo montem in propria persona ascendens, eamq; irrupit. Transacto Spoletanorum excidio, princeps ea nocte ibi victor remansit. Postera die, eò quòd ex adustione cadauerum totus in vicino corruptus aer intolerabilem generaret nidorem, ad proxima exercitum trāstulit loca, duobus diebus ibi manens, donec igni residua in vsus exercitus, non miserorum Spoletanorum cederent spolia.

Post hæc ad maritima Adriatici æquoris loca procedit exercitus. Ibi in confinijs Anconæ Imperator castra ponens, Palæologum (quod nos veterem sermonem dicere possumus) nobilissimum Græcorum, regalisq; sanguinis procerem, & Marodocum egregium virum ex parte principis sui Constantinopolitani venientes, muneraq; non parua deferentes obuios habuit. Quibus auditis, causaque viæ cognita, per aliquot dies secum detinuit. Dehinc accepto principum, qui cum ipso erant consilio, Guibaldum Corbeiensem, simul & Stabulensem abbatem regalem, virum prudentem, ac in curia magnum, in Græciam, legatione ipsius ad regiæ vrbis principem functurum, destinauit.

CAPVT XXIIII.

Quomodo exules Apuliæ terram suam receperant, & quomodo Imperator propter nimiam intemperiem aeris multis extinctis, inuitus ad transalpina ire cogitur, & quibus vijs singuli principes redierunt.

Imp. Apuliam in fidē accipit.

INTER hæc princeps Capuæ, Andreas Apuliæ comes, cæteriq; eiusdem prouinciæ exules, Campaniam & Apuliam cum legatione Imperatoris ingredientes, ciuitates, castella, cæteraq; quæ olim habebant municipia, sine contradictione recipiunt: accolis terræ putantibus Imperatorem è vestigio ipsos subsecuturum. Ac princeps diu cum proceribus, maioribusque de exercitu consultans, plurimùm ad inclinandos animos eorum, vt in Apuliam descenderent, laborauit. Verùm excandescente amplius in exercitum Canis rabie, vixq; aliquibus residuis, qui æstus feruore, & aeris intemperie corruptionem non sentirent, sauciatis quoque de ciuitatum, castellorum, oppidorum expugnatione pluribus, nonnullisq; extinctis, non sine cordis amaritudine ad transalpina redire cogitur. Igitur signo dato, cunctis ad patriam licentia repedandi conceditur. Intrabant alij naues per Adriaticum æquor, ac insulam, quæ modò Venetia dicitur, ad propria reuersuri. Inter quos primates fuere, Peregrinus Aquileiensis patriarcha, Eberhardus Babenbergensis episcopus, Bertolfus comes, Henricus Carentanorum dux, Odoacer Stirensis Marchio. Alij ad Occidentales partes Longobardiæ, nonnulli per montem Iouis, alij per vallem Moriannę transituri carpebant iter. Complures adhuc Imperatori adhærebant. Fridericus itaque victor inclitus, triumphator, ab Anconensium territorio castra mouens, per Senogalliam, vbi Senones Gallos olim Romani mansisse autumant, Fanum & Imolam transiens, Apennino transmenso, in plano vlterioris Italiæ iuxta Bononiam super Rhenum resedit. Inde per planam Italiam transmisso, iuxta beati Benedicti cœnobium nauibus Eridano ad campestria Veronensium reuertitur, circa principia mensis Septembris.

Idem exercitū dimittit, in Germaniam reuersurus.

CAPVT XXV.

De dolo Veronensium ad pontem super Athesim. Item de insidijs eorum in arcto montis: quomodo item victi & capti.

EST

EST autem antiqua Veronensium consuetudo, & quasi longinquo Imperatorum vtuntur priuilegio, vt principes Romanorum seu ad vrbem ex transalpinis partibus venientes, seu inde redeuntes, ne per ipsorum ciuitatem veniendo depopulationi subiaceant, pauliſper ſursum à ciuitate per pontem nauibus ab eis factum, Atheſim transeant. Hunc morem Veronenses fraudulenter secuti, pontem quidem ex nauibus fecerant, sed ex ligamentorum tenaculis tam debilem, vt potius muscipulam quàm pontem diceres. Alio itidem commento pernicioso vsi fuerant. Ex superioribus amnis partibus validas lignorum strues in plures congesserant fasces, quatenus per hoc huius rei ignarum deciperent militem: id est, vt postquam altera pars transiret, altera ponte per hæc diabolica machinamenta dirupto remaneret, ipsi in alteros irruerent. Inciderunt iniqui in foueam, iuxta scripturam quam fecerunt. Deniq; nutu Dei, saluti principis exercitusq; sui prævidentis, factum est, vt & miles periculose, sine damno tamen, transiret, & prædictæ strues superuenientes ponte diruto quosdã ex hostibus, qui exercitum subsecuti fuerant, eodem quo venerant meatu reuerti se putantes, interciperent. Qui mox omnes sicut traditores trucidati sunt. Ea nocte fessus laboribus in vicino resedit miles. 1155. NB.

Erant in imminenti fauces montium, saxumq; fortissimum propè in decliuo rupis inaccessibilem seruans viam. Oportebat per de subtus exercitum transire. Talis est enim ibi natura locorum. Ex vna parte labitur Atheſis fluuius inuadabilis, ex altera prærupta montis præcipitia viam stringunt, & vix semitam artissimam faciunt. In hac arce quodam, Alberico nobili Veronensium equite auctore, latrunculorum prædandi causa conuolauerat multitudo. Igitur aduentante exercitu, quidam ex eis, qui ea die qua Atheſis transmissa est, transire cupiebant, pacificè ex industri dolo angustias à latronibus transpedare permittuntur. Venientibus sequenti luce alijs, latrones ad saxorum moles currunt, transmeandi facultatem præpediunt. Principem ea latere non poterant. Erant adhuc in comitatu suo duo Veronensium ciuium illustres equites, qui eum ad Vrbem prosecuti, ac inde vsq; ad præsentem locum secuti fuerant, Garzabanus & Isaac. Hos princeps ad prædictos latrones destinandos putauit, vt ita communicato conciuium suorum consilio, à cœpta facilius desisterent malitia. Illi eos nec audire, sed ictibus propellere, Imperator rursum alijs eò destinatis, illos ab incœpto desistere iubet. At illi in pertinaci obstinatione sua remanentes, lapides itidem iactare cœperunt, dicentes: Imperatorem ibi nunquam transiturum, nisi à singulis equitibus loricam vel equum haberent, & insuper non modicam pecuniam à principe. Audiens hæc Imperator, Dura est inquit, hæc conditio, durum est latroni principem tributa persoluere? Quid faceret? quò se verteret? flumen transuadaret? ad transuadandum aptus natura renitente non erat. Ingenio transiret? pons dirutus fuit. Ciuitatem versus descenderet? sed & ibi mons ad flumen se stringens, clausuram fecerat, quam Veronensium præsidia obseruabant. Ad consueta priorum virtutum se vertit insignia. Oportebat enim qualicunque prædictam arcem expugnari ingenio. Iubet sarcinas deponi, tentoria quasi erigi, ac si eadem ibidem nocte figenda forent tabernacula. Hic inquit, tanquam patriæ nobis arridente vestibulo, tot decursis periculis laborum nostrorum consummationem hic habebimus. Sic suos alloquens, ac si illo Vergiliano vteretur, *Insidiæ in Veronensiũ clauſtru Imperatorẽ ſtructæ.*

O socij, neq; enim ignari sumus antè malorum,
O passi graviora, dabit Deus his quoq; finem.
Forsan & hæc olim meminisse iuuabit,

omnes armati iubet. Deinde vocato Garzabano & Isaac, de situ locorum, quove aperiri possit via ingenio, inquirendo solerter edoceri petit. At illi: Cernis eam quę super arcem dependet rupem, eminentia sua terribilem, & fragosis locis, saxorumque asperitate quasi inaccessibilem? Illam nisi fortè ab eis obseruetur, si incautis præcidere poteris, propositum tenebis. Nec mora, mittuntur cum Ottone vexillifero quasi ducenti lectissimi iuuenes armati. Illi per deuia syluarum & montium, per concaua & confragosa Alpium oberrando loca, tandem cum multo sudore ad prædictam perueniunt rupem. Quæ dum quasi ferro abscissa, nullum ascendendi adi- *Otto de Wittelsbach.*

1155. tum militi offerret, curuatur alius, vt socium dorso leuet, alius ad erigendum commilitonem suum humeros præbet, post hæc de hastis facientes scalam (nam grauabatur admodum hac naturali vt ita dicã scala armatus eques) cuncti ad summitatẽ perueniunt rupis. Exeritur ab Ottone Imperatoris vexillũ, quod ab eo prius latenter gestabatur. Hoc signo tanquam victoriam præsagiente, clamor & cantus attollitur: exercitus qui in valle manebat, ad assultum properat. Latrunculi huius rei incauti, putabant enim prædictam rupem cunctis mortalibus inpermeabilem, solis auibus peruiam fore, viso quòd ex infernis & supernis vrgerentur locis, desperatione corripiuntur, fugamq; moliuntur: sed fugæ locus non erat. Quicunq; enim ex eis præcipitij præsidio se committeret, ex collisione hincinde saxorũ confractus, membratimq; discerptus, antequam ad solum perueniret, animam in inani ponebat. Tanta erat saxi eminentia, tanta fuit hispidæ rupis scabrosa malitia. Quid plura? Vno autem solo, qui cauernosis locis absconsus, delitescens mortem euasit, cæteri omnes obtruncantur, duodecim cum Alberico captis, ac ad supplicium reseruatis. Erant penè omnes qui deprensi in vinculis tenebantur, equestris ordinis.

Insidiatorũ latibulum expugnatum.

Præsentatis igitur prędictis viris principi, ad patibuliq; supplicia adiudicatis, vnus ex eis inquit: Audi Imperator nobilissime, miserrimi hominis sortem. Gallus ego natione sum, nõ Lombardus, ordine quãuis pauper eques, conditione liber, casu non industria his latronib. adiũctus, p̃ resarciẽda familiaris rei penuria. Promiserũt se ducturos me ad loca talia, vbi mea posset releuari inopia. Credidi miser, consensi credulus, ductus sum ab iniquis, & seductus ad hæc infortunia. Quis enim in quolibet mortalium tam præcipitatæ mentis speraret insaniam, tam furentis animi expectaret audaciam? Quis à proprio cliente has suo principi vrbis & orbis dominatori necti crederet insidias? Parce princeps, parce misero, parce miserabiliter seducto. Hunc solum Imperator glorioſus de cæteris sententia mortis eripiendum decreuit: hoc ei tantùm pro pœna impositio, vt funibus ceruicibus singulorum appositis, ligni supplicio commilitones plecteret. Sicq; factum est. Non illis miserrimis profuit multa, quam pro vita redimenda promittebant pecunia. A districto iudice patibulo appensi sunt. Cæteri omnes, qui per decliuia montium dispersi iacebant, vt cunctis transeuntibus temeritatis suæ præberent documenta, in ipsa via in cumulos acti. Fuerunt autem, vt dicitur, quasi quingenti.

Supplicium

CAPVT XXVI.

De felici exitu principis in Baioariam.

PRINCEPS transitis locorum angustijs, iam cunctis emensis periculis, nocte illa in Tridentinorum territorio castra lætus locauit. Dehinc per Tridentum, vallemq; Tridentinam transiens, ad Bauzanum vsque peruenit. Hæc villa in termino Italiæ, Baioariæq; posita, dulce vinum, atq; ad vehendum in exteras regiones, naturale Noricis mittit. Inde multis se ad propria dispergentibus domicilia, per Brixinoram iter agens, ad Baioariæ planitiem eodem fermè quo inde egressus fuerat tempore, vertente anno redijt. Hæc de expeditionis processu & prouentu pauca de multis enarrasse sufficiat. Neque enim cuncta ibi fortiter gesta à nobis ea ordinis integritate, styliq; vrbanitate dici poterant, ac si oculis nostris illa vidissemus. Nam antiquorum mos fuisse traditur, vt illi qui res ipsas prout gestæ fuerunt, sensibus perceperant, earundem scriptores exisserent. Vnde & historia ab ἱστορεῖν, quod in Græco videre sonat, appellari consueuit. Tantò enim quisq; ea quæ vidit & audiuit, pleniùs edicere poterit, quantò nullius gratia egens, hac illacq; ad inquisitionem veritatis non circunfertur dubiè anxius, & anxiè dubius. Durum siquidem est scriptoris animum, tanquam proprij extorrem examinis, ad alienum pendere arbitrium.

Botzen.

Historia etymon.

CA-

CAPVT XXVII. 1155.

Imperator patruum ſuum hortatur ad tranſigendum cum duce Saxoniæ.

IGITVR conſummato feliciter viæ labore, princeps ad familiaria remeans domicilia, alloquitur in confinio Ratiſponenſium patruum ſuum Henricum ducem, vt ei de tranſactione facienda cum altero Henrico, qui iam (vt dictum eſt) ducatum Baioariæ iudicio principum obtinuerat, perſuaderet. Cui dum ille tunc non acquieſceret, iterum diem alium, quo eum ſuper eodem negocio per internuncios conueniret, in Baioaria verſus confinium Boemorum conſtituit. Quò princeps veniens, Labezlaum ducem Boemiæ, Albertum marchionem Saxoniæ, Hermannum Palatinum comitem Rheni, cum alijs viris magnis obuios habuit. Tantus etenim eos qui remanſerant, ob ipſius geſtorum magnificentiam, inuaſerat metus, vt omnes vltrò venirent, & quilibet familiaritatis eius gratiam obſequio contenderet inuenire. Quantum etiam Italis timorem incuſſerit factorum eius memoria, ex legatis Veronenſium perpendi poteſt, quod in proximo, Deo largiente, pleniùs dicendum erit. At cum multis modis ad tranſigendum, nos, qui mediatorum ibi vicè fungebamur, operam daremus, infecto adhuc negocio, inſalutati ab inuicem ſeparati ſunt.

CAPVT XXVIII.

Quomodo apud Ratiſponam Henricus in poſſeſſionem Baioariæ ducatus mittitur; & de controuerſia inter Moguntinum archiepiſcopum, & Hermannum Palatinum comitem de Rheno, & qualiter Ratiſponenſis epiſcopus Hardeuicus in gratiam principis redierit. Item de legatis & excuſatione Veronenſium, ac eorundem reconciliatione, & qua ſatisfactione Moguntinus archiepiſcopus, & Palatinus comes in pacem redierint.

POST hæc mediante Octobre, imperator Ratiſponam Norici ducatus metropolim, curiam celebraturus ingreditur, habens ſecum Henricum, Henrici ducis filium, in poſſeſſionem eiuſdem ducatus mittendum. Hæc ciuitas ſuper Danubium, qui vnus trium famoſiſſimorum fluminum in Europa à Topographis dicitur, ex ea parte qua prædicto amni duo nauigabilia, Regnus ſcilicet & Naba, illabuntur flumina, poſita, eò quòd ratibus opportuna bonaq; ſit, vel à ponendo ibi rates, Ratisbona, vel Ratiſpona vocatur: Baioariorum quondam regum, modò Ducum ſedes. Venerunt ad eam curiam Arnaldus Moguntinus archiepiſcopus, & prædictus Hermannus Rheni Palatinus comes, vterq; alter de altero querimoniam facientes. Denique manente in Italia principe, totum penè tranſalpinum imperium ſeditionibus motum, ferro, flamma, publicisq; congreſſionibus turbatum, abſentiam ſui ſenſit præſulis. Inter quos duo hi principes tantò ad nocendum efficaciores, quantò fortiores, totam penè Rheni prouinciam, & præcipuè Moguntinæ ciuitatis nobile territorium præda, cæde, & incendijs commaculârant. Igitur ſedente ibi in publico conſiſtorio Imperatore, iam ſæpe nominatus Henricus dux poſſeſſionem ſuam, patrumq; ſuorum recipit ſedem. Nam & proceres Baioariæ hominio & ſacramento ſibi obligantur, & ciues non ſolùm iuramento, ſed etiam ne vllam vacillandi poteſtatem haberent, vadibus obfirmantur.

Conuentus Imperij Ratiſponæ.

Henricus II. priuignus Hen. X. ducis Bauariæ.

Impetitur ibi Hardeuicus, qui nouiter per electionem cleri & populi, & metropolitani ſui conſecrationem, pontificatum eiuſdem ciuitatis acceperat. Regalia ſiquidem, quæ iuxta rationes curiæ, nulli epiſcoporum, militi, antequam de manu principis ſuſcipiantur, tradere licet, ipſe huius rei neſcius, impręmeditatè morante adhuc in Italia principe tradiderat, ob ea in cauſam poſitus, dum & factum inficiari, qualitatem ve facti defendere nequit, compoſitionis incurrit noxam. Cæteri quoque qui ab eo ſuſceperant, quique iuxta ſuam conditionem & ſortem, in plúsve minúsve, conſimili pœna damnantur. Eſt enim lex curiæ, quòd quiſquis de ordine princi-

NB. Hartuicus Ratiſponenſis epiſcopus mulctatus.

1155. pum principis ſui iram incurrens, compoſitionem perſoluere cogatur, centum librarum debitor exiſtat: cæteri minoris ordinis viri, ſiue ingenui, ſiue liberi, vel miniſtri, decem.

Veronẽſium purgatio.

Ad eandem curiam epiſcopus Veronenſis à populo ſuo ad Imperatorem deſtinatus venit, habens ſecum prædictos duos equites, Garzabanum & Iſaac. Qui cum præſentiæ principis admiſſus fuiſſet, inquit: Princeps glorioſiſſime, fideliſſimi tui Veronenſes ad tuam deſtinauerunt nos magnificentiam. Neque enim ego, qui eiuſdem ciuitatis quamuis indignus epiſcopus vocor, prius hanc legationem ſuſcipere volui, donec omnibus in maiore eccleſia congregatis, tanquam Deo teſte, ea quæ ore proferebantur, corde ſe tenere vnanimiter aſſererent. Denique credendum non eſt, populum animi virtute præſtantem, rerum abundantia pollentem, paſtorem animarum ſuarum deceptionis baiulum facere. Alium inuenire poterant fraudis idoneiorem miniſtrum. Præterea hi mihi collegæ iuncti ſunt, quorum tu fidem in negocijs, fortitudinem in prælijs, proxima tuæ expertus es expeditione. Crede ergo domine, crede quod dicimus. Populus tuus Veronenſis, tuus eſt peculiaris populus, tibi tanquam domino & Imperatori fideliter deuotiſſimus, & deuotè fideliſſimus. Audierunt dum per eorum fines tranſires, quoſdam latrunculos anguſtias viarum obſeruare auſos fuiſſe: cognouerunt etiam te eoſdem debita animaduerſione puniſſe. Audiuit hæc Verona & lætata eſt. Non reputat ſuos ciues maieſtatis tuæ inſidiatores. Abſit vt ſuos ciues putet, qui latrocinio inſeruiunt. Audiuit rurſum, vnde non mediocriter indoluit, huius te rei ſuſpicionem de tua habere ciuitate. Ad hoc miſſi ſumus. Quicunq; hoc tuæ inſinuauit ſerenitati, criminator fuit, aliena felicitate liuidus. Delatorem eum ſcias, non cognitorem. Nunquid non ſacramento fidelitatis tibi obligata eſt Verona? Nunquid cum ab ea recederes, in tua non remanſit gratia? Offenderétne ſub bonæ fidei pallio per fidem Verona principem, quæ hoc modo lædere non ſolet æqualem? Visne amplius? Sed ſi his credere non placet allegationum rationibus, excuſat ſe ſuper hoc facto Verona. Famam purgare, innocentiam probare, iudicio curiæ parata eſt coram tuæ maieſtatis excellentia. Recipiat ergo bonus princeps deuoti populi ſui purgationem innocentiæ, & conuertat indignationis ſuæ aculeos contra Mediolanenſium & Romanorum ſuperbiam. Hac legatione accepta, Imperator cum principibus conſilium capit. Poſtea ſicut cognouimus, in gratiam recepta eſt Verona. Nam & magnam pecuniam dedit, ac militiam quam habere poſſet, contra Mediolanenſes ducere ſacramento firmauit.

Verona Cæſari reconciliata.

Tractus Rheni anno 1156.

Inde ad partes Rheni ſe conferens, proximum natale domini Vormaciæ celebrauit. Ea namque regio, quam Rhenus nobiliſſimus fluuius, ex trium Europæ nominatiſſimorum fluuiorum vnus, interſecat, ex vna ripa Galliæ, ex altera Germanię limes, in frumento & vino opima, venationibus & piſcationibus copioſa. Habet enim ex parte Galliæ vicinum Voſagum & Ardennam, ex parte Germanię ſyluas non mediocres, barbara adhuc nomina retinentes: in tranſalpinis manentes principes diutiſſimè ſeruare poteſt. Ad hanc curiam Arnaldus Moguntinus archiepiſcopus, & Hermannus Palatinus comes venientes, de hoc quòd abſente principe terrã illam (vt ſuprà dictum eſt) præda & incendio perturbârant, in cauſam ponuntur: ambobusq; cum complicibus ſuis reis inuentis, alteri ob ſenij morumq; grauitatem, & pontificalis ordinis reuerentiam parcitur, alter pœna debita plectitur. Denique vetus conſuetudo pro lege apud Francos & Sueuos inoleuit, vt ſi quis nobilis, miniſterialis, vel colonus, coram ſuo iudice pro huiuſmodi exceſſibus reus inuentus fuerit, antequam mortis ſententia puniatur, ad confuſionis ſuæ ignominiam, nobilis canem, miniſterialis ſellam, ruſticus aratri rotam de comitatu in proximum comitatum geſtare cogatur. Hunc morem Imperator ſeruans, Palatinum iſtum comitem, magnum imperij principem, cum decẽ comitibus complicib. ſuis, canes per Teutonicum miliare portare coëgit. Hoc tam diſtricto iudicio per totã tranſalpini imperij latitudinẽ promulgato, tantus omnes terror inuaſit, vt vniuerſi magis quieſcere, quàm bellorũ turbini inſeruire vellent. Acceſſit ad huius tam magni boni augmentum, quòd princeps circumquaq; non impigrè diſcurrens, nõnullorum raptorum caſtra, munitiones, receptacula diruit, quoſdam comprehenſos capitali ſententia plectendo, alios patibuli tormen-

Portati Canis pœna, pacis turbatoribus inflicta.

tormento torquendo: sola Baioaria, propter prænominatam litem, huius gratiæ par- 1156.
ticeps nondum fieri meruit.

CAPVT XXIX.

De obitu Arnaldi Colonienſis archiepiſcopi, & quòd princeps prænominatos duces ad concordiam reuocare ſatagebat, & de nuptijs Imperatoris cum Beatrice, Reinaldi filia, Herbipoli celebratis: & quare. Item de legatis à Græcia reuerſis, & quare Græcorum legati ad præſentiam Imperatoris non admitterentur.

EODEM anno inter Paſcha & Pentecoſten Arnaldus Colonienſis archiepiſcopus, vir honeſtus, ſuæq; eccleſiæ reparator, diem obijt. Imperator ad Baioariam rediens, dies Pentecoſtes in quodam caſtro Ottonis Palatini priuatus erat. Proxima dehinc feria tertia, non longè à ciuitate Ratiſpona patruum ſuum Henricum ducem alloquens, ad tranſactionem cum altero itidem Henrico faciendam tunc demum inclinauit. Præponebat hoc princeps omnibus euentuum ſuorum ſucceſſibus, ſi tam magnos, ſibiq; tam affines imperij ſui principes, ſine ſanguinis effuſione in concordiã reuocare poſſet. Sequenti dehinc hebdomada, in ciuitate Orientalis Franciæ Herbipoli, regio apparatu, multa principum aſtipulatione, iuncta ſibi Beatrice Reinaldi comitis filia, nuptias celebrat. Reinaldus iſte de antiqua & illuſtri Burgundionum proſapia originem trahens, illius Burgundiæ comes dicebatur, quæ olim à Rudolfo rege Imperatori Henrico Conradi filio, cum teſtamento relicta, regnum erat. Hæc eadem prouincia eſt, à qua Conradus dux, eiusq; filius Bertolfus duces vocari conſueuerunt. Quæ verò huius diſceptationis cauſa fuerit, paucis abſoluam. Mos in illa qui penè in omnibus Galliæ prouincijs ſeruatur, remanſit, quòd ſemper ſeniori fratri, eiusq; liberis, ſeu maribus, ſeu fœminis, paternæ hæreditatis cedat auctoritas, cæteris ad illum tanquam ad dominum reſpicientibus. Ex qua conſuetudine factum eſt, vt Guilhelmus qui dicebatur puer, huius ex parte patris conſanguineus, Conradi verò Ducis ſororis filius, rerum ſummam dum adhuc viueret, illa in prouincia haberet. Quo fraude ſuorum rebus humanis exempto, Reinhaldo comiti iure hæreditario dominium ceſſit. Actum eſt hoc ſub Henrico v. ſeu Lothario II. Verùm prædictus comes nimis iuſtitiæ ſuæ confiſus, erat enim homo lenis, & ex nimia lenitate remiſſus, curias principis adire neglexit. Ex quo factum eſt, vt indignatione motus Princeps, prædictam terram Conrado duci concederet, ſicq; vterque vicina ſibi vendicaret loca. Longa itaq; concertatione intantum vt etiam in campo congreſſu publico ab eis pugnaretur, penè vſq; in præſentiarum deducta eſt hæc controuerſia: donec recenter ab Imperatore, ſicut cognouimus, eo tenore deciſa eſt: Quòd Bertolfus prædicti Conradi filius, in negocij tranſactionem, tres ciuitates inter Iuram & montem Iouis, Loſannam, Gebennam & N. accepit, cæteris omnibus imperatrici relictis. Protenditur etenim hæc prouincia penè à Baſilea, id eſt, à caſtro quod Mons Biliardi vocatur, vſque ad Iſaram fluuium, de quo Lucanus,

Nuptiæ Imperatoris Frid. Reinaldus Burgundiæ comes.

Burgundia qua occaſione Zaringenſibus cõceſſa.

Burgundiæ ampletudo.

——*hi vada liquerunt*
Iſaræ,—

iunctam habens dominatui ſuo eam terram, quæ propriè Prouincia vocatur, & ab eo flumine porrigitur vſque ad ea loca, quà Rodanus mari recipitur, & Arelatum ciuitas ſita eſt. At Reinaldus iſte Simonis Lotharingiorum ducis filiam ducens, ab ea tantùm hanc puellam ſuſcepit, ipſamq;, non multò pòſt moriens, ſecundum prædictum morem, totius terræ ſuæ hæredem reliquit. Quam Imperator (vt oſtenſum eſt) in matrimonio ſortitus, non ſolùm Burgundiam, ſed & Prouinciam imperio iam diu alienatas, ſub vxoris titulo (vt poſtmodum plenius dicetur) familiariter poſſidere cœpit.

Ad eam curiam Guibaldus Corbeienſis abbas, à Græcia rediens, venit. Nam legati Græcorum, qui cum eo ad Imperatorem deſtinati fuerant, apud Iuuaniam relicti, præſentiæ Principis non admittebantur. Cuius rei ratio hæc fuit. Cùm ab eo circa Anconam receſſiſſent, literas quaſdam ſigillo ſuo clauſas per ſurreptionem acceperant. Igitur redeunte ad tranſalpina principe, Græci Campaniam ſimul & Apu-

1156 liam ingrediuntur, ostensisq; imperialibus literis, maritima sibi à principe concessa fuisse mentiuntur: sicq; indigenas quosque non solùm auctoritate Imperatoris terrendo, sed & auro corrumpendo, totam prouinciam ad suam ditionem inclinant. Inde Barrum vsque procedentes, arcem vbi Guilhelmi præsidia posita erant, expugnant. Mortuus fuit ibi Palæologus, & ad terram suam deportatus. Adiuuabantur non solùm exulum, videlicet principis Capuani, Andreæ comitis, aliorumq; qui nouiter terras suas receperant auxilio: sed & Roberti Cauillensis cuiusdam comitis, magni de terra illa viri, quem per pecuniam sibi allexerant. Præterea totus penè populus in ciuitatibus oppidisque manens, eò quòd iamdiu Guilhelmi huius, patrisq; sui Rogerij tyrannide premeretur, tanquam de iugo tam graui liberari optans, illis adhærebat. Diffamabatur non solùm per vicinas regiones, sed & ad nos vsque peruenit, Guilhelmum vel vitam finisse, vel ex vi morborum sensum amisisse: Græcos iam omnes illas possidere prouincias. Audiuit hoc princeps, indignationeque motus consultabat diutissimè, an prædicti legati, qui ex parte principis sui Manuel aduenerant, præsentiæ suæ admittendi, vel tanquam traditores puniendi, vel contemptibiliter facultatem redeundi accepturi forent. Tandem inclinatus quorundam precibus, audientiam eis præstare disponit, & ob hoc dies eis in Norico castro, mense Iulio, præscribitur.

Græci Italiam armis doloq; inuadunt.

CAPVT XXX.

Quare expeditionem contra Mediolanenses indixerit, & exemplar literarum de hoc. Item de guerra Papiensium & Mediolanensium.

IPSE verò quamuis Guilhelmum odisset, nolens tamen imperij sui limites tyrannica Rogerij rabie vsurpatos, ab exteris eripi, expeditionem illic iurari fecit. Non multo tamen pòst, ex quo cognouit Guilhelmum, fusis Græcis, Apuliam & Calabriam recepisse, consilium mutauit, & ad compescendam Mediolanensium contumaciam iram conuertit. Vnde eius tale scriptum ad principes destinatum inuenitur:

Fridericus Dei gratia Romanorum Imperator, & semper Augustus, dilecto patruo suo Ottoni Frisingensi episcopo, gratiam suam & omne bonum.

Quia diuinæ prouidentiæ clementia, Vrbis & orbis gubernacula tenemus, iuxta diuersos euentus rerum, & successiones temporum, sacro imperio & diuæ reip. consulere debemus. Cùm enim ea quæ necessitatis causa instituta fuerint, cessante necessitate cessare debeant: expeditionem, quam proximè Wirtzeburg propter inuasionem Græcorum in Apuliam iurari præcepimus, post fugam eorum tibi, cæterisq; principibus relaxamus, vt ad alia imperij negocia promptiores eos inuenire possimus. Verùm quia Mediolanensium superbia iamdiu caput contra Romanum imperium erexit, & modò sua fortitudine totam Italiam subuertere, vel suo nititur dominio subiugare: ne & tanta præsumptio nostro tempore præualeat, vel gloriam nostram plebs improba vsurpare, vel conculcare valeat, futuris casibus viriliter occurrere, & ad destructionem eorum omne robur imperij excitare intendimus. Ex iudicio igitur principum expeditionem contra Mediolanum à proxima Pentecoste ad annum iuratam tibi indicimus, quàm intimè rogantes & præcipientes, quatenus ad eam nobiscum peragendam, à vigilia Pentecostes ad annum, Vlmæ nobis indubitanter occurras: certus, quòd nec te, nec aliquem principum nostrorum montem Apenninum transire cogemus.

Mediolanensium ferocia.

Deniq; princeps ad transalpina rediens, sicut Francis præsentia sua pacem reddidit, sic Italis absentia subtraxit. Nam non solùm Apulia & Campania huius mali, vt ostensum est, particeps fuit, sed & vlterior Italia, absentiam sui sentiens principis, immunis ab hoc turbine esse non potuit. Mediolanenses siquidem mox reædificata Terdona, Papiensium renouant bellum, duobus super Ticinum fabricatis pontibus, fines

fines eorum irrumpunt, oppidum quoddam Vigeuenum (vbi multi ex ipsis simul cum Marchione Guilhelmo fuerunt) obsidione vallant, ac tandem artificiosè ad deditionem coactos, pacem petere & obsides dare compellunt. Sed cùm duras nimium pacis conditiones audissent, rursus rebellare tentabant Papienses. Igitur Mediolanēses per pontes quos fecerant transmeantes, Lunellum reædificant, totumq; penè territorium Papiensium crudeliter depopulantur. 1156.

CAPVT XXXI.

De schismate Colonienſis eccleſiæ propter electionem Friderici & Gerardi. De morte Boritij, & legatis Græcorum. De contentione Colonienſis cleri coram principe.

EA tempestate, defuncto (vt dictum est) Arnaldo Colonienſi archiepiſcopo, ecclesia illa ad electionem faciendam conueniens, grauissimè scissa est: præpositis & abbatibus Gerardum Bunnensem præpositum, maioris verò ecclesiæ canonicis, qui tunc temporis præposito & decano carebant, Fridericum Adolfi comitis filium, eligentibus. Itaque Imperatore mense Iulio, in Norico castro, vbi Græci eius maiestati præsentandi erant, morante, vtræque istę partes causam suam principi ostensuræ veniunt. Non longè ante hæc tempora Græcorum princeps cum Boritio contra Vngaros copias mittens, magnum sui detrimentum accepit exercitus, intantum, vt & Boritius à quodam qui secum venerat Cumano, qui & Scytha, sagitta transfixus necaretur. Ea propter prædicti nuncij, non solùm ob firmandum connubium ad Imperatorem venerant, sed etiam ad indicandam suam de Vngaris, auctoritate principis, iniuriam, in vtroque frustrati sunt. Nam & Imperator aliam sibi (vt prædictum est) in matrimonio iunxerat, & expeditio contra Vngaros (postulabant enim eam proximo Septembri fieri) tam celeriter fieri vel ordinari non poterat. Admittuntur tamen eius conspectui, scripta recipiuntur. Remittitur cum eis Stephanus capellanus Imperatoris, per quem princeps de illius principis voluntate amplius cognoscat. Sed de Græcis dicta hunc teneant locum. Procedunt Colonienses, aduocatos exposcunt, de sua vtrique electione per triduum coram principe decertant & conrixantur. Tandem princeps vtrorumq; auditis allegationibus, consilio & iudicio quos secum habebat episcoporum, aliorumq; principum, prædictam causam ad curiam Ratisponensem, vbi consilium pro terminanda duorum ducum lite publicari debuit, producendam decreuit.

De Colonienſi pontificatu concertatio.

CAPVT XXXII.

De transactione duorum ducum. De pace facta in Baioaria, & de deciſione litis inter Colonienſes.

IGITVR mediante iam Septembre, principes Ratisponæ conueniunt, ac per aliquot dies præsentiam Imperatoris præstolabantur. Dehinc principe patruo suo in campum occurrente, manebat enim ille ad duo Teutonica miliaria sub papilionibus, cunctis proceribus, virisq; magnis accurrentibus, consilium quod iamdiu secretò retentum celabatur, publicatum est. Erat autem hæc summa (vt recolo) concordiæ. Henricus maior natu, ducatum Baioariæ per VII. vexilla resignauit. Quibus minori traditis, ille duobus vexillis marchiam Orientalem cum comitatibus ad eam ex antiquo pertinentibus, reddidit. Exinde de eadem Marchia cum prædictis Comitatibus, quos tres dicunt, iudicio principum, Ducatum fecit: eumq; non solùm sibi, sed & vxori cum duobus vexillis tradidit: néve in posterum ab aliquo successorum suorum mutari posset, aut infringi, priuilegio cōfirmauit. Acta sunt hæc anno regni eius V. imperij II. Itaq; ad ciuitatē, iuxta quod præoptauerat, inter patruū & auunculi sui filium terminata sine sanguinis effusione controuersia, lætus redijt, ac statim sequenti die in publico residens consistorio, ne Baioaria vlterius totius regni quietis immunis esset, treugam proxima Pentecoste ad annum iurari fecit. Porrò tanta ab ea die vsq; in

Tranſactio de ducatu Bauaria.

Marchia Auſtria ducatus titulo inſignitur.

1156. præsentiarum toti transalpino pacis iocunditas arrisit imperio, vt nõ solùm Imperator & Augustus, sed & pater patriæ iure dicatur Fridericus. Enimuero antequã hæc Curia terminaretur, præsentatis sibi iterum de Colonienſi ecclesia vtrisq; partibus alteram electionem, eam videlicet quæ à canonicis maioris ecclesiæ facta fuit, validiorem iudicans, Fridericum Adolfi comitis filium, de regalibus inuestit, sicque eum à Romano pontifice consecrandum ad Vrbem misit.

Fridericum à Daßile archiepiscopum Colon.

Tanta sunt quæ de tuæ maiestatis virtutibus dici possent, Augustorum optime, quòd si simul sine interpolatione insipienter effundantur, scribentis præfocare possent animum. Quare huic secundo Operi terminus detur, vt ad ea quæ dicenda restant, tertio locus seruetur Volumini.

Hucusq; Otto episcopus Frisingensis Chronica illa deduxit.

LIBRI SECVNDI FINIS.

VII.

RADEVICI ECCLESIAE FRISINGENSIS CANONICI, DE REBVS GESTIS FRIDERICI I. ROMANORVM IMPERATORIS, continuatæ ad Ottonem hiſtoriæ, libri duo:

Nunc primùm diligenter recogniti, ac multis in locis emendati.

ACCESSIT VETVSTI SCRIPTORIS APPENDIX ad Radeuicum, x r. annorum annales complectens; vnà cum quibuſdam Epiſtolis.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 136;Leibn. Marg. 136, Stück 1, [493] - -

RADEVICI CANONICI FRISINGENSIS IN SVAM APPENDICEM PROOEMIVM.

Viris prudentissimis, pace & militia exercitatis, VLRICO & HENRICO, sacri palatij vni Cancellario, alteri Notario, RADEVICVS sanctæ Frisingensis ecclesiæ professione Canonicus, ordine Diaconus, licet indignus, simul cum intellectu spiritu pietatis abundare.

INTERROGANS *generationem pristinam, & diligenter inuestigans patrum memoriam, multis experimentis inuento, humanarum rerum nihil firmum, nihil perpetuum: sed dies hominis velociùs transire, quàm à texente tela succiditur, & vitam eius velociùs vmbra aut vento declinare. Quod cum multis & magnis clarum sit experimentis, etiam præsentis Operis pagina suum nobis exinde præbet documentum, quæ ab auctore suo felicis memoriæ, venusti sermonis inchoata, ipso (proh dolor) infausta morte præuento, nostræ paruitati, velut abortiua, & quasi de domini sui funere rapta, eius iussu, pariterq; serenissimi & diui Imperatoris Friderici nutu, fouenda & promouenda committitur. Parendum ergo tam magnis præceptoribus deliberaui, malens potius de rudis informitate sermonis subire iudicium, quàm de perfida desidia, seu deside perfidia notari, si tam clari ac magni viri, mihiq; charissimi domini, tam præclaræ materiæ cœptum Opus & memoriale, pariter cum illo in interitum atq; obliuionem passus fuissem venire. Et vestræ quidem prudentiæ potissimùm labor iste debebatur, apud quos exacta fides historiæ reperitur: sed præiudicantibus vobis in hac parte diuersarum occupationum curis, non tam vacat ad scribendum distractos animos applicare, quàm scriptis aliorum accusationem, vel debitam laudationem accommodare. Quidam enim, vt ait Iosephus, non quòd rebus interfuerint, sed incertos & incongruos narrantium sermones auribus colligentes, oratorum more perscribere solent. Qui verò præsto fuerunt, aut vincentis principis obsequio, aut odio eorum qui victi sunt, contra fidem rerum falsa confirmant. A quorum parte vtriq; me beatum æstimo, qui in his quæ audiui, non passim quorumlibet relatorũ rumusculis sum me perpessus abrumpi: nec in his quæ per me cognoui, gratia principis, seu fauore meæ gentis falsum quippiam addidi. Si quis autem superioris Operis facundiam, habita collatione cum arido nostri ingenij eloquio contulerit, veniam placatus tribuat. Fateor equidem, quòd tenuis mihi spiritus est, ad excitandam minutam tibiam, nec dum ad implẽdam superioris auctoris venerabilis præsulis tam magnificam & copiosam scribendi & dicendi tubam. Sed vbi eloquentiæ & styli me superat pondus, sensus & integra veritas rerum gestarum, Deo propitiante, exæquabit. Vos itaq; ambos in hoc Opere præceptores, testes & iudices eligo: rogans, vt exactum à me laborem sine contumelia suscipiatis, & qui rebus ipsis tanquam familiares & conscij secretorum interfuistis, si quid corrigendum est, ad regulam veritatis emendare, si quid parum, aut superfluè dictum est, vel radere, vel superaddere, quantum satis est, non pigritemini. Ego etenim reuera, nisi vestra fretus ope ac studio, sub hoc fasce succumberem. Frustra per me conatus tanti Imperatoris gesta attingere, cuius si quis magnitudinem animi & imperij cum annis conferat, ætatem vltrà putet. Ita enim latè & magnificè per orbem terrarum arma circuntulit, tantum operum pace, belloq; gessit, vt qui res eius legerit, non vnius, sed multorum factarum regum seu Imperatorum arbitretur.*

RADE-

RADEVICI FRISINGENSIS CANONICI APPENDICIS AD OTTONEM, DE REB. GESTIS FRIDERICI IMP. AVG. LIBER I.

CAPVT I.

De procinctu contra Polonos. De situ terræ, & more illius gentis.

ORDINATO in Alemanniæ partibus summa prudentia Imperio, tota terra illa iam inusitatam & diu incognitam trãquillitatem agebat. Ea deniq; pax in Germania erat, vt mutati homines, terra alia, cœlum ipsum mitius, molliusq; videretur. Imperator autem tanta quiete non ad ocium, non ad voluptatum illecebras abutebatur. Indignum siquidem ratus est, si exercitatum bellicis negocijs animum sine vtilitatibus Imperij per desidiam dissolui pateretur. Anno itaq; ab incarnatione Domini M. CLVII. mense Augusto contra Polonos procinctũ mouet. Est autem Polonia, quã modo Sclaui inhabitant, sicut placet his qui situs terrarum descriptionibus notant, in finibus superioris Germanię, habens ab Occidente Oderam fluuium, ab Oriente Istulam, à Septentrione Ruthenos & mare Scythicum, à Meridie syluas Boemorum. Terra vtiq; naturalibus firmamentis munitissima, natio tam propria feritate, quàm vicinarum contiguitate gentium penè barbara, & ad pugnandum promptissima. Aiunt enim eius maris, quod illius terræ litus alluit, tales esse prouinciarum habitatores, qui famis tempore semet deuorent: & cum perpetuis rigeant algoribus, ideoq; nullam possint agriculturam in quibusdam locis exercere, venationibus & mortibus dediti sunt. Omnes autem piraticam exercent, & insulas Oceani, Hyberniam & Britanniam, Daciam quoq; inquietam, licet in alio litore reperiantur. Talium (vt assolet) nationum vicinia, nonnihil atrocitatis tanquam de rubiginoso ferro cariem sibi Poloni affricuere. Vnde nec principibus suis fidem, nec natura propinquis debitam inueniuntur gratiam conseruare.

Germania pacata.

Polonia descriptio. Anno 1157.

CAPVT II.

Quæ causa fuerit illius expeditionis.

AT huius expeditionis hæc ratio fuit. Boitzlaus, Cazimerus, & tertius item Lobizlaus, qui Gertrudem neptem Imperatoris, filiam Leopaldi Marchionis Austriæ sortitus fuerat vxorem, totam terram funiculo hæreditatis tenere debebant: maiore natu, quem vltimo posuimus loco, nomen & honorem Ducis habente. Quo à fratribus per vim cum regalis sanguinis vxore proiecto, & ad Conradum Romani Imperij tunc principem perfuga profecto, & clementer recepto: missa ad prænominatos tyrannos crebra legatione, vt in pristinum statum fratrem reciperent, rex spretus est, Ducisq; exilium vsq; ad obitum regis durauit. Diuo autem principe Friderico rerum summam gubernante, pari modo mandatũ eius floccipendere sibi impunè arbitrabantur. Cessit verò his secus ac rati sunt. Nam & altioris spiritus, & acrioris ingenij principem, multiplicatæ iniuriæ vlterius dissimulare facinus non sinebant. Accessit

Belli Polonici causa.

1557. siquidem ad hæc, quòd vel debitum fidelitatis sacramentum offerre, vel solitum singulis annis tributum quingentarum marcarum, publico ærario inferre iam desuerant, talibusq; indicijs apertè se ab imperio desciuisse, & non clanculam, sed euidentem rebellionem moliri protestabantur.

CAPVT III.

Quomodo Imperator Poloniam intrauerit, & quid ibi fecerit.

IMPERATOR ergo cum magnis copijs Poloniam, quamuis arte & natura admodum munita sit, ita vt priores reges seu Imperatores vix magna difficultate ad fluuiũ Oderam peruenissent, fretus ope diuina, quæ visibiliter exercitum præcessit, clausuras illorum, quas in angustis locis præcisa densitate syluarum fecerant, & magna mole ingeniosè obstruxerãt, penetrauit, & x i. Kalend. Septembris prænominatũ amnem, qui ex illà parte totam Poloniam quasi murus ambit, & profunditate sui gurgitis omnes excludit aditus, præter opinionem incolarum, cum magno exercitu transuadauit. Tantum enim omnes tenebat transeundi desiderium, vt alij natandi, alij quodlibet instrumentum fors obtulisset, eo pro nauicula vtendo transirent. Quo viso, Poloni de tam improuiso malo perculsi, & vehementer exterriti, cùm iam nihil præter exitium sui, & destructionem terræ superesse viderent, quamuis auxilio vicinarum gentium, Ruthenorum videlicet, Parthorum, Pruschorum & Pomeranorum, maximum collegissent exercitum, in sola fuga spem vitæ constituunt: adeò desperatione correpti, vt proprium solum, propriam patriam suis manibus incendendo vastarent, insuper & arces ac munitiones destruerent. Inter quas munitissima castra, Glogouia videlicet, & Bitum, quæ prius ab hoste capta non fuerant, ne à nostris ibidem præsidia ponerentur, cremauerunt. Imperator fugientes insecutus, & territorium episcopij, quod vocatur Vratislauia, transcurrens, in episcopatum Posnaniensem totamq; terram etiam ipse igne & gladio depopulatus est, indignum æstimans eis parcere, qui in seipsos tam crudeles hostes inuenti fuissent.

Polonia à Friderico vastata.

CAPVT IIII.

Quomodo dux eorum ad deditionem venerit.

BOLEZLAVS dux rebus suis vltimum fatum cernens imminere, cum totam terram, populumq; suum periclitari, & propè esse ad interitum cerneret: barones & principes nostros tum per nuncios, tum in propria persona conueniens, multis precibus, multis lachrymis, multis quoq; promissionibus, vt sub iugum Romanæ ditionis, & in gratiam principis recipi mereretur, postulauit. Salutare secutus consilium, ante intolerabilem calamitatem rebellionis mutare sententiam: debere autem dedignari dominos humiliores, non eum cuius in potestate sit Romanum imperium. Imperator iamdudum edoctus hanc nobilitatem,

Parcere prostratis, & debellare superbos,

præmaturam, subitam, & à Deo datam nolens cruentare victoriam, ducem ad deditionem recipiendum decreuit.

CAPVT V.

De conditionibus pacis, & reditu Imperatoris.

ITAQVE in prædicto territorio episcopatus Posznanensis, circa partes Crisgouuę, præfatus Dux pedibus Imperatoris prouolutus, interuentu principum, hoc tenore in gratiam receptus est. Primò iurauit pro se, & pro omnib. Polonis, quòd frater suus exul ad ignominiam Romani imperij non fuerit expulsus. Deinde pollicitus est dare duo millia marcarum Imperatori, & principibus mille, Imperatrici x x. marcas auri, Curiæ c c. marcas argenti, ob eam negligentiam, quòd ad Curiam non venerat, nec de terra debitam fecerat fidelitatem. Iurauit quoq; Italicam expeditionem. Deinde iurauit, vt in proxima natiuitate Domini ad Curiam Magdeburg celebrandam venire

Polonus Cæsari reconciliatus.

nire deberet, iuxta iudicium & sententiam Polonorum & Boemorum, super querimonia fratris sui expulsi plenariè responsurus. Sicque iurata principi fidelitate, sicut mos est, & de supradictis omnibus fideliter adimplendis acceptis obsidibus, Gazimero videlicet fratre ducis, & alijs nobilibus, glorioſam adeptus victoriam, Deo duce feliciter Augustus reuertitur. Ipse tamen Dux dolis plenus, & acerbam dominationis cupidinem mente gerens, iamiam suis promissionibus (vt postmodum patuit) moliebatur insidias. Nam nec ad Curiam venit, nec sufficientes pro se procuratores misit: Italicam quoq; expeditionem, violato sacramento, mentitus est. 1157.

CAPVT VI.

De indignatione principis aduersus Græcorum legatos.

NON multo pòst apud Herbipolim ciuitatem, Constantinopolitani Imperatoris legati coram principe cum muneribus suam peragunt legationem: quia tamen verba eorum in quibusdam fastum regalem, & Græcum in subornato sermone videbantur sapere tumorem, Imperator eos despexit: & nisi in melius commutata sententia commodiùs sibi prospexissent, si fieri poterat saluo nunciorum priuilegio, dissimulationem agente principe, propè fuit, vt à quibusdam ignominiosum & ærumnosum accepissent responsum. Placatus tamen multis eorum precibus & lachrymis Imperator, veniam insuper his donauit: accepta sponsione, quòd deinceps spernentes ampullosa, non nisi eam quam deceret Romanum principem, & Vrbis ac orbis dominatorem, reuerentiam suis salutationibus apportarent. Indulgentiam & gratiam consequuti, Fridericum ducem Sueuiæ, filium Conradi regis, adhuc adolescẽtulum, in præsentia sua gladio accingi, & militem profiteri postulant, & impetrant. Amita siquidem sua Hirena Imperatrix Constantinopolitana, & antea & nunc, multis & magnificis eundem puerum visitauerat largitionum muneribus, idq; legatis in mandatis dedisse traditur, ne quando nisi completo negocio in Græciam reuerterentur: astipulante sibi cum magno fauore proprio marito, ob gratiam & antiquam amicitiam cum patre pueri rege Conrado habitam.

Periculum legatorum Graci Imp.

Fridericum Conradi Cæs. F. gladio accingetur.

CAPVT VII.

De legatis regis Angliæ & eius muneribus, & exemplar literarum eiusdem.

IBIDEM tunc affuere etiam Henrici regis Angliæ missi, varia & preciosa donaria, multo lepore verborum adornata, præsentantes. Inter quæ papilionem vnũ quantitate maximum, qualitate bonissimum perspeximus. Cuius si quantitatem requiris, non nisi machinis, & instrumẽtorum genere, & adminiculo leuari poterat: si qualitatem, nec materia, nec opere ipsum putem aliquando ab aliquo huiusce apparatu superatum iri. Literas quoq; mellito sermone plenas pariter direxerat. Quarum hic tenor fuit:

Præcordiali amico suo Friderico, Dei gratia Romanorum Imperatori inuictissimo, Henricus rex Angliæ, dux Normanniæ & Aquitaniæ, & comes Andegauensis, Salutem, & veræ dilectionis concordiam.

Excellentiæ vestræ quantas possumus referimus grates, dominantium optime, quòd nos nuncijs vestris visitare, salutare literis, muneribus præuenire, & quod his charius amplectimur, pacis & amoris inuicem dignatus estis fœdera inchoare. Exultauimus & quodammodo animum nobis crescere, & in maius sensimus euehi, dum vestra promissio, in qua nobis spem dedistis in disponendis regni nostri negocijs, alaciores nos reddidit, & promptiores. Exultauimus, inquam, & tota mente magnificentiæ vestræ assurreximus, id vobis in sincero cordis affectu respondentes, quòd quicquid ad honorem vestrum spectare nouerimus, pro posse nostro effectui, mancipare parati fumus. Regnum nostrum, & quicquid vbiq; nostræ subijcitur ditioni, vobis exponimus, & vestræ committimus potestati, vt ad vestrum nutum omnia disponantur, & in omnib. vestri fiat voluntas imperij. Sit igitur inter nos & populos nostros dilectionis & pacis vnitas indiuisa, cõmercia tuta: ita tamẽ vt vobis qui dignitate

1157. præeminetis, imperandi cedat auctoritas, nobis non deerit voluntas obsequendi. Et sicut vestræ serenitatis memoriam vestrorum excitat in nobis munerum largitio, sic vos nostri quoq; reminiſci præoptamus, mittentes quæ pulchriora penes nos erant, & vobis magis placitura. Attendite itaq; dantis affectum, non data, & eo animo quo dantur excipite. De manu beati Iacobi, super qua nobis scripsistis, in ore magistri Heriberti, & Guilhelmi clerici nostri verbum posuimus, teste Thoma Cancellario apud Norhant.

CAPVT VIII.

De nuncijs diuersarum nationum, & de curia apud Bisuntium celebrata, & nuncijs Adriani papæ.

ADERANT præterea diuersarum nationum, vtpote de Dacia, Pannonia, Italia, seu de Burgundia, diuersæ legationes, quarum portitores se mutuò videntes, atq; certatim munera & supplicationes afferentes, singuli singulis stuporem pariter & admirationem addidere. Mense Octobri mediante, Imperator apud Bisuntium curiam celebraturus, in Burgundiam iter aggreditur. Est autem Bisuntium vna metropoleos eius tertię partis, in quas Imperator glorioſus Carolus Magnus suum inter tres filios suos, omnes regio nomine gaudentes, diuisit imperium: sita super amnem Touba. In qua ciuitate penè omnibus proceribus terræ illius adunatis, multis quoq; exterarum gentium, vtpote Romanis, Apulis, Tuscis, Venetis, Italis, Francis, Anglis & Hispanis, per legatos suos Imperatoris aduentum præstolantibus, festiuissimo apparatu, & solenni fauore excipitur. Tota siquidem terra eundem fortissimum cognoscens, & clementissimum, amore pariter & timore permixto, nouis illum fascibus honorare, nouis laudibus attollere satagebat.

Vesontium Burgundiæ.

At priusquam ad eius prouinciæ negocia, seu ordinationem stylus se porrigat, de legatis Romani pontificis Adriani, ad quid venerint, & quomodo recesserint, quia & auctoritas eius partis maior, & causa grauior, dicendum nobis erit. Prolixitatem huius narrationis non causabitur, qui materię pondus, ac temporis, quo hęc tempestas protracta est, & protrahitur, diuturnitatem diligenter considerabit. Personæ nunciorum erant Rolandus tit. S. Marci presbyter cardinalis, & cancellarius S. Romanæ ecclesię, & Bernardus tit. S. Clementis presbyter cardinalis, ambo diuitijs, maturitate & grauitate insignes, & penè omnibus alijs in Romana ecclesia auctoritate maiores. Causa verò aduentus eorum speciem sinceritatis videbatur habere: sed fermentum & occasionem malorum latuisse, postmodum euidenter deprehensum est. Principe ergo die quodam à strepitu, & populi tumultu declinante, in cuiusdam oratorij priuatiore recessu, prædicti nuncij in conspectum eius deducti, ab eoq;, vt oportebat, sicut qui boni se nuncij baiulos assererent, benignè & honestè recepti sunt. Exordium autem sermonis illorum in fronte ipsa notabile comparuit, quod tale fuisse dicitur: Salutat vos beatissimus pater noster papa Adrianus, & vniuersitas cardinalium S. Romanæ ecclesiæ. Ille vt pater, illi vt fratres. Paucisque interpositis, literas quas ferebant protulere. Quas & aliarum quæ in hac turbulentia hinc inde discurrebant, rescripta literarum, idcirco huic Operi interserere curaui, vt quiuis lector, qui in partem declinare voluerit, non meis verbis vel assertionibus, sed ipsarum partium proprijs scriptis tractus & vocatus, liberè eligat, vtri parti suum velit accommodare fauorem. Tenor deniq; literarum talis erat.

CAPVT IX.

Exemplar literarum eiusdem.

Adrianus episcopus seruus seruorum Dei, dilecto filio Friderico illustri Romanorum Imperatori, Salutem, & apostolicam benedictionem.

Expostulatoria ob non vindicatã contume-

IMperatoriæ maiestati paucis retroactis diebus recolimus scripsisse, illud horrendum & execrabile facinus, & piaculare flagitium tempore nostro commissum, in Teutonicis partibus, sicut credimus, aliquando intentatum, excellentiæ tuæ ad memoriam

moriam reuocantes, non sine grandi admiratione ferentes, quòd absq; digna seueri- 1157.
tate vindictæ vsq; nunc transire passus sis, tam pernicioſi sceleris feritatem. Qualiter *Iram Pontificijs legatis illatam.*
enim venerabilis frater noster E. Londonensis archiepiscopus, dum à sede apostolica remearet, à quibusdam impijs & sceleſtis (quod sine grandi animi mœrore non dicimus) in partibus illis captus fuerit, & adhuc in custodia teneatur: qualiter etiam in ipsa captione prædicta, viri impietatis, semen nequam, filij scelerati, in eum & in suos euaginatis gladijs violenter exarserint, & eos ablatis omnibus, quàm turpiter atq; inhoneſtè tractauerint: & tua sereniſſima celsitudo cognoscit, atque ad longinquas & remotiſſimas regiones fama tanti sceleris iam peruenit. Ad cuius vtiq; vehementiſſimi facinoris vltionem, sicut is cui bona placere, mala verò displicere credimus, constantius exurgere debuisti, & gladium, qui tibi ad vindictam maledictorum, laudem verò bonorum est ex diuina prouisione conceſſus, in ceruicem deſæuire oportuit impiorum, & grauiſſimè conterere præsumptores. Tu verò ad ipsum ita dissimulasse diceris, sæuitiam neglexisse, quòd eosdem non est quare pœniteat commisisse reatum: quia impunitatem sacrilegij quod gesserunt, iamiam sentiunt inueniſſe. Cuius quidem dissimulationis & negligentiæ causam penitus ignoramus: quoniam nos in aliquo serenitatis tuæ gloriam offendisse, conscientiæ scrupulus noſtrum animum non accusat: sed personam tuam sicut chariſſimi & specialis filij noſtri & principis Christianiſſimi, quem in apostolicæ confeſſionis petra non ambigimus per Dei gratiam solidatum, syncera semper dilexerimus charitate, & debitæ tractauimus benignitatis affectu. Debes enim glorioſiſſime fili, ante oculos mentis reducere, quàm gratanter & quã iocundè alio anno mater tua sacroſancta Romana eccleſia te suſceperit, quanta cordis affectione tractauerit, quantam tibi dignitatis plenitudinem contulerit, & honoris: & qualiter imperialis insigne coronæ libentiſſimè conferens, benigniſſimo gremio suo, tuæ sublimitatis apicem studuerit confouere: nihil prorsus efficiens quod regiæ voluntati vel in minimo cognoscere obuiare. Neq; tamen pœnitet nos desideria tuæ voluntatis in omnibus impleuisse, sed si maiora beneficia excellentia tua de manu noſtra suscepisset, si fieri posset, considerantes quanta eccleſiæ Dei & nobis per te incrementa possint, & commoda prouenire, non immeritò gauderemus. Nunc autem quia tam immensum facinus quod in contumeliam vniuersalis eccleſiæ & imperij tui noscitur etiã commissum, negligere ac dissimulare videris, suspicamur vtiq; ac veremur, ne fortè in hanc dissimulationem & negligentiam propter hoc tuus animus sit inductus, quòd suggeſtione peruersi hominis zizania seminantis, aduersus clementiſſimam matrem tuam sacroſanctam Romanam eccleſiam, & noſipsos indignationem (quod absit) aliquam conceperis, vel rancorem.

Ob hoc igitur, & ob alia omnia negocia quæ cognoscimus imminere, duos de melioribus & chariorib⁹ quos circa nos habemus, dilectos scilicet filios noſtros, Bernhardum S. Clementis presbyterum, Rolandum S. Marci presbyterum cardinalem, & cancellarium noſtrum, viros vtiq; religione, prudentia & honeſtate conspicuos, serenitati tuæ de latere noſtro, ad præsens duximus deſtinandos: excellentiam tuam rogantes attentiùs, quatenus eos tam honorificè quàm benignè recipias, honeſtè tractes, & ea quæ ipsi super hoc, & super alijs, ad honorem Dei & sacroſanctæ Romanæ eccleſiæ, ad decus etiam & exaltationem Imperij pertinentia, ex parte noſtra, imperatoriæ propoſuerint dignitati, sicut si ab ore noſtro procedant, absq; vlla hæsitatione suſcipias, & ipsorum verbis, tanquam si ea contingeret nos proferre, fidem non dubites adhibere.

CAPVT X.

Qualiter Imperator talem legationem Papæ grauiter tulerit, & literæ per ambitum imperij super hoc directæ.

TALIBVS literis lectis, & per Reinaldum Cancellarium fida satis interpretatione diligenter expoſitis, magna principes qui aderant, indignatione commoti sunt: quia tota literarum continentia non parum acedinis habere, & occaſionem futuri mali iamiam fronte sua præferre videbatur. Præcipuè tamen vniuersos accen-

1157. derat, quòd in præmissis literis inter cætera dictum fuisse acceperant, dignitatis & honoris plenitudinem sibi à Romano pontifice collatam, & insigne imperialis coronæ de manu eius Imperatorē susceпisse: nec ipsum pœnitere, si maiora beneficia de manu eius susceпisset, habita consideratione, quanta ecclesiæ Romanæ per ipsum possent incrementa & commoda prouenire. Atq; ad horum verborum strictam expositionem, ac præfatę interpretationis fidem auditores induxerat, quòd à nonnullis Romanorum temerè affirmari nouerant, imperium Vrbis, & regnum Italicum donatione pontificum reges nostros hactenus possedisse, idq; non solùm dictis, sed & scriptis atq; picturis repræsentare, & ad posteros transmittere. Vnde de Imperatore Lothario in palatio Lateranensi super huiusmodi picturam scriptum est:

Imperatoria contra Pontificem stomachationis causa.

Rex venit ante fores, iurans prius vrbis honores,
Pòst homo fit papæ, sumit quo dante coronam.

Talis pictura talisq; superscriptio principi, quando alio anno circa Vrbem fuerat, per fideles imperij delata, cum vehementer displicuisset, amica prius inuectione præcedente, laudamentum à papa Adriano accepisse memoratur, vt & scriptura pariter atq; pictura talis de medio tolleretur, ne tam vana res summis in orbe viris litigandi & discordandi præbere posset materiam.

His omnibus in vnum collatis, cùm strepitus & turba inter optimates regni de tam insolita legatione magis ac magis inualesceret, quasi gladium igni adderet, dixisse ferunt vnum de legatis: A quo ergo habet, si à domino papa non habet imperium? Ob hoc dictum eò processit iracundia, vt vnus eorum, videlicet Otto Palatinus comes de Baioaria, vt dicebatur, propè exerto gladio ceruici illius mortem intentaret. At Fridericus auctoritate præsentiæ suæ interposita, tumultum quidem compescuit: ipsos autem legatos securitate donatos, ad habitacula deduci, ac primo manè via sua proficisci præcepit: addens in mandatis, ne hàc, vel illac, in territorijs episcoporum, seu abbatum vagarentur, sed recta via, nec ad dextram, nec ad sinistram declinantes, reuerterentur ad Vrbem. Ipsis itaq; sine efficacia reuertentibus, id quod factum fuerat ab Imperatore per vniuersum regni ambitum prouidè literis declaratur, quarum hic tenor fuit.

Pontificis legats cum indignatione dimissis.

Cum diuina potentia, à qua omnis potestas in cœlo & in terra, nobis Christo eius regnum & imperium regendum commiserit, & pacem ecclesiarum imperialibus armis conseruandam ordinauerit: non sine maximo dolore cordis conqueri cogimur dilectioni vestræ, quòd à capite S. ecclesiæ, cui Christus pacis ac dilectionis suæ characterem impressit, causæ dissensionum, seminarium malorum, pestiferi morbi venenum, manare videntur. De quibus, nisi Deus auertat, totum corpus ecclesiæ commaculari, vnitatem scindi, inter regnum & sacerdotium schisma fieri pertimescimus. Cùm enim nuper in Curia *Bisuntij* essemus, & de honore imperij & salute ecclesiarum debita sollicitudine tractaremus, venerunt legati apostolici, asserentes, se talem legationem nostrę afferre maiestati, vnde honor imperij non paruum accipere deberet incrementum. Quos cum prima die aduentus sui honorificè susceпissemus, & secunda (vt mos est) ad audiendam legationem eorum cum principibus nostris consedissemus, ipsi quasi de mammona iniquitatis inflati, de altitudine superbiæ, de fastu arrogantiæ, de execrabili tumidi cordis elatione, legationem apostolicis literis conscriptam nobis præsentauerunt, quarū tenor talis erat: Quòd præ oculis mentis semper deberemus habere qualiter dominus papa insigne imperialis coronæ nobis contulerit, neq; tamen pœnitentia moueretur, si maiora excellentia nostra ab eo beneficia susceпisset. Hæc erat illa paternæ dulcedinis legatio, quæ vnitatem ecclesiæ & imperij confouere debuit, quæ vinculo pacis vtrunq; colligare studuit, quæ ad vtriusque concordiam & obedientiam animos audientium allexit. Certè ad vocem illam nefandam, & omni veritate vacuam, non solùm imperialis maiestas debitam indignationem concepit, verùm omnes principes qui aderant, tanto furore & ira sunt repleti, quòd sine dubio illos duos iniquos presbyteros mortis sententia damnassent, nisi hoc nostra intercepisset præsentia. Porrò quia multa paria literarum apud eos reperta sunt, & schedulæ sigillatæ, ad arbitrium eorum adhuc scribendæ, quibus (sicut hactenus consuetudinis eorum fuit) per singulas ecclesias Teutonici regni conceptum iniquita-

Frid. ad imperij ordines de Pontificis arrogantia conquestio.

quitatis suæ virus respergere, altaria denudare, vasa domus Dei asportare, cruces excoriare, nitebantur: ne vltrà procedendi facultas eis daretur, eadem qua venerant via ad Vrbem eos redire fecimus. Cumq; per electionẽ principum, à solo Deo regnum & imperium nostrum sit, qui in passione Christi filij sui duobus gladijs necessarijs regendum orbem subiecit, cumq; Petrus apostolus hac doctrina mundum informauerit, *Deum timete, regem honorificate*: quicunq; nos imperialem coronam pro beneficio à domino papa susceptisse dixerit, diuinæ institutioni, & doctrinæ Petri contrarius est, & mendacij reus erit. Quia verò hactenus honorem ac libertatem ecclesiarum, quæ iamdiu indebitæ seruitutis iugo depressa est, à manu Ægyptiorum studuimus eripere, & omnia eis dignitatum suarum iura conseruare intendimus: vniuersitatem vestram super tanta ignominia nobis & imperio cõdolere rogamus: sperantes ne honorem imperij, qui à constitutione Vrbis, & Christianæ religionis institutione, ad vestra vsque tempora glorioſus & imminutus extitit, fidei vestræ indiuisa sinceritas, tam inaudita nouitate, tam præsumptuosa elatione imminui patiatur: scientes omni ambiguitate remota, quòd mortis periculum antè vellemus incurrere, quàm nostris temporibus tantæ confusionis opprobrium sustinere. 1157.

Imperialis dignitas per electores à Deo, non à Pontifice. 1. Pet. 2.

CAPVT XI.

De negocijs in Burgundia bene gestis.

His ita gestis, Fridericus ad ordinanda imperij negocia in regno Burgundiæ animum intendit. Cumq; Burgundia aliquando per se fortes reges habuisset, & per eos suis gentibus præcepta dare solita fuisset, ex appetitu libertatis, quæ (vt dicitur) res inæstimabilis est, iamdudum insolentiam & desuetudinem induerat obsequendi. Ea itaq; terra, quæ non nisi multo labore, ac bellico sudore subigenda putabatur, ita Deo ordinante, paruit, quòd nisi alia in regno disponenda ineuitabiliter Imperatorem retraxissent, familiariter & cum paucis vsq; Arelatum sedem regni Burgundiæ procedere potuisset. Deniq; (quod modò viuentium excedit memoriam hominum, aliquando contigisse) Stephanus Viennensis archiepiscopus, & archicancellarius de Burgundia, & Eraclius archiepiscopus, & primas Lugdunensis, & Odo Valent. episcopus, & Ganfredus Auinionensis, & Siluio magnus princeps & præpotens de Claria, tunc ad Curiam venientes, Friderico fidelitatem fecerunt atq; hominium, & beneficia sua de manu illius reuerenter susceperunt. Arelatensis autem archiepiscopus, & alij omnes archiepiscopi, episcopi, primates, & nobiles venissent, idemq; fecissent, nisi mora principem adeundi compendio suæ breuitatis præstitisset impedimentum. Missis tamen per honestos valde, & industrios nuncios literis, omnimodã subiectionem, & debitam fidelitatem imperio Romano compromiserunt. Ludouicus quoq; rex Francorum vsq; * Duinum occurrerat ad colloquium Imperatoris, sed eo versus Alemaniam iter agente, cœptum non processit. Directis autem vterq; principum nuncijs, Imperator quidem cancellario suo prænominato Reinaldo, & comite Vdalrico de Lenzeburg, rex verò etiam suo cancellario magistro Alderico, sese per illos mutuò salutarunt. Reliquum * legationis, vt videbatur quidem vtilitati, re autem vera, regali potius fastui studere vtrinq; videbatur. Nam sicut egomet (referente venerabili viro Henrico Trecense episcopo) cognoui, Ludouicus audito quòd strenuè partibus illis Fridericus præualuisset, pertimuit, nec iam ad colloquium, quod suspectum habebat, sed ad bellum se ratus proficisci, clanculum non paruas copias collegerat, adeò quòd 1 x. episcopos cum sua militia vna nocte in Trecensi ciuitate tunc hospitasse memoratus præsul memoraret. Cumq; tota terra illa non minimo metu nutaret, ipsa trepidatio nobis pro victoria putabatur.

Burgundiæ principes homagium Cæsari præstant.

** al. Diuionum.*

** al. relationis.*

CAPVT XII.

Quòd Poloni fidem & sacramenta mentiti sunt: & de nuncijs Gaisæ regis Vngariæ, & fratre eius Stephano.

1158. REVERSVS de Burgundia Imperator, rebus feliciter gestis, prædijsq; coniugis suę Imperatricis, de qua suprà dictum est, ad arbitrium suum dispositis, in Saxoniam iter flectit, diesq; natiuitatis domini in ciuitate Magdeburg celebrauit, experimentum accipiens de Polonis, qui (vt præfati sumus) suis negocijs tunc finem facere debuerant, quòd ipsi auaricia pariter & ambitione cæcati, de promissis fidem & sacramenta vile quid iudicarent. Deinde in Baioariam tendens, Ratisponæ Curiam magna cum frequentia principum, in octaua Epiphaniæ agit. Ibi inter cæteros qui tunc crebri aderant, etiam regis Vngariæ Gaisæ legati affuere. Siquidem frater eius nomine Stephanus, quorundam criminationibus regi delatus fuerat, quasi ad regnum aspiraret, atq; in ea re auunculum amborum, Belum virum valde prudentem, ac ad innouandas res idoneum, suasorem habere putabatur, pro eo quòd honorificentius habito adolescenti, per studia colendi, ferociæ visus est nutrimenta suggerere. Rex autem suspectum habens tantum fratris honorem, & peiora re ipsa de illo veritus, non tam ipsum quàm amicos & familiares eius iam apertè insimulans, omnia facta seu dicta eorum in crimina vertebat: multisq; aduersus fratrem vulgatis, pluribus ad cõtestandum subordinatis, per insidias necem fratris dicebatur adoptare. Is antehac compertum habens, quòd Romanum imperium totius orbis esset asylum, fugiens ad Imperatorem euasit, ærumnasq; suas, ac erga se germani crudelem acerbitatem, lachrymabili conquestione deplorauit: criminationumq; suarum inuidiam diluendo, ficta quæ aduersum se dicebantur asserere, & purgationis suæ fidem omnibus constare: nunquam calumniatores defore, dum extet cui persuadeatur: iniquissimum esse quòd fratri non sufficeret paterno eum regno expulisse, nisi de capite quoq; suo, & vita innocentissima supplicium sumeretur.

Conuentus imperij Ratispona 1158.

Regis Vngari frater ad Imperatorẽ profugit.

Tali deprecatione permotus Fridericus, missis in Vngariam legatis, de restitutione iuuenis cogitabat, imperialem precibus adiungens dignitatem & auctoritatem. Rex itaq; aduersus fratrem, duos de optimatibus regni sui dirigit ad Curiam, episcopum Geruasium de Castro ferreo, & comitem Heidenricum, viros opulentos, & copia dicendi satis instructos, per quos & obiecta diluere, & de fratris eiectione inuidiã in eum qui passus erat, retorquere satageret: prosequens iniurias & peccata plurima in se admissa: regni consortio secum illum participasse, solo nomne se illo priorem tantum fuisse, quandiu germanitatis iura inter se inuiolata mansissent. Deinde prauorũ consilia secutum, quæ ad pessima studia lubricam in adolescẽte ætatem impellebant, ita factum, quemadmodum in corpore, vbi semper dum aliqua pars tumescit, suaq; corruptione totum corpus debilitat & inficit, ex quo curari desperatur, rescindi oportere. Bellum vltrò inferentem, postquam superatus sit, queri quòd iniuriam facere nequiuisset: fugam ipsum simulasse, in regno manere licuisse, donec odia omnium & inimicitias adeò contra se firmauerit, vt velut crudelem hostem, & regni insidiatorem pellendum arbitrarentur, antequam facinoribus suis illud cruentari, & principatus eius monarchiam scindi ac dilacerari contigisset.

Imperator partibus auditis, cùm videret rem eò venturam, quòd aut in communi diuidendo, aut in vniuscuiusuis condemnatione litem opus esset terminari, conferens quoq; in corde suo plurium negociorum occupationes, ad opportuniora tempora decisionem huius litis placuit protelandam. Itaq; rogatus ab adolescente, per Venetias illum transmittit in Græciam. Legatos quoq; regis, acceptis ab eis muneribus fermè ad mille talenta, simulq; eos sua liberalitate honoratos, ad principem suum cum pacis legatione remeare concessit.

CAPVT XIII.

Quomodo apud Ratisponam Labezlaus dux Boemorum ex duce rex creatur, & quomodo etiam Ottonem Frisingensem episcopum, & Henricum Austriæ ducem concordarit.

IN eadem Curia dux Boemorum Labezlaus, vir ingenio validus, viribus præpollens, consilio, manu, audaciaq; magnus, cuius antehac industriæ, obsequij, multa præcesserant experimenta, maximeq; nuper in expeditione Polonica magna virtus claruerat, adeò vt ob merita sua omnibus charus esset, ab Imperatore, ac imperij primis,

Boemia regni titulo decorata.

primis,ex duce Rex creatur, anno ab incarnatione domini MCLVIII. Suscepto ita- 1158.
que priuilegio de vsu diadematis, aliisq; regni insignibus, lætus reuertitur,& ad Italicam expeditionem rex pariter cum Imperatore fastu regali profecturus accingitur. Ibidem etiam patruos suos, Ottonem Frisingensem episcopum,& Henricum ducem Austriæ dissidentes, eò quòd præfatus antistes germano fratri,prædia ecclesiæ illicitè sibi vsurpare volenti,omnino contradiceret, in pristinam pacem, & fraternam concordiam reuocauit.

CAPVT XIIII.

Qualiter Fridericus Imperator partes Rheni peragrauerit,& quomodo consiliis religiosorum ad expeditionem contra Mediolanenses se præparauerit.

His in Baioaria peractis, Fridericus Ribuariorum fines ingreditur, inferioresque Rheni partes peragrans,nullos sibi dies ociosos trãsire passus est: eos se ratus perdidisse,in quibus non aliquid de vtilitatibus imperij, de iure & iusticia inter omnes gentes conseruanda disposuisset. Inde fuit quòd tam valido cis Alpes imperio ita prouidè consuluisset,ferocitatem tantarum gentium,tanto consilio,ac sine armis delinisset,vt quod dictu mirum est,iam non regni rector,sed vnius domus,vnius reipub. paterfamiliâs haberetur. Post celebratum apud ecclesiam sancti Guiberti Pascha,rursus ad superiores Vangionum partes iter reflexit:ac in domum regalem, quam apud Lutra ædificauerat,diuertens,domui suæ,& familiaribus negociis ordinãdis aliquot dies indulget. Instabat iam tempus quo reges ad bella proficisci solent,ipseq; in proximo ad transalpina exercitum ducturus, primò omnium in Deo spem suam reponens,ascitis religiosis,& probatis in sanctitate viris,tanquam diuinum eos oraculum consultabat,atq; illorum persuasionibus ecclesiis Dei multa donaria imperiali largitate dispergebat. Quibus in negociis specialem habebat præceptorem,& salutis animæ suæ fidum secretarium Hartemannum Brixinorensem episcopum, virum qui tunc inter Germaniæ episcopos singularis sanctitatis opinione,& austerioris vitę conuersatione præminebat. Hoc ad se adscito,de secretis suis pij se pontificis submisit deuotè consiliis,religiosi ac Christianissimi principis officium exercẽs,quatenus iturus ad bellum, spiritalibus armis antè muniret animam quàm corpus: antè cœlestibus se disciplinis præstrueret,quàm ad pugnam iturum militem militaribus instruere præceptis curaret. Causas autem belli exponens,dum eas iustas tã memoratus antistes quàm reliqui sacerdotes cognouissent,ne dignitas imperialis ab indignis imminueretur,& sic pax & tranquillitas ecclesiarum turbaretur, salutaribus mandatis præmonitum & præmunitum ad proficiscendum contra rebelles animârunt.

Hartmannus Brixin. episcopus Cæsaris confessor.

CAPVT XV.

Recapitulatio de legatis Romani pontificis,& exemplar literarum Adriani papæ.

Cvm hæc agerẽtur,legati sedis apostolicæ Rolandus & Bernhardus reuersi,quantas iniurias sustinuerint,in quo periculo fuerint,exponunt,grauibus grauiora adiicientes,vt in vltionem eorum quæ se pertulisse dixerunt, Romanæ vrbis episcopum prouocarent. In hoc negocio clerus Romanus ita inter se diuisus est,vt pars eorum partibus faueret Imperatoris,& eorum qui missi fuerant, incuriam seu imperitiã causarentur,quædam verò pars votis sui pontificis adhæreret. Vnde de hac tempestate dicturi,sicut suprà diximus, lectorem non nostris verbis niti volumus,sed ponentes epistolas hincinde directas,ex eis colligat quam partem tueatur,cuive fidus velit permanere. Nobis autem indulgentiam petimus,qui potius vtramq; personam,sacerdotalem scilicet,& regalem reuerentia debita veneramur, quàm temerè de altera iudicare præsumamus. Exemplar itaq; literarum à summo pontifice ad archiepiscopos & episcopos super his directarum tale fuit.

Quoties aliquid in ecclesia contra honorem Dei & salutem fidelium attentatur, fratrum & coepiscoporum nostrorum,& eorũ pręcipuè qui spiritu Dei aguntur,cura debet existere, vt ea quæ malè gesta sunt,gratam Deo correctionem debeãt inuenire.

Pontificis ad Germaniæ episcopos epistola.

1158. Hoc autem rempore, quod absq; nimio mœrore non dicimus, charissimus filius noster Frideticus Romanorum Imperator, tale quid egit, quale temporibus antecessorum suorum non legimus perpetratum. Cùm enim nos duos de melioribus fratribus nostris, Bernhardum tit. S. Clementis, & Rolandum cancellarium nostrũ tit. S. Marci presbyteros cardinales, ad ipsius præsentiam misissemus, ipse cùm primùm ad eius præsentiam peruenerunt, alacriter visus est eos recepisse. Sequenti verò die cùm redirent ad eum, & literæ nostræ in eius auribus legerentur, accepta occasione cuiusdam verbi, quod ipsarum literarum series continebat, *insigne videlicet coronæ beneficium tibi contulimus*, in tantam animi commotionem exarsit, vt conuitia quæ in nos & legatos nostros dicitur coniecisse, & quàm inhonestè ipsos à præsentia sua recedere, ac de terra sua velociter exire compulerit, & audire opprobrium, & lamentabile sit referre. Eis autem ab ipsius præsentia excedentibus, facto edicto, ne aliquis de regno vestro ad apostolicam sedem accedat, per omnes fines eiusdem regni custodes dicitur posuisse, qui eos qui ad sedem apostolicam venire voluerint, violẽter debeant reuocare. Super quo facto licet aliquantulum perturbemur, ex hoc tamẽ in nobis ipsis maiorem consolationem accipimus, quòd ad id de vestro & principum consilio non processit. Vnde confidimus eum à sui animi motu, consilio & persuasione vestra facilè reuocandũ. Quocirca fratres, quoniam in hoc facto non solùm nostra, sed vestra & omnium ecclesiarum res agi dinoscitur, charitatem vestram monemus, & exhortamur in Domino, quatenus opponatis vos murum pro domo Domini, & præfatum filium nostrum ad viam rectam quàm citius reducere studeatis: attentissimam sollicitudinem adhibentes, vt à Reinaldo cancellario suo, & Palatino comite, qui magnas blasphemias in præfatos legatos nostros, & matrem vestram sacrosanctam Romanam ecclesiam eiuomere præsumpserunt, talem & tam euidentem satisfactionem faciat exhiberi: vt sicut multorum aures amaritudo sermonis eorum offendit, ita etiam satisfactio multos ad viam rectam debeat reuocare. Non acquiescat idem filius noster consiliis iniquorum, consideret nouissima & antiqua, & per illam viam incedat, per quam Iustinianus, & alij catholici Imperatores incessisse noscuntur. Exemplo siquidem & imitatione illorum, & honorem in terris, & felicitatem in cœlis sibi poterit cumulare. Vos etiam, si eum ad rectam semitam reduxeritis, & beato Petro apostolorũ principi gratum dependetis obsequium, & vobis, & ecclesiis vestris conseruabitis libertatem. Alioquin nouerit antedictus filius noster, ex admonitione vestra, nouerit ex promissionis euangelicæ veritate, quòd sacrosancta Romana ecclesia super firmissimã petram, Deo collocante, fundata, quantocunq; ventorum turbine quatiatur, in sua firmitate, protegente domino, in seculum seculi permanebit. Nec autem, sicut nostis, deceret eum tam arduam viam absq; vestro consilio attentasse. Vnde credimus, quòd auditis admonitionibus vestris, facillimè poterit ad frugem sanioris studij, sicut vir discretus, & Imperator catholicus, reuocari.

Cõqueritur de iniuria legatis suis illata.

Petet Cæs. Imp. à proposito suo abducant.

CAPVT XVI.

Quid episcopi Alemaniæ rescripserint.

His literis, taliq; legatione percepta, præsules Alemanniæ communicato in vnum assensu & consilio, sedi apostolicæ in hæc verba rescribunt: Quamuis sciamus, & certi simus, quòd ecclesiam Dei fundatam supra firmam petram, neque venti, neque flumina tempestatum possint deiicere: nos tamen infirmiores & pusillanimes siquando huiusmodi contigerint impetus, concutimur, & contremiscimus. Inde nimirum grauiter conturbati sumus, & conterriti super his, quæ inter vestram sanctitatem, & filium vestrum deuotissimum dominum nostrum Imperatorẽ, magni mali, nisi Deus auertat, seminarium præbitura videntur. Equidem à verbis illis quæ in literis vestris continebantur, quas per nuncios vestros prudentissimos & honestissimos, dominum Bernhardum, & dominum Rolãdum cancellarium, venerabiles presbyteros Cardinales, misistis, commota est vniuersa resp. imperij nostri, aures imperialis potentiæ ea patienter audire non potuerunt, neq; aures principum sustinere: omnes ita continuerunt aures suas, quòd nos, salua gratia vestræ sanctissimæ paternitatis, ea tueri propter

sinistram

siniſtram ambiguitatis interpretationem, vel conſenſu aliquo approbare, nec audemus, nec poſſumus, eò quòd inſolita & inaudita fuerunt vſq; ad hęc tempora. Literas autem quas nobis miſiſtis, debita cum reuerentia ſuſcipientes & amplectentes, commonuimus filium veſtrum dominum noſtrum Imperatorem, ſicut iuſſiſtis, & ab eo reſponſum, Deo gratias, accepimus tale, quale decebat catholicum principem in hũc modum: Duo ſunt quibus noſtrum regi oportet imperiũ, leges ſanctæ Imperatorum, & vſus bonus prædeceſſorum, & patrum noſtrorum. Iſtos limites eccleſiæ nec volumus præterire, nec poſſumus: quicquid ab his diſcordat, non recipimus. Debitam patri noſtro reuerentiam libenter exhibemus, liberam imperij noſtri coronam diuino tantùm beneficio aſcribimus, electionis primam vocem Moguntino archiepiſcopo, deinde quod ſupereſt, cæteris ſecundùm ordinem principibus, recognoſcimus, regalem vnctionem Colonienſi, ſupremam verò, quæ imperialis eſt, ſummo pontifici, quicquid præter hæc eſt, ex abundanti eſt, à malo eſt. Cardinales in contemptum dilectiſſimi & reuerendiſſimi patris noſtri, & conſecratoris, à finibus terræ noſtræ coëgimus non exire. Sed cũ his, & pro his quę & ſcripta, & ſcribenda ferebant in dedecus & ſcandalũ imperij noſtri, vltra eos prodire pati nolumus. Introitũ & exitũ Italiæ nec clauſimus edicto, nec claudere aliquo modo volumus peregrinãtibus, vel prò ſuis neceſſitatibus rationabiliter cum teſtimonio epiſcoporũ & prælatorum ſuorum Romanam ſedem adeuntibus. Sed illis abuſionibus, quibus omnes eccleſię regni noſtri grauatæ & attenuatæ ſunt, & omnes penè clauſtrales diſciplinæ emortuæ & ſepultæ, obuiare intendimus. In capite orbis Deus per imperium exaltauit eccleſiam, in capite orbis eccleſia (non per Deũ vt credimus) nunc demolitur imperiũ. A pictura cœpit, ad ſcripturam pictura proceſſit, ſcriptura in auctoritatẽ prodire conatur. Non patiemur, nõ ſuſtinebimus: coronam antè ponemus, quàm imperij coronam vnà nobiſcum ſic deponi conſentiamus. Picturæ deleantur, ſcripturæ retractentur, vt inter regnum & ſacerdotium æterna inimicitiarum monumenta non remaneant. Hæc & alia, vtpote de concordia Rogerij & Guilhelmi Siculi, & aliis quæ in Italia facta ſunt conuẽtionibus, quæ ad plenum proſequi non audemus, ab ore domini noſtri Imperatoris audiuimus. Abſente autem Palatino comite, & in præparatione expeditionis in Italiam præmiſſo, à cancellario ibidem adhuc preſente aliud non audiuimus, niſi quod humilitatis erat & pacis, præter quòd eis pro periculo vitæ, quod à populo imminebat, pro viribus ſuis aſtiterit, cunctis qui ibi aderant, huius rei teſtimonium ei perhibentibus. De cætero ſanctitatem veſtram ſuppliciter rogamus & obſecramus, vt noſtræ parcatis infirmitati, vt magnanimitatẽ filij veſtri, ſicut bonus paſtor, leniatis ſcriptis veſtris ſcripta priora ſuauitate mellita dulcorantibus, quatenus & eccleſia Dei tranquilla deuotione lætetur, & imperium in ſuæ ſublimitatis ſtatu glorietur: ipſo mediante & adiuuante, qui mediator Dei & hominum factus eſt, homo Chriſtus Ieſus.

Imperatoris ad querelas pontificias reſponſum.

Admonetur Pont. vt Cæſaris iram mitiget.

CAPVT XVII.

Quòd procinctum mouens apud Auguſtam, & nuncios Romani pontificis audiuit.

FELICITER ergo procinctum mouens, ac apud Auguſtam Rhetiæ ciuitatem ſuper ripam Lici fluminis caſtra ponens, confluentem ex diuerſis partibus militem per ſeptem dies operitur. Interea Romanus antiſtes de aduentu principis certior effectus (nam legati eius, videlicet Reinaldus cancellarius, & Otto Palatinus comes, quorum ſuprà meminimus, iamdudum Italiam intrauerant) in melius mutato conſilio, ad leniendum eius animum nuncios mittit, Henricum videlicet Cardinalem presbyterum tit. S. Nerei & Achillei, & Iacinctum cardinalem diaconum ſanctæ Mariæ in ſchola Græca, viros prudentes in ſecularibus, & ad curialia negocia pertractanda prioribus miſſis multò aptiores.

CAPVT XVIII.

De legatis principis, quos miſit in Italiam.

VERVM antequam horum iter & negocia proſequamur, non ab re eſt de præfatis regalium nunciorum perſonis & geſtis pauca de multis prælibare. Inerat vtique

1158. *Encomium Ottonis Witelspachij, & Reinoldi comitis à Dassele imperialis Cancellarij.*

his præclaris viris personarum spectabilitas gratiosa, generis nobilitas, ingenium sapientia validum, animi imperterriti: quippe (vt aliàs de quibusdam dicitur) quibus nullus labor insolitus, non locus vllus asper, non armatus hostis formidolosus. Nullius sibi delicti, nullius libidinis gratiã faciebant. Laudis auidi, pecuniæ liberales erant, gloriam ingentem, diuitias honestas volebant. Ætas iuuenilis, eloquentia mirabilis, prope moribus æquales; præter quòd vni ex officio & ordine clericali necessaria inerat mansuetudo & misericordia: alteri, quem non sine causa portabat, gladij seueritas dignitatem addiderat. His moribus, talibusque studiis sibi laudem, imperio gloriam, & vtilitates non modicas, domi, militiæq; peperêre, adeò quòd tũc temporis penè nihil ingens, nullum exquisitum virtutis facinus in ea expeditione gestum est, in quo hos heroas, aut primos, aut de primis non compererim extitisse.

CAPVT XIX.

Quomodo præcursores Imperatoris in Italia castrum Riuola in deditionem accipiunt, & iuramentum quale Imperatori facere promiserint episcopi, atq; aliæ ciuitates.

Riuola ca-

ITAQVE in primo suo ingressu in Italiam, castrũ quod Riuola vocatur, super Clausuram Veronensium situm, natura loci inexpugnabile, in deditionem accipiũt: existimantes præsidio eiusdem in tam strictis locorum faucibus nostros clementiorem aditum veniendi & redeundi inuenire. Excepti cũ magna frequentia & honorificentia episcopi ciuiumq; Veronensium, tam illic quàm in aliis ciuitatibus fidelitatem Imperatori, & adminiculum expeditionis, tactis sacrosanctis Euangeliis, promitti fecerunt, viamq; venturo Imperatori præparantes, eius aduentus fidi & vtiles præcursores extitere. Sane hæc est forma sacramenti, in qua omnes iurauerunt.

Formula sacramenti fidelium imperij.

Ego iuro quòd amodò in antea ero fidelis domino meo Friderico Romanorum Imperatori contra omnes homines, sicut iure debeo domino & Imperatori, & adiuuabo eum retinere coronam imperij, & omnem honorem eius in Italia, nominatim & specialiter ciuitatem illã, & quicquid in ea iuris habere debet, vel in omni virtute comitatus vel episcopatus N. Regalia sua ei non auferam ibidem, nec alibi, & si fuerint ablata, bona fide recuperare & retinere adiuuabo. Neq; in consilio ero neq; in facto, quod vitam, membrum, vel honorem suum perdat, vel mala captione teneatur. Omne mandatum eius, quod ipse mihi fecerit, per se, vel epistolam suam, aut per legatum suum, de faciẽda iustitia, fideliter obseruabo, & illud audire, vel recipere, vel complere nullo malo ingenio euitabo. Hæc omnia obseruabo fide bona, sine fraude. Sic me Deus adiuuet, & hæc sancta quatuor Euangelia.

CAPVT XX.

Quomodo legati principis ab Italis recepti, & quid patrauerint, & cur Otto comes palatij in Guilhelmum quendam Rauennatensem nobilem manum miserit.

AVerona per Mantuam iter agunt, & venientes Cremonam, celebre colloquium, & si mauis, curiam tenuere, occurrentibus eis ad eam ciuitatem Archiepiscopis Rauennate & Mediolanense, & de suffraganeis eorum x v Episcopis, necnon Comitibus, Marchionibus, Consulibus, & primis omnium circa iacentium ciuitatum: idq; veraciter asserere potero, multis ante hæc regibus denegatam eam quam tunc probitate sua euicerunt isti legati principis magnificẽtiam & gloriam. Inde per Romaniolam & Æmiliam iter agentes, exarchatum Rauennatem visitant, nusquã segnes, nusquã incauti peragere, quę negociis principis, ac regni vtilitatibus profutura nouissent. Inde per Ariminum versus Anconam tendunt. Compererant. n. Logotheram seu Palæologum, cum aliis nunciis Constantinopolitani Imperatoris ibidem morari: specie quidem, quò aduersus Guilhelmum Siculum largitione pecunię milites, qui solidarij vocantur, colligerent: re autem vera, vt ciuitates maritimas (quod sæpius antehac attentatum nouimus) seu vi, seu dolo, sub Græcorum redigerent ditionem. Cumque Rauenna exeuntes, non longè adhuc à ciuitate processissent, obuios habuêre non paucos de melioribus terræ, qui ad præfatos Græcorum legatos ierant, & cum ipsis collo-

Græcorum insidiæ in marchia Anconitana. Solidarij. mercenarij milites.

colloquium familiare tenuerant. Qua de re commoti & in iram versi, pro eo quòd se despexisse,& Græcos spe lucri sibi præposuisse viderẽtur,Otto palatij comes,nec suorum paucitate, nec illorum remoratus numerositate, gladio exerto in meliorem & nobiliorem omnium Rauennatensium,nomine Guilhelmum, cognomẽto Malgrauersar,manum misit,seq; eum captiuum abducturum comminatus est:omnibus aliis præ timore & pauore silentibus,& non contradicentibus. Magna & miranda præfati comitis animositas,quem nec copiosus eiusdem nobilis viri comitatus terruit,nec vicinę ciuitatis metus permouit,quin vt legatus imperij,vbi ratio postulabat,auctoritate imperiali vteretur. Tandem lenioribus verbis, & multa supplicatione mitigatus & placatus,ceptum iter per egit:ac contra Græcos,qui (vt diximus) apud Anconam tũc morabantur, profecturus, non paruam militiam collegit, & prope ciuitatem castra posuit. Euocatos itaq; ad se,verbis minacibus,& valde grauibus adorsi sunt:qua temeritate sine principis conscientia talia præsumpsissent,non se ignorare Danaũm insidias,& Græcam astutiam, simulata humilitate maleficia voluisse, callidissima fraude composita,in amicos deputasse,quod contra inimicos struxisse putabantur. Cumq; manifestis indiciis hostes Romani imperij conuincantur, non aliud superesse, quàm vt pro crimine læsæ maiestatis de ipsis omnibus supplicium sumatur. 1158.

Ottonis Wittelspachij magnanimitas.

Talibus inuectionibus perterriti Græci, atq; animo consternati, multa supplicatione verba excusationis depromunt,partemq; suam quibus possunt argumẽtis purgare conantur. Nequaquam se ignorare legem Iuliam maiestatis,quę in eos qui contra Imperatorem,vel rempub. aliquid moliti, suum vigorem extendit. Verùm ab hoc suam ipsorum conscientiam sese beatos facere, ficta pro veris non recipienda. Magis eos credere debere benignitatibus & obsequiis sæpissimè à Græcis in nostros experimento probatis. Testis horum sit Alemania tota,testis pietatis sit ipse Imperator,nunc princeps orbis terrarum,qui hæc aliquando viderit,& re ipsa expertus fuerit. Æquitas in viuos,misericordia in mortuos, honor in principem, munificentia in optimates:hæc esse affectus sui erga nostros probationes certissimas, fictisque criminationibus veriores. His & similibus se cum magna mentium contritione,Græcis de obiectis excusantibus, dum nulla fraudis deprehendi potuissent indicia, acceptis ab eis magnificis muneribus, in Græciam eos pacificè remigare concedunt, ipsique Mutinum reuertuntur.

Græcorum legati grauiter increpati domũ mittuntur.

CAPVT XXI.

Qualiter se legati erga nuncios Romani pontificis habuerint,& quid iisdem Romanis in via acciderit.

HIS DEM diebus Hẽricus & Iacinctus,suprà dicti nuncij Adriani Papæ,Ferrariam venerant,auditoq; quòd legati Imperatoris Mutinum rediissent,non sperantes ipsos sibi occurrere, humilitatis formam præbentes, quod insolitum antea fuerat,ad eos pergunt:expositaq; causa legationis, quòd scilicet ea quæ pacis essent, & honori imperio,in mandatis haberent,dimittuntur. Iam verò aduentum illorum per omnes partes illas,vbi arta montium transituri erant,fama nuntiauerat,multosq; mortalium rerum alienarum cupidos id contra eos animauerat, quòd penè neminem latebat, maiestatem imperialem Romanis infensam existere, quodq; vitio auiditatis quisque ardebat,ac si regiæ voluntati obsequeretur,temerarius intendebat:sperans,in hoc casu latrocinium honestiori nomine posse palliari. A Ferraria itaq; Veronam, à Verona per vallem Tridentinam iter agunt,habentes secum gratia maioris securitatis, venerabilem episcopum Tridentinum Albertum. Sed prævaluit auri sacra fames, quæ quos arripuit,nil vnquam honestum, nil moderatum sentire,vel appetere permittit. Nam Fridericus & Henricus comites, quorum in illis partibus non parum poterat violentia,tam cardinales, quàm episcopum captos, spoliatos in vinculis ponunt,donec Romanus quidam datus in obsidem, nobilis vir,germanus Iacincti, episcopum autem euidenter diuina potentia liberauit. Hanc tamen immanitatem Henricus nobilissimus dux Baioariæ & Saxoniæ,ob amorem sanctæ Romanæ ecclesiæ, & honorem imperij,non multò pòst probè vindicauit. Namque & vadem eripuit,& comites multis malis attritos,ad deditionem & satisfactionem coegit.

1158.

CAPVT XXII.

Quæ verba nuntij Romani apportauerint, item excusatoriæ literæ Adriani Papæ.

FRIDERICO igitur, vt iam dictum est, castra in campestribus Augustæ ciuitatis metato, ad suam eosdem legatos admittit præsentiam, eisque clementer receptis, causam aduentus exquirit. Illi reuerenter, ac demisso vultu, voce modesta, tale suæ legationis assumunt principium.

Legati papæ Cæsarem exacerbatũ mitigaturi.

Præsul sanctæ Romanæ ecclesiæ, vestræ excellentiæ deuotissimus in Christo pater salutat vos, sicut charissimum & specialem sancti Petri filium. Salutant etiam vos venerabiles fratres nostri, clerici autem vestri, vniuersi Cardinales, tanquã dominum & Imperatorem Vrbis & orbis. Quanta dilectione sancta Romana ecclesia amplitudinem & honorem imperij vestri amplectatur, quam sine cõscientia peccati vestram satis inuita sustinuerit indignationem, & scripta præsentia, & in ore nostro posita viuæ vocis officium declarabit. Post hæc verba literas efferunt, quæ venerabili Ottoni Frisingensi episcopo ad legendum, simul & interpretandum datæ sunt, viro vtiq; qui singularem habebat dolorem de controuersia inter regnum & sacerdotium. Exemplar literarum hoc est.

Ex quo vniuersalis ecclesiæ curam, Deo (prout ipsi placuit) disponente, suscepimus, ita in cunctis negotiis magnificentiam tuam honorare curauimus, vt de die in diem animus tuus magis ac magis in amore nostro, & veneratione sedis apostolicæ debuisset accendi. Vnde sine grandi admiratione non ferimus, quòd cum audito ex suggestione quorundam animum tuum aliquantulum cõtra nos fuisse commotum, duos de melioribus, & maioribus fratribus nostris, Rolandum scilicet cancellarium tit. S. Marci, & Bernhardum tit. S. Clementis presbyteros cardinales, qui pro tuæ maiestatis honore in Romana ecclesia soliciti semper extiterant, pro voluntatis tuæ cognitione ad tuam præsentiam destinauimus, aliter quàm imperialem decuerit honorificentiam, sunt tractati. Occasione siquidem cuiusdam verbi, quod est, Beneficium, tuus animus (sicut dicitur) est commotus, quòd vtique nedum tanti viri, sed nec cuiuslibet minoris animum meritò commouisset. Licet enim, hoc nomen, quod est Beneficium, apud quosdam in alia significatione, quàm ex impositione habeat, assumatur: tunc tamen in ea significatione accipiendum fuerat, quàm nos ipsi posuimus, & quam ex institutione sua noscitur retinere. Hoc enim nomen ex bono & facto est editum, & dicitur beneficium apud nos, non feudum, sed bonum factum. In qua significatione in vniuerso sacræ scripturæ corpore inuenitur, vbi ex beneficio Dei non tanquam ex feudo, sed velut ex benedictione, & bono facto ipsius gubernari dicimur, & nutriri. Et tua quidem magnificentia liquidò recognoscit, quòd nos ita bene & honorificè imperialis dignitatis insigne tuo capiti imposuimus, vt bonum factum valeat ab omnibus iudicari. Vnde quòd quidam verbum hoc, & illud scilicet, Contulimus tibi insigne imperialis coronæ, à sensu suo visi sunt ad alium retorquere: non ex merito causæ, sed de voluntate propria, & illorum suggestione, qui pacem regni & ecclesiæ nullatenus diligunt, hoc egerunt. Per hoc enim vocabulum, Contulimus, nil aliud intelleximus, nisi quod superius dictum est, imposuimus. Sanè quod postmodum personas ecclesiasticas à debita sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ visitatione, vt dicitur, reuocare iussisti, si ita est, quàm inconuenienter actum sit, tua, fili in Christo charissime, discretio, vt credimus recognoscit. Nam si aliquid apud nos amaritudinis habebas, per nuntios & literas tuas nobis fuerat intimandum, & nos honori tuo curauissemus, sicut filij charissimi, prouidere. Nunc igitur quoniam ad commonitionem dilecti filij nostri Henrici Baioariæ & Saxoniæ ducis, duos de fratribus nostris Henricum tit. S. Nerei & Achillei, & Iacinctum S. Mariæ in Cosmidin diaconos Cardinales, prudentes siquidem & honestos viros, ad tuam præsentiam destinauimus, celsitudinem tuam monentes & hortantes in Domino, quatenus eos honestè, & benignè recipias, & quod ab eis ex parte nostra tuæ magnificentiæ fuerit intimatum, à sinceritate cordis nostri nouerit tua excellentia processisse, ac per hoc cum eisdem filiis nostris, mediante iam dicto filio nostro Duce, ita celsitudo tua studeat conuenire,

Pontifex verba sua blandè interpretatur.

uenire, vt inter te ac matrem tuam sacrosanctam Romanam ecclesiam, nullius dis- 1158.
cordiæ seminarium debeat remanere.

CAPVT XXIII.

Quomodo Imperator legatis pontificis reconciliatus fuerit.

LECTIS, & benigna interpretatione expositis literis, Imperator mitigatus est, clementiorq; factus, quasdam causas alio loco memorandas, quæ seminarium discordiæ præstarent, si non congrua emendatio interueniret, legatis per capitula distinxit. Quibus ad nutum principis, & per omnia bene respondentibus, præsulemq; Romanum in nullo regiæ dignitati derogare, sed honorem ac iustitiam imperij semper illibatam conseruare pollicentibus, pacem & amicitiam tam summo pontifici, quàm omni clero Romano reddidit, eamque signo pacis & osculo, absentibus per præsentes destinauit. Sicque hilariores facti legati, donatique regalibus muneribus, diuertunt in ciuitatem. *Pontificis & Cæsaris reconciliatio.*

CAPVT XXIIII.

De nuntiis regis Daciæ, petentes inuestituram suo regi mitterè.

EODEM loco, iisdemq; diebus nuntij regis Daciæ nuper electi, principis adeunt præsentiam, postulantes quatenus inuestituram de regno suo regi mittere, ac electionem de ipso factam ratihabitione confirmare dignaretur. Exaudiuit eos Imperator, præbito & accepto ab eis sacramẽto iurisiurandi. Post reditum suum de Italia, infra XL dies regem ad curiam venturum, & regni administrationem de manu principis, debitæ fidelitatis interposita securitate, susceperturum. *Regnum Daniæ imperij feudũ.*

CAPVT XXV.

Quot & quibus viis exercitus montana transiuit, & quomodo Brixienses primo impetu attriti sunt.

INTEREA confluente ad ipsum vndiqueuersus copioso exercitu, nũtij diuersorum principum aulam repleuere, quibus locis singuli eorum cum singulis exercitibus, per arctiora montium loca transirent, Imperatorem consultantes. Tantæ siquidem erant auxiliariorum copiæ, quòd plurium viarum meatus vix eos præ multitudine sustinere potuisset, videlicet Francorum, Saxonum, Ribuariorum, Burgundionum, Sueuorum, Baioariorum, Lotharingiorum, Boemorum, Vngarorũ, Carentanorum, & cum his aliæ nonnullæ Celticæ seu Germanicæ nationes: viri fortes, bellatores, infinitæ multitudinis, vario armorũ apparatu: iuuentus valida, & ad bellorũ motus imperterrita. Fridericus habito consilio, & prouida circunspectione vsus, hoc modo eis vias, & Alpium transitus censuit distribuendos. Dux Austriæ Henricus, & item Henricus dux Carentanus & simul cum eis copiæ Vngarorum, fermè DC sagittarij electi, pariterq; Comites & Barones illarum terrarum, per Canalem, & forum Iulij, atque Marchiam Veronensem. Dux Bertolfus de Zaringen, vel potius Burgundiæ, cũ Lotharingis, per viam Iulij Cæsaris, quæ modò mons Iouis vocatur. Multa pars Francorum, Ripariolorũ, ac Sueuorum per Clauennam, & lacum Cumanum. Princeps ipse habens in comitatu suo regem Boemiæ, ducem Sueuiæ, videlicet Fridericum filium regis Conradi, fratrem suum Conradum Palatinum comitem de Rheno, Fridericum Colonienſem, Arnaldum Moguntinum, Hellinũ Treuerensem archiepiscopos, cum episcopis Conrado Eistetensi, Daniele Pragensi, Hermanno Verdensi, Gebehardo Herbipolensi & abbatibus regalium cœnobiorum, videlicet Fuldensi, Augiensi. Taceo Marchiones, Comites clarissimos, & valde potentes, quorũ nomina si coner perstringere, delicato seu pigro lectori onerosus existã. His omnibus stipatus agminibus, imò diuino comitatus præsidio, diuus Augustus Alpium fauces felici procinctu cepit vrgere. Iam angustias montium lætus exierat exercitus, iam in planis Italiæ campestribus castrametati fuerant, primaque venientium impetum Brixia temerè in locis *Frid. in Italiam secunda expeditio.*

1158. munitis,& militum ſuorum fortitudine cõfiſa,armis auſa fuit excipere. Sed momento temporis laceratis eius viribus,ſubacta eſt. Primò à rege Boemorum grauiter attrita: deinde in aduentu principis,datis LX vadibus,ſimulq; non modica pecunia,in deditionem pactionis recepta.

CAPVT XXVI.

Quomodo pacem in exercitu princeps iurari fecerit,& de legibus pacis.

RESIDENTE Auguſto,& ex diuerſis ciuitatibus Italiæ venientem militem præſtolante,conſilio inito,commodè & religioſè ſatis, prius de pacis quàm de belli tractat negociis. Conuentum ergo principum cogens,leges pacis in exercitu conſeruandas tales conſtituit:

Leges Caſtrenſes. Statuimus,& firmiter obſeruari volumus,vt nec miles,nec ſeruiens litem audeat mouere. Quòd ſi alter cum altero rixatus fuerit,neuter debet vociferari ſigna caſtrorum,ne inde ſui concitentur ad pugnam. Quòd ſi lis mota fuerit, nemo debet accurrere cum armis,gladio ſcilicet,lancea,vel ſagittis: ſed indutus lorica, ſcuto,galea,ad litem non portet niſi fuſtem,quo dirimat litem. Nemo vociferabitur ſigna caſtrorum, niſi quærendo hoſpitium ſuum. Sed ſi miles vociferatione ſigni litem commouerit, auferetur ei omne ſuum harnaſcha,& eiicietur de exercitu. Si ſeruus fecerit,tondebitur,verberabitur,& in maxilla comburetur,vel dominus ſuus redimat eum cum omni ſuo harnaſcha.

Qui aliquem vulnerauerit,& hoc ſe feciſſe negauerit,tunc ſi vulneratus per duos veraces teſtes,non conſanguineos ſuos, illum conuincere poteſt, manus ei abſcindatur. Quòd ſi teſtes defuerint,& ille iuramento ſe expurgare voluerit,accuſator ſi vult, poteſt iuramentum refutare,& illum duello impetere.

Si quis homicidium fecerit,& à propinquo occiſi vel amico,vel ſocio, per duos veraces teſtes non conſanguineos occiſi,conuictus fuerit,capitalem ſententiam ſubibit. Verùm ſi teſtes defuerint,& homicida ſe iuramento expurgare voluerit, amicus propinquus occiſi duello eum poteſt impetere.

Si extraneus miles pacificè ad caſtra acceſſerit, ſedens in palefrido ſine ſcuto & armis,ſi quis eum læſerit, pacis violator iudicabitur. Si autem ſedens in dextrario,& habens ſcutum in collo,lanceam in manu,ad caſtra acceſſerit, ſi quis eum læſerit, pacem non violauit.

Miles qui mercatorem ſpoliauerit, dupliciter reddet ablata, & iurabit quòd neſciuit illum mercatorem. Si ſeruus,tondebitur, & in maxilla comburetur,vel dominus ſuus reddet pro eo rapinam.

Quicunq; aliquem ſpoliare eccleſiam vel forum viderit,prohibere debet; tamen ſine lite: ſi prohibere non poteſt,reum accuſare debet in curia.

Nemo aliquam mulierem habeat in hoſpitio: qui verò habere præſumpſerit, auferetur ei omne ſuum harnaſch,& excommunicatus habebitur,& mulieri naſus abſcindetur.

Nemo impugnabit caſtrum,quod à curia defenſionem habet.

Si ſeruus furtum fecerit,& in furto fuerit deprehenſus, ſi prius fur non erat, non ideò ſuſpendetur,ſed tondebitur,verberabitur,& in maxilla comburetur,& eiicietur de exercitu, niſi dominus redimat eum cum omni ſuo harnaſch. Si prius fur erat, ſuſpendetur.

Si ſeruus aliquis culpatus non in furto fuerit deprehenſus, ſequenti die expurgabit ſe iudicio igniti ferri,vel dominus iuramentum pro eo præſtabit. Actor verò iurabit,quòd aliam ob cauſam non interpellat eum de furto,niſi quòd putat culpabilem.

Si quis inuenerit equum alterius,non tondebit eum, nec ignotum faciet, ſed dicet Marſcalco,& tenebit non furtiuè,& imponet ei onus ſuum. Quòd ſi ille qui amiſit equum,in via deprehenderit oneratum,non deiiciet onus illius,ſed ſequens ad hoſpitium,recipiet equum ſuum.

Si quis verò villam,vel domum incenderit,tondebitur, & in maxillis comburetur,& verberabitur.

Faber

Faber non comburet carbones in villa, sed portabit ligna ad hospitium suum, & ibi comburet: quod si in villa fecerit, tõdebitur, verberabitur, & in maxillis comburetur. 1158

Si quis aliquem læserit, imponens ei quòd pacem non iurauerit, non erit reus violatæ pacis: nisi ille probare possit duobus idoneis testibus, quòd pacem iurauerit.

Nemo recipiet seruum qui sine domino est: quod si fecerit, reddet in duplo quicquid ille abstulerit.

Quicunq; foueam inuenerit, liberè fruatur ea. Quòd si ablata fuerit ei, non reddet malum pro malo, non vlciscetur iniuriam suam, sed conqueretur Marscalco iustitiam accepturus.

Sed si mercator Teutonicus ciuitatem intrauerit, & emerit mercatum, & portauerit ad exercitum, & cariùs vendiderit in exercitu: Camerarius auferet ei omne forum suum, & verberabit eum, & tondebit, & comburet in maxillam.

Nullus Teutonicus habeat socium Latinum, nisi sciat Teutonicum: sed si habuerit, auferetur ei quicquid habet.

Si miles militi conuitia dixerit, negare potest iuramento: si non negauerit, componet ei x libras monetæ, quæ tunc erit in exercitu.

Si quis inuenerit vasa plena vini, vinum inde extrahat ita cautè, ne vasa confringat, vel ligamina incidat vasorum, ne ad damnum exercitus totum vinum effundatur.

Si castrum aliquod captum fuerit, bona quæ intus sunt auferantur: sed non incendatur, nisi fortè hoc Marscalcus faciat.

Si quis venatus fuerit cum canibus venaticis, feram quam inuenerit, & canibus agitauerit, sine alicuius impedimento habebit.

Si quis per canes leporarios feram fugauerit, non erit necessariò sua, sed erit occupantis.

Si quis lancea vel gladio feram percusserit, & antequam manu leuauerit, alter occupauerit, non occupantis erit: sed qui occiderit eam, sine contradictione obtinebit.

Si quis birsando feram balista vel arcu occiderit, eius erit.

Hanc treugam archiepiscopi, episcopi, abbates, datis pro se dextris firmauerunt, & violatores pacis pontificalis officij seueritate coercendos promiserunt.

CAPVT XXVII.

Adhortatio principis post adunatum exercitum,

IAM totus exercitus tam cisalpinus, quàm transalpinus conuenerat: iam multitudo prudentium, & in lege doctissimorum in vnum coierant, omniumq; aures intentæ erant, quas ad partes, vel in quas nationes in primis eos bellicus labor, & voluntas principis inuitaret. Tunc Imperator, coniuncta cum hilaritate iuuenili regia seueritate, vt & timeri pariter & amari mereretur, vnde exaudiri posset, constitisse, & pro concione huiuscemodi vsus oratione, memoratur.

Imperatoris ad milites oratio.

Regi regum magnas nos, & ingẽtes debere gratias cognoscimus: cuius dum complacuit ordinationi, vt quasi minister eius, & vestri regni gubernacula regeremus, tantam nobis in vestra probitate atque prudentia fiduciam donauit, quòd in multis experimentum vestri habentes, saluo nobis benignitatis vestræ præsidio, simul & consilio, quæcunq; occurrerint, quæcunq; rempub. Romani imperij turbare ausa fuerint, facilè reprimenda putemus. Imperij inquam Romani, cuius apud nos ministerium, auctoritatem penes vos, qui optimates regni estis, recognoscimus. Nemo nos pro libitu nostro bella gerere putauerit, quorum & euentus varius est, & quę comitum suorum videlicet fame, siti, vigiliis, denique diuersis mortibus horrenda & formidolosa non ignoramus. Non ad prelium nos accendit libido dominandi, sed feritas rebellandi. Mediolanum est, quod patriis vos laribus exciuit: quod charis liberorum & coniugum vos amplexibus abstraxit: quod hos omnes labores, sua irreuerentia & temeritate, capitibus vestris induxit. Iustam vobis belli causam fecerunt, qui legitimo imperio rebelles inueniuntur. Suscipietis itaque bella ipsa non cupiditate, vel crudelitate, sed pacis studio, vt malorum audacia coerceatur, & boni disciplinæ suæ debitũ fructum

1158. inueniant. Quod si per desidiam, aut ignauiam dedecus à Mediolano vindice gladio non prosequeremur, iam indubitanter eũ sine causa portaremus: nec tam esset in hoc nostra laudanda patientia, quàm negligentia vituperanda. Ministri ergo iustitiæ, suffragium vestrum iustè postulamus, vt temeritas aduersariorum careat effectu, & imperij status ad nostra deductus tempora, nostro ministerio debitũ sortiatur honorem. Non inferimus, sed depellimus iniuriam. Cumque iustum bellum sit, quod ex edicto superioris potestatis geritur, agite nunc vniuersi, summam militiæ laudem consecuturi, de meritis & laboribus fructum congruo tempore recepturi, obediẽtiam reipublicæ vtilitatibus exhibete: quicquid vobis vtiliter imperatum fuerit, pro viribus obtemperate: diuina siquidem opitulante misericordia, non segnes, nõ degeneres inuenire nos debet inimica ciuitas in conseruando, quod antecessores nostri Carolus & Otto titulis Imperij addidere, primiq; de vltramontanis; ille inter Occidentales, hic inter Orientales Francos, & ad regni terminos dilatandos adiicere curauerunt.

Dixerat, verbumq; Augusti strepitus, clamor, fauorq; totius exercitus prosequitur, & diuina quædam alacritas militibus incidit, salutis datori vota, ac Friderico Imperatori fausta quisque patria voce adclamantes. At sapientes, & legum periti persuadent, Mediolanenses licet improbos & infames, iudicis tamẽ officio per legitimas inducias citandos esse, ne violentia eis illata, vel contra ius in absentes prolata sentẽtia videretur. Legitimas verò inducias dicunt iudicis edictum vnum, mox alterum, & tertium: seu vnum pro omnibus, quod *peremptorium* nominatur: quod & factum est.

Mediolan. ad dicẽdam caussam citati.

CAPVT XXVIII.

De nuntiis Mediolanensium, & immutatione atque commotione quæ in ciuitate facta est.

ITAQVE Mediolanenses cùm viderent vniuersam vim belli suis imminere capitibus, eligunt quos ad curiam mittant legatos, viros eruditos, & in dicẽdo acerrimos. Qui cum se pœnalibus, & stricti iuris actionibus conueniri viderent, neq; principem pactione multæ pecuniæ posse deliniri, suffragio optimatum frustra quæsito, pacisq; infecto negotio, ad suos reuertuntur. Imperator astipulantibus iudicibus, & primis de Italia, contra Mediolanenses condemnationis proferens sententiam, hostes eos iudicat, omniq; apparatu ad obsidionem ciuitatis accingitur.

Mediolanẽses hostes iudicati.

Quibus rebus apud Mediolanum compertis, permota ciuitas, atq; immutata vrbis facies erat, ex summa lætitia, atq; lasciuia, quæ diuturna eis requies pepererat, repentè omnis tristitia inuasit. Festinare, trepidare suo quisq; modo & metu, pericula metiri. Ad hæc mulieres quibus suæ reip. magnitudine belli timor insolitus incesserat, afflictare sese, manus supplices ad cœlum tendere, miserari paruos pueros, omnia pauere. Fuere tamẽ pleriq; (sicut alibi de quibusdam dicitur) qui se & remp. obstinatis animis perditum irent. Nam semper in ciuitatibus, quibus opes nullæ sunt, qui æs alienum soluere non possunt, bonis aliorum & quieti inuidẽt, noua exoptant, odio suarum rerum omnia mutari student, seditionibus sine cura aluntur: quoniam (vt dicitur) egestas facilè habetur sine damno. Præterea iuuẽtus, quæ magis manuum labore victum quærens inopiam tolerabat, publicis largitionibus excita, vrbanum ociùm ingrato labori prætulerat. Vnde factum est, vt multitudine huius vulgi præualente, reip. iuxta ac sibi consulerent, ac libentibus animis belli euentum expectarent, nobilioribus & melioribus metu talium silentio addictis. Et hæc quidem in ciuitate.

Vilis plebe culæ ingenium bellica tempestate ingruente.

CAPVT XXIX.

Quomodo Fridericus ad obsidionem Mediolani properans Abduam transiuit.

FRIDERICVS autem per aliquot dies operiens, expectabat si fortè Mediolanenses pœnitudo salubris ab incepto rebellionis reuocaret, si fortè cladis & periculorum consideratio eos propositum mutare persuaderet. Paratus etenim erat serenus principis animus potiùs correctis veniam pręstare, quàm post destructionem prouinciæ, cum damno multorum, de perdito populo triumphare. Illis igitur in priori pertinacia

nacia permanentibus, cunctis comitatus agminibus, incipere obsidionem acriter statuit, castraq; mouens vsq; ad flumen Abduam processit. Is fluuius Cremonensium ac Mediolanensium fines medius dirimens, sæpissimè atroces eorum contra sese incursus inhibuit, & tunc quidem propter liquentes in Alpibus niues, non mediocri inundatione excreuerat, ruptisq; pontibus omnino transuadandi opportunitatem exercitui denegare videbatur. Aderāt quoq; in vlteriore fluminis ripa pugnacissimi de Mediolanensibus circiter mille equites armati, qui se ope & adminiculo inundantis fluminis facilè vada pontesq; defendere posse arbitrati sunt. 1158. *Abdua flu. mine.*

Verùm contra audaces non est audacia tuta.

Nempe frustrati sunt, cùm ex improuiso rex Boemiæ, & Conradus dux Dalmatiæ, cũ suis paruipendentes periculum, aquis se dederint, & quamuis difficillimè, & non sine clade suorum, imperterriti tamen alueum furentis amnis transuadauerint, vel potius transnatauerint. Numerus eorum quos aquarum vehementia inuoluit, inuoluendo submersit, circiter ducentos æstimabatur. Mediolanenses postquam regem præter spem & opinionem suam transisse cognouerunt, ante pugnam fuga disiecti, & ad ciuitatem reuersi sunt: sarcinæ relictæ, & præda vniuersa à nostris direpta. Has primitias belli, primosq; conatus infaustos Mediolanensibus nonnulli asperius auspicati sunt, rerum exitus ex principio metientes. Boemos reliquus exercitus secutus, pars refectis pontibus, pars insano gurgiti se immittentes, tam se, quàm sarcinas transposuere. *Primitiæ belli Mediolanensibus infaustæ.*

CAPVT XXX.

Quomodo castrum Tretium ab Imperatore expugnatum sit.

ERAT non longè ab eo loco castrum quoddam Mediolanensium, Tretium appellatum, in planitie campestri, mediocri eminentia paululum in altum sublatum: quod vna parte iam dictus fluuius Abdua alluebat, altera muri fortissimi ambitu, turrisq; fortitudine muniebatur, pontem firmum, & ad transmeandum copiosæ militiæ habilem, suis continuans suburbiis. Augustus commodum ratus ad transitum suorum, si præfatum castrum suæ subigeret potestati, obsidione cingit, oppugnat, & in breui expugnat. Castellani enim disciplina militum & ingenio conterriti, paulisper quidem primos sustinuere impetus: deinde cum nullum locum fugæ, nullum de ciuitate præsidium sperarent, scientes quòd pro vita res illis erat, dextras postulant, accipiunt, munitionem dedunt; plurimi pendentes, quòd in tam aduersa fortuna personarum salutem lucrati fuissent. Fridericus locatis ibidem præsidiis, ad obsidionem ciuitatis acies instruit. *Tretium castrum.*

CAPVT XXXI.

De morte comitis Ekeberti, & aliorum nobilium, & quomodo Imperator ob hoc iratus placatus fuerit.

PROGREDIENTE autem eo in hostilem terram, quidam de exercitu malæ affectatæ laudis auidi, præuenire alios, & de virtute certando alter alteri superior inueniri desiderabant. Inter quos erat comes Ekebertus de Butene, vir nobilitate, diuitiis & virtute animi ac corporis insignis, cum quibusdam aliis nobilibus, & regalis familiæ militibus. Isti coeuntes in vnum, circiter mille equites armati, sperantes se aliquid memorabile facturos, ad ciuitatem properant, & penè vsq; ad portam assultum faciunt, viri digni pro fortitudine, qui meliore fortuna vsi fuissent. Nam etsi cœptum casus inuidit, tamen nõ qualiter cesserit, sed quid decreuerint attendendum. Excipiuntur siquidem valida hostium multitudine: certatur hastis primò, deinde strictis ensibus dimicatur, vixq; in conflictu discerni poterat ex qua parte quisq; pugnaret, permixtis viris, & propter angustias permutatis: visum puluis obortus & excitatus ad instar noctis excæcabat, vocis autē intellectum magnitudo, & diuersitas confundebat. Neq; enim fugæ, vel persecutioni locus erat, sed qui inter primos stetissent, aut cadendi, aut occidendi necessitatem habebant, quia refugere non dabatur. Nam & posteriores vtriusque partis in fronte suos vrgebant, nullumque inter dimicantes bello *Cæsar. aliquot turmarum temeraria excursio.*

1158. vacuum interuallum reliquerãt. Cùm autem hostium multitudo, nostrorum animos & peritiam vinceret, iamq; tota acies pelleretur, prædictus comes Ekebertus, vni suorum qui deiectus fuerat, opem ferre cupiens, subito equo prosilit, militem liberat, iamq; vincentes hostes penè solus perturbat, & ad vallum vsque ciuitatis persecutus est. Fugiebant eum vniuersi, neque vim hominis, neque audaciam sustinẽtes. Verùm profectò fata virum persequebantur, quæ ab homine vitari non possunt. Multitudine quippe aduersariorum vndique circumfusus, ad terram lancea prostratus est, & detracta galea atque thorace, capite cæsus, nemine succurrente, quòd locus intercludebat auxilium ferre cupientem. Ægrè itaque nobilissimus comes, & vir regalis sanguinis perimitur, magnam de se querelam non tantum apud suos, sed etiam apud exteros relinquens. Dictum tamen memini à quibusdam, viuum eum captum, & intra ciuitatem atrociter decollatum. Occisi sunt ibidem quidam alij nobiles, quorum vnus erat Ioannes dux, & maior de exarchatu Rauennatensium, & regij milites N. & N. capti quidam, cæteri ad castra reuertuntur.

Ecbertus comes de Butenhesm prælio cæsus.

Militum inconsulta temeritas à Cæsare reprehensa.

Reuertentes autem milites interminatio principum, & Imperator iratus, huiusmodi oratione corripuit: Mediolanenses omnia cum deliberatione faciunt, atq; prudentia, fraudes & insidias componendo, eorumq; dolos fortuna persequitur. Nostri verò, quibus ob disciplinam & consuetudinem obediendi rectoribus fortuna famulatur, nunc contrariò peccant. Non immeritò ita vincuntur, depelluntur; quia omniũ pessimum est, præsente Imperatore sine rectore dimicare; cùm etiã vincere sine præcepto ducis, infamiæ sit. Scituros esse ait, omnes qui de cætero arroganter egerint, vel minimum quid præter ordinem mouerint, legum seueritate se in eos vindicaturum. Circunfusa verò agmina principem pro commilitonibus obsecrabant, paucorumq; temeritatem condonari cunctorum obedientiæ precabantur: emendaturos esse peccatum præsens futurę compensatione virtutis. Placatus Imperator est precibus, simul & vtilitate multitudinis, facto indulgendum putans, multa monens, vt post hæc prudentiùs agerent. Ipse verò quemadmodum se in aduersarios vlciscereturiam prouocatus arctiùs cogitabat.

CAPVT XXXII.

Quo ordine, & quot legionibus contra Mediolanum transiuit: & de aduentu principis Mediolanum.

ITAQVE postera die quæ luxerit in VIII Kalend. Augusti, Fridericus ad obsidionem ciuitatis ducens exercitum, omnes copias suas in VII legiones partitur, præficiens singulis de principibus rectores ordinum, quos antiqui centuriones, hecatontarchos, seu chiliarchos appellare consueuerunt, cum signiferis, aliisq; disciplinæ & ordinis custodibus. Prẽmissi autem milites cum stratoribus viarum ibãt, qui aggerum maligna corrigerent, ac deuia complanarent, obstacula præciderent, ne perplexo itinere fatigaretur exercitus. Circum Aquilam & signa alia, tubicines & cornicines. Serui singulorum agminum cum peditibus erant, mulis aliisq; iumentis aduehentes militum sarcinas. Hos sequebantur qui expugnandis ciuitatibus machinas & cętera tormenta portarẽt. Omnium verò agminum postrema erat mercenaria multitudo. Ordinato taliter militum itinere, præmonitisq; diligenter ne quis ordinem deserat, Martio quodam spiritu repleti, cum valido clamore diuinum implorãt auxilium. Deinde ociosè & cum omni decore progredientes ambulant, suum quisq; ordinem velut in bello custodiens. Quemcunq; huic negotio veluti liberum spectatorem contigit affuisse, hunc ego experientius intelligere puto, quod dicitur; *Pulchra vt luna, electa vt sol, terribilis vt castrorum acies ordinata.*

Agminum militarium ordo.

Cant. 6.

Peracto itinere Fridericus cum omni exercitu, circiter c milia armatorũ, vel amplius, Mediolanũ peruenit: ibiq; positis castris, quamuis promptos ad bellum, milites continebat, ne quid ea die attentarent. Illi verò qui de ciuitate fuerant egressi, stabant armati super vallum, nihil omnino strepentes, dubium, principis aduenientis aspectus, vtrum hanc reuerentiam, & huius silentij disciplinam, an metum vniuersis incusserit. In gyrum ergo è regione portarum distribuens exercitum, instruebat obsidionem.

Mediolanũ obsidetur.

CA-

1158

CAPVT XXXIII.

De situ ciuitatis, & moribus ciuium Mediolanensium.

DE ciuitatis ipsius situ ac moribus cum superiore Libro mentio fuerit, id adiiciendum videtur, quòd campi planitie vndique conspicua, natura loci latissima, ambitus eius super centena stadia circunuenitur. Muro circundatur, fossa extrinsecus latè patens aquis plena, vice amnis circumfluit, quam priori anno primitùs ob metum futuri belli, multis inuitis & indignantibus, consul eorum prouidè fecerat. Turrium proceritati non tam vt aliæ ciuitates, student. Nam in multitudine atque fortitudine tam sua, quàm sibi confœderatarum ciuitatum, confidentes, impossibile arbitrati sunt, à quoquam regum seu imperatorum suam ciuitatem posse claudi obsidione. Vnde factum est, vt ciuitas hæc inimica regibus ab antiquo fuisse dicatur, hac vsa temeritate, vt semper rebellionem principibus suis moliens, schismate regni gauderet, & geminorum potius dominorum, quàm vnius super se iustè regnantis affectaret principatum, ipsa leuis & vtriusq; ridens fortunam, nec in hac, nec in illa parte fidem haberet. Huius rei si quis exempla desiderat, ad Leoprandum, qui gesta Longobardorum subnotauit, recurrat.

Mediolanẽses turbulenti ingenij.

CAPVT XXXIIII.

De excursu Mediolanensium, & quomodo, & à quibus excepti seu repulsi.

DIVISIS (vt dictum est) inter principes exercitus portis ciuitatis, singuli eorum festinare, parare vallo, sudibus, palis, aliisque propugnaculis castra munire, propter improuisos hostium excursus, decertabant. Neq; enim vineis, turribus, arietibus, aliorumque generum machinis tantam ciuitatem attentandam putabant, sed longa potius obsidione fatigatos ad deditionem cogi, vel si foras propter fiduciam multitudinis erupissent, prælio superatum iri. Oppidani non segnius ea quæ necessaria forent, procurare, munimenta castrorum disturbare, crebris excursibus exercitum attentare, sagittariis & fundibulariis plerosq; sauciare. Erat in extrema parte exercitus Conradus Palatinus comes de Rheno, germanus Imperatoris, & dux Sueuorum Fridericus cum Sueuis, cæterisque ipsorum commilitonibus obsidionis agentes negocia circa portam sibi destinatam. Mediolanenses opportunum rati, vel pro eo quòd pauciores aliis agminibus, & iuniores ætate, vel quòd sequestrati à fortitudine exercitus auxilium inuenire non possent, eos inuadere statuunt, sperantes facilè se aut plenum de illis triumphum reportare, aut forti aliquo patrato facinore vitam pacisci pro laude. Itaque post occasum solis, cum præter vigiles tantùm, totus miles fessa labore corpora somni quiete recreanda speraret, apertis portis cum pugnacissimis egressi, disiectis custodibus, vsque ad iam dictorum heroum castra excurrunt, oppugnant, sauciant. Alemani vbi hostes aduentare senserant inopinata re ac improuisa primò perculsi, alter apud alterum formidinem simul & tumultum facere: deinde alius alium appellare, hortari, arma capessere, venientes excipere, instantes propulsare: clamor permixtus hortatione, strepitus armorum ad cœlum ferri, tela vtrinq; volare, pro ingenio quisque, pars cominus gladiis, pars pugnare lapidibus, seu alterius generis missilibus. Non procul ab hinc rex Boemorum castra fixerat. Is ex quo bellicum clamorem accepit, decernit laborantibus sociis auxilio fore debere. Quanta ergo poterat velocitate, suos arma capere, equos ascendere iubet: ipse cum electis militibus & tibicinis, & tympanistris præire. Non eos morabantur vinearum aggeres, seu maceriæ, non asperitas & insolentia loci retinebat. Ea verò consueti Sclauorum equi facilè euadere. Nostri vbi ex sono tubarum & tympanorum amici regis aduentum cognouere, animosiores & lætiores effecti, resistere, hortari se inuicem ne deficerent, neu paterentur hostes iam iam fugituros vincere. Aderant Boemi, tum demum maxima vi certatur, maximo clamore cum infestis signis concurritur. Rex ipse cominus acriter instare, laborantibus succurrere, hostem ferire, strenui militis, & boni regis officia simul exequebatur. Oppidani vbi vident contrà ac rati erant, se in medios hostes deuenisse, nec impetum

Mediolanẽsium eruptio.

Prælium.

1158. regis ſuſtinere poſſe, terga vertunt. Noſtri fugientibus inſtant, & vſq; ad anguſtias portarum perſecuti, in reliquum tempus pacem ſibi de incurſionibus illorum peperere. Hoſtium quidam occiſi, plurimi capti, magna pars vulneribus confecti.

CAPVT XXXV.

De aſſultu noſtrorum in portam.

QVIA verò tam ſuperbæ ciuitatis tam famoſam obſidionem ſe non meminit ætas noſtra vidiſſe, pro eo quòd nõ ſolùm Alemanici, ſed & Italici regni vires ibi adunatæ fuerant, quiſque glorioſus, ac laudis auidus alius alium in aliquo egregio facto, vnde ſibi nomen faceret, præuenire ſatagebat. Igitur Otto Palatinus comes de Baioaria, cuius iam ſæpe mentio habita eſt, cum duobus fratribus ſuis, Friderico & Ottone iuniore, aliaq́ue ſibi coniuncta militia, ad portam quam ipſi vallauerant, diligentius hoſtium conamina obſeruabant. Quadam ergo die dum ociosè ipſos agere, roſq́; circa portam cuſtodes aſpexiſſent, viſum eſt eis tentandam fortunam. Ergo propinquante veſpera, clanculum milites armari iubent, ſeruoſq́; ignem cum aridæ materiæ faſce præparatum habere, quatenus dato ſigno pariter ex improuiſo procurrerent, & pontem ac portam ipſam, ſi fieri poſſet, exurerent. Parent dicto, atq; ad nutum præcipientium ſubitò proſilientes, vſq; ad propugnacula pontis ſuper aggerem diſpoſita venerunt, ignemq́; ſicut præcepti fuerant, haud ſegniter iniecerunt. Populus ciuitatis tumultu excitatus, improuiſo metu, incerti quid potiſſimùm facerent, trepidare, cum erumpentibus flammis propugnacula & aggeres concremari cernerent, timere ne aridum nactæ fomitem citius volitando non ſolùm põtes & portam, verùm ipſam ciuitatem peſſundarent. Clamor ergo ac tumultus per ciuitatem varius agitatur, curruntq́; permixti inermes & armati, prohibituri incendium. Concurritur infeſto Marte, certatur magnis viribus ab vtriſque, obſcuram noctem, incendium, & faculæ, tedæq́; ardentes illuminabant, fragor percutientium, gemitus percuſſorum, voces adhortantium hinc inde variè reſonabant. Hi, vt cœptum eorum efficaciam obtineret; illi vt ignem reſtinguerent, noſtroſq́; à porta propellerent, ſumma vi conabantur. Comites ipſi duces prælij in hoc certamine, ſicut & in aliis multis, omnibus ſe periculis proſtituentes, ſicut optimi bellatores fortitudinem corporis, ac animi magnitudinem adeò ſub oculis omnium clarere fecerunt, vt de eorum virtute etiam hoſtis iudicaret, & quiuis ſpectator teſtis fieret. Multo autem labore conſumpto, liteq́; in horam noctis protracta, miles ad caſtra reuertitur. Sauciati vtrinque plurimi, verùm atrocitatem cladis beneficium noctis imminuebat. Alij aſſerunt, hoc negocium clara die conſummatum.

Cæſarianorum aſſultus.

CAPVT XXXVI.

De eruptione Mediolanenſium contra Henricum ducem Auſtriæ, & clade eorum.

NEC minùs populares Mediolanenſes turpe habentes, ſi remiſſiùs in noſtros agerent, vbi tempus & locum inuenerunt, non cum valida quidam manu, ſed perpaucos ſiue ſagittarios, ſiue fundibularios, incautos ſauciando, temeritatis atque audaciæ ſuæ magnitudinem oſtentare conabãtur. Et illi quidem qui ad ſuperiores conflictus venerant, moderatiùs agere: alij verò tanquam non experti, per ſingula momenta excurſiones moliri. Ad portam itaque quam obſeruabat Henricus dux Auſtriæ, vir nobilitate generis & animi clariſſimus, patruuſq́; Imperatoris, dum ſæpius hanc exercerent iniquitatem, non dignum ratus facinus hoc ſine vltione præterire, ad correctionem & eius vindictam, accepta opportunitate accingitur. Igitur vniuerſis, quos ſecum habebat, armatis, auxiliariis Vngarorum copiis in ſagittando optimis, cum cætera heroum, qui ſibi ſociati fuerant, cohorte aſſumptis, omni conamine oppugnationem portæ diſponebat. Non hoc latere poterat Mediolanenſes, quippe molitiones noſtrorum præſentientes, ignominiam iudicabant, ſi pares, imò plures multitudine, minori animo, venientibus non occurrerent. Per turmas ergo & cohortes ſuas egreſſi, committunt ſe, ſeq́; mutuò maxima vi cædunt, ſauciant, capiunt, fugant.

Tum

Tum ſpectaculum horribile, ſequi, fugere, occidi, capi, equi atq; viri afflicti, ac multi vulneribus acceptis neq; fugere poſſe, neq; quietem pati: niti modò, ac ſtatim concidere. Poſtremò omnia conſtrata telis, armis, cadaueribus, & infecta ſanguine tellus. Ex parte oppidanorum iterum malè pugnatum eſt: ipſeq; Dux, cuius ibi probitas mirificè probata eſt, haud dubiè victor, eos intra mœnia fugauit, & à ſolita in poſterum eruptione compeſcuit. Inter alios qui de Mediolanenſibus eo prælio ceciderunt, occiſus eſt quidam de nobiliſſimis illorum, nomine Statius, quem (vt tunc fama fuerat) Regulum ſuper ſe creare cogitauerãt: auditaq; morte eius, tota ciuitas luctum aſſumpſit, corpusque mortui cum viuis, quos de noſtris habebant, & copioſa pecunia commutantes, redemerunt, & regalibus exequiis honorando ſepelierunt. 1158. *Conflictus alius.*

CAPVT XXXVII.

De temeritate cuiuſdam Mediolanenſis, & probitate comitis Alberti.

ILLVD etiam non abre eſt memorare, quòd quidam ex oppidanis vir in oculis ſuis ſibi placitus, progreſſus verſus caſtra Imperatoris, velut imperitiam equitãdi noſtris exprobrans, quædam ſuperba proloçutus eſt, & quemlibet fortiſſimum, ac equitandi peritiſſimum ad ſingulare certamen prouocauit: cepitq; vertibilem equum modò impetu vehementi dimittere, modò ſtrictis habenis in gyrum, vt huic negocio mos eſt, reuocare: moxq; varios, perplexosq; per anfractus diſcurrere. At qui contrà ſteterunt, multi quidem dedignabantur. Erat autem inter eos, vt aſſolet, etiam qui timeret. Quoſdam verò non inconſulta mouebat ratio, cum mortis cupido non debere confligere, & cum his in diſcrimen venire, quos neq; vincere magnum ſit, & vinci cum dehoneſtamento periculoſum, non fortitudinis, ſed inſipientiæ videri. Cùm autem diu nemo procederet, multaq; ille noſtrorum timiditati illuderet, nobilis comes Albertus de Tyrol, ad omnem virtutis commendationem idoneus, inermis & palefrido ſedens, ſolo clypeo accepto & haſta, præfato Liguri obuiam venit: eumque tripudantem, & vana iactantem deiecit, cadentemq; dedignatur occidere, contentus ad laudem, quia viſus eſt potuiſſe. Ita noſtros vltus comes Albertus, nihil glorians, ad ſuos reuertitur, vir minimæ iactantiæ, & qui ſemper manu quàm lingua promptior inueniri volebat. Ita inter noſtros principes contra Ligures varium pro virtute & gloria certamen indies habebatur. *Albertus comes Tirolis.*

CAPVT XXXVIII.

Quomodo Imperator ciuitatem gyrauerit, & de turri quæ vocabatur Arcus Romanus.

INTER hæc princeps ipſe impiger omnia quæ ad cladem & euerſionem ciuitatis erant, prouidere, muros modò cum paucis, modò cum multis & lectis militibus circuire, vbi muros aggrederetur explorare, omni modo tentare, ſi poſſet incluſos ad congreſſionem & pugnam prouocare. His circuitionibus alteram partem ciuitatis, quæ necdum obſidione adeò fuerat ſubacta & artata, quin pecora eorum extrà paſcerentur, ciuibusq; intrandi & exeundi pateret aditus, ita compeſcuit & cohibuit, vt tum demum ceruicem dimitterent, & quale eſſet obſidione claudi experimento addiſcerent. Euntem in gyro Imperatorem arbitrantes ad aſſultum faciendum venire, in ciuitate tumultus exoritur, ingens trepidatio, tympanorum crepitus, tubarum ſonitus, fortes ad arma, mulieres & inualidi ſenes ad lamenta. Nemo tamen extrà progredi auſus, ad defenſionem tantùm ciuitatis armata iuuentus, & imperterrita ad modum coronæ cõſiſtebat, ſed nec ad portam, vbi militia principis obſidionem celebrabat, excurſiones facere, dubiũ an metu, an reuerentia Imperatoris cohiberentur. Erat non longè à vallo, id eſt, quantum arcus iacere poteſt, quaſi turris quædam fortiſſima, ex quadris lapidibus ſolito opere compacta. Mirabilis autẽ fuit lapidum magnitudo. Nec enim ex vulgaribus ſaxis, aut quæ homines ferre poſſe crederẽtur: ſic autem manibus artificum formata, vt quatuor columnis ſuſtentata, ad ſimilitudinem Romani operis, vix aut nunquam in ea iunctura compaginis appareret: vnde & Arcus Romanus appellatus eſt: ſiue ab antiquo aliquo Romanorum Imperatore, ob decorem & *Arcus Romanus.*

1158. memoriam in fornicem triumphalem erecta; siue (vt in gestis Longobardorum reperitur) ad expugnationem & cladem ciuitatis ab vno rege nostrorum fuerit fabricata. Erant in ea virorum receptacula & cœnacula XL lectorum, vel amplius capacia: collectis ibi tam in armis, quàm in victualibus; quæ ratio necessitudinis ad obsidionis tempus desiderabat. Ibi Ligures sua præsidia locauerant duplici ratione, vt & hostibus vsui non esset, cum exinde quicquid in ciuitate ageretur, velut è specula facilè videri, itemq; quid in castris fieret, quidq; exercitus strueret, ipsis continuò denunciari posset. Fridericus versis in contrarium rationibus, hanc expugnare statuit: verùm cùm nec instrumentis, siue machinis, aut aliquo tormentorum genere pro firmitudine sua pulsanda videretur, triplici ordine iaculatorum & sagittariorum eam vallat: tantaque illorum erat & magnitudo, & in feriendo peritia, quòd non dubiè mortem appeteret, quisquis in propugnaculis appareret. Summa ergo necessitate coacti, dextras petunt, & vt sibi parceretur, rogabant: acceptaq; fide publica, munitionem tradunt, & recedunt. Exinde nostris arx illa vsui.

CAPVT XXXIX.

De crudelitate Cremonensium & Papiensium contra Mediolanenses.

Vicini in Mediolanenses suã odij acerbitatẽ effundunt.

NEMO in hac obsidione maiori studio, maioriq; atrocitate, quàm Cremonẽsium & Papiensium desæuit exercitus, nullisq; obsidentium obsessi se magis ac illis offensos & infensos præbuere. Longissimis siquidem simultatibus & discordiis inter Mediolanum & has ciuitates agitatis, multis milibus hominum hincinde vel occisis, vel dura captiuitate afflictis, territoriis præda & incendio vastatis, cum se in Mediolano, quod propriis viribus & auxiliariis ciuitatibus præualebat, ad plenum vindicare non potuissent, opportunum tempus adepti, iniurias suas vltum iri decernunt. Itaq; non vt cognatus populus, non vt domesticus inimicus, sed velut in externos hostes, in alienigenas, tanta in sese inuicem sui gentiles crudelitate sæuiunt, quanta nec in barbaros deceret. Vineta, ficeta, oliueta Mediolanensium pars radicitùs euellunt, pars excidunt, alij corticibus abrasis ignibus idoneam præparare materiam. Quando gladiis inter se res ageretur, & mutuo casu vel hac, vel illac quispiam infelix caperetur, hi qui extrà in conspectu hostium, aut mucronem iugulo condere, aut spiculo configere: qui verò intus, ne crudelitate inferiores inuenirentur, captum per membra diuidere, forasq; suis miserabile spectaculum proiicere. Et tale quidem conlatinorum inter se commercium fuit.

CAPVT XL.

Quomodo Mediolanenses variis modis attriti, suadente Guidone comite, tractauerint de pace. Item oratio exhortatoria eiusdem de illare.

IAMQVE plurimis malis attriti Mediolanenses. Crescebat autem in ciuitate cum fame desperatio, & in dies singulos vtrumq; malum amplius accẽdebatur. Erat nempe collectum ex toto territorio infinitum vulgus, diuersusq; erat victus, cùm potentiores quidem amplius haberent, infirmiores autem penuriam deplorarent. Quippe fames super omnes clades habetur. Nam, vt ait quidam, *Quod reuerentia dignum est, in fame negligitur.* Huc accessit vltio diuinæ animaduersionis, totamq; penè ciuitatem morbus, aut pestilentia vexabat. Vrgentibus itaque pariter fame, ferro, peste, populus ad deditionem commotus est: iamque illorum multitudo profugere cogitabat. Qui verò actioris ingenij erant, seditionibus operam dabant, dicentes, pro libertate patriæ, & honore ciuitatis vitam se morte velle cõmutare. His inter se dissidentibus, quidã ex illis, quibus sanior mens erat, qui pacem malebant quàm bellum, decreuere, vt concione habita, populum ad considerationem communis vtilitatis prouocarent, & magnitudine periculorum à rebellione deterrerent. Huius auctor negocij dicitur fuisse Guido comes Blanderatensis, vir prudens, dicendi peritus, & ad persuadendum idoneus. Is cùm esset naturalis in Mediolano ciuis, hac tempestate tali se prudentia & moderamine gesserat, vt simul quod in tali re difficillimum fuit, & Curiæ charus, & ciuibus

ciuibus ſuis non eſſet ſuſpicioſus. Aptus ergo qui ad tranſigendum fidus mediator haberetur,& pro concione huiuſcemodi vſus ſermone commemoratur. 1158.

Suaſoria ad Mediolanẽſes, vt ſeſe dedant Imperatori.

Si veſtræ reipub. hactenus fidem ſeruaui, ſi ſtatum & honorem Mediolani ſtare incolumem ac inconcuſſum optaui, feci quod debui. Tanta mihi gratia ab ineunte ætate, tanta mihi veſtra beneuolentia exhibita ſunt beneficia, quòd ad gratiarũ actiones imparem & inſufficientem me cognoſco, niſi fortè bonæ conſcientiæ, bonæ voluntatis obſequium aliquod mihi apud vos meritum pepererit. Harum rerum veſtra fretus probitate, fiducialiter vos teſtes exhibeo. Vnde nõ vereor in tali rerum articulo à quoquam bono notari, etiam ſi præter libitum ſuum, ac ſecus quàm ſuo rapitur deſiderio quippiam à nobis audierit. Beatum enim me æſtimo ab his, quibus vacuos eſſe decet, qui de rebus dubiis conſultãt. Hæc ſunt (vt ait quidam) odium, amicitia, ira atq; miſericordia: vbi illa officiunt, haud facilè animus verum prouidet. Veſtra dignitas, fama atq; fortuna, hucuſq; non in obſcuro, ſed in excelſo fuit, veſtraque facta cuncti mortales nouere. Sed decebat in maxima fortuna minimam eſſe licẽtiam. Nouimus quos & quot reges Mediolanum ſua conſtituerit auctoritate: nouimus quos, & quot adepto regno propulerit. Sed profectò in omni re fortuna dominatur: ea (vt dicitur) cunctas res pro libitu magis quàm pro vero celebrat, obſcuratq;. Paululum hæc fortuna immutata eſt. Mobilis enim eſt, eiusq; conſtãtia volubilem eſſe, ac minimè permanentem. Tendamus cum rota, forſitan qui modò infimus axe teritur, eleuatus rurſus ad aſtra feretur. Senſit mecum qui dixit, Heus, omnium rerum viciſſitudo eſt. Scio qui dicant: Libertas res inæſtimabilis eſt: Pulchrum pro libertate pugnare. Fateor, attamen id in principio decere fieri: ſemel autem ſubditum, & qui multo tempore paruiſſet imperio, iugum excutere, malæ mortis cupidum, non libertatis amatorem videri. Validiſſima lex eſt tam feris beſtiis, quàm hominibus præfinita, potentioribus cedere, quiq; armis vigent, his obedire victoriam. Diuinæ quoq; ordinationi reſiſtit, qui poteſtati reſiſtit. Timendum ergo non ſolùm vos Imperatori, ſed etiam Deo reſiſtere. Graue quidem confiteor, poſt longum ocium, poſt longam libertatis conſuetudinem, iugum, frenumq; portare. Sed conſoletur ignominiam ſubiectionis, dignitas imperij, ac nobilitas imperantis. Meliores nobis fuerunt patres noſtri & maiores, fide, probitate, cæteriſq; bonis æquè vel amplius nobis gloriam, honorem, libertatemque affectarunt: imperio tamen tranſalpino reſiſtere non potuerunt. Subeant nobis pro exemplo Carolus magnus, & Otto primus ex Teutonicis Imperator. Ea propter tametſi varia belli diſcrimina iam in parte ſitis experti, optimum tamen eſt ante intolerabilem calamitatem mutare ſententiam, dumq; licet, ſalutare ſequi conſilium. In clementia principis magna ſpes nobis ſita eſt, qui non in finem iraſcetur, ſi non ad finem vſq; inſolentes ipſi fueritis. Breui autem quamuis armis perrumpi clauſtra murorum non poſſint, fames atq; peſtilentia pro illis pugnabit. Verſentur obſecro in conſpectu cuiuſq;, filij, coniuges & parentes, quos paulo pòſt, niſi mutata ſententia, aut bellum, aut fames abſumet. Non ignauia, ſed conſideratione periculorum me quiſquam hæc ſuadere crediderit. Ipſe ego pro populo meo, pro ciuitate mea mori paratus ſum, impendamq; libenter in cædem pro ſalute veſtra ſanguinem meum.

Fortuna Cæſ.

CAPVT XLI.

Quomodo Mediolanenſes in gratiam ſint recepti, & de conditionibus pacis.

POSTQVAM dicendi finem fecit, alius voce, alius nutu, aut aſſentire, aut contradicere. Vicit tamen imprudentiam conſilium ſaniorum. Vnanimes itaque facti per conſules & primos ciuitatis, primò regem Boemiæ, ducemque Auſtriæ conueniunt: dehinc mediantibus illis alios principes, eosq; ad Imperatorem de pace ſupplicaturos dirigunt. Princeps pro regali manſuetudine, pro humanitate naturali, ciues ciuitati, ciuitatem ciuibus ſeruare cupiens, gratum habebat cognito populum de pace ſentire, conſilioq; habito, cùm videret omnium animos ſumma alacritate id appetere, de pacis pacto & conditione pertractat. Quod tale fuiſſe, ſcriptura exinde facta declarat. Cuius exemplar hoc eſt.

1158. In nómine domini nostri Iesu Christi. Hæc est conuentio, per quam Mediolanenses in gratiam Imperatoris redituri sunt, & permansuri.

Pacis conditiones Mediolanensibus dictæ.

Cumas & Laudam ciuitates ad honorem imperij releuari non prohibebunt, & amodò non impugnabunt, nec destruent, & à fodro & viatico, & ab omnimoda exactione se ibidem per omnem eorum ditionem continebunt, & vltrò se non intromittent, vt sint liberæ illæ ciuitates, sicut Mediolanenses ab ipsis sunt liberi: excepto respectu iuris ecclesiastici, quod habent ad archiepiscopum, & ecclesiam Mediolanensem.

Omnes Mediolanenses cõmuniter à minoribus vsq; ad maiores, ab annis XIIII & supra, vsque ad annos LXX fidelitatem domino Imperatori iurabunt, & sine malo ingenio, & obseruabunt.

Palatium imperiale ad honorem domini Imperatoris arbitratu bonorum eleuabunt, & cum debito honore bona fide obseruabunt.

Pecuniam pro emendatione iniuriarum domino Imperatori, vel dominę Imperatrici, siue Curiæ promissam, statutis temporibus persoluent, hoc est, tertiam partem infra XXX dies, ex quo hæc pactio confirmata fuerit: aliam verò tertiam partem infra octauam beati Martini: tertiam autem residuam partem infra octauas Epiphaniæ. Hisque sic persolutis, nullis priuatis teneantur promissionibus. Pecuniæ promissæ summa hæc est. Nouem milia marcarum argenti siue auri, vel monetæ eiusdem æstimationis & precij.

Pro his tantum prætaxatis capitulis, bona fide complendis & conseruandis CCC obsides dabunt capitaneos, vauassores, populares, quales approbati fuerint à domino archiepiscopo Mediolanensi, & comite Blandratensi, & Marchione Guilhelmo Montisferrati, & tribus consulibus, si hæc domino Imperatori placuerint, iuramento astrictis, ad hanc electionem fideliter faciendam. Obsides verò in partibus Italiæ omnes seruentur, præter L, vel pauciores, per interuentum regis Boemorum Labeslai, & aliorum principum, vltra mõtes, si domino Imperatori placuerit, deferendos. Quibus autem commissi fuerint obsides in Italia, iurent in præsentia Mediolanensium ad hæc prædestinatorum, quòd præfixo tempore transacto infra octo dies ex quo requisiti fuerint à Mediolanensibus, eos eis liberè reddant, vt illi securè eos habeant, si prætaxata capitula ab eis obseruata fuerint. Tres verò principes Alemaniæ dextras dabunt, quòd obsides illi qui vltra montes deferentur, si qui erunt, eodem pacto fideliter reddentur.

Consules verò, qui nunc sunt ex auctoritate & concessione domini Imperatoris, vsque ad Kalend. Februarij proximè venturas perseuerent, & pro consolatu suo domino Imperatori iurent. Venturi verò consules à populo eligantur, & ab ipso Imperatore confirmentur, quorum medietas ad ipsum veniat, dum in Longobardia fuerit: alibi autem eo existente, duo ad eum ex consulibus veniant, & iuramento facto, officium consulatus sui à domino Imperatore recipiant, pro se & sociis suis facturis idem iuramentum domino Imperatori coram communi suæ ciuitatis. Si autem legatus à domino Imperatore destinatus fuerit in Italiam, eadem coram ipso & per ipsum fiant.

Legati verò domini Imperatoris in Italiam directi, si ciuitatem adierint, in palatio sedeant, & placita ad eos delata ad honorem Imperij diffiniant.

Antequam castra ab obsidione moueantur, captiui omnes reddantur in potestatem regis Boemi, qui & securitatem per se & honestos principes eis faciat, quòd captiuos illos domino Imperatori reddat, si eis dominus Imperator pacem fecerit cũ Cremonensibus, Papiensibus, Nouarensibus, Cumanis, Laudensibus, Vercellensibus, non solùm autem Mediolanensibus verumetiam confœderatis eorum, Terdonensibus, Cremensibus & Insulanis: saluo honore domini Imperatoris, & illibatis amicitiis Mediolanensium, & in suo statu permanentibus. Si verò pax ei cum prædictis ciuitatibus facta non fuerit, captiui veteres eis reddantur, nec ob id gratia domini Imperatoris ipsi & amici eorum priuentur.

Regalia, veluti monetam, telonium, pedaticum, portus, comitatus, & alia similia, si qua sunt, commune Mediolanensium dimittet, & vltra se non intromittet, & si quis

per

per violentiam hæc obtinere voluerit,& iusticiam inde coram domino Imperatore, vel nuncio eius facere noluerit, Mediolanenses vindictam de eo pro sua possibilitate sument in persona & possessione,& regalia domino Imperatori restituent sine fraude & malo ingenio. 1158.

Hoc pacto & ordine dominus Imperator Mediolanensis Cremenses cum CXX marcarum emendatione in gratiam suam recipiet, & eos, & amicos eorum in plena Curia publicè à Banno absoluet, & captiuos eorum omnes, veteres & nouos, eis reddet, statim postquam obsides Imperatori dederint, & captiuos tam veteres quàm nouos in manum regis Boemorum reddiderint.

Datis autem obsidibus & captiuis, altera die vel tertia, exercitus ab obsidione recedet, & dominus Imperator Mediolanenses,& eorum res clementer tractabit.

Commune Mediolani præfatas conditiones seruabit plenariè, bona fide, sine fraude,& malo ingenio, quantum non permanserit per iustum impedimentum, & per parabolam Friderici Romani Imperatoris, vel nuncij eius, aut eius successoris.

Collectam prædictæ pecuniæ liceat modò facere Mediolanensibus ab his, quos in sua societate habere consueuerant, præter Cumanos, Laudenses, & eos qui de comitatu Sefrensi fidelitatem domino Imperatori nuper iurauerunt.

CAPVT XLII.

Vbi Mediolanenses ad conspectum principis admissi sint,& qualiter.

TALIBVS pacis conditionibus vtrinq; receptis, Mediolanum in gratiam reditura, hoc ordine, taliq; specie fide publica accepta, cum suis ad Curiam venit. In primis clerus omnis, & quiq; fuerant ecclesiastici ordinis ministri, cum archiepiscopo suo, prælatis crucibus, nudis pedibus, humili habitu: deinde Consules, & maiores ciuitatis item abiecta veste, pedibus nudis, exertos super ceruices gladios ferentes. Erat autem ingens spectaculum, validissima constipatio, multorumq; qui mitioris ingenij erant, commiseratio: cùm viderent paulò antè superbos, & de factis impiis arrogantes: ita nunc humiles esse, ac tremere, vt miseranda esset (quanquam in hoste) tanta mutatio. Omnis deniq; militia, loca vbi tantum stare possent prœuenerant, Imperatori & principibus quantus ad spectaculum locus sufficeret, & venientibus vix concesso necessario transitu.

Diuus ergo Augustus placido eos vultu intuẽs, ait lætum se esse, cum tam claram ciuitatem, tantumq; populum Deus cõmonuerit, vti aliquando pacem malint quàm bellum, quodq; sibi dempserint acerbam eos persequẽdi necessitatem: seq; malle deuotis & volẽtibus, quàm coactis imperitare. Atq; hoc, si eis à principio placuisset, mali nihil perpessos, plurima verò accepisse bona. Quoniam autem diuinæ placuerit ordinationi, viam & gratiam imperij eos experiri, studendum illis esse, quò facilius errata superent, pœnitudinem eos facti habere, vinci se posse citiùs obsequio quàm bello, prælium incipere quemuis etiam ignauum posse, cæterùm finem penes victores esse.

Mediol. supplices veniã petunt.

Ad hæc illi summissò vultu, supplici voce, pauca pro delicto suo verba faciunt, se non hostili animo, nec ad oppugnandũ imperium arma cepisse, sed terminos patrum suorum iure belli omnino suos factos, vastari à suis gentilibus pati nequiuisse. De cætero si modò sibi parcatur, velle eniti, vt malorum metu liberi, propensius erga se beneuolentia imperialis & gratia conseruetur.

CAPVT XLIII.

De reconciliatione Mediolanensium,& quanta vtrisque lætitia.

RECITATIS mox quæ in scriptum redactæ fuerant conditionibus pacis, cum assensus ac fauor omnium accessisset, pacem, dextrasq; accipiunt, signumq; imperialis vexilli, in ciuitate receptum pro indicio victoriæ erigitur. Immensa lætitia continuò in castris, gaudium in ciuitate, gratulatio circa captiuos, quos ad pedes Imperatoris magno ac longo ordine venientes, noti & propinqui præ gaudio multis lachymis obortis excipiunt, miserantes in eis vultus pallidos, sordidum habitum,

In gratiam recipiũtur, pace confirmata.

fœdam macilentiam, eos quos imberbes & iuuenes nouerant, modò ſenio, canicie, & carcerali ſqualore ignotos. Quanta lætitia, quantusque concurſus, dum pater filium, fratrem frater, generum ſocer, affinis cognatum diu perditum inuenit, inuĕtum gratulabunda voce ſalutat, amplexatur: alius alium lætus appellans, familiari ſecum alloquio confabulatur. Quòd ſi de regum antiquorum faſtu quicquam in manſueto ac pio fuiſſet principe, huius diei lætitiam inter ſolennitates reliquas ſemper celebrem apud Italos conſtituiſſet. Actus eſt hic triumphus VI Idus Septembris.

CAPVT XLIIII.

Quomodo poſt actum triumphum Imperator plures ex principibus ad propria redire permiſit.

Modætia oppidum reſtitutum.

PRINCEPS Romanus à Mediolano caſtra mouens, apud Modoicum, ſedem regni Italici, coronatur. Quam eccleſiam iamdudum à Mediolanenſibus ſubactam, ac ferè deſtructam, priſtinæ libertati reddidit, ſedemque propriis expenſis magnificè reparari præcepit. Cumq; in ſubactione tantæ ciuitatis ex maxima parte motus Italorum repreſſos ſperaret, magnam partem exercitus cum ſuis optimatibus ad propria redire permittit. Inter quos primus erat rex Boemorum, dux quoq; Auſtriæ cum copiis Vngarorum, Arnoldus præſul Moguntinus, dux Bertolfus Burgundiæ, comites & marchiones, magnaque pars nobilium. His cum ſumma alacritate dimiſſis, ipſe ad ordinanda cætera Italiæ negocia animum intendit.

CAPVT XLV.

Qua de cauſa Fridericus quoſdam Veronenſium hoſtes iudicauerit, & de damno eis illato. Item de Ferraria, & eius obſidibus.

IAM verò tantus pauor totam terram occupauerat, atq; formido, vt palam quidem nemo rebellaret, occultè autem concepta corde malicia pleriq; illorum non carerent. Quidam enim de Veronenſibus dum caſtrum regale Garda vocatum, Turiſindus ciuis eorum cum ſuis fautoribus occupaſſet, id Imperatori reddere iuſſi, cum omnimodis detrectarent, hoſtes iudicati ſunt, ſuæq; temeritatis nonnullos ciuium Veronenſium ſocios & conſentaneos habuere. Quocirca Imperator eò verſus deſcendens, infra Veronam fluuium Atheſim inopinatò tranſuadauit, eorumq; territorium, quod longo tempore inuiolatum, nullum hoſtem metuerat, peruagatus, aliquãtiſper militem agros vaſtare, caſtella diripere atq; inflammare permiſit. Rectè quidem, quò & hoſtibus rebellandi metum incuteret, ac eorum qui in hac parte immunes eſſent, ſaluti conſuleret. Denuò reuertens, ſicut & antea Atheſim vado tranſiuit, nullo pontis vel nauigij egens adminiculo. Tanta ſiquidem cœli clementia, tanta erat terræ fertilitas, tanta maximorum fluuiorum ariditas, & contracta violentia, vt elementa ipſa fortitudini diui Imperatoris famulari, eiusq; fauere votis dicerẽtur. Vnde factum eſt, vt iiſdem diebus cum de ciuitatibus vniuerſis obſides exhiberentur, ac Otto Palatinus comes de Baioaria, Ferrariam ad id negocium promouendum deſtinatus fuiſſet, alueum quo ſe Padus ad munimentum ciuitatis partitur, abſq; nauibus tranſmeans, improuiſus ac inopinatus ſuperuenit, ordinatisq; ad votum omnibus rebus, XL vadibus acceptis, rediit. Ea res finitimos plurimos exterrens, incredibilis viſa eſt, eò quòd Ferraria Pado ibidem inſtagnante, & paludes impermeabiles faciente, munimento locorum fidens, omnem viciniam ſuam intrepida ac ſuperba rideret atq; deſpiceret. Dehinc cum Eridani fluenta ad diſponenda regalia prædia domus Methildis tranſmearet, turbam calonũ, meretricum & lixarum, quæ ſe exercitui plurima immiſcuerat, militumq; animos effœminare poterat, antiquorum Imperatorum exemplo propellendam ac deterrendam decernit.

Æſtatis ſiccitas Fridericis rebus commoda.

CAPVT XLVI.

De ædificatione nouæ Laudæ. De Curia apud Roncalias celebranda.

INTER

INTER hæc cum tota Italia ſub ſilentio ageret, & bellorum inquietudinem pacis tranquillitate commutaſſe videretur, Fridericus deperiſſe ſibi ratus tempus, in quo aliquod magnificè monimentum præſtitiſſet, nouam ciuitatem Laudenſibus fabricare adorſus eſt: vbi ſi fortè Mediolanenſes priſtinas inimicitias refricando clades ſuas incideret, ab eorum incurſu ſecuriores exiſterent. Maxima ergo prouidentia, maximo pietatis obſequio, iuxta fluuium Abduam locum elegit, ex omni parte fluminis ambitu munitum, vno tantùm aditu muro & vallo ſepiendo. In cuius ciuitatis fabrica ingentes ſumptus expendens, liberalitatis ſuæ ſingulare præbuit argumentum. Deinde generalem Curiam omnibus Italis ciuitatibus, & primoribus apud Roncalias in feſto beati Martini celebrandam indicit: vbi & leges pacis promulgaret, & de iuſticia regni, quæ multò iam tempore apud illos obumbrata in deſuetudinem abierat, perneceſſaria ſapientum collatione diſſereret, diuq; obſoletam elucubraret. 1158.

CAPVT XLVII.

De Conſtantinopolitano Imperatore, & quomodo inſidias ſuorum euaſerit.

CIRCA idem tempus, Manuele Conſtantinopolitano Imperatore circa partes Antiochiæ contra Turcos cum exercitu morante, vnus de ſeruis palatij Caniclinus videlicet, quem nos Cancellarium dicere poſſumus, principi ſuo fraudem moliebatur eſt. Tres ſiquidem audaciſſimæ temeritatis iuuenes, infinita corruptos pecunia, ad occidendum Imperatorem pellexerat. Ipſeq; ſtatuta die quando id facinus patrari debuerat, ad occupandum apud Vrbem ſimul cum imperiali palatio imperium, magnis inſtructus copiis præſtolabatur. Tantum regis periculum cum imperatrici per occultum indicem reuelatum fuiſſet, illa magnitudine ſceleris perterrita, quàm velociſſimè marito proditionem ſignificat. Sicq; detecto dolo, comprehenſis ſicariis, præuento criminis auctore, & capto, de omnibus condigna ſumuntur ſupplicia.

Caniclinus etenim primò effoſſis oculis, lingua perforato gutturi tranſmiſſa, ſine miſeratione miſerabili morte vitam finiuit.

DE REBVS GESTIS FRIDERICI IMPERATORIS LIBER QVARTVS, QVI SECVNDVS EST APPENDICIS RADEVICI, à Curia Roncaliæ, terminans in concilio Papiensi.

CAPVT I.

Quomodo Fridericus ad celebrandam Curiam in campestribus Roncaliæ castrametatus est.

Placitum Roncaliēse.

IAM dies placiti affuit, quæ Romanum principem ad campestria Roncaliæ, sicut fuerat condictum, inuitabat. Veniens ergo cum multo comitatu, super littus Eridani tentoria ponit, Mediolanensibus, Brixiensibus, & compluribus aliis in altera parte fluminis è regione castrametantibus. Confluūt ex omni regni partibus cum magna frequentia archiepiscopi, episcopi, multiq; alij ecclesiastici viri: Duces, Marchiones, Comites, & proceres, Consules, & ciuitatum iudices. In quibus quanta fuerit diuersitas & linguarum, & nationum, varietas tabernaculorum demonstrauit. Quorum quidem dispositionem, quia non casus, sed ordo rationis, & ratio ordinis omni licet tempore designare consueuerit, hoc tamen loco negligenter transeundam non putauimus.

CAPVT II.

De dispositione tabernaculorum exercitus.

Castra metandi ratio.

NEMPE antiquam Romanæ militiæ cōsuetudinem Romani miles imperij adhue obseruare solet, vt videlicet quotiescunq; in hostilem terram intrauerint, castrorum primò munitioni studeant. Quæ quidem neq; iniquo loco erigunt, neq; inordinatè describunt, sed in plano & campestri, & siquidem inæquale solùm fuerit, quoad fieri potest, complanatur. Dimensio autem sæpissimè vel in orbem, vel in quatuor angulos designatur. Nam & fabrorum & opificum multitudo, & mercatorum copia, quæ quantum vsus poscit, sequitur exercitum, cum suis papilionibus, ac ergastariis, aut suburbiorum, si in quadro: aut si in gyro, ambitus eorum extrinsecus muri faciem præfert. Intus autem castra vicis aptè distinctis dirimunt, plateasq; & portas assimilant, tam iumentis aditu faciles, quam ipsis si quis vrgeat, intrò currentibus sufficienter latas, vt quasi repentina quædam ciuitas existat. Medio autem Ducis vel principis tabernaculum, templo simillimum, circaque rectorum & primatum, vt quemque decet suo ordine: armisq; septi, milites per contubernia cum decore & lætitia in tentoriis agunt, & militiæ disciplina, pacis ocio, velut in procinctu positi, exercentur. His ita dispositis, castra Ligurū, & eorum Italorū, qui aliud litus Padi insederant, pons medius infra biduum iussu principis confectus, cum castris nostrorum continuauit.

CAPVT III.

Qui principes affuerint in illa Curia, & de triduana consultatione. Item oratio Imperatoris per interpretem ibidem habita.

Catalogus principum in conuētu Roncalia.

PORRO qui principes & optimates eidē Curiæ interfuisse à nobis visi sunt, vt meminimus, isti fuerunt. De cismontanis, Fridericus archiepiscopus Colonienſis, Eberhardus Babenbergensis episcopus, Conradus Eistetensis, Daniel Pragensis, Gebehardus Herbipolensis, Hermannus Verdēsis. De vltramontanis, Guido Cremensis, Cardinalis diaconus, sedis Apostolicæ legatus, Pelegrinus Aquileiēsis Patriarcha, N. Mediolanensis archiepiscopus. Episcopi, Taurinensis, Albanensis, Eporegiensis, Astensis,

Astensis, Nouariensis, Vercellensis, Terdonensis, Papiensis, Cumanus, Laudensis, Cremonensis, Placentinus (Parmensem infirmitas mortalis domi tenebat) Regiēsis, Mutinensis, Bononiensis, Mantuanus, Carsidonius, Veronensis, Omnebonensis, Brixiensis, Pergamensis, Concordiensis. Rauennas exarchatus eo tempore, Anselmo nuper defuncto, metropolitano carebat. 1158.

His omnibus cum frequentia laicorum principum, Ducum videlicet, Marchionum, Comitum, & vniuersarum in Italia ciuitatum consulibus atque iudicibus, Fridericum circumstantibus, solis Episcopis, cum paucis admodum principibus consilij sui participibus, iniungit, quatenus diuini timoris consideratione de salubri consilio in Italiæ rebus ordinandis ita secum deliberent, vt ecclesiæ Dei pacis tranquillitate gaudeant, & ius regale decusq; imperij debito prouehatur honore. Totum triduum hæc consultatio absumpsit. Quarta demum die sereniſſimus Imperator in concionem venit, sedensq; in eminentiori, vnde ab omnibus videri poterat & audiri, circunsedente eum corona venerandorum, quos prænominauimus, heroum, per interpretem elocutus est.

Imperatoris concio.

Cùm placitum sit ordinationi diuinæ, ex qua omnis potestas in cœlo & in terra, Romani nos imperij gubernacula tenere, non immeritò quæ ad statum eius dignitatis pertinere noscuntur, quantum Deo propitio valemus, prosequimur. Cumq; imperialis maiestatis hoc esse non ignoremus officium, vt studio nostræ vigilantiæ, ac pœnarum metu improbi & inquieti coerceantur, boni subleuentur, atq; in pacis tranquillitate foueantur: ita nouimus quid iuris, quid honoris tam diuinarum, quàm humanarum legum sanctio culmini regalis excellentiæ accommodauerit. Nos tamen regium nomen habentes, desideramus potius legitimum tenere imperium, pro conseruanda cuiq; sua libertate & iure, quàm, vt dicitur, omnia impunè facere, hoc est, regem esse, per licentiam insolescere, & imperandi officium in superbiam, dominationemq; conuertere: Deo fauente, mores non mutabimus cum fortuna: quibus initio partum est, his artibus retinere curabimus imperium. Sed nec per nostrā desidiam quenquam eius gloriam & excellentiam imminuere patiemur. Quia ergo vel bello, vel pace clarum fieri licet, nec refert vtrum melius sit patriam armis tutare, seu legibus gubernare, altero alterius auxilio indigente: bellorum motibus propitia diuinitate sedatis, ad leges pacis negocia transferamus. Nostis autem, quòd iura ciuilia nostris beneficiis in summum prouecta, firmata, ac moribus vtentium approbata, satis habēt roboris: Regnorum verò leges, in quibus quod antè obtinebat, postea desuetudine inumbratum est, ab imperiali remedio, vestraq; prouidentia necesse habent illuminari. Siue ergo ius nostrum, siue vestrum in scriptum redigatur, in eius constitutione considerandum est, vt sit honestum, iustum, possibile, necessarium, vtile, loco temporiq; conueniens. Ideoq; tam nobis quàm vobis, dum ius cōdimus, cautius præuidendum est: quia cùm leges institutæ fuerint, non erit liberum iudicari de eis, sed oportebit iudicare secundùm ipsas.

Regis officium.

CAPVT IIII.

Subsequens fauor episcoporum, & eorum responsio ab archiepiscopo Mediolanensi prolata.

His dictis, magnus fauor omnium prosequitur admirantium & stupentium, quòd qui literas non nosset, quique parum adhuc suprà adolescentem ageret ætatem, in oratione sua tantæ prudentiæ, tantæque facundiæ gratiam accepisset: surgentesq; vnus post vnum, sicut eius gentis mos est, seu vt principi suum quisq; manifestaret affectum, & propensiorem circa eum deuotionem, seu vt suam in dicendo peritiam, qua gloriari solent, declararet, primò episcopi, deinde proceres terræ, pòst Consules, & missi singularum ciuitatum, totam diem illam facundissimis sermonibus in noctem vsq; produxerunt. Porrò vna omnium sententia hęc erat, à Mediolanensi archiepiscopo prolata.

Hæc est dies quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea. Verè dies hæc

1158. dies gratiæ, dies est lætitiæ, qua in medio populi sui victor inclytus, triumphator pacificus, non belli minas intentans, non crudele aliquid vel tyrannicum intonans, sed pacis leges disquirens, in medio populi sui mitissimus residere dignatur. Felix tandem Italia post multa secula inuenta, quæ modò principem inuenire meruisti, qui nos homines, imò proximos, ac fratres recognoscat. Tu nimirum es, ô clarissime princeps, & singularis orbis & Vrbis Imperator, qui licentiam primò homini indultam, iamq; diu abrogatam, rursus in vsum, ac in veræ sententiæ cõsuetudinem reuocasti, vbi dictum est, *Crescite, & multiplicamini, & dominamini piscibus maris & volatilibus cæli.* Quantos, ô Italia, passa es reges, imò tyrannos, qui hoc tibi mandatum per contrapositionem interpretarentur, versa vice dominantes hominibus, imò prementes quosq; bonos & sapientes, rationeq;, vtpote rationales, vti cupientes, pisces maris, lubricos scilicet, rapaces, & cœno voluptatis deditos, & altum inaneq; sapientes demulcerent, & iniqui iniquos in suis impietatibus contra ius fasq; confouerent. Nouimus qualia aliquando simus passi imperia: iniusta, superba, crudelia. Nouimus iniqua dominatione nihilominus insontes sicut sontes circumuentos. Meminimus sine extanti crimine factas proscriptiones locupletium: magistratus, sacerdotia nefaria turpiq; cõuentione commutata, & alia multa, quæ libido dominantium imperaret, nostris sub oculis irreuerenter perpetrata. Gaudeamus ergo & exultemus, & demus gloriam Deo, post tam turbidi temporis tempestatem, serenum nobis pacis diem illuxisse. Dum tibi serenissimo domino nostro placet imperium tuum per innocentiam seruare potius, atque tueri, quàm per scelus crescere, & per sanguinem subiectorum incrustari. Domineris, ô Augustissime Imperator, piscibus maris & volatilibus cœli. Nam & diuinum iudicium superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. De nobis fidelibus tuis, de populo tuo consultare placuit tuæ potentię super legibus & iusticia, atq; honore imperij. Scias itaq; omne ius populi in condendis legibus tibi concessum. Tua voluntas ius est, sicuti dicitur, *Quod principi placuit, legis habet vigorem, cum populus ei, & in eum omne suum imperium & potestatem concesserit.* Quodcunque enim Imperator per epistolam constituerit, vel cognoscens decreuerit, vel edicto præceperit, legem esse constat. Profectò secundum naturam est, commoda cuiusque rei eum sequi quem sequuntur incommoda: vt videlicet omnibus debeas imperare, qui omnium nostrum sustines onera tutelæ.

Friderici iustitia & æquitas collaudata.

Gen. 9.

Friderico nouus iuris condendi potestas tributa. NB.

His finitis, ea die in vesperam protracta curia soluitur. Fuere etiam qui ibidem in publico facta Imperatoris carminibus fauorabilibus celebrarent.

CAPVT V.

Quomodo singulis diœcesanis singulos iudices præfecerit. Item quomodo regalia Itali in manus principis resignauerint, & quibus ea denuò habere concesserit.

SEQVENTIBVS diebus plena atq; solenni Curia, iudicio & iusticiæ à mane vsq; ad vesperam intẽtus, querimonias & proclamationes tam diuitum, quàm pauperum diligenter audiebat. Habensq; quatuor iudices, videlicet Bulgarum, Martinum, Iacobum, Hugonem, viros disertos, religiosos, & in lege doctissimos, legumq; in ciuitate Bononiensi doctores, & multorum auditorum præceptores: cum his, aliisq; legisperitis, qui diuersi ex diuersis ciuitatibus aderant, audiebat, discutiebat & terminabat negocia. Videns autem multitudinem eorum qui cruces baiularent: is enim Italorum mos est, vt habentes querelas crucem manibus præferant, misertus illorum, ait mirari se prudentiam Latinorum, qui cum præcipuè de scientia legum gloriẽtur, maximè legum inuenirentur transgressores: quamq; sint tenaces iusticiæ sectatores, in tot esurientibus & sitientibus iusticiam euidenter apparere. Diuino itaq; vsus consilio, singulis diœcesanis singulos iudices præposuit: non tamen de sua ciuitate, sed vel de Curia, vel de aliis ciuitatibus: hac eos commutans ratione, ne si ciuis ciuibus præficeretur, aut gratia, aut odio leuiter à vero posset auerti. Sicq; factum est, vt de tanta querulorum multitudine vix vllus superfuisset, qui non aut plenam de lite victoriam, siue iusticiam, aut competentem cum aduersario transactionem se gauderet reportare. Deinde super iusticia regni, & de regalibus, quæ longo iam tempore seu temeritate perua-

Iurisconsulti imperiales.

Mos ferendi crucem.

peruadentium, seu neglectu regum imperio deperierant, studiosè disserens, cùm nullam possent inuenire defensionem excusationis, tam episcopi, quàm primates & ciuitates vno ore, vno assensu, in manũ principis regalia reddidere, primiq; resignantium Mediolanenses extitere. Requisitiq; de hoc ipso iure quid esset, adiudicauerunt Ducatus, Marchias, Comitatus, consulatus, monetas, telonia, fodrum, vectigalia, portus, pedatica, molendina, piscarias, portus, omnemq; vtilitatem ex decursu fluminũ prouenientem: nec de terra tantùm, verumetiam de suis propriis capitibus census annui redditionem. Hisq; omnibus in fiscum adnumeratis, tanta circa pristinos possessores vsus est liberalitate, vt quicunq; donatione regum aliquid horum se possidere instrumentis legitimis edocere poterat, is etiam nunc imperiali beneficio, & regni nomine idipsum perpetuò possideret. Ex his tamen qui nullo iure, sed sola præsumptione de regalibus se intromiserant, XXX milia talentorum, plus, minúsve reditibus publicis per singulos annos accessere.

1158. *Fridericus iura fisci regij vindicant.*

Annuum vectigal fisci regij auctũ.

CAPVT VI.

Quòd princeps magistratus ciuitatum ordinare debeat, & quòd obsides acceperit ab omnibus.

PRÆTEREA & hoc sibi ab omnibus adiudicatum atq; recognitum est, in singulis ciuitatibus potestates, consules, cæterósve magistratus assensu populi per ipsum creare debere, qui fideles simul & prudentes, & principi honorem, & ciuibus patriæque debitam iusticiam nossent conseruare. De his autem omnibus fideliter, & sine fraude recipiendis & obseruandis, ab omnibus ciuitatibus, & sacramenta præstita, & vades pro libitu Imperatoris exhibiti sunt. Consequenter pax in communi iuratur eo tenore, vt nec ciuitas ciuitatem, nec homo hominem impugnaret, nisi hoc à principe sibi foret imperatum.

Ius creandi magistratus vrbium.

CAPVT VII.

De legibus quas Imperator promulgauerat, videlicet de feudis, & pace non violanda.

AD vltimum de iure feudorum, quod apud Latinos scripto nondum sufficienter expressum fuerat, & penè omnes eam beneficiorum iusticiam in iniusticiam conuerterant, leges promulgauit, quarum capitula præsenti annotatione subiecimus.

Feudorum iura. Libro feud. 2. tit. 55.

FRIDERICVS Dei gratia Romanorum Imperator, & semper augustus. Imperialem decet solertiam ita reipub. curam gerere, & subiectorum commoda inuestigare, vt regni vtilitas incorrupta permaneat, & singulorum status iugiter seruetur illæsus. Quapropter cùm ex prædecessorum more vniuersali curiæ Roncaliæ pro tribunali sederemus, à principibus Italicis, tam rectoribus ecclesiarum quàm aliis fidelibus regni, non modicas accepimus querelas, quòd beneficia eorum & feuda, quæ vasalli ab eis tenebant, sine dominorum licentia pignori obligauerant, & quadam collusione* nomine vel libelli vendiderant: vnde debita seruitia amittebant, & bonorum imperij nostræ felicis expeditionis complementum minuebant.

** for. nomine libelli.*

Habito igitur consilio Episcoporum, Ducum, Marchionum & Comitum, simul etiam Palatinorum, iudicum, & aliorum procerum, hac edictali lege, Deo propitio perpetuò valitura, sancimus, vt nulli liceat feudum totum vel partem aliquam vendere, vel pignorare, vel quomodolibet alienare, vel pro anima iudicare, sine permissione maioris domini ad quem feudum spectare dinoscitur. Vnde Imperator Lotharius tantùm in futurum cauẽs, ne fieret promulgauit. Nos autem ad pleniorem regni vtilitatem prouidentes, non solùm in posterum, sed etiam huiusmodi prius illicitas alienationes perpetratas, hac præsenti sanctione cassamus, & in irritum deducimus, nullius temporis præscriptione impediente, emptori bonæ fidei de precio actione cõtra venditorẽ competente. Callidis insuper quorundam machinationibus obuiãtes, qui precio accepto, quasi sub colore inuestiturę, quã sibi licere dicunt, feuda vendunt & in alios transferunt, ne tale figmentum, vel aliud vlterius in fraudem huius nostræ constitutionis excogitetur, omnibus modis prohibemus: plena auctoritate nostra sta-

Feudi alienatio prohibita.

Libellariũ contractum videtur innuere.

1158. tuentes, vt venditor & emptor, qui tam illicita contraxisse repertus fuerit, feudum amittat, & ad dominum liberè reuertatur: scriba verò qui super hoc instrumentum sciens conscripserit, post amissionem officij, cum infamiæ periculo manum amittat.

Præterea si quis infeudatus maior quatuordecim annis, sua incuria vel negligentia per annum & diem steterit, quòd feudi inuestituram à primo domino non petierit, transacto hoc spacio, feudum amittat, & ad dominum redeat.

Feudũ amittit, qui requisitus seruitium non præstat.

Firmiter etiam statuimus, tam in Italia quam Alemannia, vt quicunq; indicta publicè expeditione vocatus à domino suo, ad eandem expeditionem spacio competẽti venire supersederit, vel alium pro se domino acceptabilem mittere contempserit, vel dimidium reditus feudi vnius anni domino non ministrauerit, feudum quod ab episcopo, aut ab alio domino habet, amittat: & dominus feudi in vsus suos illud redigendi omnibus modis habeat potestatem.

Principalia feuda sunt indiuidua.

Præterea Ducatus, Marchia, Comitatus de cętero non diuidatur: aliud autem feudum, si consortes voluerint, diuidatur: ita vt omnes qui partem feudi habent iam diuisi, vel diuidendi, fidelitatem domino faciant: ita tamen vt vasallus plures dominos non compellatur habere, nec dominus feudum sine voluntate vasallorum ad alium transferat.

De vasalli filio dominũ offendente.

Insuper si filius vasalli dominum offenderit, pater à domino requisitus, adducat filium ad satisfaciendum domino, vel à se filium separet: alioquin feudo priuetur. Si verò pater vult eum deducere vt satisfaciat, filius autem contemnit, patre mortuo in feudum non succedat, nisi prius domino satisfecerit: pariq́; modo vasallus pro omnibus suis domesticis satisfaciat.

Illud quoq; præcipimus, vt si vasallus de feudo alium vasallum habuerit, & vasallus vasalli dominum domini sui offenderit, nisi pro seruitio alterius domini sui hoc fecerit, quem sine fraude antea habuit, feudo priuetur, & ad dominum suum à quo ipse tenebat, reuertatur: nisi requisitus ab eo, paratus fuerit satisfacere maiori domino quẽ offendit: & nisi vasallus, idemq́; dominus à suo domino requisitus, eum qui maiorem dominum offendit, requisierit vt satisfaciat, feudum amittat.

Lites quomodo disceptandæ.

Præterea si de feudo inter duos vasallos sit controuersia, domini sit cognitio, & per eum controuersia terminetur. Si verò inter dominum & vasallum lis oriatur, per * pares curiæ à domino sub debito fidelitatis coniuratio terminetur.

**patres.*

Illud quoq; sancimus, vt in omni sacramento fidelitatis, Imperator nominatim excipiatur.

FRIDERICVS Dei gratia Romanorum Imperator semper Augustus, vniuersis suo subiectis imperio, hac edictali lege in perpetuum valitura iubemus, vt omnes nostro subiecti imperio, veram & perpetuam pacem inter se obseruent, & vt inuiolatum inter omnes fœdus perpetuò seruetur.

Alia constitutio, de pace tenenda & firmãda.

Duces, Marchiones, Comites, Capitanei, vauassores, omnium locorum rectores, cum omnium locorum primatibus & plebeiis, à XVIII anno vsq; ad LXX, iureiurando obstringantur, vt pacem teneant, & rectores locorum adiuuent in pace tuẽda atq; vindicanda, & in fine vniuscuiusq; quinquennij omnium sacramenta de prędicta pace tenenda renouentur.

Si verò quis aliquod ius de quacunq; causa, vel facto contra aliquem se habere putauerit, ad iudicialem redeat potestatem, & per eam sibi competens ius assequatur.

Vindicta violatæ pacis.

Si quis verò temerario ausu prædictam pacem violare præsumpserit, si ciuitas est, pœna C librarum auri cameræ nostræ inferenda puniatur: oppidum verò XX libris auri multetur. Duces autem & Marchiones & Comites L libras præstent. Capitanei verò & maiores vauassores XX libris auri puniantur. Minores autem vauassores, & omnes alij prædictæ pacis violatores VI libras auri inferre compellãtur, & damnum pacis secundum leges resarciant.

Iniuria seu furtum legitimè puniatur.

Homicidium, & membrorum diminutio, vel aliud quodlibet delictum legaliter vindicetur.

Iudices verò, & locorum defensores, vel quicunque magistratus ab Imperatore,

vel

vel eius potestate constituti, seu confirmati, qui iusticiam facere neglexerint, & pacem violatam vindicare legitimè supersederint, damnum omne, & iniuriam pacis resarcire compellantur: & insuper si maior iudex est, sacro ærario in pœnam x libras auri præstet, minor autem pœna trium librarum auri multetur. Qui verò ad prædictam pœnam persoluēdam inopia dignoscitur laborare, corporis sui coertionem cum verberibus patiatur, & procul ab eo loco quē inhabitat, quinquaginta miliaria per quinquennium vitam agat.

Conuenticula quoq;, & omnes coniurationes in ciuitatibus & extrà, etiam occasione parentelæ, inter ciuitatem & ciuitatem, & inter personam & personam, siue inter ciuitatem & personam, omnibus modis fieri prohibemus, & in præteritum factas cassamus, singulis coniuratorum pœna vnius libræ auri percellendis.

Episcopos quoq; locorum ecclesiastica censura violatores huius sanctionis, donec ad satisfactionem veniant, coercere volumus.

Receptoribus etiam malefactorum, qui prædictam pacem violauerint, & ementibus, nostræ indignationi subiiciendis, & eadem pœna feriendis.

Præterea bona eius publicentur, & domus destruantur, qui pacem iurare & tenere noluerit, & leges pacis non seruat.

Illicitas etiam exactiones, maximè ab ecclesia, quarum abusio iam per longa tempora inoleuit, per ciuitates & castella omnimodis condemnamus, & prohibemus: & si factæ fuerint, in duplum reddantur. *Exactiones ecclesiasticæ damnatæ.*

Item sacramenta pupillorum sponte facta super contractibus rerum suarum non retractandis, inuiolabiliter custodiantur. Per vim autem, vel iniustum metum, etiam à maioribus, maximè ne querimoniam maleficiorum commissorum faciant, extorta sacramenta, nullius esse momenti iubemus.

Ad hæc qui allodium suum vendiderit, districtum & iurisdictionem Imperatoris vendere non præsumat: & si fecerit, non valeat.

CAPVT VIII.

De controuersia Cremonensium & Placentinorum. Item de controuersia pro Modoico.

CREMONENSES & Placentini inter eos qui sibi coram principe litem commouebant, acriùs cæteris sese experiebantur. Nam cùm inter has duas ciuitates non longè à se positas, nisi quòd Pado interfluēte separantur, propter contubernium Mediolanensium, antiquę ac diutinæ mãserint discordiæ: accesserat tunc, quòd Cremonenses eum Imperatore ad curiam venientes, Placentinorum militia egressa ad certamen prouocauerat, quod modò vulgò *Turneimentum* vocant. Ibiq; hinc inde aliqui sauciati, alij capti, quidam occisi sunt. Ob hanc rem dum aduersus se inuicem accusationem proponerent, Cremonenſibus se dum essent in obsequio & in comitatu principis, hostiliter inuasos: nec tam se quàm regiam fuisse læsam maiestatem: suam iniuriam magnitudine principum curæ esse debere: penes Imperium esse, vt Placentini velut hostes reip. pro impietatibus in ipsos, pro perfidia & temeritate in Imperatorem, graues pœnas reddant: Placentinis autem non aduersus principem, sed contra infestissimos hostes se venisse, qui cùm in terminis ipsorum multa iniqua fecerint, rapinis & incendiis omnia permiscuerint, querimoniæ modò calumniosæ, quòd iniuriã passi sint, allegantibus, Fridericus partibus prosequendi copiam dedit: sufficienterq; auditis, quæ ab vtrisq; dicerentur, animaduertit Placentinos minus idoneè obiecta purgare: præsertim cùm in plurimis rebus dolus eorum & perfidia in regnum iam antea foret deprehensa. Itaq; contra ipsos sententia iudicum procedit, tandemq; hac mulcta in gratiam recipiuntur, vt præter non paruæ pecuniæ donationem, vallum ciuitatis egregium, quod iisdem annis pro defectione ab Imperatore fecisse insimulabantur, replendo æquarent, turresq; vniuersas destruerent. Quod & factum est, dignaque in Placentiam seditiosam ciuitatem, pro modo delicti vltio exerta, rebellionis metum reliquis ciuitatibus incussit. Ibi quoq; Fridericus Augustus de proprietate Modoici, vbi sedes regni Italici (vt dictum est) esse dinoscitur, contra Mediolanenses causam assumens, selectis arbitris gloriosè, iustitia media, de lite triumphauit. *Disceptatio Cremon. & Placentinorum.* *Placentini mulctati.* *Modœtia imperio vindicata.*

1158.

CAPVT IX.

De nunciis Imperatoris in Sardiniam & Corsicam missis, & de Ianuensibus subactis.

APVD Roncalias rebus bene gestis, & vtilitatibus imperij sapienter ordinatis, Fridericus conuentum dimisit: atq; proximioribus ordinatis, ad vlteriores terras, & in insulas maris regium regiæ procurationis animum protendit. Itaque electos nuncios, episcopum videlicet Conradum Eistetensem, & comitem Emichonem, in Sardiniam & Corsicam dirigit, commendans eos Pisanis & Ianuensibus conducendos, pro eo quòd hæ duæ ciuitates maximum in Tyrrheno mari viderentur habere principatum. Verùm quamobrem eadem legatio sine efficacia remanserit, coniicient hi, quibus notum est, in quantis emolumentis Pisanis atque Ianuensibus insula Sardinia prostituta sit. Vnde non incongruè putatur, illorum astu, & falsis occasionibus iter nunciorum fuisse impeditum. Nam & Ianuensibus vicem redditurus, aduentum suum Augustus comminans, finibusq; eorum accedens, mira celeritate ac facilitate eos deterruit, & ad pacis pacta confugere compulit, quæ fuêre huiusmodi. M marcas argenti publico ærario persoluere, & à muri, quem orsi fuerant, fabrica cessare. Non autem ab re putatur hunc illis cœlitùs incussum fuisse terrorem, atque formidinem, ne multos sua temeritate ad defectionem inuitarent. Nam salutis spem Ianuensibus certam, & contrà venientibus hæsitationem natura loci præstare maximè poterat, quæ ciuitatem ita ex omni parte vallauerat, vt vel propter eminentium Alpium prærupta & inuia, vel Tyrrheni maris, quo litus ipsum alluitur, fluctibus ad eam nec perueniri facilè fuerit. Augustus autem nullo horum motus, etiam cum natura certare non diffidebat, vt quod illa situ loci inexpugnabile fecerat, ipse magnitudine animi, ac virtute superandum putaret.

Genuenses Imperatori malè fidi.

CAPVT X.

Quomodo Imperator natale Domini apud Albam celebrans, nuncios pro colligendo fodro vndiq; direxit, & de terra Mathildis.

HIs gestis, Fridericus pro recreando milite, in opimis, & nondum bello tactis Italiæ locis hyemare statuit, proximumq; natalem domini apud Albam ciuitatem celebrans, nuncios pro colligendo fodro per totam Tusciam, & maritima, atq; Campaniam direxit. De principibus quoque ad ordinandos in ciuitatibus consules seu potestates, alium aliò dimittit: adiunctis eis Cartulariis, qui de regalibus quæ fisco accesserant, certam summam, & plenam noticiam reportarent. Reditus quoque imperiales, quæ dicuntur domus Mathildis, à duce Guelfone, seu ab aliis distractos & dispersos, congregauit: quos postmodum eidem nobilissimo principi adunatos & melioratos, liberali restitutione noscitur reddidisse. Quorum prædiorum magnitudinem, eiusq; terræ copiosam opulentiam, qui ripas Eridani peruagati sunt, non ignorant.

CAPVT XI.

De morte Ottonis episcopi Frisingensis.

ROMANVS Imperator, etsi in aliis omnibus secunda fortuna vsus fuerit, in morte tamen nonnullorum principum, per idem tempus eius sæuitiam & cæcitatem expertus est, quorum vt apud posteros nulla celebretur memoria, nobilitas generis, mentis prudentia, & egregiæ tam animi quàm corporis virtutes non permittunt. In numero quorum primus fuit Otto Frisingensis ecclesiæ venerabilis præsul, huius *Historiæ auctor, & feliciori fine futurus consummator, nisi (vt quidam incusant) fata virtutibus inuidissent. Et quia tam in huius præclari viri nece, quàm in conflagratione Frisingensis ecclesiæ, patria mea duplici contritione attrita est: nemo me accuset, si vel patriæ miserias, vel amantissimi domini & nutritoris mei flebilem interitum prolixiore narratione prosequar, sed dolori veniam tribuat, considerantibus nobis ciuitatem nostram ad tantum felicitatis gaudium processisse, eandemq; ferè ad vltimos

*operis.

casus

casus inclinatam. Si quis autem, vt ait quidam, durior misericordiæ sit iudex, res quidem tribuat historiæ, lamenta verò scriptori. 1158.

Anno ergo ab incarnatione domini M.C LIX, indictione VII, regnante serenissimo Imperatore Friderico, anno imperij eius III, regni V, memoratus antistes ab hac luce, Deo vocante, migrauit. Is primò velut cœlitùs, & à Deo missus, cùm eandem ecclesiam reperisset omnibus ferè bonis destitutam, distractas facultates, collapsa palatia, familiam attritam, religionis monasteriorum nullam vel paruam memoriam, ope diuina tandem ipsam in eum locum reduxerat, vt clero religionem, familiæ libertatem, facultatibus copiam, ædificiis decorem ab hac luce subtractus restituisset, eiusq; cura, labor, meritum circa sedem & gentem suam perinde fuerat, ac si nõ tam instaurator, quàm fundator illius extitisset. Huic negocio præstabat adminiculum & opem, tum genus viri, tum probitas, tum conuersationis æstimatio. Nempe Imperatorum Henrici IIII nepos, sororius quinti Henrici, Conradi regis frater vterinus, Friderici Imperatoris Augustissimi huius, qui iam feliciter regnat, patruus: ex clarissimo regni principe Leopaldo marchione patre, & matre Agnete, filia Henrici IIII Imperatoris: pariter cum fratribus suis germanis, Conrado Patauiensi episcopo, Leopaldo duce Baioariæ, & Henrico duce Austriæ, necnon & sororibus Gertruda, ducissa Boemię, & Bertha ducissa Polonorũ, ac Ita marchionissa de Mõteferrato*N. Imperatricis Hispaniæ genitrice: de tanta, inquam, tamq; illustri parentela proles ipsa nobilissima traxit originem. Literali scientia non mediocriter aut vulgariter instructus, inter episcopos Alemaniæ vel primus, vel inter primos habebatur, intantum, vt præter sacræ paginæ cognitionem, cuius secretis & sententiarum abditis præpollebat, philosophicorum & Aristotelicorum librorum subtilitatem, in topicis, analyticis, atq; elenchis, ferè primus nostris finibus apportauerit. Ob ea & aliarum multarum priuilegia gratiarum, fiducia quoque tam secularis prudentiæ, quàm eloquio fretus facundissimæ linguæ, cùm sæpius in causis ecclesiæ coram regibus & principibus constantissimè ageret, & exinde sibi gloria laudem, laus inuidiam, vt assolet, non modicam peperisset, laqueos aduersantium imperterritus declinauit, & obloquentium ora sine læsione probè probus euasit. Sane viuendi modum iuxta Cistercienſis ordinis religionem instituerat: ibiq; in monasterio Morimundensi primò abbas, eousq; probatus & electus inuentus est, vt meritò sibi diceretur; *Amice ascende superius*. Episcopus factus, transcurso iuuentutis feruore, ac sopito lubricæ ætatis incentiuo, oleum peccatoris declinans, & iustitiam suam in conspectu hominum & fauore facere paruipẽdens, Deo potiùs, quem conscientiæ & corda non fallunt, placere satagebat, attendens illud euangelicum, *Nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua*. Vnde factum est, vt si quid ex conuersatione mundana puluerulentiæ contraxisset, in præsenti, lingua detrahentium, quæ vt gladius acutus, raderetur atque purgaretur: siquidem supradicto principe Friderico patruo suo in Italicam expeditionem iter agente, cùm & ipse, sicut necessarius & pertutilis imperij negociis, ire debuisset, nutu diuino contigit ipsum iter detrectare, vt vir religiosus inter manus fratrum orantium potiùs, quàm inter strepitum præliantium expirans, dicere posset, *Domine, suscipe me, vt cum fratribus meis sim, cum quibus, &c.* Benignè verò ab Imperatore dimissus, multis gemitibus commissam sibi suæ benignitati commendauit ecclesiam, ac quodam spiritu prophetico de fine suo præscius, ne post mortem suam ipsam aliquo modo grauaret, & libertate electionis (vt iam sæpius anteactis temporibus in aliis ecclesiis factum dicebatur) eam nullo modo priuaret, postulauit. Accepta de hac probabili petitione fideli laudamento, ad propria reuersus est. At cum aliquibus de morte sua, seu per visiones, seu per somnia reuelatum fuisse, referentibus & commonentibus quibusdam religiosis, cognouisset: salutatis fraterna charitate media quàm intimè fratribus, & vale dicto, occasione visitandi Cisterciẽse capitulum, viam carpit, & iamdudum languore ac debilitate corporis inualidus, laborioso itinere, nihil tamen adhuc suis, qui secum erant, metuentibus, ad prænominatum Morimundense monasterium peruenit. Ibi per aliquot dies lecto cubans, & iam de obitu suo nequaquam dubius, dum sacro liquore olei, sicut moris est, perunctus fuisset, & de pecunia sua laudabili testamento ordinasset, inter cætera quæ sollicitus de salute sua præuidebat, etiam hunc codicem manibus suis offerri præcepit, eumq;

Ottonis Frising. episcopi genuus & cognati.

**al. Consobrina imperatricis Hispaniæ Gertrudæ.*

Doctrina.

Gloria comes inuidia.

Vita religiosa institutũ.

Luc. 14.

Matth. 6.

1158. literatis & religiosis viris tradidit, vt si quid pro sententia magistri Gileberti (vt patet in prioribus) dixisse visus esset, quod quēpiam posset offendere, ad ipsorum arbitrium corrigeretur, seq; catholicæ fidei assertorem, iuxta sanctæ Romanæ, imò & vniuersalis ecclesiæ regulam professus est. Deinde multa prius cordis contritione, & humili confessione reatum suum recognoscēs, sumptis sacrosanctis mysteriis, in medio multitudinis sanctorum tam episcoporum quàm abbatum, Domino spiritum reddidit. Felix vtiq;, & pro meritis suis diuino munere donatus, vt antea raptus sit, quàm vnicā suam, dilectam suam, ecclesiam videlicet, cui ipse speciali & intimo amore connexus erat, in fauillam & cinerem conuersam vidisset, & subuersam. Cùm autem adhuc viuens locum sepulturæ suæ fratribus digito præmōstrasset, extra ecclesiam in loco humili, vbi scilicet ab omnibus fratribus calcari debuisset, huic eius vltimę voluntati obuiandum putabatur, & intra septa ecclesiæ iuxta maius altare honorificè tumulatus est, eiusq; sepulchrum à cūctis fratribus honore ac veneratione dignum habetur. Ego autem qui huius operis principium, eius ex ore adnotaui, finemq; eiusdem, iussu principis, perficiendum suscepi, & manu mea ipsius extrema lumina clausi, hoc Epitaphium composui, & tumulo seu cœnotaphio eius inscribi feci:

Ottonis obitus anno 1158.

Epitaphiū.

Libram Phœbus subiit cum falcitenente,
Luci nox præualuit die decrescente,
Vita minus habuit morte præualente,
Otto quando corruit raptus, heu repentè.
Hic, si gradum consulis, præsul dignitate.
Formam: decens, habilis, iuuenis ætate.
Genus: alta nobilis regum maiestate.
Mores: commendabilis mira probitate.
Monachum se præbuit, si religionem.
Ideas asseruit, si positionem.
Virgo, cuius meruit interceßionem,
Eius ad quem genuit agat mentionem:
Cuius frequens otium in philosophia,
Maius exercitium in theologia,
Fœdus sibi mutuum cum philologia,
Nunc sit ei speculum summa theoria.
Plangat hunc Germania planctu generali,
Magis tu Frisingia, orba viro tali,
Cui tot priuilegia dono speciali,
Iugi querimonia debes lamentari,
Huius in te studio studium vigebat:
Grata disceptatio plures acuebat.
Quid mos, aut quid ratio nemo non videbat:
Fraus, & cauillatio latens non latebat.
Hic sacrum ecclesiæ sublimauit cultum.
Ipse dedit strepere logicum tumultum:
Hoc in eius cinere totum est sepultum:
Talem nemo plangere potest satis multum.
Quis nunc tantam gratiam formis affirmabit?
Aut quis elegantiam dictis assignabit?
Quis ad consequentiam tropos reuocabit?
Heu qualem sententiam schola vento dabit?
Quid rerum compactio sagax, dum rimatur,
Mathesis abstractio quid, dum contemplatur,
Quòd nihil priuatio per hunc dum probatur,
Quid ambarum actio morte scire datur,
Huius necem patria iustè dedignata
Clara dolens atria rectore priuata:
De se bene meritum cernens in fauilla,

Iuit

Iuit in interitum pariter & illa. 1159.
Tantas ad exequias turba populorum
Pias fundat lachrymas, mæstum ducens chorum.
Ac preces continuas, & lamenta quorum
Illum saluet, animas qui beat iustorum. Amen.

ALIVD METRVM.

Quicquid in orbe beat præclaros & meliores,
Præsulis Ottonis mirè cumulauit honores.
Si proaui, vel aui probitas, sacer ordo, potestas
Deberent mortis furias cohibere molestas,
Non moritūrus erat præclarè præditus illis.
Heu talem communibus accessisse faucillis,
Quàm facunda viri vox, qualis philosophia,
Hortatu regum docet edita chronographia.
Luxit eum patria propria comitata ruina.
Propitietur ei Deus, & pia virgo Maria.

CAPVT XII.

De conflagratione Frisingensis ecclesiæ.

OTTONE episcopo x Kalend. Octobris, quod est circa solstitium brumale, defuncto, paucis pòst mensibus Non. Aprilis, quæ tunc fuit dominica Palmarum, & est circa solstitium æstiuale, hora matutina, ciuitas Frisingensis penitùs & penitùs incendio conflagrauit, adeò quòd (vt taceam de maioribus ecclesiis, quæ cum ornamentis suis perierunt, sedeq; ipsa, & palatio) nec vna quidem de minoribus capellis & oratoriis superfuit. Domus etiam & officinæ canonicorum, & domus militum, exceptis valde paucis, crematæ sunt. Hæc ecclesia eo tempore in tali statu fuerat, quòd rebus, ædificiis & diuitiis omnibus penè conlateralibus, & vicinis episcopatibus aut maior erat, aut æqualis. Cleri probitate tam insignis, vt in eius honestate & disciplina, in liberalitate, in literarum scientia rari pares, meliores & superiores in orbe Romano nulli haberentur.

Vrbis Frisingensis conflagratio Anno 1159.

CAPVT XIII.

Quæ prodigia hanc cladem præcesserint, & quòd Albertus Ottoni successerit.

HANC Frisingensis ciuitatis multiplicem cladem, & ærumnosi euentus casum, nonnulla prodigiorum indicia præcesserant. Quadam enim vice in die Circuncisionis domini, dum ad Missam solennem presbyter altari maiori assisteret, & iam sacri secreti vltimum resoluisset silentium, calix cum sanguine ita prorsus euersus, & super altare in conspectu omnium effusus est, vt nec stilla superfuisset. Sed prudentissimus episcopus omine tali nil prosperum auguratum esse præsciens, ieiuniis & litaniis diuinam animaduersionem præueniri atque placari persuasit. Per idem quoque tempus monstra quædam quadrupedia, aliaq; fantasmata de nocte visa sunt, tam à clericis veracibus, quàm à laicis, hincinde volare. Feræ bestiæ, vtpote vulpes & lepores pastoforia ecclesiæ, ac officinas canonicorum ingressę, velut domesticæ, laqueum sibi captionis imponi non abnuebāt. Pueri ac puellulæ per mediam ciuitatem sæpius processionem agentes, verasq; litanias imitantes, iocis suis grauia seria portenderunt. Nam & sequenti anno locus ipse, vbi maior ecclesia, & cathedralis sedes fabricanda erat, fulmine ictus, cœlesti igne conflagrauit. Vlulæ, vpupæ, bubones toto anno in tectis funebria personantes, lugubri voce aures omnium repleuerunt. Pilosi, quos Satyros vocant, in domibus plerunque auditi. Huius ruinæ ac desolationis, talibus indiciis prophetatæ, præfata Frisingensis ecclesia diuina opitulatione, & per subrogationem piissimi pastoris Alberti, qui ipsam in præsentiarum gubernat & regit, restaurationem expectat, eiusq; industria subleuari sperat, & respirare.

1159.

CAPVT XIIII.

De exustione Spirensis ecclesiæ, & morte aliorum episcoporum ac principum.

EODEM etiam anno insignis illa ecclesia, & regium opus apud Spiram ciuitatem similiter igne consumpta est, & desuper continuitate muri rupta, ruina molesta plerosq; sicut tunc fama fuit, inuoluit.

Illustrium aliquot virorum decessus.

Iisdem diebus Fridericus Colonien sis archiepiscopus, cuius superiore Libro mentio habita est, tertio pontificatus sui anno, cum multorum luctu diem suum clausit extremum, carnesq; eius, & viscera apud Papiam posita, ossa verò ad ciuitatem Coloniensem deportata sunt. Vir nobilis & literatus, quiq; mansuetudine ac benignitate sua longè lateq; multorum in se prouocarat affectum.

Anselmus Rauennæ metropolitanus, qui multis diebus in imperij obsequiis, & fidelitate probatus fuerat, vir prudens & literatus ante Mediolanum defunctus est.

Herbipolensis quoq; antistes Gebehardus, reuisendæ patriæ amore illectus, dum benignè ab Augusto dimitteretur, paulo post septimum diem reditus sui ad ciuitatem suam, morbo correptus obiit: exemplo suo docens, quòd longas manus mortis, nec terra securior, nec conuictus delicatior faciet declinare.

Tunc etiam Conradus Croatiæ atq; Dalmatiæ Dux, natione Noricus, de castro Dachowa oriundus, apud Pergamum finem viuendi fecit: eiusque corpus in terram suam deportatum, in monasterio Schiren sepultum est. Cuius liberalitas, & in multis probata periculis animi magnitudo meruit, vt subtractus ex hac luce, memoria illius longo tempore apud posteros nō deleatur. Nobiles quoq; complures, & milites strenuissimos, quorum nomina mihi scribenti non occurrunt, aut varius belli euentus, aut morborum vis per idem tempus idem tempestatis turbo inuoluit.

CAPVT XV.

Quòd Romanus pontifex iterum occasiones quæsiuit aduersus Imperatorem Fridericum.

FRIDERICO in hybernis agente, Adrianus Romanæ vrbis antistes quorundam instinctu, ea quæ iam inter ipsum & Imperatorem apud Augustam sopita fuerant, refricare cœpit, & denuò meminisse, modò nunciorum suorum iniuriam, modò eorum, qui pro colligendo fodro directi fuerant insolentiam, & castellanorum suorum grauamen incusans, se pro bonis mala suscepisse, Imperatorem beneficiis suis ingratum existere. Proinde occasionem quærens, cùm audisset quòd regalia principi tam ab episcopis & abbatibus, quàm à ciuitatibus & proceribus recognita fuere, literas in fronte quidem leniores, diligentiùs verò consideratæ, acriori commonitione plenas, super hoc negotio dirigit: easq; quidam indignus, & vilis nuncius præsentans, antequam recitatę fuissent, disparuit. Qua de re commotus, caloreq; iuuenili ad vicem rependendam accensus, meditationem concipit, nō quidem per abiectam, sed per honoratam illi respondere personam. Iam antea missus fuerat ad sedem apostolicam episcopus Vercellensis, amicam deferens petitionem, quatenus Guidonem nobilem iuuenem, filium comitis Guidonis Blanderatensis, cuius suprà mentionem fecimus, quem loco Anselmi princeps in Rauennate ecclesia subrogari fecerat, ibidem confirmaret & ordinaret. Nam idem iuuenis infrà sacros ordines adhuc existebat, & clericus Romanæ ecclesiæ pridem factus, ac in subdiaconum à papa Adriano consecratus, non nisi eius conniuentia & assensu in aliam ecclesiam transferendus putabatur. Cùm autem hoc à Romano pontifice, volente in irritum reuocare quod factum fuerat, negaretur, mitttitur denuò Hermannus Verdensis episcopus in idipsum, eiusque negotium item effectu caruit. Quod si quis pleniùs scire desiderat, epistolas vtrinque directas consulat, quorum talia scripta inueniuntur.

Noui dissidij semina sparsa.

CAPVT XVI.

Rescriptum Imperatoris Friderici ad Papam pro confirmatione electi Rauennensis.

Frideri-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 136;Leibn. Marg. 136, Stück 1, [534] - 516

Fridericus Dei gratia Romanorum Imperator, & semper Augustus, Adriano Romanæ ecclesiæ venerabili pontifici. 1159.

DILECTO & fideli nostro Anselmo, bonæ memoriæ Rauennensis ecclesiæ venerabili episcopo defuncto, ne curia nostra diutius tanto careret principe, operam dare curauimus, loco eius talem subrogari personam, quæ pro tempore ad resarcienda ecclesiæ illius damna, & ad nostrum peragendum seruitium apta videretur. Ante omnia autem præ oculis mentis habentes, & aure non surda audientes, quod scriptum est, *Honore inuicem prævenientes*, filium comitis Blanderatensis, quem vos in clericum Romanæ ecclesiæ, & filium nostra petitione assumpsisse recordati sumus, vicissim ad honorem vestrũ, & S. Romanæ ecclesiæ altiùs sublimari intendimus: in ea præsertim ecclesia, quam post sanctam Romanam ecclesiam, aut maximam, aut vnam de maximis habemus, nostræq; voluntatis proposito, diuina fauente clementia, in electione illius personæ, concorditer & voluntariè vniuersa Rauennas conuenit ecclesia, præsentibus viris honestissimis, legato nostro & vestro, hinc Iacincto cardinali, inde Hermanno Verdensi episcopo. Scientia autem & moribus in personam præfati electi vnà cum genere conuenientibus, propter reuerendum vestræ paternitatis testimonium, commendabilior & acceptior eadem persona nobis iam facta est, quam vtique etiã diligi à vobis, & honorari gaudemus, & volumus: ea tamen ratione & ordine, qua patres filios suos solent diligere, quos suo tempore & manumittunt, & domui suæ prouidere permittunt. Et quidem decentissimum est, sanctam Romanam ecclesiam, tanquam matrem omnium ecclesiarum, filios, qui sunt fructus ventris, aggregare, & aggregatos ad decorem domus Dei, per domos & familias distribuere: quibus etiam nostrum imperium, tanquam ab vtero & gremio matris nostræ progredientibus, debeat & velit congruum honorem impendere. Proinde altiori consideratione vestra perpendat discretio, quid in hac causa tam vestræ, quàm nostræ maiestati & honestati conueniat.

Commendatoria pro electo præsule Rauennatensi.

Rom. 12.

CAPVT XVII.

Epistola responsiua Adriani papæ ad Imperatorem.

Adrianus seruus seruorum Dei, charissimo in Christo filio Friderico, illustri Romanorum Imperatori salutem, & apostolicam benedictionem.

QVALITER superni conditoris intuitu, & tam excellentiæ tuæ, quàm dilecti filij nostri Guidonis Blanderatensis comitis interuentu, dilectum filium Guidonem subdiaconum nostrum, eiusdem comitis filium, olim in familiaritatem, & in nostrum consortium receperimus, qualiter etiam intuitu probitatis eiusdem, atque pro honore & vtilitate sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ, tanquam si in diaconum iam fuerit ordinatus, ecclesiam ei specialiter assignauerimus, & nos profectò memores, & à serenitatis tuæ memoria non credimus excidisse. Nunc autem honestatem ipsius considerantes, & prouectum scientiæ, si ei vita comes fuerit, attendentes: intelligentes etiam quanta per eum, ac per nobiles, & potentes parentes ipsius, sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ adhuc potuerint commoda prouenire, & ad quantum dignitatis apicem in eadem Romana ecclesia ipse valeat, vita generi concordante, conscendere, cum à sede apostolica in subdiaconatus officium sit promotus, & ei tanquam si iam diaconus esset, sicut superius dictum est, à nobis sit ecclesia specialiter assignata: communicato fratrum nostrorum consilio, à nostro latere tam preciosum pignus, iuxta petitionem excellentiæ tuæ, non potuimus remouere: sed ipsum opportunitate accepta, Deo auctore, in Romana ecclesia ad honorem eiusdem ecclesię & imperij intendimus ordinare: vt vel in ea, prout diuina gratia proposuerit, quandoque ad sublimiora conscendat: vèl exinde ad alterius ecclesiasticę fastigium dignitatis ipsum contingat, auxiliante Domino, peruenire. Cõuenientius siquidem est: vt qui filius & clericus est Romanæ ecclesiæ, ab eius gremio non recedat, & ipsa ei circa se locum dignitatis conferens, eidem inde prouideat altiora. Ipsa etenim viros & moribus & scientia adornatos, præditos honestate, & sanguinis nobilitate præclaros, ad se libenter euocat, & eos

Rauennatensi confirmatio à Pontifice recusatur.

1159. aliunde consueuit admittere, non se talibus, cùm ipsos in gremio suo habeat, facilè spoliare. Quia igitur hoc decentius esse conspicimus, & honorabilius existere arbitramur, confidentes etiam imperatoriæ maiestati hoc potiùs debere placere, & gratum atq; acceptum esse, postulationem tuam in hac parte nō duximus admittendam: credentes atq; sperantes, quòd ex quo nostram super hoc cognoueris voluntatem, tu ipse nostram intentionem & propositum commendabis.

CAPVT XVIII.

De simultate orta inter principem, & vrbis Romæ episcopum.

Simultas inter Pontifi. & Imp.

PRINCEPS ergo & ipse accepta occasione, suā hoc modo solatur indignationem. Iubet notario, vt in scribendis chartis nomen suum præferens, Romani episcopi subsecundet, & dictionibus singularis numeri ipsum alloquatur. Qui mos scribendi cùm antiquitùs in vsu esset communi, à modernis, ob quandam personarum reuerentiam & honorem, putatur immutatus. Aiebat siquidem Imperator, aut Papam debere seruare suorum antecessorum ad personam imperialem scribendi consuetudinem: aut se ipsum antiquorum principum morem in suis epistolis oportere obseruare. Hęc itaque causa sermonum & nunciorum, maiorem inter eos simultatis fomitem ministrauit, intantum, vt quædam literæ deprehensæ dicerentur, à sede apostolica directæ, quæ Mediolanenses, & quasdam alias ciuitates, rursus ad defectionem hortarentur. Huius negocij veritatem tenor subiectarum epistolarum declarabit, quę à diuersis personis hinc inde missæ sunt.

Videantur epistolæ ad calcem Radeuici.

CAPVT XIX.

Epistolæ de hoc à diuersis transmissæ.

Venerabili patri & fratri, & amico charissimo Eberhardo, Dei gratia Babenbergensi episcopo, Henricus eadem gratia sanctæ Romanæ ecclesiæ presbyter Cardinalis tit. S. Nerei & Achillei, Salutem in domino.

SICVT virtus imperatoria ex eorum qui sibi assistunt, discretione monstratur, ita & ipsi quorum munitur consilio, propriæ conscientię & honestati debent attendere: quia & ipsorum honor sic ad dominos spectare videtur, sicut & domini detrimētum in eos proculdubio refunditur, & redundat. Eapropter, dilecte pater, & venerande frater, & amice charissime, vestram non tam docemus, quàm monemus prudētiam, vt imperialis dignitatis excellentiam, quantum in vobis est, in ea quæ ad pacem sunt, & ad honestatem spectant, iugiter suadeatis. Subtiliùs enim & sinceriùs in his quæ ad Deum pertinent, & iustitiæ libertatem, ratio & discretio vestra intelligit & cognoscit, quàm alij principes, quantumcunque nobiles sint, qui tamen sacros canones, & ea quæ olim à patribus disposita & ordinata sunt, non nouerunt. Interfuistis ipse, sicut vnus ex nobis fidelissimus mediator, eis, quæ cum domino Imperatore de pace ecclesiæ & ipsius ordinata sunt in Alemania, & eis, quæ altera die nos secum fidelissimè, & ipse nobiscum benignissimè de eadem pace tractauimus. Nunc autem ex literis illis quas celsitudini suæ post reditum meum, domino meo placuerit destinare, quæ videlicet nec stylum, nec antiquam consuetudinem imperialium literarum obtinebant, timemus multum, ne sit in diuersa mutatus, & alia modò sibi sit facies, sensusq; diuersus. Repleuit cor meum amaritudine, & faciem meam confusione mutatio hęc: quicquid honoris, & iucunditatis, & gloriæ apportaueram mecum, ex literis illis videtur esse sepultum, atque obnubilatum. Ideò, dilectissime frater, & amice charissime, episcopalis dignitas, & sacerdotij ordo, in quo vos prouidentia diuina constituit, moueāt discretionem vestram, & instruant, vt ad honorem Dei stetis & vestrum, pro honestate & libertate ecclesiæ, vt in antiquis limitibus ecclesiæ integritas conseruetur, ne tēporibus vestris nouis cōsiliis honestas vsq; modò turbata turbetur. Satis turbatum est, quicquid secundū cōsilium vestrum putabamus efficere: & dicimus vobis, quàm diu per homines rerum diuinarum ignaros negocia portabuntur, stabiliri pax incepta non

non poterit. Sed si præsentia vestra, & domini præpositi Magdeburgensis summam de pacis labore susceperit, zelus Dei & scientia, qua præeminetis vterque, finem pacificum ad honorem Dei & ecclesiæ, & Imperatoris nostri gloriam, per industriam vestram, & studium vestrum facillimè poterit obtinere. Alioquin si tempore iracundiæ repertus non fuerit, qui reconciliationi intendat, & in cuius verbis possint ista scandala complanari, res ipsa forsan aliud exiget, & quod hodie integrum est, maior vehementia necessitatis disrumpet. 1159.

ALIA.

Eidem Henrico, Eberhardus Babenbergensis ecclesiæ eadem gratia episcopus, si quid est, orationis & seruity omnimodam deuotionem.

Literis vestræ paternitatis lectis & relectis, admirari satis non potui, quod esset illud verbum, imò quod esset illud væ, de quo scripseratis mihi, cùm adhuc à me prorsus esset absconditum. Quæritans autem inueni quod volui, & vnde multum dolui, teste Deo, & multum doleo. Audiui, & conturbatus, & tristatus sum. Contremuerunt omnia ossa mea, adhæsit cutis ossibus meis. Et quidem intellexi, & cognoui, quòd bono semini, non meo, sed vestro, pacis & concordiæ consilio, inimicus homo superseminauerit zizania. Omnia mala à bonis principiis orta sunt. Sicut in sacro eloquio: *Parauit dominus vasa mortis, & sagittas ardentes effecit*: ita & in imperialibus gestis ac dictis, simul ac scriptis pleraque reperiuntur, quæ alios seducunt, alios ædificant. Annales quandoque reuoluuntur, apices imperiales recitantur, fortè in ea forma, quæ illi ętati & tam bonitati, quàm simplicitati temporum illorum competebat, hominibus tunc in directum loquentibus, neq; numerum numero commutantibus, neq; personas prępostèrantibus. Nunc verò mutata sunt omnia. Sed non expallescat aurum, nec mutetur color optimus, nec dispergantur lapides sanctuarij in capite omnium plateārum. Si qua exorbitatio consuetudinis modernæ facta est, his exemplis facta est, & hac occasione, quia flamma sopita, denuò quodam vento resuscitata est per literas, quas dominus Papa nuper direxit domino Imperatori, super ea quæstione, quæ vertitur inter Brixienses & Pergamenses, de contentione duorum castrorum: quas quidam pannosus, & velut hostis & insidiator, domino Imperatori despectiuè quodammodo obtrusit, & vltra non comparuit: quæ videbantur duriores, & quasi interdicti vim in se continentes, ne dominus Imperator causæ illius iudicium sibi assumeret. Hæc autem scribo vobis, non vt quæram palliare quæ pallianda non sunt: sed vt vos, & alij prudentes & timentes Deum, facilius morbo subueniatis, causa morbi cognita. Hinc inde dicimus, & scribimus quotidie: Venite, venite: veniemus, veniemus. Sedemus, salua multa vestræ sanctitatis reuerentia dictum sit, sedemus, & oscitamus. Sedemus inquam, vt ait quidam in Romana repub. nocte diem, die noctem expectantes, & iam prudentes & scientes perimus. De me dico vobis, vt tutis loquar auribus: Nolo mali nuncij esse baiulus, neque veniam vt audiam vel referam amaras historias. Verba verbis obuiant,

Psal. 7.

Monet de causis offensi Cæsaris.

quasi pila minantia pilis.

Vbi est sapientia? vbi prudētia in regno & sacerdotio? Separet nos Deus ab his de quibus dicitur, *Omnis sapientia eorum deuorata est*. Non dicatis nobis vltrà, Venite, sed potius vos claues habentes scientiæ, nos præuenite, non inuitati venite, & docete filios vestros nòn in amaritudine spiritus, sed in lenitate, & multa mansuetudine. Parcat illis Deus, qui oleum quasi camino addentes, inter patrem & filium, inter regnum & sacerdotium seminant discordias. Insipiens factus sum, vos coegistis me. Veniant, pro Deo nuncij boni, portantes pacem, tanquam scientes & docentes nos instare opportunè, importunè. More solito scribantur literæ, adiuuante Domino. Flebile principiū, medium, finis, scilicet verteturin gaudium. Dominus Imperator superueniente nuncio vestro, propter quædam secreta negocia subitò à castris discessit. Ideò ego meis insinuationibus certum responsum ab eo elicere, neq; vos literas eius in continenti habere potuistis. Qualis sit vos scitis. Diligentes se diligit, aliis alienum se facit: quia nondum perfectè didicit etiam inimicos diligere. *Psal. 107.*

1159.

CAPVT XX.

Alia epistola eiusdem ad Romanum pontificem.

Monitoria, ad sopiendas gliscentis incendij scintillas.

CVM & tacendi & loquendi tempus sit, quando commune instat periculum, desperationis potiùs quàm religionis est seruare silentium: omnium est conclamare, in vnum concurrere, ac ferre præsidium. Quando autem impetus hostilis, aut incendium ingruerit ciuitati, præsertim eorum interest, qui vigiles ciuitatis sunt, eos qui in arce sunt, ipsum quoque patremfamiliâs, expergefacere ad subueniendum in necessitatis articulo. Hac officij mei consideratione, & specialis debiti, quo teneor multis rationibus, S. Romanæ ecclesiæ, ego licet minimus episcoporum, qui nec sum dignus vocari episcopus, tam impudenter, quàm imprudenter exclamo ad vos, reuerendissime pater & domine, hoc in tempore quo nobis infirmioribus videtur imminere, quod multùm pertimescimus, periculum. Et quidem ab illa olla, quam succensam ab Aquilone vidit olim propheta, ignis quidam per scintillas occultas cœpit erumpere: sed adhuc in fumo est, & (Deo gratias) nondum in flammã eluxit. Inter vos domine, & filium vestrum dominum nostrum Imperatorem verbotenus adhuc aliquid perturbationis est. Timẽdum valde, & metuendum, ne verba verbis obuiantia, sua collisione flammam tandem excutiant, quæ se latiùs diffundat in sacerdotio & regno, quod Deus auertat. Ipse filius vester, sicut nostis, dominus noster est: vos autem quomodo Christus, magister & dominus. Nemo nostrum audet dicere hinc vel inde, cur hoc facitis, aut dicitis? Optamus tantùm & rogamus ea quæ ad pacem sunt. Quod si liceret salua reuerentia, verba singula trutinare, & rationem singulorum exigere, in insipientia dico, non vt arbitror, expediret: quia potiùs ignis sine mora discutiendus est, quàm de igne, qua de parte venerit disceptandum. Supra me esse scio quæ loquor, sed in simplicitate cordis mei coram eo qui super omnes & secretorũ est conscius, hæc loquor, & ex quo cœpi semel, loquar adhuc vobis confidenter, tãquam patri & domino. Omissis illis quæ aliter & aliter secũdum varias auditorum & interpretum mentes possunt accipi, dignetur ex integro scribere vestra paternitas placidè ac benignè filio vestro domino nostro Imperatori, & ad se paterno affectu eum reuocare promptum ad exhibendam vobis omnem reuerentiam. Samuel Dauid suum amplectatur, nec dimittat à se separari, vt nulla scissura chlamydis fiat, quatenus Deus honoretur, & ecclesia catholica tranquilla deuotione lætetur.

Ierem. 1.

CAPVT XXI.

Qua occasione Mediolanenses iterum tumultuari cœperunt, & ab imperio deficere.

INTEREA cùm de curia optimatum ad singulas ciuitates bini vel plures pro constituendis potestatibus & consulibus, à principe destinati fuissent, contigit Reinaldum cancellarium, & Ottonem Palatinum comitem de Baioaria, sæpe iam memoratos, comitemq; Gozwinum Mediolanum deuenisse, id negocium in ea ciuitate, sicut & in cæteris, iussos promouere. Populus ergo in seditionem conuersus, ad domos vbi legatos manere suspicabantur, mox procurrere, contumelioſa & superba perstrepere, lapidibus, aliisq; missilibus crepitare. Nec ab eo tumultu vel comes Blanderatensis, qui & ipse affuit, vel reliqui nobiles eos auertere poterant. Nam & in ea ciuitate, & penè in aliis Italiæ vrbibus, non procerum, sed vulgi motus hæc cuncta sequuntur. Id ingenio mobili, seditioſum atque discordioſum erat, cupidum nouarum rerum, quieti & ocio aduersum. Aliquantæ etiam nobilitatis parti, studio talium rerum incitatæ, tumultus ipse, & res nouæ satis placebant. Legati ergo, quorum quidam intra muros vrbis erant, improuiso metu incerti, ignariq; quid potissimùm facerent, trepidare, cum nec resistere armatis & multis, ipsi pauci & inermes possent, & portæ antè clausæ fugam prohiberent. Comites autem, quos & ipsi magis infensos habebant, extrà hospitatos ea res minus terruit, qui sine mora comperto tumultu, illæsi intactiq; recessere. Altero die tam episcopus, quàm cancellarius infecto negocio, eos eueſtigiò subsequuntur. Ita Mediolanenses violata pace, ruptis sacramentis, contaminato fœdere

Mediolanẽ nouo tumultu ab imperio deficit.

quod

quod etiam apud barbaros legatos ius gentium constituit, defectionis iteratæ venenum, quod corde conceperant, quod occultis machinationibus conflauerant, hac temeritate discooperire non verentur. 1159.

CAPVT XXII.

De nunciis Græcorum, & regis Franciæ, ac regis Angliæ, regis quoque Vngariæ, ad Imperatorem missis.

EODEM tempore, vel potiùs iisdem diebus, legati Constantinopolitani Imperatoris, ad curiam venturi, fidem publicam expetebant. Namq; pro morte Wilbaldi abbatis Stapulensis, qui in Græciam missus ibi vita decesserat, sese suspectos haberi metuebant. Nuncij quoq; Ludouici regis Francorum, & Henrici regis Angliæ, cùm post vnos mox alij superuenissent, vterq; Fridericum in partem ac fauorem sui principis inclinare multis verborum delinimentis, atq; muneribus concertabant. Inter hos siquidem reges, ex eo tempore quo inter Ludouicum, & thori sui sociam factum est diuortium, eaq; præfato Anglorum principi superbis adhæsit nuptiis, siue occasione dirimendorum inter se finium, siue quodam alio latentiore zelo, continuæ simultates & dissensiones ortæ sunt, magnumq; sibi credidit auxilium accessisse, quisquis eorum sibi Romani principis conciliare potuisset auctoritatem. Rex quoq; Vngarorum fama sola Mediolanensium comperiens temeritatem, honorabiles nuncios, & literatos, magistrum Matthæum, & magistrum Primogenitum ad curiam destinauit, suos denuo auxiliarios plures quàm prius sponte sua principi promittēs. Hos singulos & responso prudenti exhilaratos, & regalibus donatos muneribus, Augustus expediuit, & ad suos principes remeare concessit.

CAPVT XXIII.

Conquestio Friderici de Mediolanensibus fœdifragis.

FRIDERICVS in villa quę vocatur Antimiacum, festiuitatē Luminum celebrante, cum multi ad eum Hesperię proceres confluxissent, dolos atq; crudam Mediolanensium superbiam omnibus notissimam in medium commemorat, exhibens vultum iusti doloris, simul & regalis indignationis indicem.

Mediolanēsium perfidia grauissime incusata

Exclamare, inquit, cogimur, ô proceres, in auribus vestris, contra crimen perduellionis, contra scelus læsæ maiestatis, in quo ciuitas impia, gens nequam, populus sceleratus, Mediolanenses dico, iam non semel, sed sæpenumerò deprehensi inueniuntur. Factum ipsum vobis adhuc recens exponerem, si tamen non exinde non solùm vestræ, verumetiam omnium qui in orbe Romano sunt, aures tinnirent. Iniuriam quam nobis, imò vobis, & Imperio superbia & præsumptio peruersissimorū hominum iniquè ingessit, occulto Dei iudicio eò tendere videtur, vt hi qui in suam, & multorum perniciem debacchantur, multorum quoq; cōdemnatione, & imperiali auctoritate, legumq; vigore competenter debeant compesci. Vbi fides illa, quam se Mediolanenses adhuc inuiolatam, & inter cæteras ciuitates virginali quadam castimonia inlibatam habere gloriati sunt? Vbi iustitia, quam in conseruādis legibus specialiter se hactenus habuisse iactauerunt? Conuenient eos modò non nos, sed fides fracta: experiētur aduersus ipsos sacramenta irrita facta, fœdus ruptū, leges legatorum, non solùm nobis & vobis, verumetiam barbaris debita integritate, & sanctissima reuerentia cōseruandæ. Quocirca, si verè ego de vobis audeo prędicare fidem, iustitiam, fortitudinem, abominationem desolationis, stantem in medio vestræ terræ, quę hactenus laruali quodam terrore omnes concutere solebat, respicite, atq; communibus viribus communem hostem non tam nostrum, quàm vestrum proterēdum assurgite. Consulite Romano Imperio, cuius etsi nos caput, vos mēbra, nobis in hoc negocio, vt libet, vel milite, vel Imperatore vtimini Deo propitiāte, illorum præsumptionem reiteratam, iterata vindicta couq; prosequetur, vt quod in nostram iniuriam, & Romani gloriam Imperij commiserunt, ea coertione reprimatur, ne prauis & seditiosis crescat spes, & ne crimen eorum inultum maneat, qui nec vobis veritatem, nec nobis reuer[illegible] iam

1159. & fidē ſeruauere: abuſi clementia noſtra, abuſi patientia: qui pro pœnitentia pertinaciam, pro ſimplicitate duplicitatis confuſionem induere non erubuerunt. Talia perorantem omnes excepere, ac velut impetu quodam diuino incitati, alius alium in reſpondendo antecapere cupiebat: hoc recti conſilij arbitrantes, ne quis extremus remanere videretur. Erant ibi abſq; laicis optimatibus epiſcopi, Eberhardus Babenbergenſis, Albertus Friſingenſis, Conradus Eiſtetenſis, Hermannus Verdenſis, Daniel Pragenſis. De vltramontanis, Papienſis, Vercellenſis, Haſtēſis, Dertonenſis, Placentinus, Cremonenſis, Nouarienſis. Qui omnes dum ſinguli Imperatori ſingulari fauoris ſtudiō diuerſo modo placere voluiſſent, hanc tamen ſententiæ vnius identitatem, per os & facundiam Placentini epiſcopi, proferebant.

CAPVT XXIIII.

Reſponſio principum, & inuectiua oratio contra Mediolanenſes.

EXCELLENTIÆ veſtrę, princeps poſt Deum nobis chariſſime, ſuper iniuria Mediolanenſium, qua decet grauitate, & animi indignatione condolemus. Sed quia ſcimus ſinceritatem veſtram, & animam veſtram in hac parte à culpa cuſtoditam, omnipotenti Deo gratias agimus, qui de malis Mediolanenſium multa vobis ad gloriam operari poterit, & ex illorum ſuperba crudelitate, ac crudeli ſuperbia veſtram mā-

Principum ſuffragio in Mediolan. vindicta decernitur.

ſuetudinem, veſtram digniſſimam humilitatē amplius enitеſcere procurabit. O cruda ſuperbia, ô infelix arrogantia, quæ de cœlo angelum, de paradiſo hominem præcipitaſti. Timeo quòd Mediolanenſibus peſtis hæc fatale debeat exitium præparare. Parum ſe cauit ab hoc vitio tumoris, de quo dictum eſt: *Tu ſignaculum ſimilitudinis, plenus ſapientia, & perfectus decore in delitiis paradiſi Dei fuiſti.* Parum & ille, cui conceſſum eſt ex omni ligno paradiſi comedere. Tu quoq; non magis ac illi, cui & hæc, & multa alia de illis dicta quadam proportione ſimilitudinis poſſunt aſſignari. Ille inter angelos primus, & Lucifer appellatus: tu inter vrbes Italiæ prima, inter orbis vna de primis. Ille in delitiis paradiſi, tu in delitiis huius mūdi nullius indiga fuiſti. Ille plenus ſapientia, & perfectus decore, tu cum multos habeas & ſapientes, & philoſophos, timeo ne illis competenter dicatur, Et omnis ſapientia eorum deuorata eſt. Nouimus maximas ciuitates & antiquas, Babylonem, Niniuen, bello ſubactas, factas ad vltimum delubra draconum, habitacula ſtruthionum. Tibi certè cras quoq; fiet idem, vt niſi reſipueris, in ædibus tuis lugubri voce reſpondeant vlulæ, ſaltent piloſi. Abſit tamen hoc, auertat hoc à te Deus. Cupio equidem ego in hac parte potiùs loqui mendacium, quàm verus propheta inueniri. Tibi ſereniſſimo domino noſtro fideliter ſuggerendum putamus, vt pro iniuria Mediolanenſium officium vindictæ bonus iudex bono animo ſtudeas adimplere. Nec enim fruſtra ſunt inſtituta, poteſtas regis, arma militis, & vngula carnificis, diſciplina dominantis, & ſeueritas boni patris. Habent, vt ait quidam, iſta omnia modos ſuos, cauſas, rationes, vtilitates. Hæc cùm timentur, & mali coercentur, & boni quietè inter malos viuunt. Falluntur Mediolanenſes, ſi putant modò in te falli, quod dicitur,

Ezech. 28.

An neſcis longas regibus eſſe manus?

Veniſti, & viciſti. Nec minus tibi facile eſt victos vincere, quàm prima fronte rebellantes ſine difficultate ſuperaſſe. Idem tibi imperium, idem corporis & animi robur, eadem militiæ virtus, eadem deuotio militantium. Solùm tibi reſtat diſquirere, qua vindicta, qua pœna percellendi ſint, qui totiens legibus, ac legitimo imperio contradicunt. Quamuis autem extraordinaria pœna iure coercendi eſſent, imperialis clementia hanc moderationem decenter tenebit, vt non ſicut illi meruerunt, ſed ſicut te decet, iniuriam perſequaris. Non plus apud te valeat Mediolanenſium ſcelus, quàm tua dignitas: ne magis iræ tuæ quàm famæ, quàm iuſtitiæ conſuluiſſe videaris. Nam ſi digna pœna pro factis eorum quęritur, ſi magnitudo ſceleris ventilatur, nouo conſilio hoc eget, & vt verum fatear, noſtra ingenia exuperat. Quare his aduerſus eos vtēdum cenſeo, quæ legibus comparata ſunt, bonumq; Imperatorem, & iuſtum iudicem declarabit cum inimicis, antè legibus, quàm armis decertare. Dixerat, eiusq; ſententiam & Auguſtus ipſe, & optimates vniuerſi commendant.

CA-

1159.

CAPVT XXV.

Mediolanenſes in cauſam ponuntur, inſipiens quoque eorum reſponſio.

ITAQVE proponuntur edicta, iterumq; Mediolanenſes in ius per legitimas citantur inducias. Die ſtatuta, Friderico apud villam regiam, quę vocatur Marnica, commorante, per legatos ſuos Mediolanenſes ſe preſentant, videlicet per archiepiſcopum ſuæ ciuitatis, & per alios quoſdam multæ quidem eloquentiæ, paruæ ſapientiæ. Vnde & archiepiſcopus ſiue vera, ſiue ſimulata infirmitate, ſocietati illorum ſe ſubtraxit. Illi autem dum arctiùs de præſtitis ſacramentis, deque aliis pacis pactionibus, de fœdere violato conuenirentur, cùm aliud non potuiſſent, reſponderunt: *Iurauimus quidem, ſed iuramentum attendere non promiſimus.* Digna reſponſio, vt moribus oratio conſonaret, & qui prauè ac perfidè viuere & facere conſueuerant, aliter ac perfidè & prauè loqui non potuiſſent, vt vitam flagitioſam ſermo inlotus comitaretur. Cumq; hæc & alia multa vitio procacitatis verba protuliſſent, infecto pacis negocio diſcedunt, aliuſque illis dies præfigitur.

Mediolanẽſes citati Friderici tram magis acuunt.

CAPVT XXVI.

Fridericus denuò tranſmontanos aſciuit.

INTER hæc videns Imperator Mediolanenſium ſuperbiam non niſi in manu graui & forti poſſe compeſci, cùm (vt ſuprà memorauimus) dimiſſo exercitu, ipſe cum paucis remanſiſſet, auxilia vltramontanorum contra reprobam ciuitatem accienda reputauit. Itaque miſſis nunciis Imperatricem aduocat, & ducem Baioatiæ Henricum, alioſq; tam epiſcopos, quàm proceres imperij, commonens eos fidelitatis ſuæ, ne deſertores regni pro tanta temeritate de impunitate lætentur: velle ſe probare ipſorum beneuolentiam circa ſtatum imperij conſeruandum, impetumq; inimicorum cohibendum. Illi accepta legatione, alacri animo ſe ad nouam in proximo Vere accingunt expeditionem.

Germaniæ proceres in Italiam vocati.

CAPVT XXVII.

Qualiter ſe ad futurum bellum Fridericus præparauerit.

INTER hęc Fridericus nil apud ſe remiſſum, nihil apud hoſtes tutum pati. Impigrè, prudenterq; ſuorum, & hoſtium res pariter attendere, explorare, quid boni vtrinq;, aut contrà eſſet. Itaque dimiſſo exercitu, cum paucis territoria prouinciæ circuit, militem nouum & auxiliarios percenſuit: caſtella & munitiones, vtpote Verrucam, Serra longa, Lou, & cætera quæ in terra illa magis inexpugnabilia, nec aggreſſione facilè capi videbantur, ſuſcepta, in diſcrimen hoſtium, & ad ſuorum præſidium ſapienter prouidit. Nouam Laudam toto tempore Quadrageſimę ſummo ſtudio communit, vallum immenſum extruit, portas & propugnacula diſponit. Opportunum ratus futuri belli negociis, ſi in tam vicina ciuitate, vtpote XX miliaribus à Mediolano diſtante, magnam multitudinem bellatorum ſubitò & locare poſſet, & inuenire. Deinde vſque Cumam progrediens, honorificentiſſimè recipitur: fœdus & auxilium poſcit & accipit.

CAPVT XXVIII.

De inſulanis in fœdus receptis, & quomodo Placentiam ingreſſus ſit.

EST autem in lacu Cumano inſula diuitiis abundans, hominibus bellicoſis referta, quæ niſi valde cruenta victoria à quoquam capi difficilè putabatur. Erat autem amica Mediolanenſibus, & multo tempore per fœdus coniuncta. Princeps propter commeatum venientium ad ſe, ac redeuntium, optimum ratus eo membro corpus inſidioſæ ciuitatis mutilare, concepta ſpe atque fiducia, inſulam ſe, vel ſicut hoſtem infeſtum contra hoſtes, vel (ſi hoc elegerint) tanquam benignum Imperatorem ad

1159. socios & amicos intraturum, comminatur. Nec mora, cum paucis quos secum habebat, naues ingressus cœpit remigare. Insulani dum principis spiritum, simul & audaciam cognouissent, diuino quodam timore concussi, obuiam nauigio pergunt, pacem petunt, cum magno plausu & alacritate venientem excipiunt, fidelitatem iurãt, muneribus honorant. Satisq; fidelis in posterum nobis gens illa reperta est. Idq; prospectum singulari consilio principis, vt homines illi insulani feri, ac piratica rabie assueti, in tam strictis viarum faucibus vsui & opportunitati nostrorum recuperarẽtur. Quid amplius mirandum in hac victoria? An principis magnanimitas? quòd tantam rem hoc modo attentare non metuit: an felicitas? quòd adeò periculosam sine periculo deuicit. Sed vtrunque mirabile, quòd & aggredi ausus, & quòd tanta felicitate ac facilitate glorioſum compleuit triumphum. Simili modo apud Placentiam factum est, quæ & ipsa Mediolanensibus confœderata, propter diuersas causas inuisa videbatur, & defectionis opinionem dudum incurrerat. Vnde etiam (vt suprà memorauimus) iure possessionis iussi fuerant vallum replere, turresq; deponere, vt minitando magis quàm puniendo reprimerentur perturbandæ ciuitatis auctores. Eodem quoq; tempore egressi fuerant de Placentia latrunculi, & nuncios principis, qui de Genua promissam ferebant pecuniam circiter D. talenta, ex insidiis circunuenerunt, & memoratam pecuniæ quantitatem diripuerunt. Ob hæc & alia fraudis experimenta, cum eos, sicut indubitanter rerum nouarum cupidos, Augustus suspectos haberet, cum paucis tamen sine pauore ciuitatem ingreditur. Dominicam Palmarum debito festo peragit, cæteraq; quæ ibidem peragenda fuerant, congruè ordinauit, pecuniamq; direptam vix à ciuibus exoratus, recepit.

Lacus Comensis insula ad officiũ redacta.

Pecunia regia à Placentinis intercepta.

CAPVT XXIX.

Quomodo exercitum reuiserit, & de Eberhardo episcopo Babenbergensi.

ANno dominicæ incarnationis M.C.LIX. Fridericus Pascha apud Mutinam celebrauit: festoq; terminato, in territorium Bononiense, vbi tunc manebat exercitus, demigrans, aduentu suo vniuersos lætificauit. Nempe à die quo cinis super capita fidelium poni solet, vsq; tunc, semel tantùm ad exercitum venerat, supradictis negociis occupatus. Dimiserat tamen loco suo venerabilem virum Eberhardũ Babenbergensem episcopum, qui venientes, & negocia habentes audiret, causasq; eorum diligenti examinatione terminaret. Erat enim idem episcopus religione & scientia præditus, vitæq; purioris institutionibus instructus. Cumq; ad fidẽ imperij, & honorem, præ cæteris diligentiam habere cognitus esset, apud quamplurimas terras opinio de eo celeberrima peruulgata est. Eiusq; studium circa scripturæ sensus, ac quæstionum discussionem tam attentè versabatur, vt inter prælia communens, diuersas & ingentes curas, earum sedula meditatione solaretur. Cùm autem omnes episcopos, seu cuiuslibet ordinis ecclesiastici viros Imperator diligeret, eosq; ampliori honore dignos duceret, specialiter tamen memorati viri, sicut prudentissimi, nitebatur cõsilio, eumque dignum æstimauit, in cuius arbitratu & discretione operas suas locaret, & onus simul ac honorem communicaret.

Eberhardi Bambergensis auctoris tui.

CAPVT XXX.

Quomodo ex sententia iudicis Mediolanenses hostes pronunciantur. Item de legatis Romani pontificis, & responsione principis.

IAm dies aderat, quæ Mediolanensibus tertiò vel quartò præfixa fuerat. Tum Imperator conuocatis iudicibus & legisperitis, qui in ea ciuitate frequentes aderant, citari iubet Mediolanenses. Cùm autem nemo compareret qui absentiæ illorum causam rationabilem ederet, tanquam contumaces, rebelles, & imperij desertores, seueritatis sententiam excipiunt, hostes pronunciantur, res eorum direptioni, personæ seruituti adiudicantur. Eiusque rei occasione in audientia principis satis disputatum est, luculenterque expressum, quæ pœna excipere debeat, qui defectionis aut læsæ maiestatis rei forent deprehensi. Præter alios principes nobiles atque sapientes, inter-

Mediolanẽses læsa maiestatis rei iudicati.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 136:Leibn. Marg. 136, Stück 1, [542] - 524

interfuere huic collationi & negocio, sedis apostolicæ legati, videlicet Octauianus tit. sanctæ Ceciliæ presbyter cardinalis, Henricus tit. S. Nerei & Achillei, Wilhelmus cardinalis diaconus, antea Papiensis archidiaconus, & Guido Cremensis diaconus cardinalis, missi à papa Adriano: quorum itineris causas, simulq; nunciorum Senatus populiq; Romani, rescriptum literarum venerabilis viri Eberhardi Babenbergensis episcopi, subter annotatum continet, quod tale est: 1159.

Reuerendissimo patri & domino Eberhardo, Saltzburgensis ecclesiæ archiepiscopo, Eberhardus Babenbergensis gratia Dei si quid est, cum oratione qualicunque seruitium deuotissimum.

Scio pater sanctissime, sacræ pietatis affectu vos compati meis laboribus, & animæ mihi salutem, & corpori quietem concupiscere. Vt autem noueritis quoad compati vos mihi oporteat, dico vobis, quòd iam tædet animam meam vitæ meæ, duo ferens onera in animo meo grauissima, quòd & cinctus ducor quò nolo, & quandiu durare debeat ignoro: vestris & aliorum fidelium orationibus adiuuari desiderans, vt ab illis separer quibus iurauit Dominus in ira sua, *Si introibunt in requiem meam.* Super hęc tempora periculosa instare videntur, & propè est, vt inter regnum & sacerdotium moueatur discordia. Et quidem cardinalibus à domino Papa ad dominum Imperatorem transmissis, domino videlicet Octauiano, & domino Wilhelmo quondam Papiensi archidiacono, post lene principium, & ingressum quasi pacificum capitula durissima proposita sunt, verbi gratia: Nuncios ad Vrbem ignorante apostolico, ab Imperatore non esse mittēdos, cùm omnis magistratus inibi B. Petri sit, cum vniuersis regalibus. De dominicalibus apostolici fodrum non esse colligendum, nisi tempore suscipiendæ coronæ. Episcopos Italiæ solùm sacramentum fidelitatis sine hominio facere debere domino Imperatori. Neq; nūcios Imperatoris in palatiis episcoporum recipiendos. De possessionibus ecclesiæ Romanæ restituendis, & tributis Ferrariæ, Massæ, Ficorolu, totius terræ comitissæ Mathildis, totius terræ quæ ab Aquapendente est vsque Romam, ducatus Spoletani, insularum Sardiniæ, Corsicæ. Domino autem Imperatore super his iusticiam & consilium constanter offerente, si & ipsi iusticiam vellent facere & recipere, illis verò recipere tantùm volentibus, & non facere hac ratione, quòd dominum Apostolicum causæ subiicere, ac iudicio sistere non possent: & econtrariò domino Imperatore multa proponente de rupta concordia, quæ in verbo veritatis sibi cōpromissa fuerat, de Græcis, de Siculo, de Romanis sine communi consensu non recipiendis: de Cardinalibus quoq; sine permissione imperiali liberè per regnum transeuntibus, & regalia episcoporum palatia ingredientibus, & ecclesias Dei grauantibus: de iniustis appellationibus, & cæretis quampluribus breuitatem superantibus: cum Apostolicus per nuncium & literas Cardinalium prædictorum, ex cōsensu Imperatoris submonitus, cardinales alios ad hæc omnia complananda requisitus, his qui aderant nunciis suis, & curiæ principibus nollet adiungere: vnitatis & concordiæ verbum diu desideratum, peccatis nostris exigentibus, euacuatum est. Et dum hæc agerentur, nuncij Romanorum superuenientes, & ea quæ pacis sunt rogantes, bene recepti ac dimissi sunt. Rogatu tamen Cardinalium dominus Imperator nuncios ad dominum papam, & ad Vrbem missurus est, vt cum apostolico, si ipse voluerit, primo loco pax fiet: sin autem, cum Senatu & populo Romano. Dominus Imperator in magna est gloria, dominam Imperatricem, & ducem Baioariæ & Saxoniæ, cum aliis superuenturis principibus & copiis exercitus expectans, & quosdam de melioribus ex Mediolano & Brixia in vinculis retinens. Valete.

Pontificis grauissima postulata ab imperatore.

Psal. 95.

Imperator ad hæc verba cardinalium tale dedit responsum: Quamuis non ignorem ad tanta negocia, non ex animi mei sententia, sed ex consilio principum me respondere debere, sine præiudicio tamen sapientum, hoc absq; consultatione respondeo. Episcoporū Italiæ ego quidem non affecto hominium, si tamen & eos de nostris regalibus nihil delectat habere. Qui si gratanter audierint à Romano præsule, quid tibi & regi? Consequenter quoq; eos ab Imperatore non pigeat audire; quid tibi & possessioni? Nuncios nostros non esse recipiendos in palatiis episcoporū asserit. Concedo, si fortè aliquis episcoporum habet in suo proprio solo, & non in nostro palatium. Si

Friderici responsum ad Pontificis postulata.

1159. autem in noſtro ſolo & allodio ſunt palatia epiſcoporum, cùm profectò omne quod ædificatur, ſolo cedat, noſtra ſunt & palatia. Iniuria ergo eſſet, ſi quis nuncios noſtros à regiis palatiis prohiberet. Legatos ab Imperatore ad Vrbem non eſſe mittendos affirmat, cum omnis magiſtratus inibi beati Petri ſit, cum vniuerſis regalibus. Hæc res fateor, magna eſt & grauis, grauioriq; & maturiori egens conſilio. Nam cum diuina ordinatione ego Romanus Imperator & dicar, & ſim, ſpeciem tantùm dominantis effingo, & inane vtique porro nomen ac ſine re, ſi vrbis Romæ de manu noſtra poteſtas fuerit excuſſa.

CAPVT XXXI.

Quorum conſilio contentio hæc decidenda fuerat, & reſponſum principis de hoc.

Imp. arbitrum iudicio ſe offert.

HÆc Auguſto, & his ſimilia præfatis capitulis argutè reſpondente, conſilium initur, vt ex parte ſummi pontificis Cardinales ſex, & ex parte principis ſex epiſcopi religioſi, prudentes, & qui Deum timeant, eligantur, tantorum negociorum hinc inde cognitionem accepturi, tantamq; litem congruo fine deciſuri. Verùm (vt ſuprà taxatum eſt) ex parte Romanorum etiam hoc conſilium dicitur fuiſſe euacuatum. Super hoc quoque capitulo audi epiſtolam Imperatoris directam Eberhardo Saltzburgenſi archiepiſcopo in hunc modum:

Quandoquidem fidelitatis tuæ conſtantiam, quam pro conſuetudine exhibere ſoles imperio, frequenter experti ſumus, quæ apud nos ſunt, diſcretioni tuæ ſignificamus, & prudentiæ tuæ conſilium aduocamus. Venerunt ſiquidem ad nos duo cardinales à Papa miſſi, ad hoc, vt inter nos & illum fieret concordia. Dixerunt igitur, quòd Papa illam requireret pacem atq; concordiam, quæ inter papam Eugenium, & nos facta fuerat & ſcripta. Nos reſpondimus, quòd pacem quidem inuiolabiliter huc vſq; tenuiſſemus, de cætero autem neq; eam tenere, neq; ea teneri vellemus, quomodo ipſe prior eam violaſſet in Siculo, cui ipſe ſine nobis reconciliari non debuiſſet. Adiecimus tamen, quòd omnem iuſticiam dare & accipere parati eſſemus, ſiue ſecundum humana, ſiue ſecundum ſcripta diuina. Si verò iuſticia grauis videretur, conſilio principum & religioſorum, pro amore Dei & eccleſiæ, libēter nos ſupponeremus. Placuit

Recuſat papa.

verbum noſtrum Cardinalibus. Dixerunt tamen, niſi prius cognita Papæ voluntate, ſuper hoc ſe nihil poſſe vel audere. Miſſis nunciis verbum noſtrum cognouit Papa, mandauitq; ſicut prius, aliam ſe nolle concordiam, quàm illam quæ inter papam Eugenium, & nos facta fuiſſet. Nos ſupradicto modo hoc recuſauimus, & in preſentia, & teſtimonio omnium Teutonicorum & Longobardorum epiſcoporum, & laicorum principum, & Baronum, & vaualſorum, omnem iuſticiam atq; cōſilium obtulimus, & vt nos acciperemus iuſticiam. Præſentes ibidem fuere Romanorum ciuium legati, qui cum indignatione mirabantur ſuper his quę audierunt. Mandauit enim Papa noua & grauia, & nunquam prius audita, quæ ſine conſilio tuo, & aliorum fidelium imperij pertractari non poſſunt. Hæc diſcretioni tuæ communicauimus, vt ſi qua tibi ſuper his occurrerint, noſſe veritatem non ſit inutile. Rogamus etiam, vt ſi neceſſe fuerit, & nos tibi mandauerimus, ad nos pro tanto negocio venire non differas.

CAPVT XXXII.

Quomodo Mediolanenſes caſtrum Tretium expugnauerint, & funditùs deſtruxerint.

AT Mediolanenſes nouarum turbarum non iam in occulto, ſed apertiſſimè tale ſumunt principium. Nondum finita ſolēnitate Paſchali, omnibus copiis ſuis aduocatis, egreſſi ſunt, oppidum Tretium, vbi Fridericum iam in priori aduentu milites ſuos locaſſe memorauimus, vi capere properantes: quoniam pernicioſa videbatur obſidio, principe intra prouinciam exiſtente. Iam enim intra ciuitatem cupidine caſtri potiundi, machinas, aliaq; quæ incepto vſui forent, præparauerant. Ita conatus eorum, & delicta occultiora fuere. Quæ poſtquam ex ſententia inſtruunt, de improuiſo cum magna multitudine oppidum circumueniunt, ac quidam eorum murum modò ſuffodere, modò ſcalis aggredi cupere, pars eminus glande, aut lapidibus, ſeu iaculis

iaculis pugnare. Milites Romani tumultu perculsi, arma alij capere, pars territos confirmare, quidã in proximos saxa deuoluere, tela eminus missa emittere, pauci in pluribus minus frustrati, si Ligures propius accessissent. Omnia aspera, omnia fœda, atrocitate vtrinq; præliantiũ, periculum anceps, victoria primò in incerto erat: per totum enim triduum continuè pugnatum est. Verumenimuerò castellani die noctuq; vigiliis, ieiuniis, laboreq; fatigati, impetum hostium diutius sustinere non poterant, cum hi per vices & successiones alter alteri laboranti succurreret: istorum verò nullus loco quem vti defenderet, acceperat, cedere potuisset. Defessis itaq; omnibus & exhaustis, atq; languidis, vbi locum hostibus introeundi dederunt, Ligures cuncti erupere, oppidani vniuersi vel occisi, vel capti. Porrò in suos proprios gentiles, quos ibidem reperere, antequam in nostros insaniebant: nec vlla fuit eis in conlatinos miseratio. Nostri autem ob Imperatoris reuerentiã, seu metum, captiuati seruati sunt circiter octoginta milites de regia clientela. Sed nec hosti triumphanti vsquequaq; læta cessit victoria, quampluribus ex illis cæsis, & lethali vulnere sauciatis. Ita Tretium, Mediolanensium prius municipium, ab ipsis captum, crematum, & funditùs destructum est. 1159.

CAPVT XXXIII.

Quomodo Fridericus ad vindicandum regni iniuriam animum intendit, & quomodo variis modis Mediolanenses afflixerit.

HÆc audiens Fridericus, paulisper mœstus, iram cohibuit, indignationem dissimulauit, impetum militum continuit: Curiam autem antedictam apud Roncaliam gloriosè celebrauit, & ibidem copiosam multitudinem bellatorum collegit. Deinde cum maxima cura vltum ire iniurias festinat, & toto apparatu, toto exercitu in Liguriam irruit, agros inflammat, vastat, vineas demolitur, ficus exterminat, omnesq; fructiferas arbores aut succidi, aut decorticari præcepit, totamq; regionem depopulatur: statuens non antè obsidere ciuitatem, quam penuria necessariorum affligerẽtur. Aut enim tunc inopia victualium coactos vltrà supplicaturos, aut si ad finem vsque in eadem pertinacia durauissent, obsidione inclusos fame consumendos, vel ad deditionem cogendos arbitrabatur, multoq; faciliores ad affligendum fore, si post interuallum temporis, iterum atq; iterum anxius incubuisset. Itaq; omnes eorum exitus asseruari præcepit, frumenti, aliarumq; rerum eis auferens commercium: edictumq; proposuit, qua pœna ferirentur trãsgressores, quóve præmio donari debuissent, qui venditores harum rerum proderent. Mediolanenses autem omnium rerum tametsi copiam intus habebant, metu tamen futuræ obsidionis vehementiùs afficiebantur: & cùm iam cibaria ipsa ad modicam mensuram venderentur, ampliorem eis cupiditatem mouebat, quòd ius edendi liberum non haberent, ac velut omnia defecissent, ægre ferebant. Interdum quoq; assumptis secum bellatoribus, Imperator vsq; ad ciuitatem profectus est, æstimans eos aliquid ausuros, quo vel publico congressu eos protereret, si contrà venissent, vel si excurrere attentarent, item à calamitate alieni non remanerent. Quod & factum est: nam inconsultè ad ostentationem suarum virium egressos, facto in eos impetu præuenit, complures q; ex eis cepit, & occidit.

Mediolanẽses infesto exercitu petuti.

CAPVT XXXIIII.

De clade Mediolanensium.

CVMQVE super tali negocio Imperator cum exercitu vltra Mediolanum processisset, Mediolanenses cum D equitibus occultè ad nouam Laudam in die sancto Pentecostes venientes, prædam pecorum abegêre. Episcopo verò Mantuano Carsidonio, & Marchione Garnerio de Ancona, cum sufficiente militia eos insecutis, cùm audissent voces clamosas paucissimorum Alemannorum, Mediolanenses territi, & in fugam versi, quosdam occisos, XVI captos de suis melioribus ibidem perdiderunt. Iustè autem eos diuina vltio persecuta est, vt qui sanctissimo diei debitam reuerentiam & honorem exhibere contempserunt, ipsi cum dispendio atque dedecore reuerti cogerentur. Quadraginta continuis diebus terram hostium vastatio tenuit: interq;

1159. cæteras arces, turres, & munitiones, quæ vel opere vel natura munitę erant, quoddam
Mons S. Ioannis. castrum, quod mons S. Ioannis vocabatur, vsq; ad id tempus expugnabile habitum, obsessum, & breui tempore captum est. Paulatim igitur reprobo capiti propria membra intantum mutilata sunt, & præcisa, vt inter multa oppida, & plurima castella, vix duo tunc ipsis residua remanserint.

CAPVT XXXV.

De clade Brixiensium.

HISDEM diebus Brixienses, & ipsi quoq; nouis rebus studentes, comitatum Cremonensium deprædationis & latrocinandi causa ingrediuntur. Erãt quippe Mediolanensibus amicitia & societate coniuncti. Iam autẽ antea Cremonenses præmoniti à suis exploratoribus, non imparati inueniuntur, sed ex insidiis erumpentes improuisos inuadunt. Resistentes paulisper mox in fugam vertunt, prædam eripiunt, equites LXVII, pedites ferè CCC partim occidunt, partim captiuos abducunt. Imperator post vastationem hostium Laudam pergit, ibiq; Italicum exercitum dimittit, copias militum, qui de transmontanis expectabantur, ibidem præstolaturus.

CAPVT XXXVI.

Quomodo Mediolanenses contra vitam principis cum quodam consilium inierint.

AT clades quidem Mediolanensium in peius quotidie procedebant, cum in facinus magis accenderentur aduersis, & populum in vrbe fames iam acrior possideret. Non enim spe victorię maior pars eorum, sed desperatione salutis ferociùs mouebantur: nec eos videntes tot mala cœpti pœnitebat, sed cæci & amentes facti, etiam in personam Christianissimi principis ausi sunt conspirare: obliti, quòd iuxta legem eius facti, pœna animæ amissionem sustinet, & memoria rei post mortem damnatur. Itaq; quendam qui se stultum, & mente captum simularet, inueniunt, eumq; ad castra Friderici dirigunt, qui tunc apud Laudam morabatur, vt quouis modo violentas manus Imperatori iniiceret. Erat autem hic homo tam magnus corpore, tãtusq; viribus, vt non sine causa tantam audaciam concepisse videretur. Animatus itaq; multis blandimẽtis, multisq; promissionibus, ad nouum facinus, ad scelus maximum accingitur. Laudam pergit, castra ingreditur, & stultitiam seu furiam maniæ simulãs, vt id genus hominum solet, potius iocis & ludictis celebratur, quàm à tẽtoriis excludatur. Porrò tentoria Friderici tunc vicina fuerant, & penè super litus Aduæ locata, cuius loci ea facies, isq; situs erat, vt labentem ineuitabiliter, aut conuexum obrueret præcipitium, aut subterlabentis fluminis voragó esset exceptura. Præfatus ergo diem aptum & horam seruans, quando Imperatorem solum posset inuenire, vt conceptum facinus ad
Friderici Imp. periculum. effectum perduceret, quodam manè primo diluculo egredientem de cubiculo tẽtorij, vt more suo coram sanctorum reliquiis orationum suarum Deo munia persolueret, conspicatur: seq; optatum tempus ratus adeptum accurrit, sceleſtas manus iniicit, & modò trahendo, modò portando versus præcipitium contendere cœpit, potitusq; esset forsitan nefario proposito, nisi diuina miseratio ad defensionem diui principis manum extendisset. Namq; dum hoc modo ille trahendo, iste renitendo, vterq; pro viribus conaretur, accidit vt funibus quibus tabernacula suspẽduntur, implicati, ambo caderent ad terram. Iamq; vociferantis principis clamor auditus, cubicularios exciuerat, qui accurrentes sceleratum monstrum comprehendunt, & multis malis affectum, eodem loco præcipitatum dimergunt. Talis tunc de illo opinio fuerat. Nos tamen audiuimus eundem verè furiosum fuisse, & innocenter vitam perdidisse.

CAPVT XXXVII.

Quomodo Mediolanenses nouam Laudam nocte per quosdam incenderint, & de insidiis cuiusdam per toxicum.

Medio-

MEDIOLANENSES tantum se facinus frustra suscepisse dolentes, subsequenter aliud intendunt. Octo de suis precio ad cremãdam Laudam conducunt. Quorum vnus dum nocte intempesta promissum implere vellet, ac ædibus ignem iniecisset, inuenerunt eum vigiles, & comprehensum dum propositum confessus fuisset, manè facto eum patibulo contra Mediolanum erecto suspenderunt. Quidam etiam se mentitus monachum, explorator, & eorundem criminum obnoxius, simili modo vitam finiuit. Non multò pòst à quodam diuino monitore literas Imperatori allatas accepimus quendam venisse in Italiam, siue Hispanum, siue Arabem Saracenum, ætate senem, facie deformem, & luscum, discipulos vel socios penè x x habentem, malis consiliis, & arte venefica prioribus multo potentiorem, eumq; mortis contemptorem, pariter cum suis sequacibus, magnum se munus consecutos arbitrantes, si gloriam & nomen sibi perpetuum, principis sanguine comparassent. Preciosa ipsum quasi munuscula laturum, medicinas, anulos, gemmas, frena, calcaria, venenatis furfuribus circumlita, adeò violenter & efficaciter toxicata, vt mortem non euaderet Imperator, si vel manu nuda ea attigisset. Sicam quoq; latentem iuxta femur gestare, vt si quo impedimento veneni facinus non procederet, ea ad peragendum nefarium propositum vteretur. Talibus acceptis, cum perpaucis communicato consilio, venturum magum iubet obseruari. Venientem ergo, vbi certis indiciis quæ delata fuerant, princeps vera esse cognouit, hominem asseruari præcepit: & perquirens cuius hortatu ad tantum facinus esset pręcipitatus, promisit quòd vera dicenti remitteret omne supplicium, sin falsa promere maluisset, corpus eius tormentis absumeret. Ille & verbera, & quæstiones deridens, insuper comminatus est, si quid ipse mortale pateretur, Imperatorem continuò sine dubitatione secum moriturum. Sed deceptus valde est. Nã princeps minas eius contemnens, cum de sociis & auctoribus sceleris nullum ab eo potuisset extorquere documentum, tantam pestem, tantiq́ue sceleris fabricatorem, sicut meritus erat, crucis patibulo donauit. Deoq́; salutis conseruatori vberes gratias egit, quòd tam validi malefici virus & insidias declinasset.

1159. Intendiarij à Mediolanensibus subornati.

Veneficus Imperatoris vitæ insidias struens.

CAPVT XXXVIII.

De aduentu Imperatricis, & ducis Baioariæ in Italiam, ducis quoque Guelfonis.

INTEREA Beatrix Imperatrix, dux Baioariæ & Saxoniæ Henricus, Conradus Augustensis episcopus, vti decretum erat, milites scribere, properè commeatu, stipendio, armis, aliisq́; vtilibus iter incipere. Profectiq́; cum magno exercitu paucis diebus in Italiam veniunt, suoq́; aduentu nostris lætitiam, hostibus metum incutiunt. Erat enim idem princeps filius (vt suprà dictum est) Henrici ducis & Gertrudis filiæ Lotharij Imperatoris. Qui à primis cunabulis patre & matre orbatus, vbi primùm adoleuit, pollens viribus, decora facie, sed multò maximè ingenio validus, non se luxui, neque inertiæ corrumpendum, sed (vti mos Saxonum est) equitare, iaculari, cursu cũ æqualibus certare: & cùm omnes gloria anteiret, omnibus tamẽ charus esset. Eius studium (vt de quodam dicitur) modestiæ, decoris, sed maximæ seueritatis erat. Cum strenuo virtute, cum modesto pudore, cum innocente abstinentia certabat. Esse quàm videri bonus malebat. Ita quò minus appetebat gloriam, eò magis illam assequebatur. In omnibus gloriosis plurimum facere, & minimum ipse de se loqui. Is recepto ab Imperatore (vt suprà dictum est) ducatu Baioariæ, vbi naturam & mores hominum cognouit, multa cura, multo consilio, in tãtam claritudinem breui peruenerat, vt treuga per totam Baioariam firmata, bonis vehemẽter charus, malis maximo terrori esset: adeò vt absentem velut pręsentem timendo, leges pacis quas sanxerat, nemo sine pœna capitis auderet infringere. Qui cum suos milites regiis coniunxisset, in breui spacio noui veteresq́; coaluere, virtusq́; omnium facta est æqualis. Nam & non multo pòst auunculus Imperatoris, Guelfo princeps Sardiniæ, dux Spoleti, Marchio Thusciæ, & ipse nouum adducens exercitum, cum multo apparatu aduenit: suoq́ue aduentu nostris spem triumphi, aduersariis fiduciam paciscendi donauit. Ita duo viri sanguine coniunctissimi, vtpote vnus eorum alterius fratris filius, diuersis inter se virtutibus certabant. Guelfo dando, subleuando, ignoscendo: dux Henricus seueritate, & malorum

Henricus Bauariæ & Saxoniæ dux.

Guelfo Sardiniæ princeps.

1159. pernicie gloriam adeptus est. Illius facilitas, huius constantia laudabatur. Guelfo negociis amicorum intentus, sua negligere, nihil denegare quod dono dignum esset, magnas potentias affectabat, exercitum, nouum bellum exoptabat, vbi virtus enitescere posset. At dux Henricus, studiũ modestiæ decoris prætendens, non diuitiis cum diuite, neq; factione cum factioso, sed pro pacis negociis absens simul præsensq; pugnabat. Ita memoria nostra ingenti virtute, diuersis moribus fuere hi viri duo, dux Henricus, & dux Guelfo, quos quoniam res obtulerat, silentio prꝫterire non fuit consilium, quin vtriusq; naturam & mores, quantum ingenio possem, aperirem, valdeq; iocundum, vt in his duobus clarissimis viris nostra tempora suum Catonem in vno, in altero suum Cæsarem inuenissent. Redeo autem vnde digressus sum.

CAPVT XXXIX.

Hortatu Cremonensium Cremenses hostes iudicantur.

CREMONENSIVM cum Mediolano discordia perpetua vtroq; adeò vrgebat, vt hostiliter sibi inuicem incubantes, non antè manus ab armis reducendas putarent, quàm vel vna alteram prorsus absumeret, vel superior saltem inuenta superaret. Freti ergo tunc opportunitate temporis, Fridericum ad destructionem Cremæ ciuitatis hortantur, promissis XI milibus talentorum. Huius rei tali occasione sumunt exordium. Crema cùm esset de comitatu & diœcesi Cremonensium, eiusq; ecclesiæ tam in spiritualibus quàm in secularibus regenda foret arbitrio, spontanea se temeritate à suo capite abruperat, & (quod nefas erat) hostibus sociata, cum Mediolanẽsibus filia matri rebellare cœperat. Super hoc schismate conuenta coram principe, nec citatione legitima, nec vadibus quos dudum dederat, cogi poterat, vt aduersum se experientibus iudicio sisti curarent. Qua de re pro absentiæ contumacia, ac contumaci absentia contra se sententiam tristem excipiunt, hostesq; iudicantur.

Caussa belli inter Cremonam & Cremam.

Cremenses imperij hostes iudicati

CAPVT XL.

Crema obsidione cingitur, & quomodo ibidem pugnatum sit.

COLLECTA ergo valida manu Augustus, ita quòd exercitus eius eas copias, quas in obsidione Mediolani habuerat, superare videretur, partem vnam cũ Cremonensibus contra Cremam dirigit, ipse cum reliquis iterum ad depopulandos Ligures agrum Mediolanensium ingreditur, & cum militia Alemannorũ terram totam peruagatur hostilem: completumq; est & ibi illud quod dicitur: *Residuum locustæ comedit brucus, & residuum bruci comedit eruca.* At Cremonenses cum auxiliariis, & magnis copiis ad oppugnandam Cremam venientes, acriter ciuitatem obsidione vallant, summis viribus impugnant. Oppidani fortiter resistunt de muris, & ante muros equis, & ad terram validè certatur. Ibi Garnherus Marchio Anconæ magnam viri fortis in ea pugna gloriam consecutus, de nostris occiditur. Alij quoq; quãplures tam de nostris, quàm de illis ibidem aut occiduntur, aut grauiter sauciantur. Erat autem Cremę situs in loco plano & campestri, opere & manu satis liberaliter accuratus, naturę beneficio in quadam sui parte paludoso se defendens ambitu. Cæterùm præter fossata ingentia & profunda, aquis plena, duplici muro excelso circundata, omnes aditus & assultus facilè arcere valuit. Ciues ciuitatis bellatores audacissimi, & quia cum suis contubernalibus, videlicet Mediolanensibus & Brixiensibus, secundis rebus propensius vsi, in atrocitatem, insolentiam ac arrogantiam irritati. Circũuallata itaq; ciuitate, hostium excursus diligenter custodiebantur, & machinæ, aliaq; ad oppugnationem profutura sedula præparatione disponuntur.

Ioel. 1. Crema obsidione clausa.

Cremæ descriptio.

CAPVT XLI.

De legatis Senatus populiq; Romani, & de his qui ad eos missi.

CVMQVE hæc apud Cremam agerentur, nuncij de nobilioribus Romanæ vrbis ex parte Senatus, populiq; Romani ad Curiam veniunt, omni deuotione omniq; reueren-

reuerentia ſuum promittentes obſequium. Rogare ne pro iniquitate paucorum malorum & de plebe multos bonos & nobiles velit peſſundare. Se eſſe quorum occaſione acceperit, vt Imperator Vrbis & orbis nominetur. Fridericus, eò quòd in priori expeditione ſeueriùs cum illis egerat, indulgentiùs eorum accepta legatione, benignum illis dedit reſponſum: & per aliquot dies ſecum commoratos, regaliter donauit & abſoluit: mittens cùm eis legatos, Ottonem ſæpe iam dictum palatij comitem, & magiſtrum Haribertum Aquenſem præpoſitum, virum prudentem, & in negociis regni longa eruditione exercitatum: dans hoc in mandatis, vt & ea quæ cum populo Romano, ſeu de ſtabiliendo ſenatu, ſeu de recipiendo Præfecto agenda forent, terminarent, & cum Romano pontifice, ſi hoc eligeret, de prænotatis capitulis finem facerẽt, & concordiam ſtabilirent. Qui venientes ad Vrbem, cum honorificè tam à populo, quàm à Senatu recepti eſſent, interq; ipſos, & ſummum pontificem crebri nuncij mediatores dirigerentur, molientibus illis more ſuo antiquum Romanæ vrbis faſtum, regales ſe in nullo paſſi ſunt inferiores inueniri, imò & ad ſe ſæpius veniri, quàm vt illis occurrerent, obtinuerunt. 1159.

CAPVT XLII.

De his quæ ibidem, & circa Vrbem Mediolani patrata fuerint, & quomodo à Mediolanenſibus contra principem malè pugnatum eſt.

FRIDERICVS interim in Liguria degens, ordinabat vt aliquam cladem Mediolanenſibus qui omnes ad ciuitatem confugerant, ſeq; intus communierant, inferret. Itaq; cum Papienſium pugnaciſſimis conſilium iniit, vt ad ciuitatem impetum faciãt, ſeq; ab hoſtibus fugati patiantur, ipſum ex inſidiis circunuenturum perſequẽtes. Nec multum tunc opinione deceptus eſt. Mediolanenſes enim cum eorum impetum ſenſiſſent (iam enim prædam abigere cœperant) ſtrenuè eos perſequũtur, eosq; reſiſtentes acriùs cædunt. Iam parum aberat à vera fuga his qui ſimulato metu ceſſuri erant: declinauerant. n. pauliſper à loco inſidiarũ. Tum Fridericus cohortatus ſuos, à tergo, & ex improuiſo iam alacres, & penè victores hoſtes inuadit, auxilioq; ſuis, quos iam pelli acceperat, optatus aduenit. Mediolanenſes qui propè iam ſe victoriã adeptos putabant, videntes ſe circunuẽtos vndiq; à regiis equitibus, nec vllũ ſibi fugæ præſidium ſupereſſe, aduerſus omnia imparati, occidi, capi, equi atq; viri afflicti. Tũ ſpectaculum horribile campis patentibus, cum medij hoſtium nec pugnare, nec fugam inire permiſſi, ſine miſericordia cæderentur. Poſtremò omnia quà viſus erat, conſtrata ſunt telis, armis, cadaueribus, aut mortuorum, aut ad mortem ſauciatorum. Verum qui numerus occiſorum, aut eo prælio captiuorum fuerit, Auguſtus ipſe ſuis literis declarat, ſcribens ad Albertum Friſing. epiſcopum. Ait autem inter cætera: Præterea ad conſolationem tuam de præſenti ſtatu noſtro aliqua tibi ſcribimus, quia honorem imperij, & noſtram proſperitatem te diligere non dubitamus. Inter alia igitur magnificauit Dominus facere nobiſcum, & fecit. Vnde facti ſumus lætantes, & maximas Deo gratias agentes. Maximam enim multitudinem Mediolanẽſium tradidit Deus in manus noſtras, ita quòd Idus Iulij, qua data diuiſio apoſtolorum celebrari ſolet, ꝺc de fortioribus ciuitatis captiuos in vinculis abduximus, centum & ferè quinquaginta per campos & itinera viarum interfecti ſunt. De ſubmerſis verò, & de vulneratis modus non fuit, neq; numerus. Sic cum victoria ad nouam ciuitatem Laudam reuerſi fuimus.

Mediolan. ſtratagemate clade affecti.

Numerus caſorum.

CAPVT XLIII.

De obitu Adriani papæ, & ſchiſmate Romanæ eccleſiæ.

EA tempeſtate Adrianus papa in Kalend. Septembr. apud Anagniam diem clauſit extremum, & 2 Non. Septembr. in eccleſia beati Petri, præſentibus clero, ſenatu, populoq; Romano, honorificè tumulatus eſt, regalibus nunciis adhuc ibi exiſtentibus. Poſt cuius obitum cardinales in ſeditionem conuerſi, gemina electione ſcindunt vnitatem, quibuſdam eligentibus Octauianum tituli ſanctæ Ceciliæ presbyterum

Schiſma pontificum.

1159. cardinalem,cui nomen dederunt Victor: aliis Rolandum tituli ſancti Marci presbyterum cardinalem,& Romanæ eccleſiæ cancellarium,cui nomen impoſuerunt Alexander. Verùm vt huius negocij tractatus perpetua ſeu continua decurrat oratione, pauliſper alia interim proſequemur pro magnitudine cauſæ, ſuo loco his diutius immoraturi.

CAPVT XLIIII.

Quòd Imperator in propria perſona ad obſidionem Cremæ venerit, & quomodo diuerſis modis ibi pugnatum ſit.

IMPERATOR aliam parans profectionem, ad deuaſtandos fines Mediolanẽſium, cùm in partem proceſſiſſet,& pabulatores in toto territorio nec equis annonam inuenire potuiſſent,reuerſus cum toto exercitu,ad obſidionem Cremę pergit. Tum demum perituram ciuitatẽ metus inuaſit,magnaq; triſticia habitatores eius occupauit. Erant autem & intus & foris vniuerſa plena tumultus,multaq; bellica inſtrumenta & in oppido,& contra oppidum fabricabantur. Erantq; deinceps quotidiana eorum officia,hi quidem excurſus,iſti verò aſſultus moliri,magnaq; vi omnibus ibi diebus certatur. Nam ad portas vbi quiſq; principum curabat,eò acerrimè niti, neq; alius in alio magis quàm in ſe ſpem habere,pariterq; oppidani ſimiliter agere, omniaq; ad defenſanda mœnia vtilia vario ingenio præparare, diffidentiam rei diſſimulare,interdumq; proſpera fortuna,interdum dolor eorum ad multa facinora incitauit audaciam.

Arctior Cremenſis obſidio.

CAPVT XLV.

Quomodo abſente Imperatore grauiter pugnatum ſit.

QVADAM deniq; die dum exploratum fuiſſet, Fridericum pro viſenda conſorte regni imperatrice, quæ in vicino caſtro nomine Sanbaſſan morabatur, è caſtris exiſſe:ad portam quam regalis familia ſeruabat,penè cum ſexcentis erumpunt equitibus;magnoq; prælio inito,cum diu Marte pari vtrinq; nihil aliud quàm occiderent, tellus cruore manaret,noſtriq; quamuis tam pudore,quàm virtute ſumma vi reſiſtere conarentur,illud tamen efficere non potuerunt,vt hoſtium manus ea die gradum retro dediſſet:grauiter fortiterque illa die pugnatum eſt. Nam ſi credere fas eſt,riuuli campeſtres peremptorum & ſauciatorum vulneribus ſanguine infecti ac prouecti, imbre cruoris augmentum acceperunt. Veſpere facto vtrinq; diſceditur, illis intra ſepta,iſtis intra munimina muralis aggeris ſe recipientibus.

Acris pugna.

Rediens Auguſtus,cùm de pertinaci hoſtium audacia comperiſſet, indignatione ſimul & ira permotus eſt, vt qui iam penè in ſupremis ſe potiùs humiles ac ſupplices exhibere deberent,incurſiones facerent,& victores ſuos ipſi turbare non metuerent, ærumnoſa obſidione incluſi.Iam enim ſæpenumero in eruptionibus ſuis, aut machinis flammas iniicere,aut turres deſtruere,aut letali vulnere aliquos de noſtris ſauciare moliti ſunt,nullumq; ſpecimen audaciæ,aut oſtentationis fuit, quod illi futurorum ignari prætermitterent: & dum iam inclinata putaretur eorum ſuperbia, de patratis facinoribus tumidi gloriabantur. Erat autem videre miſeriam,quãdo hi qui foris,occiſorum amputatis capitibus,eis quaſi pila ludebant,& à dextra in lęuam reiectis,crudeli oſtentui &ludibrio habebant:qui verò in oppido,inhoneſtum arbitrantes ſi quid minus auderent,captiuos noſtrorum ſine miſericordia ſuper muros membratim diſcerpendo,miſerabile præbebant ſpectaculum.

Immanitatis exempla.

CAPVT XLVI.

De pœna quam princeps in captiuos eorum exercuit. Item de inſania Cremenſium.

EA calamitas pauliſper Friderico triſtitiam,&dignam indignationem comparauit. Qui vbi impetum inſanientium continere non poterat, ac fœuientium furorem reuerentia principis non cohibebat,placuit in contumaces vindictæ ſeueritatem exercere: vt quos non correxit lenitatis patientia, ſaltem indubitati ſupplicij pœna coerce-

coerceret. Iubet ergo de captiuis eorum vindictam accipere, cosq́ue pro muris iussit appendi. Contumax autem populus nimis de pari volens contendere, etiam ipse quosdam de nostris in vinculis positos, eodem modo traxit ad supplicium, cosq; cruce suspendit. 1159. *Friderici in Cremenses indignatio.*

Tum Fridericus: Etiámne perituri contra nos ipsa vos nostra excitauit humanitas, & lenitate nostra vobis aluistis audaciam? Iam quidem vobis pugnantibus aliquandiu pepercimus, captiuos vestros miserati fuimus, vadibus nostris fidem seruauimus, inuiti muris vestris machinas admouimus, semper cædis vestræ cupidos milites continuimus. Ista omnia spernitis, & nefaria temeritate nos ad excidium vestrum, ad interitum filiorum, seu nepotum vestrorum prouocatis. Vtar ego iam deinceps belli legibus, contendam cum pertinacia vestra minimè parcens, qui vobis ipsis parcere noluistis.

Hæc dicens vehementer iratus, quòd in sorte captiuorum constituti, æquales cum victoribus conditiones sibi ponerent, voce præconis declarari iussit, ne vlterius ad se profugerent, néve fidem sperarent: nulli enim esse parcendum, cunctis autem viribus dimicarent, quantum possent saluti suæ consulerent: iam enim se omnia iure belli gesturum. Itaq; obsides eorum numero XL. adduci iubet vt suspendantur. Tum interim adducuntur captiui quidam de nobilibus Mediolanensium sex milites, qui deprehensi fuerant, vbi cum Placentinis perfida miscebant colloquia: nam (vt suprà dictum est) Placentia principi etiam tunc ficta deuotione, & simulata adhærebat obedientia. Erat autem vnus de captiuis qui ducebantur, nepos præsulis Mediolanensis, vir diues, & cuius consilio Ligures vniuersi plurimùm niterentur. Hos quoque, contempta multa pollicitatione pecuniæ, duci iubet ad supplicium, similisque his qui & prioribus vitæ finis extitit.

CAPVT XLVII.

De varia illorum miseria, & miserabili eorum conquestione.

IAMQVE ad ciuitatis perniciem machinę plurimę admouebantur, iam turres in altum extructæ applicari cœperant. Tum illi summa vi atq; pertinacia resistere, atq; à muris turres arcere, suisq; instrumentis validis saxorum ictibus nostras machinas impellere. Effrenatis verò animis princeps obsistendum putans, obsides eorum machinis alligatos, ad eorum tormenta (quæ vulgò *mangas* vocant, & intra ciuitatē nouem habebantur) decreuit obijciendos. Seditiosi, quod etiam apud barbaros incognitum, & dictu quidē horrendum, auditu verò incredibile, non minus crebris ictibus turres impellebant: neq; eos sanguinis & naturalis vinculi communio, neq; ætatis mouebat miseratio. Sicq; aliquot ex pueris lapidibus icti, miserabiliter interierunt. Alij miserabilius adhuc viui supestites, crudelissimam necem, & dirę calamitatis horrorem penduli expectabant. O facinus. Videres illinc liberos machinis annexos, parentes implorare, crudelitatem & immanitatē aut verbis, aut nutibus obiectare, econtrà infelices patres pro infausta prole lamentari, sese miserrimos clamare, nec tamen ab impulsionibus cessare. Consolatus est autem eos etiam aliquis eorum, ita dicens: *Cremensiū extrema contuma-cia.*

O beati quibus mori bene, quàm malè viuere continget: ne timeatis mori, qui magna mala morte effugituri estis. Si viri fortes pro libertate certantes essemus, non oporteret nos quoq; super hoc aut cunctari, aut expectare monitorem. Nam mors quidem libertatem animis præstat, valdeq; beati qui pro patria mortui, immortalitatis ordinem iam receperunt. Quàm multi nostrorum antecessorum hac lege, taliq́ue conditione, alij torti, tamq; igne quàm verberibus excruciati, obierunt: alij verò semesi à bestijs, ad secundum eorum cibum viui seruati sunt. Miseriores nos vobis sumus, qui adhuc viuimus, qui sæpe mortem optantes non accipimus. Dum enim quisque nostrorum secum reputans crudelem seu barbarorum, seu gentilium suorum seruitutem, videre coniuges ad turpitudinem duci, alius reuinctis manibus, vocē filij patrem implorantis exaudiet: alius verò infelices senes ad cineres patriæ videbit assidere. Hæc, inquam, quisquam nostrorum considerans, aspicere Solem durabit, etiāsi viuere absq; periculo possit? O vtinam omnes fuissemus mortui, priusquam ciuitatem nostram Cremonensium manibus videremus excindi: priusquam patriam sanctam Papiensium impietate funditùs erui conspiceremus.

1159. Adhuc eum orare cupientem omnes interpellebant, & effrenato quodam impetu ad iaciendum incitabãtur: hoc ſpeciem eſſe fortitudinis, rectiq; conſilij exiſtimantes, hoſtibus ſtuporem mentis, admirationemq; audaciæ relinquere. Pauci quidem rationi cedentes, filijs conſulere voluiſſent: alios autem liberorum cædis amor inuaſit, malorum quæ ſubditi hoſtibus paſſuri fuerant, cogitationem habentes pro ſolatio neceſſitatis accedere. Et Crema tunc temporis taliter affecta, ſeu potius afflicta fuerat.

CAPVT XLVIII.

Quomodo Mediolanenſes de obſidione cuiuſdam caſtri fugati ſunt.

AT Mediolanenſes arbitrantes Fridericum circa obſidionem Cremæ ſollicitum, alijs laborantibus non poſſe ſuccurrere, egreſſi cum turmis ſuis penè XXX milia hominum, oppidum quoddam verſus lacum Cumanum, Manerbe vocatum, obſidione cingunt, aggeres inſtruunt, machinas admouent, omnibusq; modis euerſionẽ caſtri accelerare nituntur. Verùm comes Goſuuinus, qui tunc comitatum Seprenenſem & Martuſanum iuſſus à principe, ſatis prouidè adminiſtrabat, miſſos ſuos ad Curiam dirigit, hoſtiumq; conamen denunciauit, quid facto ſit opus conſulit: ſe quoque copias quantas poſſit collecturum, ſi ab exercitu aliquod ſibi militiæ ſupplementum deſtinetur. Imperator continuò quingentos equites armatos eò dirigere decernit. Comes etiam de ſuis colligens auxilia, non modicum coadunauit exercitum. Iamq; compoſitis rebus, Mediolanenſibus ſe oſtendere, minitari, neq; prælium facere, neque otium pati, tantummodo hoſtem ab incepto retinere, neq; copiam pugnandi facere, donec qui è caſtris expectabatur miles ſuperueniret. Rati Ligures, id quod negocium poſcebat, Imperatorem laborantibus ſuis auxilio venturum, & indubitatum prælium futurum, obſidionem dimittunt, fugamq; ineuntes ad ciuitatem euadere feſtinant. Comes vt videt eos iam fugam cepiſſe, magna illos vi à tergo vrget, fugientibus inſtat, cædit, capit, copioſam prædam diripit: reliqui amiſſis omnibus profugi, multiq; ſaucij, vix intra ciuitatem reuertuntur.

Minerbium oppidum.

CAPVT XLIX.

Quomodo Placentini perfidia ſua hoſtes pronunciati ſunt.

INTER hæc Placentini multis argumentis detecti ſunt, ſtudio rerum nouandarum niti cum Mediolanenſibus inire conciliabula, frumentum, aliaq; victui neceſſaria clanculum illis prouidere, quinetiam aliquos de ſuis Cremenſibus in auxilium deſtinaſſe. Imperator ſatius exiſtimans habere detectos inimicos, quàm fictos amicos, pro eo quod vt dicitur, *Nulla peſtis efficacior ad nocendum, quàm familiaris inimicus*, eoſdem pro perfidia ſua, vt leuiſſimos, nec in hac, nec in illa parte fidem debitam habentes, hoſtes pronunciat.

Placentini hoſtes declarati.

Verùm res exigit, vt ad ſchiſma Romanæ eccleſiæ, vnde digreſſi ſumus, ſcribendo redeamus. Porrò in hoc negocio lectorem admonitum eſſe cupimus, vt non de noſtro dicto vel ſcripto veritatem huius rei metiatur, ſed quid rectius ſit, quisve (vt ita dixerim) iuſtiùs induit arma, ex collatione omnium ſcriptorum, quæ vndiq; media diſcurrere, proprio diſquirat iudicio. Nos enim ſi alterutrius partis res vel attolleremus, vel extenuaremus, à propoſito decidere videremur. Nec vtiq; ſanum eſſet corpus reliquum hiſtoriæ, ſi hanc partem velut principale membrum domeſtici fauoris morbus haberet.

CAPVT L.

Recapitulatio de ſchiſmate Romanæ eccleſiæ, & quando vnus conſecratus ſit, & de hoc epiſtola eius.

DIVISIS, vt ſuprà dictum eſt, in electione Romani pontificis cardinalibus clero ac populo Romano, cùm à ſuis conſentaneis & ſequacibus alter, id eſt, Octauianus in prima dominica menſis Octobris: alter, id eſt Rolandus, in XVIII die menſis Septemb. in epiſcopum conſecratus fuiſſet, vterq; literas, quarum tenor ſubiectus eſt, ad declarandam rem per mundi partes deſtinauit.

Victor

Victor ſeruus ſeruorum Dei, venerabilibus fratribus Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & charißimis filijs Abbatibus, Ducibus, Marthionibus, Comitibus, & cæteris principibus, & egregiæ familiæ imperiali, in ſacratißima Curia domini Friderici, ſereniſſimi ac inuictiſſimi Romanorum Imperatoris commorantibus, Salutem & apoſtolicam benedictionem. 1159.

Quàm & in quantum & eccleſiaſtici ſtatus decorem, & honorem Romani imperij, & nobilitatem omnium bonorum hactenus ſincerè dilexerimus, & quæ mutuę charitates ſint inuicem frequenter exhibitæ, nequaquam credimus à veſtræ magnitudinis excidiſſe memoria. Nunc autem tantò propenſioris dilectionis efficaciam vobis & imperio cupimus exhibere, quanto Deo auctore ad maiorem conſcendimus dignitatem. Quapropter vniuerſitatem veſtram, de qua plenè confidimus, plurimùm deprecamur, vt pro beati Petri apoſtolorum principis reuerentia, & antiquæ dilectionis conſtantia, quæ inter nos inuiolabiliter perſeuerare dinoſcitur, dominum Imperatorem inuictiſſimum commonendo rogetis, quatenus imperio ſibi à diuina clementia commiſſo, & eccleſiæ Dei, ſponſæ Ieſu Chriſti, cuius aduocatus & defenſor diuinitùs eſt conſtitutus, prouidere & ſubuenire non tardet, ne in tanta diſcordia aduerſariorum malitia nequiter prævalere, nauicula beati Petri procellis & tempeſtatibus ſuo tempore quaſſari, & decus imperiale valeat aliquatenus obnubilari. Inſuper vniuerſitati veſtræ dignum duximus intimandum, qualiter ad apoſtolatus officium Domino concedente vocati fuerimus. Felicis memoriæ papa Adriano prædeceſſore noſtro viam vniuerſæ carnis ingreſſo, in beati Petri baſilica tumulato, conuenimus omnes de electione ſummi pontificis tractaturi. Poſt longam verò collationem & diutinam deliberationem, diuina tandem inſpirante clementia, electione venerabilium fratrum noſtrorum epiſcoporum, presbyterorum ſanctę Romanę eccleſiæ cardinalium, cleri quoq; Romani petitione, eiuſdem populi aſſenſu, etiam ſenatorię dignitatis honoratorum, inſuper capitaneorum, ad ſummum pontificatũ, annuente Deo, canonicè ſumus electi, & in ſede apoſtolica collocati, ac deinde prima dominica menſis Octobris benedictionis conſecrationẽ, & noſtri officij accepimus plenitudinem. Quocirca vniuerſitatem veſtram humiliter deprecamur, quatenus nos apud ipſum precib. adiuuetis, à quo omnis eſt poteſtas & honor dignitatum. Si autem ex parte illius Rolandi quondam cancellarij, per conſpirationem & coniurationem contra eccleſiam Dei & imperiũ, Wilhelmo Siculo aſtricti, qui die XII. poſt electionem noſtrã ſe fecit intrudi, quod à ſeculis non eſt auditum, ad vos ſcripta peruenerint, tanquam mendacio plena, & à ſchiſmatico & hæretico deſtinata reſpuatis, & aures veſtras nequaquam illis vllatenus præbeatis. Data Signiæ, v. Kalend. Nouembris.

Victor ſuæ electionis ſeriem narrat.

Petit ſe Imperator commendari.

CAPVT LI.

Quando Rolandus conſecratus ſit, & de hoc epiſtola eius pro ſua parte.

Alexander epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, venerabili fratri Gerardo Epiſcopo, & dilectis filijs Canonicis Bononienſis eccleſiæ, & legis doctoribus, cæterisq; magiſtris Bononiæ commorantibus, Salutem & apoſtolicam benedictionem.

Æterna & incommutabilis prouidentia conditoris, ſanctam & immaculatam eccleſiam à ſuæ fundationis exordio, ea ratione voluit & ordine gubernari, vt vnus ei paſtor & inſtitutor exiſteret, cui vniuerſi eccleſiarum prælati abſq; repugnantia ſubiacerent, & membra tanquam ſuo capiti cohærentia, ei ſe mirabili quadam vnitate coniungerent, & ab ipſo nullatenus diſſiderent. Qui verò apoſtolis ſuis pro eorum fidei firmitate promiſit dicens, *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſq; ad conſummationem ſeculi*, ille proculdubio eccleſiam ſuam, cuius ipſi Apoſtoli magiſterium aſſumpſerunt, ſua promiſſione fraudari nullo modo patietur, ſed eam in ſuo ſtatu & ordine, licet ad inſtar nauiculæ Petri fluctuare aliquando videatur, perpetuò faciet permanere. Vnde & quamuis hoc tempore tres falſi fratres, qui à nobis quidem exierunt, ſed non fuerunt de nobis, transfigurantes ſe in angelos lucis, cùm ſint ſatanæ, inconſutilem Chriſti tunicam, quam vtique ipſe quidem, ex perſona Pſalmographi, à leo-

Matth. 28.

1159. nibus petit & à framea erui, & de manu canis orat ac postulat liberari, scindere & laniare laborent: Christus tamen auctor & caput ecclesiæ, eam velut vnicam sponsam suam prouida gubernatione tuetur, & nauem egregij piscatoris, licet sæpius quatiatur, à fluctibus non permittit naufragium sustinere. Porrò cum antecessor noster bonæ memoriæ Adrianus Papa Kal. Septemb. Anagniæ debitum naturæ soluisset, & de terris ad cœlum, de imis migrasset, Domino vocante, ad superna, eo Romam adducto, & 11. Non. Septemb. in ecclesia beati Petri, præsentibus ferè omnibus fratribus satis honestè (sicut moris est) tumulato: cœperunt fratres & nos cum eis secundum ecclesiæ consuetudinem, de substituendo pontifice in eadem ecclesia studiosiùs cogitare, & tribus diebus de ipsa electione tractantes, tandem in personam nostram, insufficientem huic oneri, & tantæ dignitatis fastigio minimè congruentem, omnes quotquot fuerunt, tribus tantùm exceptis, Octauiano scilicet, Ioanne de S. Martino, & Guidone Cremense (Deo teste, quia mendacium non fingimus, sed meram sicut est loquimur veritatem) concorditer atq; vnanimiter conuenerunt, & nos assentiente clero ac populo in Romanum pontificem elegerunt. Duo verò, Ioannes & Guido, quos prænotauimus, tertium Octauianum nominantes, ad eius electionem pertinaciter intendebant. Vnde & ipse Octauianus in tantam audaciam, insaniamq; prorupit, quòd mantum, quo nos reluctantes & renitentes, quia nostram insufficientiam videbamus, iuxta morem ecclesiæ, Odo prior diaconorum induerat, tanquam arreptitius à collo nostro proprijs manibus violenter excussit, & secum inter tumultuosos fremitus asportauit. Cæterùm cum quidam de senatoribus tantum facinus inspexissent, vnus ex eis spiritu diuino succesus, mantum ipsum de manu eripuit sequentis. Ipse verè ad quendam capellanum suum, qui ad hoc instructus venerat, & paratus, ilicò flammeos oculos fremebundus inflexit, clamans & innuens, vt mantum quem fraudulenter secum portauerat, festinanter afferret. Quo vtiq; sine mora delato, idem Octauianus abstracto pileo, & capite inclinato, cunctis fratribus, aut loco inde aut voluntate remotis, mantum per manus eiusdem capellani, & cuiusdam clerici sui ambitiosus assumpsit, & ipse idem, quia non erat alius in hoc opere capellano & clerico extitit coadiutor. Verùm ex diuino credimus iudicio contigisse, quòd ea pars manti quæ tegere anteriora debuerat, multis videntibus & ridentibus posteriora tegebat. Et cùm ipse idem hoc emẽdare studiosiùs voluisset, quia capitium manti extra se raptus non poterat inuenire, collo fimbrias circumduxit, vt saltem mantus ipse appensus ei quodammodo videretur. Sicq; factum est, vt sicut tortæ mentis erat, & intentionis obliquæ, ita ex transuerso & obliquo mantum fuerit in testimonium suæ damnationis indutus. Quo facto, portæ ecclesiæ, quæ firmatæ fuerant, reserantur, & armatorũ cunei, quos (sicut ex re apparuit) pecuniæ largitione conduxerat, euaginatis gladijs cum immenso strepitu cucurrerunt, & pestis illa morifera, quia cardinales episcopos non habebat, armatorum caterua militum vallabatur. Fratres verò facinus tam immensum, & à seculis non auditum ex insperato videntes, & formidantes, ne a conductitijs militibus trucidarentur, sese in munitionem ecclesiæ nobiscum pariter receperunt: ibiq; nouem diebus continuis, ne exinde liberè exiremus, fecit nos quorundam senatorum assensu, quos pecunia oblata corruperat, die noctuq; armata manu cum omni diligentia custodiri. Sanè populo incessanter & iugiter acclamante, & in senatores pro tanta impietate multa immanitate frementes, de custodia fuimus illius munitionis erepti, sed in artiori & tutiori loco apud Transtyberim nos idem senatores, recepta inde pecunia, posuerunt. Cumq; moram ibidem fermè per triduum fecissemus, vniuerso populo tantam proditionem, atque malitiam de cætero nullatenus sustinente, senatores cum nobilibus & populo venientes, nos & fratres nostros per vrbem magnificè & honorificè cum immensis laudibus & præconijs, campanis etiam in transitu nostro pulsantibus, conduxerunt, & sic tandem à violentia persequentis erepti, & nostræ redditi libertati, sequenti die dominico venerabilibus fratribus nostris Gregorio Sabinensi, Hubaldo Hostiensi, Bernhardo, Walthero, Iulio & B. episcopis, cardinalibus quoque, abbatibus, prioribus, iudicibus, aduocatis, scriniarijs, primicerio, & schola cantorum, nobilibus etiam, & quadam parte de populo vrbis, apud Nimpham, non longè ab vrbe insimul congregatis, munus consecrationis acce-

Electio Alexandri.

Raptum chlamydis Pontificæ Victor simpingit.

Alexandri consecratio.

accepimus,& ſicut in Romana eccleſia moris eſt,ibidem pontificali regno magnificè fuimus ac ſolenniter coronati. Cæterùm prædictus Octauianus cum pro conſecratione,imò execratione ſua, dum & in vrbe eſſet, & poſtquam latenter vrbem exiuit, multos epiſcopos conuocaſſet,nullum prorſus præter vnum Ferentinatem videlicet epiſcopum,habere potuit, pro ſua temeritate & veſania confirmanda. Quoſdam tamen epiſcopos imperialibus minis,quoſdam violẽtia laicali, quoſdam verò pecunijs & blanditijs allicere voluit: ſed nil, Domino impediente, profecit. Vnde nec adhuc inuenire poteſt,licet omnibus modis enitatur,qui ei manus execrationis imponat, & ſe tantæ faciat præſumptionis & impietatis auctorem. Verùm memorati Ioannes & Guido,cæcitatis tenebris obuoluti, quoniam ſcriptum eſt: *Peccator cùm venerit in profundum malorum,contemnet*,nec ſic à ſua præſumptione damnabili reſipiſcũt,ſed eundem Octauianum, quem ſibi in ſtatuam erexerunt, obſtinata perfidia venerantur, & cum relicta vnitate eccleſiæ præſumunt vſque adhuc tanquam idolum aut ſimulacrum adorare. Ipſe autem Antichriſti tempora præfigurans, vſque adeò erectus eſt ſupra ſe,vt etiam in templo Dei ſederit, oſtendens ſe tanquam ſit Deus, & multi abominationem deſolationis ſtantem in loco ſancto, non ſine multa lachrymarum effuſione,corporeis oculis inſpexerunt. Sanè nos infirmitatem noſtram, & virtutum indigentiam cognoſcentes,noſtrum in dominum iactamus cogitatum, ſperantes & de Chriſti miſericordia pleniùs confidentes,quòd eccleſiam ſanctam ſuam,pro qua ipſe idem in ſubſtantia noſtræ mortalitatis apparuit, vt eam ſibi non habentem rugam aut maculam exhiberet,optata faciet in tranquillitate lætari,& procellarum omnium inundatione ſedata,nihil erit quod iam ei poſſit obſiſtere,vbi vnicus eius ſponſus voluerit nubiloſa quæq; & noxia propulſare. Nunc igitur quia nos de noſtrorum meritorum qualitate diffidimus, & de honeſtate & religione veſtra plenam habemus fiduciam,veſtris & vniuerſalis eccleſiæ precibus infirmitatem noſtram petimus adiuuari: charitatem veſtram per apoſtolica ſcripta rogantes, & commonẽtes attentiùs, vt ſicut viri catholici vos pro domo domini muros inexpugnabiles opponatis, & in deuotione ac fidelitate matris veſtræ ſacroſanctæ Romanæ eccleſiæ immobiliter perſiſtentes,ab eius vnitate nullatenus recedatis. Quòd ſi præfatus vir impietatis,ad partes veſtras aliqua damnationis ſuæ ſcripta tranſmiſerit,ea,ſicut reſpuenda ſunt, reſpuatis, & tanquam vana ac ſacrilega contemnere & abijcere ſtudeatis. Nouerit inſuper diſcretio veſtra,quòd nos ſupranominatum Octauianum, apoſtaticum & ſchiſmaticum in octauo die à conſecratione noſtra (hunc enim terminum ei reſipiſcendi, & ad vnitatem matris eccleſiæ redeundi,præfiximus)tanquam inobedientem & contumacem, & illos qui ei manus præſumerent, non dicimus conſecrationis, ſed execrationis imponere, & de communi fratrum noſtrorum epiſcoporum & cardinalium voluntate atque conſilio, accenſis candelis, & cœtu clericorum in eccleſia congregato, vinculo anathematis & excommunicationis aſtrinximus, & eos cum ſuo auctore diabolo condemnauimus.

1159.

Prouer. 18.

Perit, & ſe Pontificem agnoſcant, Victoré deteſtentur.

CAPVT LII.

Epiſtola cardinalium vnius partis.

Venerabilibus in Chriſto fratribus, Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, Ducibus, Principibus, Præpoſitis, Prioribus, & cæteris eccleſiarum prælatis, ad quos literæ iſtæ peruenerint, Ymarus Tuſculanus epiſcopus prior epiſcoporum, Ioannes tit. S. Sylueſtri & Martini, Guido Cremenſis tit. S. Caliſti, ſanctæ Romanæ eccleſiæ presbyteri cardinales, Rimundus diaconus cardinalis S. Mariæ in via lata, & Sy. S. Mariæ in Dominica, & Sublacenſis abbas, perpetuam in Domino ſalutem.

Ex quo contra honorem eccleſiæ Dei & Imperij amicitia inter dominum Papam Adrianum, & Wilhelmum Siculum apud Beneuentum facta eſt,diſſenſio & diſcordia non modica inter cardinales ſacroſanctæ Romanæ eccleſiæ non ſine cauſa obortа eſt,nobis ſcilicet,qui honorem & dignitatem ſanctę Dei eccleſiæ,& imperij nullatenus diminui volebamus, amicitię quæ facta fuerat in detrimentum eccleſiæ & im-

1159. perij, nequaquam consentientibus: alijs verò qui pecunia & multis promissionibus
Corrupts à Siculo cardinales. obcœcati, iam dicto Siculo tenebantur astricti, conuentionem ipsam taliter (vt diximus) fabricatam, nequiter defendentibus, & quàm plures in partem sui erroris attrahentibus, nostro conatui & voluntati totis viribus pertinaciter resistentibus. Proinde procedente tempore cùm iam fama ferret Imperatorem Italiã intrasse, & plurimam
Idem Cæsar insidias struentes. eius partem suæ potestati subiugasse, prędicti fratres Siculo astricti, dominum Papam solicitare ac circumuenire omni sagacitate cœperunt, qualiter aliqua occasione assumpta dominus Imperator, & omnes sequaces eius excommunicationi subderentur, & nos ad id faciendum vnà cum eis iuramento astringeremur. Nos autem econtrà diximus, potiùs Siculum excommunicandum, qui omnia iura ecclesiæ tam spiritualia, quàm temporalia violenter abstulerat, quàm Imperatorem, qui ecclesiæ Romanæ & imperij iura fideliter laborabat recuperare, & ecclesiam de seruitute ad libertatem reducere. Hoc audientes fautores Siculi, à iam dicto consilio cum rubore siluerunt. Eo igitur consilio, nostro studio, & exacta diligentia taliter cassato, & exinde venerabili fratre nostro Octauiano, tunc sanctæ Romanę ecclesiæ presbytero cardinali, nunc apostolicæ sedis pontifice, vnà cum fratre Wilhelmo presbytero cardinali S. Petri ad vincula, ad imperialem celsitudinem legationem fungente: dominus Papa cùm sibi consentientibus supradicti Wilhelmi fautoribus vrbem egressus, Anagniam venit. Vbi tunc demum manifesta conspiratione omnes præfati Wilhelmi fautores in præsentia domini Papæ sacramento firmauerunt, personam Imperatoris excommunicationi subijciendam, & ex tunc in antea eius honori & voluntati vsque ad mortem immutabiliter contraire: & si contingeret dominum Papam vita decedere, neminem se nisi de illis qui coniurauerant, in pontificem eligere. Circumpositos insuper episcopos, ne alicui electo in quem Siculi secta consentiret, in consecratione manus imponerent, iuramento nihilominus constrinxerunt. Postmodum iam sæpedicto patre nostro Adriano Anagniæ Kalend. Septemb. defuncto, omnes illuc conuenimus: & cùm de corpore siue ibidem tumulando, siue Romam deferendo, non parua contentio oriretur, tandem Romam corpore deportato, prius in verbo veritatis tale pactum vnanimiter fecimus, & scripto mandauimus, quale nunc sequitur:
Conuentio Cardinalium super electione noui Pont. In nomine domini amen. Conuenerunt episcopi, presbyteri, diaconi, cardinales sanctæ Romanę ecclesiæ, & promiserunt sibi inuicem in verbo veritatis, quod de electione futuri pontificis tractabunt secundum consuetudinem istius ecclesię, scilicet quòd segregentur aliquæ personæ de eisdem fratribus, qui audiant voluntatẽ singulorum, & diligenter inquirant, & fideliter describant, & si Deus dederit quòd concorditer possimus conuenire, bene: sin autem, nullus procedat sine communi cõsensu, & hoc obseruetur sine fraude, & malo ingenio. Tali pacto in verbo veritatis firmato, post humatum corpus in ecclesia beati Petri, ad eligendum pontificem conuenimus: & iuxta prædictam consuetudinem personas, quæ singulorum voluntates diligenter inquirerent, & audirent ac describerent, segregauimus. Sed cùm propter conspirationem aduersæ partis electio lentè procederet, tertia die ferè transacta, ad hoc tandem deuentum est, quòd XIIII. cardinales ex aduerso, qui sacramento constricti tenebantur: Rolandum cancellarium nominauerunt. Nos autem IX numero, qui nefandi iuramenti exortes eramus, venerabilem fratrem nostrum Octauianum presbyterum cardinalem, virum vtiq; honestum & religiosum, ad regimen apostolicæ sedis, & ad concordiæ & pacis vnitatem inter ecclesiam & imperium reformandã ac conseruandam dignum & vtilem esse cognoscentes, elegimus. Cùm res taliter ageretur, & partem contrariam pactum quod in verbo veritatis firmatum fuerat, penitùs transgredi volentem sentiremus: pactum supradictum illis ad memoriam reducentes, auctoritate Dei omnipotentis, & omnium sanctorum, atq; nostra, eis penitùs interdiximus, ne absq; communi consensu omnium, sicut in pactione continetur, vllatenus aliquem inmutarent: & Rolandum cancellarium eadem auctoritate ne susciperet, nihilominus prohibuimus. Qui dum verba & ammonitiones nostras vilipenderent, & Rolandum cancellarium manto festinarent induere, nondum tamen illo induto: nos illorum malitiæ potiùs contraire quàm consentire volentes, & quod malè conabantur, minimè permittentes, ad petitionem populi Romani, electione vniuersi cleri, assen-

assensu etiam totius ferè senatus,& omnium capitaneorum,baronum,nobilium,tam infra vrbem quàm extra vrbem habitantium, nostrum electum manto induimus,& intronizatum in sede beati Petri collocauimus, inde ad palatium eiusdem, acclamãte vniuerso populo, hymnum Deo decantante clero, & omnibus solenniter adimpletis,honorificè deduximus. Aduersæ verò partis cardinales retrocedentes,in castrum beati Petri se contulerunt,ibiq; per dies octo,& amplius inclusi permanserunt. Inde postmodum per senatores educti, extra vrbem secesserunt,& x i i posteà die, quod à seculo non est auditum,in castro nomine Cisterna,intra Aritiam & Terracinam,Rolandum cancellariũ immantauerunt,& in sequenti dominica execrauerunt: ac continuò mittentes nuncios per vniuersam Italiam, episcopis,ne ad consecrationem nostri electi venirent, penitùs dissuaserunt, minantes illis excommunicationem & depositionem in perpetuum. Qui tamen in prima dominica mensis Octobris, auctoritate Dei honorificè cõsecratus est. Rem qualiter facta est, vestræ fraternitati insinuauimus,nihil præter veritatem adnectentes, teste Deo, qui falli non potest,& si angelus de cœlo aliud euangelizaret,à veritate penitùs aberraret. Veruntamen multa quę facta sunt omittentes, ista prout breuius possumus, vobis significamus, ne prolixiore pagina aures vestras oneraremus. Hæc itaq; animaduertat vestra fraternitas,quam deuotissimè obsecramus,& admonemus,& modis omnibus quibus possumus exhortamur in domino, quatenus neq; per sermonem, neque per epistolam à vestro sensu moueamini, sed in veritate nobiscum firmi & immobiles permaneatis. 1159.

CAPVT LIII.

Item epistola cardinalium alterius partis.

Friderico Dei gratia, glorioso, illustri, magnifico & sublimi Romanorum Imperatori, Gregorius Sabinensis, Hubaldus Hostiensis, Iulius Prænestinus, Bernardus Portuensis, Waltherus Albanensis episcopi: Hubertus tit. S. Priscæ, Ioannes tit. sanctorum Ioannis & Pauli, Henricus tit. S. Nerei & Achillei, Ildebertus tit. basilicæ XII apostolorum, Ioannes tit. S. Anastasiæ, Bonadies tit. S. Chrysogoni, Albertus tit. S. Laurentij in Lucina, & Wilhelmus tit. S. Petri ad vincula presbyteri, Oddo S. Gregorij ad velum aureum, Rom. S. Luciæ in septa solis, Iacinctus S. Mariæ in Cosmidin, Oddo S. Nicolai in carcere Tullii, Arde. S. Theodorici, Bo. sanctorum Cosmæ & Damiani, C. S. Adriani P. S. Eustachii, & Io. diaconi cardinales, voluntate & spiritu in domino congregati, Salutem, & gloriosam de inimicis victoriam.

Quanto excellentiæ vestræ maior à Deo collata est & attributa potestas,& quanto sublimiorem inter mortales dignitatis locum constat vos obtinere, tantò amplius imperialem cõuenit maiestatẽ, sacrosanctam Rom. ecclesiam specialẽ & vnicam matrem vestram, in omnibus honorare, & ei semper, & præsertim necessitatis tempore salubriter atque vtiliter prouidere. Quid autem diebus istis in eadem ecclesia Romana contigerit,& quàm inauditum facinus ab his quos filios reputabat, aliquantis diebus transactis fuerit perpetratum, dignum, imò dignissimum est nos imperiali celsitudini nostris literis aperire. Nuper siquidem cùm dominus noster, bonæ memoriæ Adrianus Papa, Kalend. Septemb. apud Anagniam debitum naturæ soluisset, & de terris ad cœlum,de imis migrasset vocante Domino ad superna, tres falsi fratres, Octauianus scilicet, & Ioannes de sancto Martino, & Guido Cremensis, qui à nobis quidem exierunt, sed non fuerunt de nobis, transfigurantes se in angelos lucis, cùm sint satanæ, &c.

Et infrà, Ad hæc nouerit sublimis gratia vestra, quòd Otto Palatinus comes, occasione de intrusione Octauiani susceptа, præfatum dominum nostrum, & nos omnes plurimùm infestauit, & ecclesiam Dei nisus est scindere, & multipliciter absq; rationabili causa turbare. Campaniam siquidem, & patrimonium beati Petri cum intruso & apostatico Octauiano violenter intrauit, & terram ipsam studuit ei quibuscunque modis subiugare. Nos itaque,& tota ecclesia Dei nobiscum maiestatem vestram suppliciter exoramus, vt tam violenta intrusione ita sicut est intellecta, & diligenter inspecta,qualiter vobis ad salutem animæ vestræ,& honorem imperij super tanto ne- *Petunt, vt Imperator Alexandri partes suscipiat.*

1159. gocio sit procedendum, diligenter attendatis. Considerate & aduertite, qualiter circa sacrosanctam Romanam ecclesiam, & circa vnicum sponsum eius dominum nostrum Iesum Christum, sine quo nec regnum potest aliquis obtinere terrenum, nec acquirere sempiternum, oporteat vos habere, & qualiter eam ab impugnatoribus & præsertim ab schismaticis & hæreticis, ex imperialis officio dignitatis protegere debeatis modis omnibus, ac tueri. Nos si quidem vos sicut specialem defensorem & patronum ecclesiæ Romanę modis omnibus honorare intendimus, atque ad augmentum gloriæ vestræ, quibus modis possumus, cum Deo aspiramus. Rogamus autem, & instantius supplicamus, vt matrem vestram sanctam Romanam ecclesiam diligatis, & honoretis, & ad pacem, & tranquillitatem ipsius, quibus modis imperialem cõ- 10
uenit excellentiam, intendatis, & tantam præfati inuasoris atq; schismatici iniquitatem nullatenus foueatis.

CAPVT LIIII.

Quòd pro terminando schismate princeps ad se vtrasq; partes inuitauit.

FRIDERICVS ancipiti malo noui schismatis permotus, consilio principum decreuit dare operam, ne quid exinde seu status ecclesiæ, seu resp. Imperij detrimenti caperet. Audiens itaq; vtrumq; electum in episcopatus ordinem consecratum, alterum ab altero excommunicationis sententia condemnatum, sine iudicio ecclesiæ controuersiam terminari posse non putauit. Auctoritatem autem congregandi con- 20
cilij, exemplo antiquorum Imperatorum, verbi causa, Iustiniani, Theodosij, Caroli, sibi congruere putans, litisq; decisionem legitimam esse non posse, nisi partibus hinc inde congregatis considerans, ad citationem amborum, venerabiles viros, & prudentes, Danielem Pragensem, & Hermannum Verdensem episcopos dirigit, cum literis, quarum exemplar hoc est.

Antipapa ad litis cognitionem à Friderico euocati.

CAPVT LV.

Epistola Imperatoris ad Rolandum, & cæteros cardinales de hoc.

Fridericus Dei gratia Romanorum Imperator, & semper Augustus, Rolando cancellario, cæterisq; cardinalibus, qui eum elegerunt Romanum pontificem, Salutem, & omne bonum. 30

Quoniam diuina præordinante clementia, Romani imperij gubernacula suscepimus, oportet vt in omnibus vijs nostris ipsius legem custodiamus, cuius munere, cuius voluntate dignitatis nostræ apicem adepti sumus. In hoc itaq; sacratissimo proposito constituti, cum omnibus ecclesijs in imperio nostro constitutis debeamus patrocinari, sacrosanctæ Romanę ecclesię tantò propensiùs debemus prouidere, quantò ipsius cura & defensio à diuina prouidẽtia creditur nobis esse commissa specialiùs. Ea propter de discordia, quę in substituendo Romanum pontificem inter vos suborta est, plurimùm dolemus, timẽtes ne occasione huius schismatis ecclesia Christi san- 40
guine redempta debeat dilacerari, præsertim cùm robur ecclesiæ foris titubare videatur, quoniam vnitas ipsius scissura domestica interius dilaniatur. Vt autem huic pesti competens & Deo gratum exhibeamus remedium, religiosorum virorum consilio generalem curiam & conuentum in octaua Epiphaniæ Papiæ indiximus celebrandam. Ad quam euocauimus totius imperij nostri & aliorum regnorum, scilicet Angliæ, Franciæ, Vngariæ, Daciæ, archiepiscopos, episcopos, abbates, & viros religiosos, ac Deum timentes, quatenus remoto omni seculari iudicio, hoc tam magnum ecclesiæ negocium ecclesiasticarum tantùm personarum sententia ita sopiatur, vt & Deo debitus exinde honor deferatur, & ecclesia Romana sua integritate & iusticia non 50
possit à quoquam priuari, vel status vrbis, quę caput imperij nostri est, inquietari. Proinde eruditioni vestræ mandamus, & ex parte Dei omnipotentis, & totius ecclesiæ catholicæ præcipimus, vt ad eandem curiam siue conuentum veniatis, ecclesiasticarum personarum sententiam audituri & recepturi. Testis enim nobis est Deus, quia in hac curia nec amore, nec odio alicuius personæ quicquam aliud quærimus, quàm honorem Dei, & ecclesiæ suæ vnitatem. Quòd si ad tam celebrem ecclesiæ conuentum

tum examinationis causa venire volueritis, charissimi principes nostri & ecclesiæ catholicæ Hermannus Verdensis, Daniel Pragẽsis, patres & episcopi venerabiles, quos de palatio nostro ad vos transmisimus, vnà cum comite Palatino, consanguineo nostro, alijsq; legatis nostris, securum vobis conductum præstabunt. Si verò iusticiam Dei & ecclesiæ in tam solenni conuentu recipere nolueritis, videat Deus, & iudicet. Nos autem ipsius fauente gratia, qui dat salutem regibus, iusticiam Dei, quæ nullum magis quàm Imperatorem Romanum decet, prosequemur. 1159.

CAPVT LVI.

Item epistola principis de eadem re, ad episcopos transmontanos.

PORRO literæ quibus ad tantam discussionem transmontanos episcopos inuitauit, istæ pro exemplo sufficiant.

Fridericus Dei gratia Romanorum Imperator, & semper Augustus, Herimanno Brixinensi episcopo salutem, & omne bonum.

Quòd in passione sua Christus duobus gladijs contentus fuit, hoc in Romana ecclesia, & in imperio credimus mirabili prouidentia declarasse, cum per hæc duo rerum capita & principia totus mundus tam in diuinis, quàm in humanis ordinetur. Cumq; vnus Deus, vnus Papa, vnus Imperator sufficiat, & vna ecclesia Dei esse debeat, quod sine dolore dicere non possumus, duos apostolicos in Romana ecclesia habere videmur. Defuncto itaque Adriano Papa, in Kalend. Septembris, Cardinales, qui columnæ immobiles esse videbantur, quibus sancta & vniuersalis firmissimè inniteretur ecclesia, non quæ Dei sunt, sed sua quærentes, & vnitatem ecclesię scindentes, duos pontifices elegerunt, & ambos consecrauerunt. Pro tanta namque & tam pernicioſa ecclesiæ iactura, tota nimirum Italica ecclesia conturbatur, & dissensiones schismate orto in capite, iam in inferiora membra defluxisset, & totum ecclesiæ corpus defœdasset, nisi nos consilio & auxilio religiosorum virorum, qui spiritu Dei aguntur, tam impudicæ iniquitati iusticiæ rigorem opposuissemus. Ne itaque in tantæ discrimine discordiæ vniuersalis ecclesia periclitari possit, Romanũ imperium, quòd ad remedium tam pernicioſi morbi diuina clementia prouidit, vniuersorum saluti debet sollicitè prouidere, & ne tanta mala in ecclesia Dei præemineant, futuris casibus solerter obuiare. Coadunatis itaque in vnum omnibus episcopis, tam Italicis, quàm Teutonicis, cæterisq; principibus, ac viris religiosis, qui zelum Dei & ecclesiæ habere videbantur, quod facto opus esset diligenter inuestigauimus, ex decretis Romanorum pontificum, & statutis ecclesiæ veraciter accipiẽtes, quòd exorto schismate in Romana ecclesia ex duorum apostolicorum dissensione, ambos vocare, & secundum sententiam & cõsilium orthodoxorum litem decidere deberemus. Ex consilio itaque omnium qui aderant episcoporum, cæterorumq; principum, curiam solennem, & generalem conuentum omnium ecclesiasticorum virorum, in octaua Epiphania Papiæ celebrandam indiximus, ad quã ambos qui se dicunt Romanos pontifices vocabimus, omnesq; episcopos imperij nostri, & aliorum regnorum, Franciæ videlicet, Angliæ, Hispaniæ, atque Vngariæ, vt eorum in præsentia nostra iusto declaretur examine, quis illorum regimen vniuersalis ecclesiæ de iure debeat obtinere. Quia verò ad vnitatem ecclesiæ reformandam sapientia admodum nobis necessaria est, vt ea nequaquam carere valeamus, dilectionem tuam attentissimè rogamus, & rogando commonemus, quatenus pro fidelitate ecclesiæ & imperij, ad prędictam curiam omni occasione remota venias, vt in aduentu tuo vnitas & pax, & tranquillitas ecclesiæ reformetur. Interim autem prædictæ scissuræ in neutram partem assensum tuum declines, nec tanquam iustam & rationabilem aliquatenus recipias. Data Cremæ, x. Kalend. Nouembris.

Imperatorũ officium ob orto de pontificatu dissidio.

NB.

CAPVT LVII.

De calliditate Cremensium contra nostros.

IAM verò ad ea quæ apud Cremam gesta sunt, res exigit vt reuertamur. Cremenses, vt suprà dictum est, tam in vadibus, quàm in captiuis suis malè affecti, cùm ab ex-

1160. curſibus & audacia temerè paululum quieuiſſent, alio ingenio, alioq; commento noſtros fallere cogitant, & ſubuertere. Quædam enim inſtrumenta fabricant, muſcipulis quidem ſimillima, ſed pro qualitate humani corporis fortiora, eaq; per vias circa vallum diſpergunt, quibus ignari multi hærentes, aut capi facilè poterant, aut occidi. Item foſſas quàm plurimas hincinde deſuper leui operimento contegunt, quas illapſi ſimiliter aut capiebantur, aut occidebantur. Eiuſmodi & alij multi latrocinales doli, tam ad rapinas, quàm ad incendia machinarum cum aſſiduè fierent ab his qui intra munitionem erant, Fridericus & calliditate ſimul & audacia eorum magis irritabatur. Et quia penuria ciuitatem capere deſperaſſet, abundabant enim frumento, iterũ conſilium ad vim atq; arma conuertit, omnibus agminibus id maximè cupientibus, qui iam longæ obſidionis tædio affecti, varijsq; laboribus attriti, mœrore tenebantur, bellumq; quoquo modo finiri optabant. Sextus enim iam menſis erat ex quo ciuitas obſeſſa fuerat, hyemsq; pluuioſa, & gelu aſperrima illo anno plus ſolito inhorruerat.

Muſcipula & occulta foſſea oppugnantibus ſtructa.

CAPVT LVIII.

De expugnatione Cremæ per machinas.

ITAQVE admotis omnibus machinis, ad occupandam ciuitatem hortatur exercitum, turresq; in excelſum erectas, ferro variaq; materia vndiq; tectas, vt & pondere ſtabiles eſſent, neque ignibus expugnarentur, ſuper aggeres collocat, iaculatoribus & ſagittarijs, militumq; fortiſſimis plenas. Qui cùm non conſpicerentur, ipſi eos qui vel ſuper murum aſtarent, vel in ciuitate deambularent, facillimè cernerent, telisq; appeterent: cùm illi neq; à vertice venientes ſagittas facilè declinare, neq; vlciſci poſſent, quos non viderent. Quotiens autem ignito ferri pondere, & adunco, quo leuius hæreret, machinas attentabant, qui deſuper erant aquis ignem reſtinguendo, vncos autem & hamos ferri contis proceris & ſudibus diſſoluendo, conatus eorum in irritum reuocabant. In his enim falces alligarant, vt ſi quid de materia, quæ contra ictus machinarum turribus alligata fuerat, ignis corripiſſet, ſtatim abſcinderent. Et Cremenſes quidem ita reſiſtebant, quamuis multi in dies ſingulos occumberent, contraq; parum mali hoſtibus facerent.

Turres oppugnatoriæ.

CAPVT LIX.

De vltimo & atrociſſimo certamine patrato.

ET quoniam ad finem huius obſidionis tendimus, ad alia properantes, vltimum prælium, & maximum, pauliſper attingere libet, pro eo quòd & atrox, & vario euentu geſtum eſt. Imperator cernens oppidanos neq; ſe ipſos miſereri, neq; ciuitati parcere velle, generalem aggreſſionem fieri ſtatuit. Electis ergo de ſingulis agminibus viris fortiſſimis, intra machinas turrium eos collocat, varijs quidem locis, alios ſuperiores, alios inferiores: vt dum inferiores ciuitatẽ per murũ ingreſſuri pontes applicarent, ſuperiores eos iaculis & ſagittis, quo minus ab hoſtibus lęderentur, defenderent. Erant turres ipſæ nimia proceritate mirabiles, ſupra c. pedes in altum erectæ, multorum hominum per ſingula diuerſoria capaces. Reliquum exercitum circa muri ambitum diſtribuit, præcipiens, quando pontes admoueri cepiſſent, ipſi quoq; ſinguli contra quem ſtarent locum aggredi, murumq; vel tranſcendere vel irrumpere conarentur. Ipſe quidem vtrinq; ita diſpoſuit. Ciuitatis autem populus poſtquam oppidũ vndiq; videre circundatum, armisq; omnia conlucere, tubicines quoq; vniuerſorum agminum & ſigniferos congregatos, vt ſigno dato vndiq; eos inuaderent, non ſegniter ſe & ipſi communiunt, magnaq; audacia ſuper muros, & in ſuis machinis (quas *gattas* appellant) operiuntur: vt cùm admouerentur pontes, ipſi eos vel occuparent, vel deijcerent, murumq; ſcalis aſcendere nitentes, vario modo deterrerent, magna tunc animi facinora demonſtrantes, ne vel in extremis calamitatibus deteriores noſtris viderentur. Iam pontes, licet maxima difficultate admoti fuerant, iam tota acies in muro pedem ponebat. Tum Cremenſes callidè ſe intra ſuas machinas occultantes, primos quidem & de ſubtus, & ſuprà grauiter excipiunt, poſteriores autem tormentorum ictibus deterrẽt, acies pro muris pugnantium diſſipant, & qui ſcalis, alijsq; inſtru-

Generalis aſperrimaque Cremæ oppugnatio anno 1160.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 136;Leibn. Marg. 136, Stück 1, [560] - 542 PUBLIC DOMAIN

ingstrumentis ascendere nitebantur, impulsi deuoluebantur à muro. Sed neq; nostris virtus in rebus aduersis, nec Cremensibus sæuitia defuit. Nempe vnus militum nostrorum nomine Bertolfus de Arrah, qui cum primis de ponte saltu in ciuitatem deuenerat, circundatus vndiq; ab hostibus, dum pugnando se fortissimum ostendisset, multosq; solus vsque ad magnam partem ciuitatis persecutus fuisset, à quodam retrò longa securi prostratus est. Nam anteriori parte per medios ruentem vniuersi vitabant, audaciam hominis metuentes, pariter & admirantes. Quem tandem cùm occidissent, vnus eorum crudeliter in mortuum sæuiens, cutem capitis (vt dicebatur) abstraxit, & prius decentissimè capillatam galeæ suæ affixit, ipse turpis & indecentissimus: nec viri fortitudine permotus, nec humanæ conditionis sortem miseratus. Alium quoque præcisis manibus ac pedibus (graue ludibrium) per plateas serpere permiserunt. Porrò qui murum transcendere conati sunt, quamuis singillatim digni essent memoria, omnium tamen fortissimus demonstratus est Otto palatij comes de Baioaria, qui sæpius muro repulsus, sæpiusq; ante alios inceptum opus reuertens, virtute fortitudinis suæ toti huic ornamento fuit calamitati. Non tamen impunè, nec longum Cremenses hac fortuna vsi sunt. Nam de prominentia turrium nostrarum diuersis missilibus tot ea die vel occisi, vel vulnerati sunt oppidanorum, quòd muro anteriore pulsi, intra munitionem, quæ secundo muro erat accincta, confugerent, & tunc primò rebus suis desperarent. 1160.

Bertolfi de Arrah virtus.

Cremensiũ crudelitas.

CAPVT LX.

Qualiter Imperator propter excidium Cremæ, concilij diem prolongauerit, & quorum consilio Cremenses de pace tractauerint.

IMPERATOR videns excidium ciuitatis vicinum esse, iam enim vires eorum, & audaciam, labor, metus & calamitas fregerant, cõcilium quod in octaua Epiphaniæ celebrandum fuerat, distulit, animumq; totum ad subuersionem ciuitatis laxauit. Iam autem valida iuuenum manus collapsa fuerat, multiq; in dies singulos iaculis & sagittis occumbebant, cum, vt dictum est, ipsi contrà nihil mali nostris facere possent. In tantis ergo rerũ angustijs, consilio necessitatis adhibito, Peregrini Aquileiensis ecclesiæ Patriarchæ, simulq; Henrici ducis Baioarię & Saxoniæ colloquium expetunt, petentibusq; locus & hora datur, quando sapientiores & maiores ciuitatis se dictorum heroum conspectui præsentarent. Manè facto, designata statione, cùm pars vtraq; adesset, patriarcha vir eruditus, plurimisq; virtutibus adornatus, & cui præter officij auctoritatem magna facundiæ gratia inerat, prior ad eos ita orsus memoratur.

CAPVT LXI.

Exhortatio Aquileiensis patriarchæ, & responsio Cremensium.

SIQVIDEM non viderem vos ad sentiendum quæ pacis sunt, esse incitatos, neque populi Cremensis puriorem, sinceriss imamq; vos partem, nunquam processissem ad vos, neq; consulere confisus essem. Superuacua enim, vt ait quidam, est de vtilibus oratio, quando omnium habitatorum conspirat ad deteriora consensus. Quia verò aliquos quidem ætas malorum belli nescios facit, quosdam verò inconsiderata spes libertatis, nonnullos quoque auaritia succendit, paucorum bonorum consilio prouidendum est, quemadmodum ipsi ab hoc errore corrigantur. Quod si ab initio suscepti belli prouisum non est, sera saltem pœnitentia corrigat excessum: vt qui in portu præcauere tempestatem noluistis, vel inter medias procellas, pro tempore rebus fractis consulatis. Subeat vobis, si non ciuitatis iam perditæ, iamq; subuersioni proximæ, saltem miseratio filiorum vestrorum adhuc superstitum, atq; coniugum. Parcite reliquijs hominum, si parcere noluistis charis adytis paternorum mœnium. Experti feritatem Germanorum, virtutem & magnitudines corporum, ne dubitetis eos spiritus gerere maiores corporibus, & animas contemptrices mortis habere. Breuiter vobis quod sentio edam. Placet vt victori principi colla subdatis, expedit vt vniuersam salutem vestram in deditione, non in armis reponatis. Si enim spreta pace in defectione perseuerantes eritis, haud dubiè maioribus quàm passi estis periculis subdemini.

Cremenses ad pacem inuitati.

1160. His dictis dolorem quem corde habebant, pauliſper ſupprimentes, reſpondent: Se non aduerſus principem, ſed cõtra gentiles ſuos Cremonenſes arma ſumpſiſſe, olimq; ſibi decretum neque his, neque illis, ſed ſoli Deo & Imperatori ſeruire voluiſſe, & in multis clarere, mortem eos indebitæ ſeruituti prætuliſſe, fœdus cum Mediolanenſibus pepigiſſe, idq; donec Deo placuerit, inuiolatum cuſtodiſſe. Iram ſe diuinam pro peccatis ſuis perferre: fortunam Imperatoris prævalere. Nam habentes armorum abundantiſſimum apparatum, & alimentorum nullam penuriam, manifeſtiſſimè Deo ſpem ſalutis auferente, perdidiſſe. Rogare autem ne gentilibus ſuis Cremonenſibus inimiciſſimis pœnas, ſed ſoli principi cogantur præſtare. Optare ſe bello finem imponere, virtutem Imperatoris ſe effugere non poſſe.

CAPVT LXII.

De conditionibus pacis cum Cremenſibus, & triumpho principis.

COGNITO iam nominati principes quòd pacem cuperent, belliq; tædio affecti eſſent, verbum eorum curiæ perferunt. Placuit: de conditionibus pacis agitur, diffinitur, & ſine cõtradictione ab oppidanis recipitur. Erat autem pactum tale, quòd Cremenſes ciuitatem dederent, ipſiq; vita ſibi indulta cum coniugibus ac liberis quouis eundi facultatem haberent: de rebus ſuis quantum quiſq; ſemel humeris efferre poſſet, ſecum exportaret. Mediolanenſes verò & Brixienſes, qui ad præſidium eiuſdem ciuitatis intrauerant, relictis ibidem armis, & omnibus ſuis, vitam ſibi pro lucro exiſtimarent. Quibus omnibus tandem VI. Kalend. Februarij completis, ipſum caſtrum, egreſſis inde quaſi XX. milibus hominum diuerſi generis, flammis traditum, & militibus ad diripiendum permiſſum eſt.

Pacis capita.

Crema flãmis deleta.

Peracto excidio, diuus Auguſtus toto exercitu iocundante, lætam victoriam acturus Papiam diuertit. Vbi verò eum appropinquare nunciatum eſt, omnis multitudo ciuitatis obuia per vias & plateas, cum ſenibus & iuuenibus, cum coniugibus & liberis præſtolabatur, & quò tranſiens diuertiſſet, eius maieſtatem, vultuſq; lenitatem omnium generum vocibus proſequebatur: benemeritum triumphatorem, & ſalutis datorem, ſolumq; dignum Romanum principem appellari. Tota ciuitas veluti templum varijs ornamentis decorata erat, & diuerſis odoribus aromaticis plena redolebat. Cùm autem vix per circumſtantium multitudinem ad eccleſiam venire potuiſſet, antequam in palatio ſe reciperet, omnipotenti Deo, qui dat ſalutem regibus, pro adepto triumpho vota ſoluit, & gratulatoria ſacra celebrauit. Conuentum quoque, quem in octaua Epiphaniæ habendum ſtatuerat, in eadem Ticinenſium ciuitate in Purificatione S. Mariæ decreuit peragere. Porrò de ſubacta, vel potius ſubuerſa Crema, ſtatim imperiales literæ per ambitum regni diriguntur in hunc modum.

CAPVT LXIII.

Epiſtola Imperatoris de victa Crema.

FRIDERICVS Dei gratia Romanorum Imperator, & ſemper Auguſtus. Scire credimus prudentiam veſtram, quòd tantum diuinæ gratiæ donum, ad laudẽ & gloriam nominis Chriſti, honori noſtro tam euidenter collatum, occultari vel abſcondi tanquam res priuata, non poteſt. Quod ideò dilectioni veſtræ ac deſiderio ſignificamus, vt ſicut chariſſimos & fideles, vos participes honoris & gaudiorum habeamus. Proxima ſiquidem die poſt cõuerſionem S. Pauli, plenam victoriam de Crema nobis Deus contulit, ſicq; gloriosè ex ipſa triumphauimus, quòd tam miſeræ genti quæ in ea fuit, vitam conceſſimus. Leges enim tam diuinę, quam humanæ ſummam ſemper clementiam in principe eſſe debere teſtantur.

CAPVT LXIIII.

De concilio apud Papiam, & exhortatione principis ad epiſcopos.

TEMPVS erat quo concilium Papiæ indictum, celebrandum fuerat, idq; de vniuerſis regni partibus, videlicet ciſalpinis & tranſalpinis in vnum collecti archiepiſcopi,

ſcopi, & epiſcopi, alijque eccleſiarum prælati pendula expectatione operiebantur. Tum Auguſtus commonens omnes ieiuniorum & orationum ſubſidijs eccleſiæ catholicę cauſam Deo commendari, cum ſacerdotibus, & omni populo auxilium diuinum fida ſanctorum interceſſione poſcebat. Deinde conuocato in vnum concilio, cùm reſediſſet, ait ad epiſcopos. Quamuis nouerim officio ac dignitate imperij penes nos eſſe poteſtatem congregandorum conciliorum, præſertim in tantis eccleſiæ periculis: (hoc enim & Conſtantinus, & Theodoſius, nec non Iuſtinianus, ſeu recentioris memoriæ Carolus magnus, & Otto Imperatores feciſſe memorantur) auctoritatem tamen diffiniendi huius maximi & ſummi negocij, veſtræ prudentiæ, veſtræq; poteſtati committo. Deus enim conſtituit vos ſacerdotes, & poteſtatem vobis dedit de nobis quoque iudicandi. Et quia in his quæ ad Deum ſunt, non eſt noſtrum de vobis iudicare, tales vos, & taliter in hac cauſa hortamur habere, tanquam ſolius Dei de vobis expectantes iudicium. 1160.

Imperatoris auctoritas in Concilio cogendo.

Lis de pontificatu ab eccleſiaſticis dijudicanda.

Cùm hæc dixiſſet, ipſe ſe concilio ſubtraxit, examen totum eccleſiæ & eccleſiaſticis, quæ ibi innumerabiles erant, committens perſonis. Erant autem circiter quinquaginta archiepiſcopi & epiſcopi: abbatum & præpoſitorum non erat præ multitudine æſtimatio. Legati quoq; diuerſarum terrarum aderant, ſpondentes quicquid à ſynodo decretum foret, indubitanter à ſuis recipiendum.

CAPVT LXV.

Quòd concilium pro Victoris parte ſententiam dederit.

REſidentibus itaque epiſcopis, & clero vniuerſo VII. diebus cauſa ventilata eſt, tandemq; domino Octauiano, qui cũ præſens aduenisſet, & haberet qui partem ſuam defenderent, ceſſit litis victoria, & pro ipſo concilium ſiue curia dedit ſententiam, condemnato Rolando & reprobato, qui citatus legitimè concilio ſe præſentare contumaciter abnuiſſe dicebatur. Sæpius autem lectorem admonitum eſſe cupimus, vt in hoc facto ad diſquirendam rerum veritatem non noſtra dicta conſulat, ſed literis & ſcriptis, quæ ad manus noſtras venerunt, & huic Operi inſerendæ viſæ ſunt, innitatur, ſuo ſeruans arbitrio, quando de hac controuerſia, & litis deciſione, concilijq; iudicio ſufficienter ſibi fides facta videatur.

CAPVT LXVI.

Epiſtola canonicorum S. Petri Romæ, pro parte Victoris.

Inuictiſſimo & glorioſiſſimo domino ſuo Friderico Romanorum Imperatori, & ſemper Auguſto, & venerabilibus patribus in Chriſti nomine congregatis, fratres qui Romæ ſunt, baſilicæ S. Petri principis apoſtolorum canonici, angeli magni conſilij præſentiam, & ſpiritus ſancti conſolantem gratiam.

Patres ſanctiſſimi, quos Deus elegit ad conſolationem mœrentium, & delinquentium correctionem, ſicut ait Apoſtolus, corripite inquietos, conſolamini puſillanimes, intendite precibus noſtris, & ad dolorem noſtrum leniendũ conſolationis manum extendite. Tanta eſt enim tam diffuſa mœroris noſtri materia, vt vnde debeamus exordium ſumere, difficulter poſſimus inuenire. Verùm quia materia doloris eſt & mœroris, à luctu & mœrore ordiri decreuimus. Attendite ergo & videte, ſi eſt dolor ſicut dolor noſter, cùm videamus matrem noſtram Romanam eccleſiam, quondam fulgentem, à filijs ſuis, imò alienis, quia mentiti ſunt ei, quos enutriuit & exaltauit, ipſi autem ſpreuerunt eam, contumeliosè euiſceratam, & membris ex parte mutilatam, in cœno iacentem, contumeliam, iacturamq; ſuam nec ſentientem. Vnde cum Hieremia plorante ſuæ Hieruſalem deſtructionem, plorantes dicimus: *Non crediderunt reges terræ, & vniuerſi habitatores orbis: quoniam ingrederetur hoſtis, & inimicus per portas Hieruſalem.* Verè Hieruſalem erat mater noſtra Romana eccleſia, quæ cunctis ad ſe venientibus & quęrentibus pacem dabat. Nunc autem & dolentes dicimus, vt olim illa, Peccatum peccauit noſtra Hieruſalem, propterea inſtabilis facta eſt. Nec immeritò propter peccata prophetarum eius, & inquitates ſacerdotum eius,

1160. errauerunt cæci in plateis, facies Domini diuisit eos. Et verè. Vultus enim Domini super facientes mala, vt perdat de terra memoriã eorum. Vnde plurimo rubore diffundimur. Verè peccatum peccauit hoc tempore nostra Hierusalem, inuidia & odio, & iniquitatibus multis, quæ quia per omnia longum est enarrare, ad ostendendam Romanam electionem, & causam discordiæ declarandam propositum conuertemus.

Domino igitur Papa Adriano felicis memoriæ, prima vigilia Kalend. Septembris viam vniuersæ carnis ingresso, conuenit illicò maxima multitudo, cum quibus & senatores affuerunt, quorum consilio corpus Romam delatum est. Inter Cardinales verò contentione crescente, conuenit tandem inter eos vt Romam redirent, & concordem electionem facerent de aliquo cardinalium. Quod si non possent, quærerent extraneam personam. Quod si nec sic possent conuenire, ab electione quiescerent, donec inuenirent idoneum virum, quem concorditer eligere deberent. Et hoc vnanimiter ab omnib. confirmatum est. Post hoc autem statim Romam redierunt. Dominus Octauianus, & quidam alij accesserunt ad obsequium defuncti. Quidam verò alij præmiserunt auctorem scelerum Bosonem primogenitum Satanæ, vt munitionem beati Petri occuparet, cuius custodes fidelitatem ei iurauerant, domino Papa Adriano viuente, eumq; postea subsequentes eandem munitionem conscenderunt. Dominus autem Tusculanus palatium ascendit. Dominus Octauianus & dominus Rolandus cancellarius ad domos nostras venerunt, & quidam alij. Vocati autem isti ab illis qui munitionem obseruabant, responderunt, se nunquam ascensuros in munitionem: Bosonem verentes, ne sicut eis relatum fuerat, à iuratis Bosonis caperentur. Et dominus cancellarius, Vadam, inquit, & eos ad vos descendere faciam. Iuit cum eo diaconus de Carcere, nec redierũt, & sic per biduum de loco vbi electionem facerent, conuenire nequiuerunt.

Tandem die sabbati descendentibus illis de munitione, ascenderunt omnes post altare beati Petri, & cœperunt de electione tractare. Cumq; conuenire non possent, dixerunt isti qui concordiam & pacem ecclesiæ desiderabant, Date nobis electionem, & eligemus vnum de vobis, aut habeatis vos electionem, & eligite quem vultis de nobis vnum: & noluerunt. Surrexit tandem velut iratus Otto, diaconus S. Georgij, & Adebaldus Crassus, cardinalis S. apostolorum, & Ioannes Neapolitanus, & accepto manto voluerunt immantare dominum Rolandum cancellarium, sed saniore & meliori parte Cardinales ex parte Dei omnipotentis, & beatorum principum apostolorum Petri & Pauli, atque totius ecclesiæ auctoritate prohibente, non potuerunt. Facta autem hac prohibitione, iterum eum immantare attentauerunt, nec potuerunt, & cancellarium cum manto nullo modo tetigerunt: per eos tamen non stetit quin inmantaretur. Cæterùm clerus Romanus, qui in ecclesia beati Petri pro electione summi pontificis conuenerat, audito clamore, cucurrerunt, circumdantes dominum Ottonem, qui erat cum cardinalibus iuxta altare beati Petri, & clamauerunt omnes dicentes, Dominum Octauianum eligite, per quem solum ecclesia pacem potest habere. Tunc petitione populi Romani, & electione totius cleri, consentiente & desiderante vniuerso capitulo basilicæ beati Petri, dominus Octauianus cardinalis à saniori parte cardinalium electus est, & manto indutus, ac in sede beati Petri positus, absque omni contradictione, cantantibus omnibus, *Te Deum laudamus*, in iubilo. Deinde sicut mos est, domini cardinales, & clerus Romanus totus qui præsens erat, & qui postea confluxerat, populiq; Romani pars maxima pedes eius osculati sunt. Quod videns dominus Rolandus cancellarius, & qui ei sicut dicebatur, iuramento erant astricti, nec clamauerunt, nec aliquo modo contradixerunt, sed inclinato capite redeuntes, munitionem quasi spe sua frustrati conscenderunt. Tunc domini cardinales, clerus, iudices, scriniarij, senatores, populus Romanus dominum electum signis bandonis præcedentibus, ad palatium vsque cum iocunditate perduxerunt, Romano more clamantes: *Papa Victore S. Pietro l'elegge.* In crastinum autem quidam de clero Romano ascenderunt munitionem, & osculata manu domini cancellarij, cœperunt eum & qui cum eo erant, rogare, vt paci ecclesiæ prouideret. Quidam autem de diaconis curiæ respondit eis velut indignans: Heri pedes domini Octauiani, qui fratrem suum dominum cancellarium exuit manto, & se induit, estis osculati, & modò ve-

dò venitis ad nos? Et dominus cancellarius, Noli, ait, domine cardinalis, dicere quod verum non est. Dominus Octauianus nunquam exuit me manto, quia nunquam indutus fui. Sicq; per totam hebdomadam illam domino cancellario & suis in ecclesia beati Petri morantibus, nono die descendentes trans Tyberim, eo die & altero commorantes XI. exierunt, & peruenerunt ad cisternam Neronis, in qua latuit Nero fugiens Romanos insequentes. Iustè cisternam adierunt, quia dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt sibi cisternas: cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas. Et ibi die altero, qui duodecimus erat ab electione domini Victoris, induerunt cancellarium stolam & pallium erroris, in destructionem & confusionem ecclesiæ, ibiq; primùm cantabant, *Te Deum laudamus*. Quis vestrûm ô sanctissimi patres audiuit talia? Quantum in eis est, biceps hodie facta est Romana ecclesia. Nunc tacendum nobis est, vt dominus Otto Palatinus comes, & dominus Guido comes de Blanderata, & dominus Heribertus præpositus, viri prudentissimi, imperatoriæ maiestatis legati, vicem accipiant referendi, quid in domino cancellario & suis reperierint. Qui cum nota retulerint domini episcopi, domini imperatoris legati, quid hinc inde humilitatis & veritatis cognouerint, pleniùs poterunt enodare. In Vrbe quoq; cùm Romanus clerus ad ecclesiam beati Petri, ipsis præsentibus conueniret, quid de facto isto persenserint, quoniam presentes esse credimus, referant ipsi, & ad hoc comprobandum duos de fratribus nostris Petrum Christianum ecclesiæ nostræ decanũ, & Petrum Guidonis camerarium sanctæ Romanę ecclesiæ subdiaconum, sanctitati vestræ transmittimus, vt de his omnibus veritatis testimonium etiam viua voce perhibeant. In cœna domini estis, in qua redemptionis humanæ sacramenta peregit. Duos gladios apostoli se habere professi sunt, quos & vos habetis, quid in eis, & per eos agere debeatis, nullus vestrûm ignorat. Ibi dictum est à Christo, *Satis est*. Et nos qui Christi vestigia sequi debemus, vobis dominis nostris dicimus, huic operi finem facientes, *Satis est*. Omnipotentis sapientia patris, qui nouit & potest vnire vota & voluntates omnium, doceat vos omnes, & vniat ad confusionem Babylonicam destruendam, & simoniam de ecclesia propellendam, & pacem toti mundo desiderabilem in integrum reformandam. 1160.

CAPVT LXVII.

Actio concilij verbis simplicibus posita.

ACTIO concilij, quæ verbis simplicibus in scriptum redacta, item ponenda videbatur.

Hæc sunt capitula, quæ in concilio Papiæ super electionem domini Papæ Victoris canonicè probata sunt. Dominus Octauianus, & nemo alius, Romæ in ecclesia beati Petri, petitione populi & consensu, ac desiderio cleri, à cardinalibus manto indutus est solenniter, & præsente Cancellario, & non contradicente, in cathedra beati Petri collocatus est, & à cardinalibus, & clero Romano, *Te Deum laudamus*, solennirer ei cantatum est, & nomen ei Victor impositum est. Ibi multitudo cleri & populi Romani venit ad pedes eius. Tunc Scriniarius secundum antiquam Romanorum consuetudinem ascendens in altum, voce magna clamauit ad populum dicens: Audite ciues Romani, & cœtus reipublicæ. Secunda feria pater noster Adrianus mortuus est, & proximo sequenti sabbato dominus Octauianus cardinalis S. Ceciliæ in Romanum pontificem electus & immantatus est, & in cathedra beati Petri collocatus est, & Papa Victor est nominatus Placet vobis? Respondit magna voce clerus & populus, Placer. Secunda & tertia vice interrogatus populus si placeret, clara voce respondit, Placet. Deinde cum bandis, & alijs papalibus insignibus dominus Papa cum laudibus in palatium deductus est. *Testimonia ex parte Victoris.* 1.

His itaq; ritè peractis, capitulum beati Petri statim venit ad pedes eiusdem papæ Victoris, & obediuit, ac debitam ei reuerentiam exhibuit, clerus & populus, multitudo magna similiter obediuit. Sequenti verò die proxima rectores cleri Romani accedentes ad dominum cancellarium, & ad cardinales qui cum eo erant, voluerunt cognoscere si immantatus esset, sicut quidam dicebãt: & non inuenerunt eũ imman-

1160. tatum, neque aliqua ſpecie dignitatis variatum: & habito cum eo & cardinalibus ſuis colloquio, cognouerunt ab ore eius & ſuorum, quòd nunquam fuerit immantatus, & quòd hoc ei falsò imponebatur. Quo audito & cognito, rectores ad pedes domini papæ Victoris venerunt, & obedientiam, & reuerentiam exhibuerunt. De omnibus ſuprà dictis capitulis teſtes fuerunt, Petrus Chriſtianus decanus baſilicæ beati Petri, & omnes fratres eius, & duo Rectores cleri Romani, Blaſius ſcilicet presbyter, & Manerius presbyter, & ſeptem archipresbyteri Romanę vrbis, & quatuor alij tam diaconi, quàm ſubdiaconi.

Deinde prior Lateranenſis & ſui canonici obedierunt.

Clerici de patriarchia S. Mariæ maioris obedierunt.

Abbas de patriarchia S. Pauli per ſuos nuncios obediuit, & in ſignum obedientię de bonis eccleſiæ ſuæ illi miſit.

Abbas de patriarchia S. Laurentij cum ſuis monachis obediuit.

Abbas Cirengij obediuit.

Abbas S. Syluestri cum ſuis monachis obediuit.

Abbas S. Alexij in monte Auentino cum ſuis monachis obediuit.

Abbas S. Blaſij cum ſuis monachis obediuit.

Conuentus S. Sabeæ obediuit.

Conuentus S. Mariæ in Capitolio obediuit.

Conuentus monachorum S. Coſmæ & Damiani obediuit.

Abbas S. Valentini obediuit.

Magiſter fratrum templi Hieroſolymitani in monte Auentino cum ſuis fratribus obediuit.

Cardinalia S. Marcelli obediuit.

Clerici de cardinalia ſanctorum apoſtolorum obediuerunt.

Clerici de cardinalia S. Petri ad vincula obediuerunt.

Clerici de cardinalia S. Syluestri obediuerunt.

Clerici de cardinalia S. Sixti obediuerunt.

Clerici de cardinalia S. Sabinæ obediuerunt.

Clerici de cardinalia S. Sabilinæ obediuerunt.

Cardinalia S. Ciriaci apud thermas Diocletiani obediuit.

Clerici de cardinalia S. Mariæ trans Tyberim obediuerunt.

Clerici de cardinalia S. Mariæ in porticu obediuerunt.

Clerici de cardinalia S. Nicolai in carcere obediuerunt.

Monaſterium S. Agathæ obediuit.

Archipresbyter S. Apollinaris obediuit.

Archipresbyter S. Triphi obediuit.

Archipresbyter S. Bartholomæi obediuit.

Eccleſia S. Celſi obediuit.

Eccleſia S. Mariæ in monaſterio obediuit.

Eccleſia S. Mariæ in palaria obediuit.

Eccleſia ſancti Saluatoris de Curte obediuit.

Archipresbyter ſancti Vincentij cum ſuis obediuit.

Archipresbyter ſanctæ Katharinæ cum ſuis obediuit.

Archipresbyter ſancti Thomæ de Parione obediuit.

Archipresbyter ſanctæ Anaſtaſiæ cum ſuis obediuit.

Archipresbyter ſancti Saluatoris de campo cum ſuis obediuit.

Archipresbyter ſanctæ Mariæ in monte celſo cum ſuis obediuit.

Et multæ aliæ eccleſiæ & monaſteria obedierunt, quas vix enumerare valemus.

Poſt promotionem domini Victoris, canonici beati Petri miſerunt ad Rolandum cancellarium canonicos ſuos, qui viderent an eſſet immantatus, ſicut quidam credebant, aut aliquo modo promotus. Vnde bis miſſi inquiſitores, bis retulerunt eum non eſſe immantatum, nec aliqua promotionis ſpecie variatum. Sequenti verò die, vt omnis dubitatio tolleretur, miſerunt canonici quoſdam de ſuis, vt menſæ cardi-

cardinalium qui intererant, intereſſent, & viderent ſi ſaltem in menſa locum dignio- 1160.
rem ſolito obtineret, aut etiam benedicendo menſam primus eſſet, vel aliquo modo inter cardinales loco, vel dignitate, ſeu veſte dignior haberetur. In quibus omnibus nullo modo ſenſerunt eum promotum, vel mutatum. Atq; in hunc modum perſcrutati ſunt canonici ſtatum cancellarij per ſingulos continuos octo dies.

Baſſo & Ioannes de Romano dicunt: Poſtquam cancellarius ſedente domino 2.
Victore in cathedra, in munitionem ſe recepit, Ioannes Phizutus clericus, & Ioannes de bucca lata laicus, voluerunt immantare cancellarium, qui cum iniuria repulit eos dicens, De me non facietis ridiculum, ibi eſt Papa: ite ad eum, & obedite ei.

Presbyter Blaſius, & presbyter Manerius rectores Romani, dicunt ſe cum tribus 3.
alijs rectoribus cleri, ſequenti die poſt promotionem domini Victoris acceſſiſſe ad cancellarium, & ad omnes Cardinales qui cum eo erant, & non viderunt eũ immantatum, nec aliquo modo promotum: & antequam diſceſſiſſent, audierunt duabus vicibus ab ore cancellarij, quòd nec erat, nec fuit immantatus. In præſentia etiam ipſorum rectorum qui ibi erant, teſtificatus eſt Otto cardinalis de Carcere, quòd dominus Octauianus nullam violentiam, vel iniuriam intulit cancellario.

Item dixit Otto: Pro nihilo adſcribitur hoc domino cancellario, quia nullus ei 4.
mantum abſtulit, quia nunquam habuit. His omnibus ita peractis & cognitis, rectores iſti iuerunt ad dominum Victorem, & obedientiam ei fecerunt, & præceperunt clero, vt ei obediret. Quod & factum eſt.

Presbyter Barro, & presbyter Ioannes capellani de cardinalia Cancellarij, dixe- 5.
runt, ſe ſequenti die poſt promotionem domini Victoris ad cancellarium acceſſiſſe, & dixiſſe ad eum ſic: Audientes vos eſſe immantatum gaudebamus, & nunc quia aliter videmus, dolemus. Qui dixit eis, Pro me nolite gaudere vel dolere, quia ego nec fui, nec ſum immantatus: ite & obedite ei quẽ videris immantatum. Hæc verba taliter ab ore cãcellarij proceſſiſſe commiſit presbyter Barro, & presbyter Ioannes, quibuſdam ex noſtris clericis præſentibus, vt iurent in animabus eorum ita verum eſſe.

Clerici de cardinalia S. Chryſogoni dixerunt, ſe ſequenti die poſt promotionem 6.
domini Victoris acceſſiſſe ad Cardinalem ſuum, qui erat cum cancellario, & interrogaſſe eum dicentes, Omnes clerici vadunt ad pedes domini Papæ, quid faciemus & nos? Qui reſpondit: Ite ad eum ſicut alij.

Multi ex noſtris dicunt vidiſſe cancellarium vndecimo die ab Vrbe exiſſe, ſine 7.
manto, ſine ſtola, ſine albo equo, & ſine omni habitus munitione, cum pellibus nigro pallio coopertis, & cum nigro almutio vſq; ad Ciſternam.

Ioannes de Romano dicit: audiuiſſe Ioannem Neapolitanum, & Bonandiem, & 8.
quoſdam alios cardinales dicentes apud Ciſternam: Quoniam modò ſumus ſine paſtore, & ſine capite, faciamus nobis dominum: & poſtea immantauerunt eum, & cantauerunt ei, *Te Deum laudamus*, apud Ciſternam.

Ioannes de S. Stephano, & Wolferaminus dicunt, ſe audiuiſſe, quòd papa Adria- 9.
nus dixit ad eos cùm de Vrbe exiret: Octauianus, inquit, quem ego miſi in Longobardiam, vult excommunicare Mediolanenſes: ſed ego mandaui Mediolanenſibus, vt non curent de eo, ſed fortiter ſe habeant, tam ipſi quàm Brixienſes, contra Imperatorem: & ego cum eis diſpoſui, quòd Imperator propter eorum impedimenta non poterit Romam venire. Item etiam cum Cardinalibus ita diſpoſui, quòd Octauianus non erit papa poſt mortem meam.

Gimundus & Wolferaminus dicunt, ſe audiuiſſe ab ore epiſcopi Sabinenſis, quòd 10.
libenter rediret ad dominum Victorem: ſed ita adiuratione eſt aſtrictus, quòd ſine periurio non poteſt.

Epiſcopus Alettinus in præſentia domini Guidonis Cremenſis cardinalis, & Gi- 11.
mundi, & Ioannis Gaietani, & aliorum multorum, dixit: Non poſſum ad dominum Victorem venire, quia talem ſecuritatẽ feci cãcellario, & ſuis apud Anagniam, quòd non poſſum ad eos venire vſq; ad Kal. Poſt Kalend. autem veniam: interim tamen habeo eum pro domino, & paſtore meo. Itaq; Kalend. tranſactis, cum infirmitate teneretur, miſit domino Victori obedientiam per clericum quendam, quem habemus præſentem.

1160. De omnibus supradictis capitulis testimonium perhibuerunt prædicti rectores cleri Romani, & VII archipresbyteri suprà memorati, & alij multi honesti & religiosi clerici Romani, & Petrus Vrbis præfectus, & Stephanus de Tebaldo, & Stephanus Nortmannus, & Ioannes de S. Stephano, & Ioannes Gaietanus, & Wolferaminus de Gidocica, & Gimundus de domo Petrileonis, & multi alij illustres Romani & nobilissimi, qui omnibus his interfuerunt, & omnia viderunt, & tractauerunt.

CAPVT LXX.

Qualiter Fridericus ratihabitione confirmauit electionem Victoris, eumq; intronizauit.

CONFIRMATO & recepto taliter in papatu Victore, defertur ad principem sacerdotalis concilij sententia. Qua venerabiliter susceptа & approbata, Victor ad ecclesiam vocatur, & magna solennitate, & frequentia cleri ac populi susciputur, ipsiq; vt summo pontifici, & vniuersali Papæ acclamatur. Diuus quoq; Imperator consuetam ei reuerentiam, sicut Constantinus beato Syluestro humiliter pro foribus ecclesiæ exhibuit: & manu eius accepta vsq; ad sedem deduxit, & intronizauit. De reliquis quæ ibidem acta sunt exemplaria literarum subnotata consule.

CAPVT LXXI.

Epistola Imperatoris super his directa.

Fridericus Dei gratia Romanorum Imperator, & semper Augustus, dilectissimo suo Eberhardo venerabili Salizburgensi archiepiscopo, & suffraganeis eius, Alberto Frisingensi episcopo, Hartmanno Brixinensi, & Romano Gurcensi, totiq; prouinciæ Salizburgensi, gratiam suam, & omne bonum.

Si sacro concilio Papiæ interfuissetis, omnia quæ ibidem, vel in Romana ecclesia facta sunt, oculata fide cognoscere possetis. Ne autem ab his qui prauis delationibus & mendacijs iam ferè totum orbem respersérunt, veritas possit obnubilari, vel vestra sinceritas trahi in contrarium, quantò breuiùs possumus, seriem totius rei, sine aliqua falsitatis commixtione, mera veritate vobis significare dignum duximus. Luce clarius constat, quòd papa Adriano adhuc viuente, Rolandus cancellarius, & quidam cardinales non attendentes illud dominicum, *Sit sermo vester, est est, non non,* *Matth. 5.* conspiratione facta cum Wilhelmo Siculo, prius ab eis excommunicato, & cum cæteris hostibus imperij, Mediolanensibus, Brixiensibus, Placentinis, ne fortè per mortem papæ Adriani tam iniqua factio euanesceret, iuramenti vinculo inuicem sese cõstrinxerunt, vt defuncto Papa nullus alius ei substitueretur, nisi qui in eadem conspiratione cum eis conuenisset. Hac de causa duodecimo die post electionem domini Victoris papæ, eo sedente in sede beati Petri, iam dicti conspiratores egressi ab Vrbe ad Cisternam Neronis, derelinquentes venam aquarum viuentium, se contulerunt, & idolum sibi Rolandum cancellarium erexerunt, dicentes: hunc esse Simonem Petrum, qui apostolicæ dignitatis apicem tam nefaria inuasione attingere præsumebat. Quòd hæc conspiratio facta fuerit, & ille iam dictus Rolandus per eam hoc modo intrauerit, non est ficticium, sed religiosis viris ab illo qui facit manifesta consilia cordium, mirabiliter est declaratum. Dum hæc Romæ agerentur, & nos quid super tanto schismate agendum esset, viros religiosos, archiepiscopos videlicet & episcopos consultaremus, superuenerunt, quasi missi à Deo, Tarentasinus archiepiscopus, abbas Clarauallensis, abbas Moremundensis, & alij abbates numero decem, postulantes pacem Mediolanensibus: qui recepto à nobis verbo, dum Mediolanum pro inuestiganda eorum voluntate redirent, acceperunt ab eis tale responsum: Domini patres, nos tenemur astricti iuramento domino Papæ & cardinalibus, quòd non debeamus redire ad gratiam Imperatoris sine eorum voluntate, & ipsi econtrà sine nostra voluntate nullam pacem facere possunt. Responderunt eis abbates: Vos de cætero non tenemini domino Papæ, quia mortuus est, & illi statim subiunxerunt: Si mortuus est Papa, nos ideo non sumus absoluti: quia nihilominus tenemur cardinalibus, & ipsi

& ipsi tenentur nobis. Hæc prædicti patres abbates in responsis à Mediolanensibus testificati sunt coram multis religiosis viris. Præter hæc multa experimenta factæ cõspirationis per literas in via deprehensas accepimus, sicut nuncius iste plenius vidit & audiuit. Sanè ex concilio orthodoxorum, sicut alia vice meminimus vobis mandasse, generalem conuentum religiosorum Papiæ indiximus, ad quem ambos qui se dixerunt Romanos pontifices, non ad iudicium seculare, sicut ora mendacium astruũt, sed ad examen ecclesiæ, per duos venerabiles episcopos, Verdensem videlicet & Pragensem, conuocauimus. Alter verò, eò quòd puriorem haberet conscientiam, dominus Victor videlicet, iudicio ecclesiæ vltrò se obtulit: altero videlicet Rolando contumaciter renitente & dicente, quia cùm ipse omnes deberet iudicare, ipse à nullo vellet iudicari. Habìto itaque venerabili concilio, in quo patriarcha Aquileiensis, & multi archiepiscopi & episcopi religiosi conuenerant, per octo continuos dies maxima grauitate, diligentissima examinatione, semota omni laica persona, tractatum est, quis ex duobus summi pontificatus apicem de iure deberet obtinere. Post longam itaq; deliberationem, quia illa nefandissima conspiratio Deo & ecclesiæ admodum odibilis, manifestis indicijs non solùm probata, verùm in facie totius ecclesiæ coram positæ releuata est: & in domino Victore nihil reprehensibile inuentum est, nisi quòd pauciores numero cardinales omnino à conspiratione illa exortes, eum pro bono pacis inter regnum & sacerdotium conciliando, elegerunt: & inuocata S. spiritus gratia, ecclesia Dei Rolandum cancellarium conspiratorem & schismaticum, discordias & lites, & periuria bona esse euangelizantem, condemnauit, & dominum Victorem papam in patrem spiritalem & vniuersalem pontificem confirmauit. Quem nos ecclesia duce secuti approbamus, & vniuersalis ecclesiæ patrem & rectorem, cooperante diuina clementia, fore denunciamus. Hoc itaq; factum diuinis suffultum præsidijs, & in apostolica stabilitate supra petram, Christum videlicet firmiter fundatum, à vestra beatitudine, pro pace totius ecclesiæ & salute Imperij approbari, & ab omni ecclesia vestræ sanctitati commissa teneri & conseruari rogamus, & præoptamus. Data Papiæ, XV Kalend. Martij. 1160.

CAPVT LXX.

Epistola præsidentium concilio hincinde directa.

RESCRIPTVM generale à synodo præsidentibus per partes mundi directum hoc est:

Quia sedis Apostolicæ turbatio, Christianorum animos admodum sauciauit, nos qui ad resecanda schismata, & pacem ecclesiæ reformandam Papiæ fuimus congregati, qualitatem causæ, modumq; negocij & sacri concilij dispensationem vniuersitati vestræ plenariè duximus intimandum: quatenus per scripta præsentia mera veritate monstrata, auditorum animi falsitatem, quam fortè conceperant, vehementer expellant, & amodò per scripta schismatica non seducantur. Cùm igitur orthodoxorum Papiæ congregatorum vniuersitas in nomine Domini consedisset, causa per VII dies continuos, omni remoto seculari iudicio, legitimè & canonicè agitata, ac diligenter inspecta, sufficienter & canonicè in conspectu concilij per testes idoneos est comprobatum, dominum papam Victorem, & nullum alium in basilica beati Petri à saniori parte cardinalium, petitione populi, & consensu ac desiderio cleri fuisse electum, & solenniter immantatũ: quòd præsente, & non contradicente Rolando quondam cancellario, in cathedra beati Petri fuerit collocatus, & quòd ibi ei à Cardinalibus & clero Romano, *Te Deum laudamus*, gloriosè decantatum, & inde ad palatium cum bandis, & alijs papalibus insignibus est deductus: & clerus & populus secundum consuetudinem interrogatus per Scriniarium, si placeret? tribus vicibus clara voce respondit, *Placet*. Probatum est etiam, quòd Rolandus XII die post domini Victoris promotionem ab Vrbe egressus, apud Cisternam, in qua Nero Imperator quondam ab Vrbe profugus latitauit, primò est immantatus. Probatum est, quòd in secundo die post promotionem domini Victoris, Rolandus interrogatus à rectoribus & clero Romano, ac clericis de sua cardinalia, si domino Victori esset obediendum, expressè confessus est: se nunquam fuisse immantatum, & expressè dixit: Ite, & obedite ei,

1160. quem immantatum esse videtis. Super his capitulis fuerunt testes, & sub stola tactis sacrosanctis euangelijs iurauerunt. Dominus Petrus Christianus decanus basilicæ beati Petri, & in persona sua, & omnium fratrum suorum. Iurauerunt etiam venerabiles archipresbyteri, & rectores cleri Romani, Blasius & Manerius presbyteri, Ioannes presbyter gentilis, Aimeradus archipresbyter, Berardus archipresbyter, Ioannes archipresbyter, Benedictus diaconus, magister Ptolemæus archipresbyter, magister Gerardus & Nicolaus, & alij honesti clerici Romani. Præterea Petrus illustris Vrbis præfectus, Stephanus de Thebaldo, Stephanus Normannus, Gimundus de domo Petrileonis, Ioannes de Stephano, & alij principes & nobiles Romani, qui ad vocationem sereniſſimi Imperatoris venerant, in conspectu concilij super iam dictis capitulis, ex maxima parte testimonium similiter perhibuerunt, & iurare voluerunt. Sed nos quia religiosorum presbyterorum multorum testimonium sufficiens & abundantissimum habebamus, duximus laicis in hac parte parcendum. Deinde venerabiles episcopi Hermannus Verdensis, Daniel Pragensis, & Otto Palatinus comes, & magister Heribertus præpositus, quos dominus Imperator ex consilio XXII episcoporum & Cistercienſis & Clarauallensis abbatum, aliorumq; religiosorum tunc præsentium, Romam delegauerat, vt partes ante concilij præsentiam Papiam euocarent, in conspectu concilij testimonium perhibuerunt, quòd Rolandum cancellarium, & partem eius trinis edictis per interualla peremptoriè & solenniter, ad præsentiã ecclesiæ Papiæ congregandæ, remoto omni seculari iudicio, vocauerunt, & quòd Rolandus cancellarius, & sui cardinales viua voce, & ore proprio iudicium vel examen aliquod ecclesiæ se nolle recipere manifestè dixerunt. Vidimus etiam scripta Henrici Pisani cardinalis ad dominum Imperatorem directa, in quibus expresè continebatur, quòd nullum vellent ecclesiæ subire iudicium, vel examen. Super hæc omnia idem Henricus, & Otto cardinalis S. Nicolai de carcere Tulliano, qui tempore concilij, & antè apud Ianuam morabantur, & Ioannes Anagninus cardinalis, & Ioannes Piozutus S. Romanæ ecclesiæ subdiaconi, qui tunc apud Placentiam erant per octo dies, à concilio toto sunt expectati, & per literas & nuncios concilij sunt vocati, & contempserunt venire. Ex his igitur omnibus sufficienter instructi, & veritate hinc inde plenariè declarata, placuit reuerendo concilio, vt electio domini Victoris, qui tanquam agnus mansuetus & innocens venerat, ecclesiæ iudicium humiliter susceturus, approbaretur & confirmaretur, & electio Rolandi penitùs cassaretur. Et factum est ita. Electione itaq; domini Victoris, remoto omni seculari iudicio, sancti spiritus gratia inuocata, confirmata atque recepta, Christianissimus Imperator post omnes episcopos, & post omnem clerum vltimus, consilio & petitione concilij electionem domini Victoris recepit, & approbauit: & post eum omnes principes, & innumerabilis hominum multitudo, quæ præsens erat, tribus vicibus interrogata si eis placeret, respondit cum gaudio magna voce, *Placet*. Sequenti die proxima, id est prima sexta feria Quadragesimæ, dominus Victor cum processione ab ecclesia S. Saluatoris extra ciuitatem, in qua fuerat eius hospitium, ad catholicã ecclesiam gloriosè deductus est. Ibi religiosissimus Imperator ante ianuas ecclesiæ eum suscepit, & descendenti de equo strepam humiliter tenuit, & apprehensum per manum vsq; ad altare conduxit, & pedes eius est osculatus: & nos omnes patriarchæ, archiepiscopi, episcopi & abbates, & omnes principes cum vniuersa multitudine quæ præsens erat, pedes apostolicos sumus osculati. Proxima autem die sequenti, id est sabbato, habito generali concilio, dominus papa & nos cum illo, Rolandum cancellarium schismaticũ, & eius principales fautores, accẽsis candelis anathematizauimus, & tradidimus eum satanę in interitũ carnis, vt spiritus saluus sit in die Domini. Illud etiam discretionis vestrę prudentiã volumus non latere, manifestè esse deprehensum, quòd Rolandus cancellarius, & eius sequaces quidã cardinales, viuente adhuc papa Adriano coniurauerunt. Fuit autem tenor coniurationis, quòd si eis viuentibus papã Adrianũ mori contingeret, cardinalem vnũ de illis eligerent, qui in eadem coniuratione esset astrictus. De cętero ex parte Dei omnipotentis, & beatorũ apostolorum Petri & Pauli, & omniũ sanctorũ & virorum orthodoxorũ, qui diuino intuitu ad rescindenda schismata conuenerũt, vniuersitatẽ vestrã humiliter imploramus & monemus in Christo, vt ea quę ecclesia Dei

Papiæ

Papiæ congregata,ad honorem creatoris & ſponſę ſuæ matris veſtræ ſacroſanctę Romanæ eccleſię ttanquillitatem,& ad ſalutem omnium Chriſtianorum fideliter ordinauit, vos omni dubio & ambiguitate remota, irrefragabiliter rata & firma teneatis: orantes, vt redemptor noſter Chriſtus Ieſus vniuerſalem pontificem & papam noſtrũ Victorem, de cuius ſanctitate & religione omnino confidimus, per tempora longa conſeruet,& præſtet ei omnimodam tranquillitatem & pacem, ita quòd per eũ Deus omnipotens honoretur,& eccleſia Romana, omniſq; Chriſtiana religio gratum domino accipiat incrementum. Vt autem omnis actio pleniùs legentibus eluceſcat, dignum duximus, vt omnium noſtrûm conſenſus & nomina ſubſcribantur. 1160.

Ego Peregrinus Aquileienſis patriarcha cũ meis ſuffraganeis interfui & conſenſi.

Ego Arnaldus archiepiſcopus Moguntinus cum XIIII ſuffraganeis interfui & conſenſi.

Ego Artuicus Bremenſis archiepiſcopus cũ ſuffraganeis meis interfui & cõſenſi.

Ego Hellinus Treuerenſis archiepiſcopus cum meis ſuffraganeis conſenſi.

Ego Reinaldus Colonienſis archiepiſcopus cum meis ſuffraganeis conſenſi.

Ego Wickmannus Magdeburgenſis archiepiſcopus cum meis ſuffraganeis conſenſi.

Bizuntinus archiepiſcopus per legatum & epiſcopum Baſilienſem conſenſit.

Arelatenſis archiepiſcopus conſenſit.

Lugdunenſis archiepiſcopus cum ſuis ſuffraganeis conſenſit.

Viennenſis archiepiſcopus cum ſuis ſuffraganeis conſenſit.

Henricus rex Anglorum per literas & legatos ſuos conſenſit.

Rex Vngarorum per literas & legatos ſuos conſenſit.

Rex Boemorum conſenſit.

Rex Danorum conſenſit.

Guido electus Rauennas conſenſit.

Epiſcopus Firminus conſenſit.

Epiſcopus Ferentinus conſenſit.

Mantuanus conſenſit.

Pergamenſis conſenſit.

Fauentinus conſenſit.

Abbatum verò & archipresbyterorum multitudo innumerabilis multorum regnorum interfuit & conſenſit.

Longobardorum inæſtimabilis multitudo interfuit & conſenſit.

Vniuerſi ferè principes Romani imperij,tam Teutonici, quàm Italici,tam in Vrbe,quàm extra Vrbem interfuerunt, & aſſenſum cum ingenti deſiderio præbuerunt.

CAPVT LXXI.

Epiſtola Babenbergenſis epiſcopi de eadem re:

Reuerendiſſimo patri & domino Eberhardo Salizburgenſis eccleſiæ archiepiſcopo, Eberhardus Babenbergenſis gratia Dei ſi quid eſt, tam deuotum, quàm debitum cum oratione ſeruitium.

Conuenientibus in vnum Papiæ epiſcopis circiter L, diuq; ventilata quæſtione papatus,cùm dilatio primò penè omnibus complacuiſſet, vſq; ad maiorem rei notitiam,& aliud generalius concilium: præualuit tandem pars domini Victoris iuſtificata ab altera parte multis modis: quia coniuratio contra Imperium, factum illud præceſſerat: quia domini Victoris immantatio prior, illa poſterior,quo ſolo Innocentius Anacleto præualuit, cum Anacletus plures & maximæ ſcientiæ & auctoritatis haberet electores. Deinde quòd ad hoſtes imperij pars illa ſe tranſtulerit, obligata Siculo, Mediolanenſibus, Brixienſibus, Placentinis, per ſacramentum, quod ſanæ doctrinæ aduerſari videtur, & cùm ſubditos à iuramentis fidelitatis debitè abſoluat, & ſeruire Imperatori prohibeat quoſcunq;, & ſic diſceſſioni viam præparet,quod peſſimũ eſt: ſicut opere ipſo clareſcit, & ſcriptis vndiq; per Italiam directis tam ciuitatibus quàm epiſcopis. His malis principijs finem deteriorem promittentibus, perpetuam videlicet diſcordiam inter regnum & ſacerdotium, & diſceſſionem ab inuicem, dum pars

1160. illa cum omni ſecuritate conductus, nec venire voluiſſet, nec etiam procuratores prò ſe mittere ad ſubeundum iudicium, & excipiendam ſententiam, dominum Victorem recipimus, ſpe pacis & concordiæ inter regnum & ſacerdotium: longo tamen examine præmiſſo, de tempore & ordine electionis ſuę. De his qui eius electioni conſenſerunt primitùs, & poſtmodum retrò abierunt, cardinalibus numero nouem, teſtificante ſuper his omnibus capitulo beati Petri & clero Romano, ſcriptis & viua voce nunciorum ſub iureiurando. Nuncius regis Francorum promiſit pro eo neutrum ſe recepturum, vſq; dum nuncios Imperatoris recipiat. Nuncius regis Anglorũ idem velle, & idem nolle promiſit, tam in his, quàm in alijs. Arelatenſis, Viennenſis, Lugdunenſis, Biſuntinus, per literas, & per nuncios conſenſerunt. Solus Treuerenſis de regno noſtro ſupereſt in parte illa de numero archiepiſcoporum, qui non conſenſerit: eius tamen ſuffraganei omnes conſenſerunt. Vſque ad vos ſolùm peruentum eſt. Angelus magni conſilij dirigat vos ſecundum beneplacitum ſuum, & cuſtodiat vos in omnibus vijs veſtris. Præter hæc præpoſitus multa manifeſtabit vobis, quæ non licet ad præſens homini loqui. Congaudete mihi, qui dimiſſionem accepi, & ad propria redeo.

CAPVT LXXII.

Epiſtola cuiuſdam religioſi viri ad epiſcopum Saltzburgenſem, de eadem re.

Domino ſuo in Chriſto reuerendo Eberhardo Saltzburgenſi archiepiſcopo, frater Henricus, dictus Præpoſitus de Berthersgaden, cum deuotis orationibus debitæ ſubiectionis obſequia.

Si cuncta quæ audiuimus & vidimus, ſcribere deberemus, non chartam, ſed volumen facere videremur. Verùm ſummam eorum quę de duorum electione Romanorum pontificum acta ſunt, breuiter paternitati veſtræ notificamus. Curia quæ in octauis Epiphaniæ Papiæ fuerat indicta, vſq; in ſextam feriam proximam ante caput Ieiunij, quia in deſtructione Cremæ dominus Imperator detinebatur, eſt dilata. In qua conſidentibus domino Patriarcha, archiepiſcopis, & diuerſarum terrarum ferè quinquaginta epiſcopis, legatis quoq; regis Franciæ, & archiepiſcoporum, Arelatenſis ſcilicet, Lugdunenſis, Viennenſis, Biſuntini, atq; Treuerenſis, & Rauennatis electi, cardinales & clerici, qui pro parte Victoris aderant, in medium proceſſerunt, & vtriuſq; ſeriem electionis expoſuerunt. Super qua continuis quinq; diebus ab epiſcopis, & alijs prudentibus viris copiosè diſputatum cùm fuiſſet, ſexta tandem die in publico conſiſtorio electionis capitula denuò propoſita ſunt, & ſingula à canonicis eccleſiæ beati Petri, & rectoribus Romani cleri, ſacramento ſuper ſancta quatuor euangelia præſtito, confirmata. Pars autem altera nec ipſa venit, nec reſponſales, qua de cauſa neſcimus, conuentui direxit. Recitatæ ſunt inſuper literæ quamplures bullatæ ab Alexandro, & cardinalibus qui cum ipſo ſunt, epiſcopis & ciuitatibus Longobardiæ directæ, ſed à fidelibus domini Imperatoris captæ, ex quarum tenore machinationes eorum, & molimina contra Imperium patenter ſunt deprehenſa. Vnde quia dilatio non paruum tam eccleſiæ, quàm imperio videbatur minari periculum: præſertim quia non erat qui prædictis aſſertionibus contradiceret, cum vtraque nimirum pars non ad curiæ, ſed ad eccleſiæ fuiſſet examinationem vocata: epiſcopi parti Victoris, quæ ipſum x i diebus antequam Alexander immantaretur, immantatum fuiſſe, & in ſede beati Petri, aduerſa parte præſente, absque reclamatione ſedisſe, præſtito (vt dictum eſt) ſacramento probauerat, aſſenſum præbuerunt: & eundem Victorem vt apoſtolicum in eccleſia ſolenniter ſuſcipientes, ſolitam ei reuerentiam exhibuerunt. Facta ſunt hæc domino Imperatore & fidelibus Imperij annitentibus propter cauſas memoratas. Quapropter ipſemet eidem confirmato pontifici, ante fores eccleſiæ deſcendenti, conſuetum detulit honorem. Secunda verò poſt hæc die, ſæpe iam dictus dominus Victor, celebrato ſynodi officio, alterius partis principem cum quibuſdam ſuis fautoribus epiſcopis ſcilicet, Hoſtienſe & Portuenſe, eò quòd conſecrationis manum eidem præſumpſerant imponere, Cardinalibus etiam Henrico Piſano, Ioanne Neapolitano, & Iacincto, anathematis vinculo, extinctis candelis innoda-

nodauit. Excommunicauit autem Henricum Pisanum idcirco quòd mandato eius magister Raimundus cardinalis despoliatus, & atrociter cæsus fuerit. Præpositum etiam Placentinum, quia dominum Tusculanum armata manu inuaserit, & despoliatum, multis contumelijs affecerit, simili sententiæ inuoluit. Wilhelmum præterea Siculum, atque Mediolanenses pro inuasionibus ecclesiarum & Imperij, ad canonicam vocauit satisfactionem. Interfuerunt his omnibus Metropolitani, dominus patriarcha, Moguntinus, Colonienſis, Magdeburgenſis, Bremenſis, cum nonnullis suffraganeis suis, & maxima pars episcoporum Longobardiæ, quorum plurimi affectuosum & plenarium prædictæ confirmationi tribuerunt assensum. Dominus verò Patriarcha, & quidam alij, salua in posterum catholicę ecclesiæ censura, propter memoratas imperij necessitates obedierunt. Absentes omnes quos prænotauimus archiepiscopi, pro se & suis suffraganeis plenariè consenserunt, excepto Treuerēse, qui cum iter cepisset, infirmitate præpeditus, excusatorias tantummodo literas direxerat. Præsentes autem eius suffraganei Tullenſis & Verdunenſis pro se & consuffraganeo suo Metense in integrum spoponderunt. Domini Babenbergenſis, Patauienſis & Ratisponenſis patriarcham sunt imitati. Pro confirmandis omnibus quæ facta sunt, mittuntur legati, dominus Colonienſis in Franciam, Verdunenſis in Hiſpaniam, Pragenſis in Vngariam. Si interim alia scripta, quorum quędam vidimus, meram de his veritatem minus continentia, ad manus vestras deuenerint, sciat sanctitas vestra, quòd vt pro parte potuimus, sinceram de his veritatem significauimus, plenius autem præsentes insinuabimus. 1160.

CAPVT LXXIII.

De archiepiscopo Iuuauiense, quare tam crebras literas acceperit, & de vita ac moribus eiusdem.

QVARE autem tam crebræ literæ Eberhardo Saltzburgenſi archiepiscopo super gestis concilij directæ sint, hæc fuit causa. Cùm ad concilium iter cepisset, & iam per forum Iulij, & per marchiam Veronenſium vsque ad ciuitatem Vicentinorum peruenisset, graui correptus infirmitate, gradum sistere, domumq; redire coactus est. Sanè quum tanti viri fecimus mentionem, de vita & moribus eius quædam memorabimus, quæ quamuis vt lucerna super candelabrum posita, in domo nostrę prouinciæ clarissimè luceret, ab his tamen qui longè positi sunt, inuida bonis fama difficilius subtrahet, si scribendo celebretur. Erat autem idem vir venerabilis, ætate maturus, sacræ paginæ literis decentissimè instructus, fide præcipuus, religione singularis. Humanitate & pietate adeò communis, vt verè dicere posset: *Omnibus omnia factus sum, vt omnes lucrifacerem.* In largitionibus liberalis, in eleemosynis & suscipiendis peregrinis studiosus, in tantum, vt sumptus in obsequium pauperum monasteriorum & peregrinorum quotidie expensus, non solùm palatio suo, verùm etiam toti episcopio videretur onerosus. Ipse tamen huiusce modi pondere minimè grauabatur, cùm hæc incommoda bonæ famæ, quam ipse tamen minimè affectabat, & æternæ retributionis mercede compensaret. Pauperum squalores minimè abhorrebat, à leprosis se tangi & contrectari passus est, quin etiam ipse eos interdum tangere, manusq; eorum osculari nō verebatur. Nec sufficere credidit, si in ministerio pauperum, famulorum vteretur officijs, nisi ipsemet habitu succinctus, manibus suis interdum cibum apponeret, poculum porrigeret, aquam non solùm lauandis manibus, sed & pedibus infunderet. Cumq; non solùm in verbo perfectam doctrinam, verùm etiam in opere consummatæ disciplinæ præberet exemplum, meritò de eo dicebatur, quod olim de quodam sanctorum: *Quia hic est qui quale habet verbum, talem habet vitam: & qualem habet vitam, tale habet verbum, quomodoq; docet, agit: & quæ agit, hæc docet.* His & alijs plurimis virtutibus, & diuinæ gratiæ donis, plures quidem ad sui imitationem, vniuersorum autem ad dilectionem sui prouocârat affectum. Sed hæc hactenus. 1. Cor. 9.

1160.

CAPVT LXXIIII.

De legatis ad Græciam deſtinatis.

COMPOSITIS ita rebus & geſtis concilij, miſſis quoq; legatis, vt ſuprà dictum eſt, ad reges, Hiſpaniæ, Angliæ, Franciæ, Daciæ, Boemiæ & Vngariæ: ad Imperatorem quoq; Græcorum Manuel nuncios dirigit, videlicet Henricium ducem Carentanum, fortem & exercitatum in bellicis conſilijs virum, & Henricum ſacri palatij notarium, omniq; probitate & induſtria præditum, ac Neimerium filium Petri Polani ducis Venetorum, iamdudum in captiuitate ſua tentum, ſed abſolutum, reſponſa portantes (vt dicebatur) ſuper petitione Conſtantinopolitani principis de Pentapoleos maritimis in Apulia, & quibuſdam ſecretioribus conſultationibus, contra Wilhelmum, Rogerij Siculi filium, & in regno ſucceſſorem. Cernens autem totam Longobardiam continuis duorum annorum expeditionibus grauiter attritam, cum exercitus in crebris contra hoſtes excurſibus & rapinis, nec etiam amicis parcere potuiſſet, pauliſper terram ipſam quieſcere & reſpirare vtile iudicauit, donec recepta cultura nouas futuro anno calamitates ſuſtinere, nouumq; faciliùs & recipere & enutrire poſſet exercitum.

CAPVT LXXV.

Quòd Imperator iterum principes abire permiſerit.

Copia Germanica laudib. & muneribus ornata dimittuntur.

ITAQVE dimiſſurus exercitum, aduocans ad ſe proceres, & de militia meliores, magnam illis ait ſe habere gratiam pro beneuolentia & fidelitate, qua erga ſe vtendo perſeueraſſent. Laudabat etiam in vnoquoq; bonos mores, & fortitudinem, quam præliando in multis magnisq; periculis monſtraſſet. Quòd eos neq; hoſtium multitudo, nec magnitudines ciuitatum, vel audacia inconſulta, & immanitates efferæ aduerſantium, à conſueta animi virtute terruiſſent. Magnam quoq; huius rei ſibi fore diligentiam, quòd debitis præmijs & honoribus virtutes eorum vellet honorare, qui militiæ ſocij fuiſſent, nec vllum eorum qui plus alijs laboraſſet, iuſta viciſſitudine carituru. Eos etiam quos nouerat fortiter aliquid & egregium in bello feciſſe, nominatim ſingulos appellans conlaudabat. Deinde aurum & argentum, vaſa ex argento & auro facta, itemq; veſtes precioſas, beneficia feudorum, aliaq; donaria largiret & regaliter diſtribuebat. Omnibus autem hoc modo exhilaratis & donatis, vt quiſque ſe meritum præbuerat votis, & laudibus cum magno fauore ab vniuerſo exercitu factis, quo quemq; conueniret, dimittit: ipſe verò cum paucis in Italia remanſit. Quia verò huius Operis libellos numerũ euangelicum excedere non prõpoſuimus, priuſquam huic quarto Volumini terminum demus, ex quo actus & geſta bellorum ſereniſſimi principis ſummatim perſtrinximus, mores quoq;, cæteraſq; vitæ illius partes & ſtudia circa regni adminiſtrationem pauliſper proſequamur.

CAPVT LXXVI.

De forma & moribus Friderici, & eius varijs ædificijs.

Sidonius Apoll.

IGITVR diuus Auguſtus Fridericus, vt de Theodorico quidam ſcribit, & moribus & forma talis eſt, vt & illis dignus ſit agnoſci, qui eum minus familiariter intuentur. Ita perſonam ſuam Deus arbiter & ratio naturæ, conſummatæ felicitatis dote ſociata cumularunt. Moribus huiuſcemodi: vt laudibus eorum nihil, ne Imperij quidẽ fraudet inuidia. Forma corporis decenter exacta: ſtatura longiſſimis breuior, procerior eminentioriq; mediocribus: flaua cæſaries, paululum à vertice frontis criſpata. Aures vix ſuperiacentibus crinibus operiuntur, tonſore pro reuerentia Imperij pilos capitis & genarum, aſſidua ſucciſione curtante. Orbes oculorum acuti & perſpicaces, naſus venuſtus, barba ſubrufa, labra ſubtilia, nec dilatati oris angulis ampliata, totaq; facies læta & hilaris. Dentium ſeries ordinata, niueũ colorem repræſentant. Gutturis & colli non obeſi, ſed parumper ſucculenti, lactea cutis, & quę iuuenili rubore ſuffundatur. Eumq; illi crebrò colorem nõ ira, ſed verecundia facit. Humeri pauliſper prominentes.

Friderici corporis forma.

tes. In succinctis ilibus vigor. Crura suris fulta turgentibus, honorabilia, & bene ma- 1160.
scula. Incessus firmus & constans, vox clara, totaq; corporis habitudo virilis. Tali cor-
poris forma plurima & dignitas, & auctoritas tam stanti quàm sedenti acquiritur. Va- *Virtus.*
letudine satis prospera, præter quòd interdum febre ephemera corripitur. Bellorum
amator, sed vt per ea pax acquiratur. Ipse manu promptus, consilio validissimus, sup-
plicantibus exorabilis, propitius in fide receptis. Si actionem diuturnam forinsecus
perquiras, antelucanos basilicarum & sacerdotum suorum cœtus, aut solus, aut mini- *Pietas.*
mo comitatu expetit, eosq; tam grandi sedulitate veneratur, vt omnibus Italis erga e-
piscopos & cleros seruandi honorem & reuerentiam, ipse formam & exemplum tri-
buerit. Officiis diuinis tantam præbet venerationem, vt omnem horam qua coram i-
pso Deo psallitur, competenti veneretur silentio, nec vllus interim eũ audeat de quo-
libet sollicitare negotio. Peractis votis, & post missarum solennia, diuinis consignatus *Dexteritas.*
reliquiis manè reliquum curæ regni administrandi deputat. Si venationibus exerce-
tur, in equis, in canibus, accipitribus, cæterisq; eius generis auibus, instituẽdis, spectan-
dis, circumferendis, nulli secundus. In birsando ipsemet arcũ tendit, spicula capit, im-
pler, expellit. Eligis quod feriat, quod elegeris ferit. In conuiuio talis disciplina, abun- *Temperan-*
dantiá regia, vt nec sobrietas temulentiam, nec fames frugalitatẽ possit incusare. Cùm *tia & comi-*
ludendum est, regiam tantisper sequestrat seueritatem: eiusq; temperamenti est, vt sit *tas.*
remissio non minans, austeritas non cruentans. Erga familiares suos in proferendo al-
loquio non minax, nec in admittendo consilio spernax, nec in reatu inuestigãdo per-
sequax. Scripturas & antiquorum gesta sedulò perquirit. Eleemosynas in ministerio
pauperum plerunq; ipse manu sua distribuit. Pecuniarum suarum decimam ecclesiis
& monasteriis fideliter diuidit. In patria lingua admodum facundus, Latinam verò
melius intelligere potest quàm pronunciare. Vestitu patrio vtitur, nec profuso, aut pe-
tulanti, sed nec plebeio: cui magis hoc decorum, vt in castris suis potius Martis pompa
radiet quàm Veneris. Qui cùm in ampliando regno, & subigendis gentibus tantus
existat, vt in prædictis occupationibus assiduè versetur, opera tamen plurima ad regni
decorem & commoditatem pertinentia, diuersis in locis inchoauit, quædam etiam
consummauit, & maximam prouidentiæ partem obsequio pietatis impendit. Palatia *Regales stru-*
siquidem à Carolo magno quondam pulcherrima fabricata, & regias clarissimo ope- *ctura.*
re decoratas, apud Nouiomagum, iuxta villam Inglinheim, opera quidem fortissima,
sed iam tam neglectu quàm vetustate fessa, decẽtissimè reparauit, & in eis maximam
innatam sibi animi magnitudinem demonstrauit. Apud Lutra domum regalem ex *Lutrense*
rubris lapidibus fabricatam non minori munificentia accurauit. Etenim ex vna parte *palatium.*
muro fortissimo eam amplexus est, aliam partem piscina ad instar lacus circumfluit,
piscium & altilium in se continens omne delectamentum, ad pascendum tam visum,
quàm gustum. Hortum quoq; habet contiguum, ceruorum & capreolorum copiam
nutrientem. Quorum omnium regalis magnificẽtia, & maior dictu copia operæ pre-
cium spectantibus exhiber. In Italia quoq; apud Medoicium, Laudam, & in aliis locis
ac ciuitatibus, in renouandis palatiis, ædibusq; sacris, tantam liberalitatis magnifice-
tiam declarauit, vt totum imperium tanti Imperatoris & munere & memoria in per-
petuum fungi non desinat. Reges Hispaniæ, Angliæ, Franciæ, Daciæ, Boemiæ atque
Vngariæ, quamuis suspectam semper eius haberent potentiam, sibi adeò per amicitia-
am & societatem deuinxit, & ad suam voluntatem sic inclinatos habet, vt quoties ad
eum literas vel legatos miserint, sibi cedere auctoritatem imperandi, illis non deesse
voluntatem obsequendi denunciẽt. Imperatorem Constantinopolitanum Manuel,
vltrò amicitiam & societatem eius expetẽtem, cum sese, sicut antecessores sui, Roma-
norum appellaret Imperatorem, flexit, vt se non Romæ, sed Neoromæ vocet Impe- *Constanti-*
ratorem. Et ne multis morer, toto regni sui tempore nihil vnquam duxit melius, nihil *nopolitanus*
iocundius, quàm vt imperium vrbis Romæ sua opera, suoq; labore pristina polleret *noua Roma*
& vigeret auctoritate. *Imperator.*

Hæc à glorioso principe acta sunt vsq; ad præsentem annum, qui ab incarnatione
domini millesimus centesimus sexagesimus, regni autem eius septimus, imperij quin
tus numeratur, multa adhuc in regni gubernaculis feliciter acturo, tandemque apud
regem regum cum piissimis principibus æterna percepturo præmia meritorum.

EPILOGVS OPERIS.

HOs de latißimis geſtorum tuorum pratis, Auguſtorum optime, tam dilectus patruus tuus Otto epiſcopus, quàm noſtræ humilitatis diligentia flores legit, vnde huius Opuſculi coronam texeremus: plura quæ de te ſciuntur & referuntur, peritioribus & magis domeſticis relinquentes. Quæ ſi cuiquam inuiſa fuerint, aut ea deſpicabilia iudicauerint, nos tamen obedientiæ noſtræ fructus conſolabitur, qua præcipienti paruimus. De qualitate autem Operis, vos dilectißimi domini mei videritis, quos in hoc Opere arbitros elegimus, & correctores. Vobis enim adiudicandum erit quod editis: per vos iudicandum quod delendum duxeritis.

Finis librorum Radeuici de geſtis Friderici Imp. Auguſti.

APPENDIX VETVSTI SCRIPTORIS AD RADEWINVM, QVÆ VNA CVM EPISTOLA SEQUENTE IN VETUSTIORI EXEMPLARI EADEM OMNINO MANU ADSCRIPTA ERAT: AD SUPPLENDAM RELIQUAM FRIDERICI IMPERATORIS HISTORIAM, OTTONI & RADEVICO ANNEXA.

Carcanum. ANNO ab incarnatione domini M.CLX, apud oppidum quod vocatur Carcer, ab Imperatore contra Mediolanenſes graue prælium habitum eſt: & cum iam Latinis qui ſecum erant fugientibus, victus videretur, ſtrenuè vicit. Cæſi penè quingenti ex parte aduerſa, de noſtris tantùm quinque.

Eodem anno vel proximo, Arnoldus vir grandæuus & prudens, archicancellarius, & Moguntinus archiepiſcopus, de eccleſia ſancti Iacobi per incendium exire coactus, à ſuis miniſterialibus crudeliter necatus eſt.

Anno ab incarnatione domini M.CLXII, Mediolanum denuò nouo genere obſidionis clauſum, etiam caſtris in gyro eius conſtructis.

Anno M.CLXIII, Mediolanum captum, & funditùs euerſum eſt. Goizo rex Vngariæ moritur.

M.CLXIIII, diſſentientibus inter ſe fratribus Goizi & filio eius paruulo, puer Imperatorem datis quinq; milibus marcarum ſuæ parti adiungit.

Veronenſes, Vincentini, Paduani, Taruiſini rebellant.

Octauianus moritur, Guido ſubſtituitur.

Eberhardus Saltzburgenſis archiepiſcopus venerabilis obiit, Conradus Patauienſis epiſcopus ſubſtituitur: Conrado Robertus, Roberto Albanus Friſing. canonicus.

Hartwicus Ratiſponenſis epiſcopus mutilus, Hartmānus Brixinenſis Deo dignus epiſcopus obierunt.

Anno ab incarnatione domini M.CLXVI, apud Wirzeburg in Pentecoſte Curia celebratur, vbi coniuratio fit ab Imperatore & principibus qui aderant tam ſecularis, quàm eccleſiaſtici ordinis, quòd Paſchalis ſemper Papa habeatur; & eo mortuo, nullus niſi de ſua parte eligatur. Similiter poſt mortem Imperatoris, nemo ſibi ſubſtituatur, niſi iurauerit ſe eandem partem defenſurum. Solus Albertus Friſingenſis tunc iurare noluit. Nam Conradus Moguntinus iam vt hoſtis præiudicatus fuerat. Eodem anno Albertus Friſingenſis diu renitens, coactus iurauit obedire Paſchali pro conſcientia, quandiu Imperium partem eius foueret, & quandiu regalia habere vellet.

Ipſo itidem anno Imperator circa feſtum ſancti Petri deſcendens, Vngaros qui antè promiſſam pecuniam ex maiori parte mentiti fuerant, denuò iurare coegit. Vbi rex Boemorum quendam de regulis Ruthenorum ſuæ præſentiæ obtulit, eiuſq; illum ditioni ſubdidit. Fames valida per totam terram.

M.CLXVII, Imperator circa autumnum Italiam intrauit: ibiq́ue cooperante cancellario ſuo Chriſtiano, Paſchalem per iterata ſacramenta confirmauit. Hoc eiuſdem inſtinctu

instinctu cancellarij apposito, quòd nullus eorum vnquam absolutionem eius iuramenti expeteret, oblatam nunquam reciperet.

Eodem anno dux Austriæ Henricus, & Otto palatij comes maior in Græciam destinati, sine effectu, præter quòd magnificè donati sunt, reuertuntur.

Henricus dux filiam suam regi Vngariæ coniugio copulauit.

Inter Saxones & ducem Bauariæ Henricum graue bellum agitatur.

M.CLXVIII, Imperator Rauennates, Fauentes & Bononienses grauiter attritos ad deditionem coegit.

Christianus apud Moguntiam domino Conrado superponitur.

Iuuauia iamdudum propter Alexandrum ab Imperatore proscripta, crematur: dubium an hostium patratu, an proprio casu.

Conradus frater Imperatoris pro recuperanda gratia, quam dudum ineptè amiserat, Italiam intrat, sed sine effectu reuertitur.

Welfo senior & Henricus Burgrauius & Fridericus Palatinus comes Hierosolymam petunt.

M.CLXVIII, Vngarus, sibi auxilium præstante Henrico duce Austriæ socero suo, bellum mouet Græcorum Imperatori, pro eo quòd fratrem suum regnum affectantem suscepit & fouit, coniugio filiæ ditauit.

Eodem anno Imperator Anconam obsidet, capit. Intereaque Romam præmittit Reinoldum Coloniensem, & Christianum Moguntinum cum copiis. Quibus inter Tusculanum & Vrbem, Romani cum exercitu occurrunt, committunt, vincuntur, & ad internicionem cæduntur. Ceciderunt ibi de Romanis ferè nouem milia: capti ferè tria. Subsequitur eos Imperator, Leoninam vrbem & porticus ecclesiæ sancti Petri cremat. Ecclesiam à Romanis incastellatam capit, & euertisset, si non religionis intuitu pepercisset. Post hæc in Longobardiam iter flectit.

Cremonenses, Brixienses, Mediolanenses ad locum suum reuersi: Laudenses, Pergamenses, Mantuani hostibus Imperij confœderati rebellant.

Eodem tempore pestilentia grauis exercitum inuasit, & ex maxima parte extinxit. Mortui sunt tunc de principibus Reinoldus Coloniensis, Daniel Pragensis, Eberhardus Ratisponensis, Conradus Augustensis, Gotefridus Spirensis, Hermannus Verdensis, N. Cicensis, episcopi. Fridericus filius regis Conradi, Welfo iunior, Berengarius de Sultzbach, de baronibus innumerabiles.

Imperator cladem suorum, rebellionem Italorum, literis per omnem imperij latitudinem declamat.

Ratisponensi episcopo Chuno successit, Augustensi Hartwicus.

Non minus autem & in Vrbe pestis eadem desæuit: adeò, vt dicebatur, quòd mulieres maritis viduatæ, ab exteris ciuitatibus expetere connubia cogerentur.

*Rolandus, qui & Alexander, denuò Vrbe cedit. Nam hoc eodem anno de Frãcia reuersus, fretus quibusdam de nobilioribus Romanis & Guilhelmo Siculo, sedem Lateranensis Patriarchiis insederat. *M. cluiu.*

Imperator periculoso itinere de Italia reuertitur.

Non multo pòst, Guido quoq; à fidelibus Imperatoris Romæ locatur.

Conradus Iuuauiensis constanter cum Rolando perseuerans defunctus est: eiq; Adilbertus, filius regis Boemici sororius eius, subrogatur.

Inter hæc nouiter electi episcopi, vt consecrationem suam à Christiano Moguntino recipiant, ab Imperatore compelluntur.

Guido, qui & Paschalis, moritur, & in basilica B. Petri Romæ sepelitur, à Romanis, præter Centios, Ioannes Albanensis eps eligitur, & Calixtus tertius nuncupatur.

Ludouicus rex Franciæ, & Henricus rex Angliæ inuicem guerrant: ab Imperatore de pace inter se facienda precibus conueniuntur, adiunctis minis ex parte regis Francorum. Nam inter Imperatorem & regem Angliæ fœdus & amicitia fuit, data filia sua in vxorem Henrico duci Bauariæ & Saxoniæ.

Hartwicus Augustensis à Christiano consecratus ordines celebrat. Albertus Frisingensis iam quasi liber & liberatus à schismate per mortem Guidonis, similiter.

Eodem anno rex Hierosolymorum de Sarracenis gloriosè triumphauit.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 136;Leibn. Marg. 136, Stück 1, [577] - 559

M.C.L.XX, Imperator natale domini in Alsatia egit. Circa purificationem S. Mariæ, *Norimberch* Curiam celebrat, vbi regem Boemiæ qui offenderat, de facili in gratiam recepit. Albanum Patauiensem electum à suis ab episcopio perturbatum, spe tantùm in episcopatū restituit, effectu minimè. Nam offensus erat ei propterea, quòd à Christiano consecrari abnuit. Ob hanc etiam causam Chunonem Ratisponēsem electum grauiter ibidem tractauit, & Curiam ei de hoc verbo vsque in proximam Pentecosten præsignauit: quatenus aut ordines à Christiano reciperet, aut episcopatum dimitteret.

Intrante Quadragesima, Cistercienſis & Claraualleſis abbates Imperatorem conueniunt super schismate, eiq; suggerunt, vt Babenbergensem episcopum cum eis Romam destinet: quod & factum est. Sed propter Longobardorum insolentiam negocium ipsum tunc prouectu caruit. Nam episcopus ipse ab eis repulsus, ad propria redire coactus est.

Circa idem tempus Saltzburgensis electus, ab Vlrico Patriarcha Aquileiensi consecratus est, inuito Imperatore.

Pascha in Alsatia celebratum est.

EPISTOLA ἀνεπίγραφος.

Narratio de periculis atque laboribus expeditionis Asiatica Friderici Imp. deq; eiusdē morte. Anno 1190.

CREDENTES sanctitatem vestram esse cupidam circa noticiam rerum ab Imperatore gestarum, ea quæ vidimus, & manibus tractauimus, sine adulterinę fallitatis admixtione succincta breuitate vobis scribere curauimus.

Cognoscat itaq; vestræ sanctitatis discretio, quòd ab amantissimo rege Vngariæ Bela honorificè recepti, & benignè ab ipso & humaniter tractati, statim cum regnum Græciæ intrauimus, in manus furum & latronum incidimus, nulla in Græcis fide reperta. Nam contra communem non violādorum legatorum legem, episcopum Monasterienſem & comitem Rubertum ceperant: vnde cum magno labore per partes Bulgariæ procedentes, post longam viæ nostræ moram (capta prius ciuitate Philipoli & destructa, & famoso castro Verm. destructo, & tota circumiacente regione gladio deuastata: capta ēt nobili ciuitate Andrinopoli, & circūiacentibus ciuitatibus: captaq; inexpugnabili ciuitate Timotico à duce Sueuię, & infinitis de habitatorib. villę occisis: destructo etiam quodā castro, nomine Maniceta, à militibus nostris & paucis de exercitu; vbi circiter sex milia Græcorum perierunt igne & gladio: captis quoque complurimis castris, & facta magna strage Græcorum, cum etiam fame perirent: acceptis etiam à Constātinopolitano Imperatore idoneis obsidibus, redditis etiam nobis nunciis Soldani & filiis eius, quos ad nos missos antè ceperant) in festo Paschæ cum omni prosperitate rerum & personarum, brachium S. Georgij trāsiuimus. Sed postmodum quæ à prædicto Imp. nobis iurata & promissa sunt, nequaquam sunt obseruata.

Deinde procedentes per partes Philadelphiæ, vsq; Laodiciam peruenimus in manu forti, omni die armata militia exercitus Christi. Inde proficiscentes feria sexta ante diem Rogationum, propter graminis & aquæ defectum, & propter dictam solito longiorem, inæstimabile damnum in equis passi, venimus vbi fluuius Mandra oritur: & cùm adhuc essent circa nos nūcij Soldani & filij eius, qui magna domino Imperatori munera attulerant, & sub fidei certa pollicitatione pacem nobis firmissimam promisissent: inuenimus tamen ibi in magna copia Turcorum acies contra nos ordinatas, qui ad mortem nostram missi fuerant. Sed Deo auctore & duce, sub sanctæ crucis vexillo, diluculo feria secunda quæ prima erat Rogationum dies, in ore gladij eos vicimus, magna eorum facta strage, transeuntes eadem die fauces & angustissima montium versus Susopolim. In quibus partibus in angusto quodam transitu, in vigilia Ascensionis domini nostri magnam Turcorum multitudinem occidimus. Et quia iam equorum defectum sensimus, qui vulnerati fuerant & occisi, & propter frigiditatem segetem & herbam non inuenimus, cum iam fame artari inciperemus, nec à nunciis Soldani aliquod inueniremus consilium, à via regia quam Imperator Emanuel ire solebat, eò quòd esset deserta & longissima versus Iconium, & tota montibus clausa, necessitate coacti ad sinistram declinauimus.

In

In die Aſcenſionis domini ſummitates montium, per quos erat nobis tranſitus, occupantes, per montes aſperrimos & viam anguſtiſſimam contra ſpem omnium hominum, cum ſumma difficultate, & magna rerum & perſonarum iactura, eadem die in planiciem Finimini deſcendimus. Turci enim ex omni parte quaſi corona totum cinxerant & impugnabant exercitum: & dux Sueuię cum duce de Mair, & Marchione de Badin, & aliis nobilibus & ſagittariis à tergo remanſerant, ad tuendum præcedentes: qui cum præmiſſis eorum equis, pedites deſcendere deberent, tanta fuit Turcorum inſtãtia cum ſagittis & fundis, & lapidibus, quòd noſtri ab inuicem diuiſi ſunt, poſiti in magno neceſſitatis articulo, & dux Sueuiæ vulneratus eſt, vno ſuperioti dente penitùs excuſſo & medietate inferioris. Quàm plures etiam milites ex noſtris vulnerati ſunt, vnus ſolus occiſus eſt. Saumarij multi cum pecunia, veſtibus, vaſis perditi ſunt. Sed de Turcis plurimi occiſi ſunt. Turcorum verò vires ſuprà quàm dici poteſt quotidie augebantur. Nam ſtatim ducem Sueuiæ cum ſuo exercitu, & ducem de Finimini cum ſuo exercitu, ducem de Ferma cum ſuo exercitu in occurſum habuimus, cum infinito aliorum numero. Quibus omnibus coadunatis à manè vſq; ad veſperã, per omnes ſequentes dies conflictum habuimus, & Deus ſemper poſuit victoriam in manibus noſtris: multis tamen vulneratis ex noſtris, & multis equis occiſis. Poſt dič verò Aſcenſionis, proxima dominica, Fridericus de Hunlitra eos inſequẽdo de equo cecidit, & fracta ceruice obiit. Sequenti autem die apud Finiminum caſtrametati ſumus: vbi cum circa veſperam caſtra noſtra Turci aggrederentur, ita vt de quibuſdam hoſpitiis ſpolia iam rapetent armatis, nos in fugam eos conuertimus, & ex eis ceciderunt plus quàm ſex milia Turcorum: inter quos trecenti ſeptuaginta quatuor de melioribus totius Turciæ occiſi ſunt, & nullus de noſtris interiit: ſed & equi multi occiſi. Et reſonabant montes ex clamore plangentium, & nox diuiſit nos ab inuicem.

Incepit autem inter nos fames valida regnare. Vinum autem & farina ex toto defecerat, & ego cum aliis equinas carnes comedi. Defecerant autem equi fame, & nec annonam, nec ſegetem inuenimus: & Turci die ac nocte cum tanto nos artabant exercitu, quòd nulli extra caſtra licebat exire. Item feria quarta ante diem Pentecoſtes magnam eorum multitudinem occidimus.

Poſt ſanctum verò diem Pentecoſtes, inuenimus Melich magni Soldani filium, & acies contra nos diſpoſitas, & Turcorum multitudinem, circa quadringenta milia equitum, qui totam vt locuſtæ repleuerant terram, contra quos victrices aquilas in nomine Chriſti à fronte ereximus, nec famem nec vulneratorum defectum ſentientes. Et cùm vix ſexcenti equites eſſemus, ſub ſigno viuificæ crucis eos vicimus & conuertimus in fugam, vbi Melich filius Soldani ab equo deiectus eſt, & quatuor nominatiſſimi principes eius occiſi ſunt, & alij quàm plurimi. Ibi etiam quiddam accidit dignum memoria: ſanctus Georgius eadem die ſicut & prius, quaſdam acies noſtras a Ludouico de Helffenſtein præcedere viſus eſt, impendens auxilium exercitui noſtro. Ipſe enim Ludouicus ſub iureiurando publicè confeſſus eſt, & ſub religione ſuæ peregrinationis, coram domino Imperatore & exercitu. Sed & ipſi Turci poſtmodum nobis retulerunt, ſe quaſdam acies vidiſſe, candidis amictas veſtibus & equis albis.

Eadem die ſequentes Melicum, qui fugerat verſus Iconium, poſt tantam victoriæ gloriam vix circa noctem venimus ad hoſpitium, nullumque reperimus: fuerunt que homines & pecora ſine cibo & potu, & quodammodo incidimus in vitæ deſperationem. Nam equi qui prius remanſerant, fame & ob viæ longitudinem ferè omnes mortui ſunt. Inde proficiſcentes ſummo diluculo, cùm iam eſſemus prope Iconium ad miliare, acceſſimus viciniùs, & inuenimus aquam, vbi manſimus tota feria quarta.

Sequenti verò die recepimus nos iuxta quendam hortum amœniſſimum clauſum muris apud ipſam ciuitatem Iconij: vbi etiam duo nobiliſſima palatia Soldani deſtruximus. Et quoniam vltimæ vitæ neceſſitas imminebat, eò quòd fames nos maxima inuaſiſſet, & vix haberemus iam circa quingentos milites in equis, nullumque ſupereſſet procedendi vel redeundi conſilium, ipſa cogente neceſſitate & docente,

militiam noſtram in duas diuiſimus partes, feria ſexta poſt Pentecoſten directa via procedentes, ad capiendam ciuitatẽ: vbi (quod mirabile & incredibile dictu videtur) diuino auxilio dux Sueuiæ, cum ſibi adiunctis ſex, occupauit ciuitatem, in ore gladij habitatoribus eius occiſis. Et dominus Imperator interim manens à tergo, cõtra alios Turcos in campo pugnauit. Et cùm eſſent circa c c milia equitum, virtute altiſſimi eos expugnãs, fugæ reddidit. Nec indignum memoria. Ciuitas enim Iconium in magnitudine æquatur Coloniæ: vbi captis ſpoliis manſimus à feria ſexta vſq; ad feriam quartam: donec Soldanus qui ſe & ſuos in caſtra receperat, timore mortis artatus, viginti obſides ad electionem noſtram dedit, quos adhuc captiuos tenemus: quia fidem promiſſam non tenuit.

Inde monentes caſtra proximo ſabbato, directa via verſus Iarandinum iuimus, vbi Kalendis Iunij hoſpitati ſumus. Et intempeſtæ noctis ſilentio tantus factus eſt terræmotus, q; putabamus ſuper nos Turcorum acies irruiſſe: quod credidimus fuiſſe præſagium mutationis circa dominum Imperatorem. Nam cùm inde procederemus, iuimus Caleph, vbi tantam aſperitatem & difficultatem viæ in tranſitu montium inuenimus, quòd ſumma iactura rerum vix peruenimus Caleph, in dominica die, quæ fuit vigilia Barnabæ apoſtoli.

Eodem die cùm dominus Imperator per quoddam compẽdium tranſiret in conuallibus montium, quandam rapidiſſimam aquam* ſaluumque eum recepit in aliam partem. Facto autem ibi prandio, poſt infinitos & intolerabiles labores quos per menſem iam erat paſſus, & vellet balneari in eadem aqua, & ita ſe refrigerare vellet natando, Dei iudicio, caſu lacrymali & inopinato ſubmerſus eſt. Cuius reliquias debita veneratione nobiſcum portamus: & vſque Turſoch famoſiſſimam ciuitatem peruenimus, verſus Antiochiam inde procedentes, maximamq; rerum noſtrarum ſpoliationem paſſi ſumus, & continuè per ſex hebdomadas laborauimus victualium penuria, eò quòd venalia non inuenirentur.

Hæc de multis periculis noſtris, licet pauca vobis ſcribere curauimus: de cætero expectantes ſolatium à miſericordia Dei.

EPISTOLA ADRIANI PAPÆ AD FRIDERICVM, CVIVS ETIAM VIDETVR MENTIO FIERI APVD RADEVICVM *lib. 1. Appendicis ad Ottonem.*

E Chronicis Io. Naucleri, qui ſe eas in Hirſaugienſi cœnobio, Spirenſis diœceſis, reperiſſe teſtatur.

Adrianus epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei Friderico Romano Imperatori ſalutem, & apoſtolicam benedictionem.

LEx diuina ſicut parentes honorantibus longæuitatem promittit, ita maledicentibus patri & matri ſententiam mortis intendit. Veritatis autem voce docemur, quia omnis qui ſe exaltat, humiliabitur. Quapropter, dilecte in domino fili, ſuper prudẽtia tua nõ mediocriter admiramur, quòd B. Petro & ſanctę Romanę eccleſiæ non quantam deberes exhibere reuerentiam videris. In literis enim ad nos miſſis nomen tuum noſtro præponis, in quo inſolentiæ, ne dicam arrogantiæ, notam incurris. Quid dicam de fidelitate beato Petro & nobis à te promiſſa & iurata quomodo eum obſerues, cùm ab iis qui dij ſunt & filij excelſi omnes (epiſcopis videlicet) homagium requiris, fidelitatem exigis, & manus eorum ſacratas manibus tuis innectis, & manifeſtè factus nobis contrarius, Cardinalibus à latere noſtro directis non ſolùm eccleſias, ſed & ciuitates regni tui claudis? Reſipiſce ergo, reſipiſce, tibi conſulimus: quia dum à nobis conſecrationem & coronam merueris, dum inconceſſa captas, ne conceſſa perdas, nobilitati tuæ timemus.

AD HANC EPISTOLAM FRIDERICVS ſic reſcripſit.

Fridericus Dei gratia Romanorum Imperator, ſemper Auguſtus, Adriano eccleſiæ catholicæ pontifici, omnibus illis adhærere quæ cæpit Ieſus facere & docere.

LEX

LEx iuſtitiæ vnicuique quod ſuum eſt reſtituit. Non enim parentibus noſtris derogamus, quibus in hoc regno debitum exhibemus honorem, à quibus videlicet primogenitoribus noſtris & regni dignitatem ſuſcepimus & coronam. Nũquid tempore Cõſtantini Syluеſter, Regalis aliquid habuiſſe dignoſcitur? Sed eius pietatis conceſſione, libertas reſtituta eſt eccleſię, pax reſtituta eſt: & quicquid Papatus veſter Regalis habere dignoſcitur, largitione principum obtinet. Vnde cum Romano pontifici ſcribimus, iure antiquo & nomen præponimus, & ad iuſtitiæ normam eidem nobis ſcribenti concedimus. Reuoluite Annales, & ſi lectum neglexiſtis, quod aſſerimus illic inuenitur. Ab iis autem qui Dei ſunt, per adoptionem & regalia noſtra tenent, cur homagium & regalia ſacramenta non exigamus? Cùm ille noſter & veſter inſtitutor, ab homine rege nihil accipiens, ſed omnia bona omnibus conferens, qui pro ſe & Petro cenſum Cæſari perſoluit, & exemplum vobis dedit vt ita faciatis, doceat vos dicẽs: *Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde.* Aut igitur regalia noſtra nobis dimittant, aut, ſi hæc vtilia iudicauerint, quæ Dei, Deo, quæ Cæſaris, Cæſari perſoluant. Cardinalibus vtique veſtris clauſæ ſunt eccleſiæ, & non patent ciuitates, quia non videmus eos prædicatores, ſed prædatores: non pacis corroboratores, ſed pecuniæ raptores: non orbis reparatores, ſed auri inſatiabiles corroſores. Cùm autem viderimus eos, quales requirit eccleſia, portantes pacem, illuminantes patriam, aſſiſtentes cauſæ humilium in æquitate, neceſſariis ſtipendiis & commeatu eos ſuſtentare nõ differemus. Humilitatis autem, quæ eſt cuſtos virtutum, & manſuetudinis veſtræ non minimam notam inuritis, cum huiuſmodi quæſtiones religioni non multum conferentes, ſecularibus perſonis proponitis. Prouideat itaq; paternitas veſtra, ne dum talia mouet quæ indigna ducimus, offendiculum ponat illis, qui velut ad imbrem ſerotinum ori veſtro aures ſuas arrigere feſtinant. Non enim non poſſumus reſpondere auditis, cum ſuperbiæ deteſtabilem beſtiam, vſque ad ſedem Petri reptaſſe videmus. Paci eccleſiæ bene ſemper prouidentes, bene ſemper valete.

FINIS.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 136;Leibn. Marg. 136, Stück 1, [582] - 564

VIII.

CHRONICON VETVS RERVM MOGVNTIACARVM, AB ANNO SALVTIS M. C. XL, VSQVE AD M. C C. L. perductum:

AVCTORE

Conrado, incertæ sedis episcopo.

ACCESSIT PRIVILEGIVM CIVIBVS MOGVNtinensibus ab Adalberto archiepiscopo concessum, Anno domini M.C.XXXV.

IN MOGVNTIACVM CHRONICON προγραφεία.

PRÆSENS hic rerum Moguntiacarum commentarius, è vetusto codice Moguntiæ quondam transcriptus, eiusdem ecclesiæ breuem & concisam 110 annorum historiam complectitur: quorum postremus cum anno Christianæ ἐποχῆς 1250 congruit. Enarrat autem primùm, in quantas illa pace florens opes ac diuitias antiquitùs excreuerit: thesaurum illius & ecclesiasticæ supellectilis, hoc est instrumentorum vestiumq; sacerdotalium, cultum ac pretium recensendo. Subiicit deinde, quomodo subsequentibus temporibus post Henrici archiepiscopi insidiosam submotionem, & Arnoldi aulæ imperialis apud Fridericum Barbarossam, Cancellarij suffectionem, eius denique eadem, ecclesia simul & ciuitas Moguntina opibus attrita ac insigni clade affecta fuerit, vrbe perduelli ac seditiosa Friderico Augusto grauissimas pœnas dante: præterea quàm varias eadem metropolitana sedes iniquioris fortunæ iactationes perpessa sit, in diuturnis & pernitiosis schismatibus, partim inter illius ecclesiæ proceres, partim inter summos Pontifices & Fridericum secundum Imp. temporibus inuicem succedentibus obortis. Ac prioris illius calamitatis, & grauissimæ vindictæ Moguntinis à Cæsare irrogatæ, Ligurinus libro 1. meminit, sic canens:

Turribus hæc eadem quondam murisq; superba,
Penè fuit toto sedes notissima regno:
Donec ob infandum detestandumq; furorem,
Strata luit meritas occiso præsule pœnas.
Inde ruinosis deformis & horrida muris
Testatur iustas offensi Principis iras.

Cogitandum verò relinquo, num auctor huius libelli haberi queat, Conradus archiepiscopus Coloniensis, qui (teste hoc eodem Chronico) circa annum salutis 1249, ad Moguntinum pontificatum postulatus, sed Romana sede electionem eius repudiante, nō admissus fuit. Visum est igitur apographum priuilegij ciuium Moguntinensium, foribus ecclesiæ S. Mariæ ad gradus Moguntiæ olim insculptum, ad Conradi chronicon εἰς τὰ προγεγραμμένα continuandum, eidem subnectere: sic vt in hocce opusculo epitome sit historica sequentium archiepiscoporum.

Priuilegium.

Adalbertus dux Lotaringiæ: eligitur anno Domini	1109

Intercidunt.

Adalbertus comes Sarbrugensis,	1137
Marcolfus Aschafenburgensis præpositus,	1141

Conradi Chronicon.

Henricus cognomento Felix,	1142
Arnoldus à Salenhofen,	1153
Rudolfus Zeringius,	1160
Conradus comes palatinus à Witelspach, sede pulsus,	1161
Christianus comes de Buche Thuringus,	1164
Conradus comes palat. de Witelspach restitutus,	1182
Sigfridus baro ab Eppenstein,	1200
Sigefridus baro ab Eppenstein, prioris patruelis,	1230
Christianus præpositus Moguntinus,	1249
Gerardus comes syluestris,	1251

CHRO-

CHRONICON VETVS
RERVM MAGVNTIACARVM;
Auctore
CONRADO EPISCOPO.

VENERABILI PATRI, DOMINO THEODORICO ABBATI, & fratribus C. Ludouico priori, Ioanni, Rudolpho ſacerdotibus, C. presbyter, epiſcopali nomine indignus, gaudia electis Dei ante mundi exordia præparata.

SOLENT plerunq; res olim geſtę, ſi ſcriptis non fuerint commendatæ, ſic obliuionis cõculcari pede, vt nulla de ipſis à poſteris memoria habeatur: cùm tamen earum noticia poſſet fortè fore aliis cauſa cautelæ, & inſtrumentum euadendi pericula vel vitandi. Quod ſi non ſit, ſaltem legentibus & audientibus tædium tollitur, dum ea quæ tranſierunt, eis quaſi quædam recentia renaſcuntur: vnde fit vt ex hoc in admirationem ducantur vel ſtuporem, vel certè ad paſſionis gemitum prouocentur. Scripturus itaq; vobis iacturam & oppreſſionem, qua annis iam C cœpit ruere eccleſia Maguntinenſis, ipſius inuoco gratiam, cuius ea quæ ſuſtinuit, & adhuc ſuſtinere non deſiit, mala, iudicio eſt oppreſſa. Igitur vt eius miſerabilior calamitas quã patitur, & flebilior eluceſcat, prius quibus honorib. claruit, quibus diuitiis & ornatibus referta fuerit, ſuccinctè & breuiter diſſeremus.

Eccleſia Maguntinenſis ornatus & opes.

Erant ibi purpurarum precioſarum tantę copiæ, vt diebus feſtiuis totum monaſterium, cùm ſit tamen longũ & latum, intrinſecus tegeretur, & tamen adhuc ſuperfuerunt. Erant tapetia & dorſalia mira picturæ varietate diſtincta, quæ operis ſubtilitate & pulchritudine animos intuentium admiratione delectabant. Præter iſta erant & alia, quæ ſuper pauimentum templi, & ſcamna, & coram altaribus ſternebantur. Erant pallæ altarium auro intextæ precioſæ. Inter quas tres erant præcipuæ, quarum vna æſtimabatur poſſe valere marcas C, alia LX, atq; aliæ non minoris vel parum minoris poterant æſtimari. Erat in caſulis Dalmaticis ſubtilibus & cappis ſericeis & purpureis auro & gemmis intextis precioſus & copioſus theſaurus. Inter quæ ſex cappæ præcipuæ erant, quarum vna æſtimata eſt ad LX marcas (ſic enim & obligari poterat) aliæ quinq; minoris erant æſtimationis: ex iis duas ego vidi, quarum vna vetuſtate fuit ſic conſumpta & attrita, quòd alicui vſui non valebat: data ergo eſt igni, & reddebat tres marcas auri cum dimidia. Alia quæ adhuc recentior videbatur, vendita eſt cum vna palla altaris: quid pro his acceptum fuerit, vel quò deuenerit venditum acceptũ, penitus ignoratur. Inter caſulas autem ſic de quolibet colore duo paria: duę nigræ aurifrigiatæ, & eiuſdem operis duæ Dalmaticæ, & duo ſubtilia, latis aurifrigiis ornata: & hæc omnia valde bona. Item duæ caſulæ de ſamito albo, & eiuſdem fili Dalmaticæ duæ: ſubtilia duo cum auro ornata: omnia valde bona. Item duæ caſulæ de rubeo ſamito, & tot Dalmaticæ, & ſubtilia aurifrigiata valde bona. Item duę caſulæ de viridi ſamito, & tot Dalmaticæ & ſubtilia aurifrigita valde bona. Item duæ caſulæ de croceo ſamito, tot Dalmaticæ, & ſubtilia valde bona. Vna inter cæteras erat caſulas ante paucos dies violacea, latis & magnis aurifrigiis, longa & larga, aureis lunulis & ſideribus inſertis: quæ tanti erat ponderis propter aurum, vt plicari non poſſet, & in ipſa vix aliquis poterat, niſi valde robuſtus, diuina myſteria celebrare. Veſtiebantur tamẽ illa pontifices

Sacrarum veſtium pretium.

& prælati festis præcipuis cãtaturi. Sed post Euangelium cantato offertorio, factis oblationibus, illam deponentes, flexibiliorem sumentes, in illa diuina perfecerunt. Item multæ tunicæ diuersorum colorum, videlicet rubei, viridis & violacei coloris, virgulatæ, crocei, albi, quibus vtebantur ministri altarium & acolyti & chrismatis portatores. In Albis, cingulis humeralibus, stolis, & cæteris ornamentis, paucis credenda copiosa diuersitas. Erãt infulæ vel thiaræ XVIII auriphrygiatæ, chirothecæ valde bonę, XVI annuli pontificales boni & magni, de robino vnus & impositis aliis gemmis minutis, de smaragdo vnus, de sapphiro vnus, de topazio vnus. Baculi pastorales duo vestiti argento. Caligæ octo, & tot sandalia. Hæc de vestimentis.

Thesaurum ecclesiasticum.

Nunc de ornatu & thesauro ecclesiæ, & primò de pertica audiatis. Erat pertica argentea concaua deaurata, quæ tantum præcipuis festis, vt in Passione, Pentecoste, in dedicatione ecclesiæ, in festo patroni glorioſi confessoris beati Martini, in natiuitate Saluatoris, ante altare dependebat: in qua vascula suspendebantur, quædam eburnea, quædam argentea, formarum diuersarum, omnia reliquiis plena. In horum omnium medio fulgebat smaragdus suspensus catenis aureis duabus, habens quantitatẽ & spissitudinem dimidij peponis magni, & per omnia similitudinem habẽs peponis, & ipse concauus: huic solebat aqua infundi cum duobus vel tribus piscículis paruis: & deposito desuper operculo, cùm mouebantur piscículi, simplices & vetulæ lapidem viuere affirmabant. Erant thuribula x argentea deaurata, & vnum aureum habens auri marcas tres, & acerræ XI: inter quas vna erat de lapide integro onychino concauo, habẽs similitudinem vermis horribilis, id est, vt bufonis: cõcauitas eius patebat in dorso, vbi & circulus argenteus cum literis Græcis ambiebat. In fronte huius acerræ, quia caput habebat simile vermi monstroso, erat lapis topazius valde precioſus, magnitudinem habens dimidij vitelli oui: in oculis eiusdem acerræ duo robini, quos Carbunculos vocant. Adhuc eadem acerra habetur hîc, sed gemmæ non. Item erant duæ grues argenteæ concauæ, quæ solebant poni iuxta altare hinc & hinc, & dorso patebãt, impositis carbonibus & thure vel thymiamate boni odoris fumum per guttura & rostra emittebant. Erant autem grues tantæ magnitudinis cuius viuæ. Erant libri qui pro ornatu super altare ponebantur, vt euangeliorum, epistolarum, plenariorum, &c. aliqui vestiti ebore sculpto, alij argento, alij auro & gemmis. Erant pelues quatuor argenteæ, Vrcei diuersarum formarũ, quos manilia vocant, eò quòd aqua sacerdotum manibus funderetur ex eis, argenteam quædam habentes formam leonum, quędam draconum, auium vel gryphonum, vel aliorum animalium quorumcunq; Erãt candelabra magna duo quæ iuxta altare ponebantur argentea, & alia minora quæ super altare ponebantur, quibus rotæ supponebantur latæ propter stillicidia candelarum, nescio quot. Erat corona magna pendens in choro ad similitudinem eius quæ adhuc pendet ad sanctum Albanum, & vna in medio templi, atq; aliæ tres minores ante altare sancti Martini, omnes ex argento diligentiùs fabricatæ. Erant cruces argenteæ portatiles, miræ pulchritudinis, quarum duæ in Palmis, duæ in Paschate, duæ in hebdomada paschæ, duæ in Rogationibus, duæ in die Ascensionis domini ferebantur: x per totum. Erat & vna crux tantæ longitudinis, vt totum brachium magni viri, *in* qua erant sanctorum reliquiæ multę & magnæ. In medio verò continebat de ligno dominicæ crucis ad quantitatem digiti. Ad longitudinẽ verò palmæ virilis; vestita erat hæc crux auro purissimo, & gemmis precioſis & multis. Erat & alia crux lignea auro optimo vestita, in qua imago erat aurea domini crucifixi, quæ imago cuiuslibet communis hominis magnitudinem excedebat, concaua, sed multum spissa, cuius venter plenus erat reliquiis & gemmis precioſissimis. Dicebatur autem nec Romanum imperium meliores habere. Hæc crux poterat dissolui membratim in iuncturis, primò in talo, in genubus, in femore, in humeris, in cubito, in manibus, in collo, vbi corpori inhærebat: cætera pars corporis, dorsum scilicet & venter pariter cohærebant: & hoc ideò, vt commodiùs & securiùs posset in arca sibi ad hoc deputata specialiter reseruari. Hæc rarò ponebatur, nisi fortè præsente rege, vel alio magno principe, & in festis paschæ, vel natalis Domini, & pontifice hoc iubente. Cùm autem hoc fieri oportebat, tunc in loco valde eminenti in templo super trabem, vbi nulli alieno patebat accessus, à ministris fidelibus locabatur. In huius imaginis capite loco oculorum erant

Smaragdus ingens.

Thuribula & acerræ.

Libri.

Pelues.

Candelabra

Corona.

Cruces.

duæ

duæ gemmæ, quas carbunculos vocant, tantæ magnitudinis vt duo vitelli ouorum: qui in tenebris coruscabant. Huic crucí inscriptus erat versus iste,

Auri sexcentas habet hæc crux aurea libras.

Et nota q; vna libra habet duas marcas auri. Sic ergo erant mille & ducentæ marcę auri probatissimi. Nec silendum arbitror, pro speciali huius auri examinatissimo valore, crux ipsa proprio nomine censebatur: vocabatur autem Benna.

De indumentis quotidianis, crucibus, calicibus, ampullis, attinentibus, & thuribulis mentionem facere propter multitudinem non bene possum. Sed quia de calicibus dicimus, subiit memoria quod fueram iam oblitus. Erãt calices XII argentei, omnes deaurati, eiusdem ponderis cum patenis, scilicet de tribus marcis, dempto calice qui pertinebat ad maius altare, & is cæteros dimidia marca præcellebat: cuilibet calici erant speciales ampullæ argenteæ, & pyxis argentea ad hostias deputata. Prętęr hoc calices erant tres aurei. In vno horum poterat celebrari, qui etiam suas habuit ampullas & pyxidem ad hostias ex auro purissimo & margaritis, & peram ad corporalia filis aureis insertis, miri operis & decoris. Habebant etiam calices alij suas peras ad corporalia ex purpura & auriphrigiis adornatas. Erant fistulæ quinq; ad communicandum, argenteæ, deauratæ. Erant colæ argenteæ nouem, per quas vinum poterat colari si necesse fuisset: præter eam quæ attinebat calicí aureo, & hæc aurea erat. Hoc aureo calice solus pontifex vel prælatus ecclesiæ maioris in summis festiuitatibus vtebatur. Alij duo calices tantæ erant quantitatis, quòd cum ipsis diuina mysteria nequaquam poterant celebrari: erat enim vnus maior altero. Minor habebat cum patena marcas auri electissimi XVIII, in cuius pede per circuitum precioſi erant lapides valde, & in patenæ circuitu limbus eiusdem operis ambiebat, & ipse quidem gemmis preciosis non carebat. Calix maior quot marcas auri habuerit, nescio: certum autem est, quòd spissitudo eius erat digiti, & per totum, tam in pede quàm suprà, gemmis erat preciosissimis adornatus. Habebat etiam idem calix duas ansas, quæ poterant manus replere leuantis, sicut solent habere mortarij, in quibus piperata & salsa præparantur. Huius patena talis erat latitudinis & spissitudinis, quod ipsi congruebat, & ipsa gemmis per circuitum decorata: hic calix habebat altitudinem vnius vlnæ, & capere poterat dimidium sextarium vini. Nec ab omni homine poterat leuari à terra commodè. Nullus me in hoc scripto arguat obsecro falsitatis. Nam ecclesia ipsa & sedes ab omnibus regibus & imperatoribus, principibus, comitibus, baronibus, liberis, &c. & omni populo venerabilis habebatur, propter pontificum sanctitatem, cleri deuotionem, ciuium pietatem, qui tamen in rigorem pessimum, & superbiam modò & duriciam sunt conuersi. O Moguntia felix, tot bonis inclyta; si tu mutares gentem rationis ac honoris egentem.

Calices & patenæ.

Vnde tantæ opes ecclesiæ

Igitur quum, sicut iam suprà dictum est, sic pontifices se haberent, & clericalis disciplina optimè seruaretur, ita vt plebs clero, clerus prælatis obedientiam & reuerentiam exhiberent, inuicem honorantes, inuicem diligentes præsidente tunc quodam Hętico archiepiscopo viro vtiq; pacifico & benigno, ac multis virtutib. dotato: diabolus, qui hoc ferre non valebat, ipsi venerabili viro, quia veritatis ac pacis amator erat, lites & incommoda excitauit. Nam quia semper ei erat cordi, vt clerus honore debito gauderet, populus iusticia regeretur, terra pace publica exultaret: ecce accusatur apud Papam, quòd somnolentus & inutilis haberetur. Quod vir venerabilis vt cognouit, solennes nuncios pro sua excusatione ad summum pontificem decreuit protinus destinare. Misit ergo omnium suorum secretissimum cognitorem quędam Arnoldum clericum, quem ipse archiepiscopus ad præposituram maiorem promouerat iam recenter, tanquam eum qui non posset esse immemor beneficij tam nouiter consecuti, & propterea eidem iam præposituram sancti Petri etiam contulerat: insuper & Camerarium constituit ciuitatis Maguntinensis. Erat autem idem Arnoldus miri ingenij & facundiæ, atq; congestor pecuniæ infinitæ. Is itaq; veniens ad curiã Romanam, pontificatumq; ambiens Maguntinensem, primùm sibi Cardinales pecunia fauorabiles acquisiuit: deinde duos specialiter pecunia corrumpens, qualiter de sua propria promotione ageret, & postmodum consummaret, cum illis familiarius pertractabat. Tandem ab illis instructus & de se certificatus, cœpit in suum dominum accusationis

Henricus, cognom. Felix Mogunt. præsul. Anno 1142.

Pont. Moguntinus apud papam insidiosè accusatus.

iacula dirigere, quem venerat excusare. Breuiter tantum in sua processit audacia, & effecit, vt duos legatos destinari peteret huius rei cognitores & iudices: obtinuitq; eosdem duos quos corruperat. Tandem tractu temporis multa interuenerunt facta, quæ sicut scribentibus esset onerosum, ita legentibus tædiosum. Veniunt ergo legati Wormaciam, Henricus episcopus citatus comparet, nihil prætendere poterat pro se, quòd admittere vellent iudices siue legati suprà dicti. Præsidentes autem iudicio, in loco qui Neuhusen vocatur, Henricum laudabilem virum ab episcopatu amouent Maguntinensi. Arnoldum substituunt: dicebatur autem quòd Fridericus Imperator huic negocio assensum præbuerit, sed occultum. Venerabilis vir Henricus tam manifesta peruersitate turbatus, ipsos peruersos alloquitur in hunc modum: Si ad sedem Apostolicam appellarem contra vestrum iniquum processum, papa forsan ipse nihil amplius attentaret, & nihil mihi accresceret, nisi labor corporis, amissio rerum, & afflictio spiritus, & euisceratio mentis, & euacuatio gratiæ. Appello ergo ad dominum Iesum Christum tāquam iudicem iustissimum: vos citò ad eius tribunal, ibi mihi coram summo iudice me responsurum exhibeo. Non enim iustè, nec secūdum Deum, sed mercede corrupti, sicut placuit, iudicastis. At illi: Quum tu præcesseris, nos sequemur. Hæc autem ridentes & deridentes dixerunt. Acta sunt hæc anno gratiæ M. C. V. Dominus Henricus abiit ad quoddam clausstrum Cistercienſis ordinis, non monachus effectus, sed in consueto habitu vitam ducens.

Arnoldus de Salenhofen, submoto Henrico, sedem Mogunt. occupat.

Numerus hic fallit. Dodechinus ad annum 1153. refert.

Arnoldus non moram faciens, quum fuisset, vt moris est, ab Imperatore regalibus inuestitus, Maguntiam venit, ibiq; solenniter est susceptus. Post annum ferè & dimidium venerabilis Henricus præsul defunctus, Deo ad quem appellauerat, totum processum lachrymabiliter assignauit. Arnoldus autem primordia sui consecrans præsulatus, purpuram optimam de almaria tollens, sibi fecit vestes, tunicam, sorcotium & mantellum, vt in Imperatoris curia glorioſior appareret. Sed omnipotens Deus non diu sustinuit istud nefas. Orta est enim dissensio valde grauis inter ipsos ciues Maguntinenses. Nam vna pars dolebat vehementer, venerabilem virum dominum Henricum ab episcopatu amotum: alia gloriabatur & superbiebat Arnoldum substitutum. Erat enim oriundus de ipsa parte ciuitatis quæ *Selehofen* nominatur. Tam grauis autem crescebat de die in diem inuidia inter ciues, vt tribus diebus in septimana cōgrederentur, & per plateas cum gladiis, & fustibus, ac contis, cuspidibus, & lanceis inuicem se mactarent, caderentq; hinc & hinc tanquam oues occisionis. Nec se Arnoldus interponere curauit pro pace & concordia reformanda: sed suos fautores potius contra partem aduersam animauit. Propter quod accidit vt pars illa de Selehofen, quam fouebat & animabat Arnoldus, maius monasterium occuparet, illoq; pro castro vteretur contra aduersarios. Durabat hæc dissensio dies multos, & clerus grauiter oppressus contemptus habebatur: quia iam copia maioris ecclesiæ eis concedebatur ad diuinum officium exequendum, non nisi pro illorum libitu laicorum, qui illud temerè occupauerant: & iam quidem multi venerabilem Henricum conqueruntur mortis debitum exoluisse. Rem refero fratres omnibus illius seculi notissimam. Mors venerabilis Henrici multis innotuit: peruenit etiam ad aures illorum Cardinalium, qui ab episcopatu eum amouentes se promiserant sequuturos, & ludentes ad alterutrum dixerunt: Ecce præcessit, suo tempore nos sequemur. Et ecce transiit tempus breue, & ambo vno die moriuntur. Nam vnus sedens in sede naturæ, vt purgaret ventrem, omnia intestina sua in cloacam eiecit, & animam miserabiliter exhalauit: alius manuum suarum digitos articulatim abmordens, & de ore expuens, deformatis manibus, quasi seipsum deuorans, expirauit. O Deus vltionum, domine Deus vltionum, hoc est, iustum exercēs iudicium, & in his omnibus non est auersus furor eius, sed adhuc manus eius extenta. Audita sunt hęc in terra nostra & fama celebri diuulgata, nec à quoquam aliud dicebatur, quàm, *Benedictus Dominus, qui venerabilis Henrici iustè iniuriam vindicauit.* Sic isti dies suos clauserunt.

Funestus Mogunt. ciuium tumultus.

Nemesis diuina in falsos iudices.

Crescebat aūt in malum vehementius odium & pugna ciuium prædictorum. Iam conducuntur de foris auxiliatores milites ab vtraq; parte, peruenitur iam ad maiores. Nam quidā comites promissionibus attracti huic prælio se immiscuerunt. Tractatur

ab

ab vtraq; parte de sumptibus acquirẽdis: & pars quam fouebat Arnoldus, festinatum consiliũ inuenerunt, & vt mutuo acciperent de ecclesiæ ornatu, secretũ habuere tractatũ. Iã integritas ipsius ornatus in parte est nõ modicè vulnerata. O Cardinales carpinales, pacẽ de terra accepistis, & vt homines se inuicẽ interficiãt, vos fecistis. Quodcunq; mali ꝓuenit, quęcũq; fuerint homicidia perpetrata, vestra est in causa peruersitas, vestra est iniquitas operata, vt veniat super vos omnis sanguis qui effusus est, & deinceps effundetur. Ecce in omni terra non est qui huic malo velit occurrere ad sedandum, sed crescit & intumescit mare istud plenum frementiũ bestiarum, ventis afflantibus vtiq; ex inferno. *Cardinales tumultus causa.*

Iam se immiscet Arnoldus, qui cùm esset archiepiscopus loci, fautores plurimos acquisiuit in propriæ ciuitatis interitum & iacturam, nolens parcere, vt quidã ei imponebant, nec sexui, nec ętati. Propter quod consilium pars aduersa vt in mortem sui domini armarentur, iniit. Longo ergo & secretissimo habito tractatu, in proposito scelere se inuicem adhortantes, se roborant & coniurant, tacent & abscondunt quicquid pro sua sit malitia perpetrandum. Sed nihil opertum quod non reueletur. Per plures. n. admonitus Arnoldus est præmonitus, vt se cautius obseruaret. Qui fertur suis monitoribus respondisse: Canes Maguntinenses mordere non norunt, nec aliquid valent quàm latratibus deterrere: à corde carentibus timeantur. Erat quidam abbas in claustro Eberbach ordinis Cistercienſis, qui ipsum Arnoldum pro suis excessibus sæpe literis arguit, & imminẽtia pericula intimauit. Erat quædam sancta virgo nomine Hildegardis, quæ per spiritũ vidit ipsum Arnoldum citius moriturum: scripsisse quoq; dicitur ei in hæc verba: *Pater prospice tibi, canibus enim sunt funes abstracti, qui insequuntur te.* Non autem acquieuit monitis aliquorum. *Factiosorum conspiratio in archiep. Moguntinũ.* *Hildegardis fatidica.*

Accidit vt in vigilia Ioannis Baptistę, post prandium, de quodam oppido Bingen ciuitati Maguntinensi appropinquaret, ac se in claustro monachorum iuxta muros ciuitatis, ad S. Iacobum in monte speciosoſ(sic enim dicitur) se locaret: & ecce Maguntinenses vsq; in crastinum sese armant, & constituunt, vt quum in ipso die Ioannis audita fuerit campana, quilibet sit paratus: & factum est ita. Venit dies, & maturius solito prandent omnes, pulsatur campana, & à maximo vsq; in minimum vniuersa ciuitas congregatur. Præsul Arnoldus se iam dederat quieti, & audito campanæ sonitu, vltrà quam credi possit, vehementer expauit, & timor irruit super eũ, amissoq; rationis gubernaculo, quid posset facere ignorabat. Obstruxit aũt repagulũ & lapidibus & lignis quibus poterat, ianuas omnes monasterij memorati. Turba autem turbata ex aduerso omnes portas & fenestras, vel quoscunq; alios exitus obseruabat, ne euaderet quem quærebant. Iam ignem ad officinas admouebant: vix & cum multa difficultate monachi recessum obtinuerũt: & dum monasteriũ fumo plenum, flammisq; per circuitum premeretur, ipse præsul turrim monasterij ascendẽs, misericordiam deprecatur, & si quem offendisset verbo vel facto, satisfacturũ se suppliciter pollicetur. Sed turba, viso pontifice, clamare cœpit furiosè, nec poterãt supplicantis verba præ tumultu turbatæ turbæ intelligi vel audiri: sed admoto igne ad turrim in qua stabat, ipsum de turri descendere cõpellebãt: flamma iam monasterio dominatur. Videns ergo monachos obtenta securitate abscedere, tentat si fortè & ipse cum eis & inter eos possit euadere. Assumpto itaq; habitu monastico occultari tentat, vt & ignem qui inualuerat, & gladium euaderet quẽ timebat. Apertis ecclesiæ valuis cũ monachis ferè abscesserat: sed à quodam est cognitus & detentus infelix. Quidam primò gladium vibrãs, collo episcopi immersit. Alter in fronte eius percutiens, mucrone ab aure vsq; ad aurem superiorem partem capitis ad inferius diuisit. Sicq; actum est, vt alij contis, alij fustibus, alij gladiis, alij lapidibus mactantes, solo tenus præcipitarent. Iacentem sic & vulneribus & sanguine deformatum, vulgus nequam & peruersum vestibus spoliarunt, quidam anulos de digitis abstulerunt. Reliquię quædam quas collo pendentes solitus erat ferre, ab aliis sunt ablatæ. Hæc autem circa horam nonam parum ante vesperas sunt peracta, nec poterant clerici ab ipsis malefactoribus aliquatenus obtinere, vt saltem occisus in loco traderetur debito sepulturæ. Sic ergo iacebat in campo super fossam ciuitatis, vbi canum & luporum transitus habebatur, desiderantes eum & ab huiusmodi bestiis deuorari. Tribus dieb. sic nudus toto corpore manens, veniũt aliquę maledictę fœminæ, caseorum, & ouorũ atq; olerum venditrices, mercatrices, meretrices, saxisq; *Arnoldus Mogũtinus à sedtiosis ciuibus malatus. Anno 1160.*

dentes pontificis contuderunt: aliæ verò ſtipites ardentes, & titiones fumantes eius gutturi infixerunt, adiicientes linguis & labiis maledicta. Poſt diem tertium canonici S. Mariæ ad gradus, iam incognoſcibilem & fœtentem, furtim ſublatum deferunt in ipſam eccleſiam, lachrymoſis ſuſpiriis ſepeliendo.

Epiphonema de facinoris indignitate.

O furiam Maguntinam, ô maledicta gens, dura corde, gens immitis, gens intractabilis, gens indomabilis, gens iniqua, inuiſa cœlo & terræ: impia in Deum, ſeditioſa in inuicem, temeraria in ſancta pace: quam nemo neminem honorantem honoret, nemo neminem amantem amet, nemo, &c. Væ tibi infelix Maguntia, quæ proprium patrem mactas, vt te in ſuperbiam ponas, & parias genimina viperarũ. Acta ſunt hæc milleſimo centeſimo ſexageſimo. O Cardinales, huius rei vos eſtis initium. Venite ergo venite, haurite nũc, & ferte architriclino veſtro diabolo, eiq; offerte cum ea quam deglutiſtis pecunia etiam voſmetipſos.

Rudolfus Zeringius à ciuibus occiſo ſucceſſor datus.

Perpetrato hoc ſcelere, aliud ſibi curare ſatagunt, nullam clericis quorum intererat eligendi poteſtas, licentiam concedẽtes. Aſſumptoq; quodam Rudolpho, cognomine *Clobelauch*, fratre Friderici ducis Zeringiæ, in ſedem collocãt, adhuc occiſi præſulis ſanguine fumigãtem. Hoc autem factum eſt, vt poſſent vltionem imperatoriam quam meruerant, euitare. Erat enim idem Rudolphus vir potens, amicus ipſius Imperatoris, conſanguineus, propinquus. Hic pro inueſtitura regalium, & conſecratione ſua, ac pallio acquirendo, quod eſt pontificalis honoris inſigne, conſultans ac pertractans, quando ſumptus non habentur in promptu, vnde poſſint res huiuſmodi acquiri, quibus in honore ſuo acquiſitis dignitas obtineri, & obtenta valeret conſeruari: ei ad nutriendum ignem ſumptuoſæ ambitionis, quaſi lignorum ſtruem, ſecretiores conſiliarij conſilia ſubminiſtrant. Theſaurus eccleſiæ nimius & inutilis perhibetur: quid enim grues argenteæ ad fumigandum altare? poſſet & eccleſia tota thurificari thuribulis cupreis abundanter. Item ad quid calices aurei & gemmati tantæ quantitatis, vt in eis non valeant diuina myſteria celebrari? Hæc & ſimilia conſilia placuerunt. Quæ eò poterant faciliùs & citiùs adimpleri, quò percuſſo paſtore grex diſperſus, iam abierat vagabundus. Rudolphus ergo iam dictus epiſcopus nominatur, diſponensq; itineri ſuo, brachium ab illa magna cruce, de quo ſuprà mentionem fecimus, quæ *Benna* vocabatur, ad vſus neceſſarios amputauit: fideliter promittens ſe reparaturum brachium æqualis ponderis & valoris, ſi peracto negocio proſperum iter ei faceret Deus. Proficiſcitur verſus Romam, ſed præuolauerat fama ad curiam, quæ facta fuerant manifeſtans: & Papa tactus dolore cordis intrinſecus de morte crudeliſſima archiepiſcopi, & de infamia intruſionis Rudolphi per manum laicam, & eorum maximè qui crimen homicidij perpetrarunt: ipſam intruſionem, intrudentes cum intruſo excommunicationis anathemate condemnauit. Rudolphus Clobelauch ad curiam non peruenit, inq; via diem clauſit extremum, proculdubio eius crucifixi occiſus brachio, cuius ipſe brachium amputarat.

Rudolfus à Pontifice repudiatus.

Theſaurs eccleſiaſticis diſſipatio.

De theſauro hoc ſciatur, quòd qui olim affluxit, nunc velociùs auolauit. Magna eius pars Imperatori creditur affluxiſſe, pars ab aliis ablata, pars Iudæis pignore obligata, pars furtim ſubtracta: diſperſi ſunt lapides ſanctuarij, non quidem in capita platearum, ſed in burſas furantium.

Pœna in Moguntinos perduelles.

Quæ vindicta ſequuta ſit mortem dñi Arnoldi, hîc credimus nõ tacendũ. Ab Imp. proſcripti perpetuò exilio, ſunt damnati, hi ſcilicet, qui manu nephãda ipſum facinus perpetrarunt: ipſa ciuitas omnibus iuribus & libertatibus ac priuilegiis perpetuò eſt priuata. Murus & foſſatum, & alię turrium munitiones ſententialiter condemnata, & deſtructa funditùs & euerſa: ita vt ciuitas ipſa deinceps lupis & canibus, furibus & latronibus pateat peruia, nec vnquam reædificandi habeat facultatem: inſuper & plebs ipſa perpetua infamia ſubiaceat, totius deinceps exors gratiæ & honoris. Deſtructæ etiam ſunt munitiones ipſius eccleſiæ in diuerſis locis, & eccleſia multipliciter afflicta.

Conradus palatinus de Witelspach archiepiſc. Mog.

Succeſſit poſt hoc dominus Conradus, Imperatoris conſanguineus, de Bauaria oriundus. Sed ſuſcitauit diabolus inter Imperatorem & archiepiſcopũ immortales inimicitias: quia erat adhuc miſera eccleſia Maguntinenſis amplius caſtiganda. Cauſam huius diſcordiæ longum eſſet enarrare, ideò prætermitto: nam & præſentem materiam non contingit. Dominus itaq; Conradus Imperatoris non habens gratiam, exul

& pro-

& profugus fugit, Romam venit, ibiq; Imperatori quicquid mali poterat fabricauit. Papa pro quadam causa Imperatorem excommunicauit, ortumq; est graue schisma, inter ecclesiam seu clerum & imperium. In his omnibus, dominus Conradus fuit Imperatori aduersarius capitalis. Sic ergo iterum ecclesia Maguntinēsis patris spiritualis est solatio destituta. Non erat qui clericos in ipsa diœcesi ordinaret, chrisma consecraret, pœnitentes admitteret, moniales velaret, capellas & ecclesias consecraret. Hæc omnia mala ob venerabilis Henrici ab episcopatu amotionem, cuius suprà memoriam fecimus, pullularunt. O misera ecclesia Maguntinēsis, quid pateris? ô lugubre & amarum poculum, quod tibi ira Dei miscuit ad potandum.

Moguntia iterum pastore orbata

Videns dominus Fridericus Imperator durum sibi fore, & contra papam & archiepiscopum certamen gerere, domino Conrado aduersarium suscitauit. Instituit ergo dominum Christianum, suæ quidem curiæ Cancellarium, loco domini Conradi Bauari, virum vtique mirę prudentiæ, in rebus ambiguis & arduis subtilissimi consilij & velocissimi inuentorem. Erat etiam vir miræ patientię in aduersis. Nulla in prosperis superbia extollebatur: vultus benignitate omnibus gratiosus, & aliàs honestis moribus adornatus. Hunc ergo quia tam ecclesiasticarum quàm secularium personarum fauorem cognouit habere, constituit episcopū Maguntinensem. Durauit hoc schisma annis XVIII. Tandem dominus Christianus se interponens inter papam & Imp. ambos ad concordiam reuocauit. Actumq; est de episcopatu Maguntinensi vt dominus Christianus archiepiscopatum Magūtinensem obtineret pacificè & quietè: & dominus Conradus *Saltzburgensem archiepiscopatum accipiens gubernaret. Erat enim in ipsa ecclesia à puero enutritus. Quieuerūt mala per tempus modicum, & dominus Christianus obiit. Obiit autem iuxta Romā. Grauiter ægrotanti, vicinus erat summus pontifex, qui episcopum vt proximaret, paternis literis hortabatur. Quumq; papa ad archiepiscopum peruenisset, sed languor in tantum prævaluerat, vt patri sancto assurgere non valeret. Facta ergo confessione summo pontifici, de manu eius communicationem sanctam accepit, aliaq; ecclesiæ sacramenta, & dominus papa facta & dicta indulgentia in pace abiit, & dominus Christianus Deo animam reddens, mortem obiit. Audita morte domini Christiani, Imperator intimè doluit, & vniuersa eius curia, & omnes quotquot intellexerunt, grauibus suspiriis sunt turbati. Rursum etiam misera ecclesia Maguntinensis, plorans plorauit, quòd dolor eius renouatus est.

Christianus comes de Buche, archiep. Mogunt. Anno 1164.

restitit, Sabinensem. Anno sal. 1182.

Post hæc principes quidam dominum Conradum * Saltzburgensem archiepiscopum, Imperatoris recuperata gratia reformant, ita vt ipse Imperator eundem archiepiscopum Conradum ad Maguntinensem ecclesiam redire postularet, quod ipse dominus Conradus maximo desiderio affectabat. Suscipitur ergo dominus Conradus in ecclesia Maguntinensi tanquam fuisset angelus Dei. In continenti autem postea grauem ponebat exactionē in clerum, & mirati sunt vniuersi, & omnes qui audiebāt dicebant: Qualis est hic, qui tributarium facit clerum? Sed conualuit hæc pressura, & exin hoc suis deinceps successoribus relinquebat.

Sabinensem. Conradus in archiep. restitutus.

Modico tempore pòst Imperator Fridericus, dum trāsiturus esset riuulum paruulum, qui pedibus poterat transmeari, impetu aquæ quasi submersus est. Ipse dicebatur fuisse aliquantum grauis venerabili viro domino Henrico archiepiscopo, & ad ipsius depositionem occultè consilium ministrasse. Huic filius suus Henricus sextus successit, quicuitq; terra à præliis.

Friderici Barbarossa mors. Anno 1190.

Iam sperabat ecclesia Maguntinēsis post tot calamitates, miserias, pressuras, iacturas, ærumnas, fletus & vulnera, in statum surgere potiorem, & pastoris proprij protectione & præsentia consolari Sed adhuc diuina hoc vltio nō admisit: nam ignis egressus de foro fœni, quem veniens ventus ab Oriente detulit super templum, cōbustaq; ecclesia, & libri multi & boni, priuilegia quoq; multa, & valde vtilia sunt consumpta, etiam pars ornatus magna, partim ignibus deuorata, partim per asportationem subtracta.

Summitem pla Mogunt. cōflagratio.

Venerabilis autem pontifex dominus Conradus nouam monasterij fabricam inchoauit, sed non consummauit. In his omnibus nec clerus à suis se lasciuiis temperauit, nec laici à sua malicia respirarunt. Post paucos annos ventus veniens ab Occidente, pinnaculum templi deiecit. Erat autem ligneum, & super ciborium antiquum

Prodigiosus turbo.

collocatum. Cum tanto autem impetu in ipsam structuram ventus irruit occidens, vt quasdam trabes in Rhenum mitteret, quasdam vltra Rhenũ ad miliare iuxta villam *Hocheim* in aëre deportaret. Certissimum à multis famabatur, quòd non ventus sed diabolus hoc fecisset. Erant enim trabes quercinæ & abiegnæ quantitatis illius, quę in torculacribus solent esse. Ego memor sum istud vltimum accidisse. In omnibus his non est auersa ira Domini, sed adhuc manus eius extenta.

Expeditio in terram sanctam anno 1196.

Post hæc iter cœpit idem archiepiscopus transfretare, & de manibus Sarracenorum eripere terram sanctam, atq; restituere cultui Christiano: seipsum & alios multos cruce signauit, mare transiuit, ferè tribus annis militans Domino in partibus trãsmarinis. Circa finem anni tertij Henricus moritur Imperator: heu, heu; væ terræ de partibus Hierosolymitanis. Redit archiepiscopus, terram reperit desolatam incendiis & rapinis. Nusquam enim vbi rex non est gubernator vel potens, non potest à populo pax haberi. Desideratur ab omnibus Conradi archiepiscopi aduentus, & ecce venit desideratus, & terram inuenit præliis & incendiis conturbatam, studebatq; omni desiderio pacem terris, & quietem prouinciæ reformare: & hoc fecisset, si mortis debitum non soluisset. Graui enim ægritudine fatigatus, & cùm de die in diem se conualescere speraret, subitò & insperata morte præuentus Deo spiritum reddidit, M.CC.

Imp. Henricus 6 moritur, Anno 1198.

Anno 1200

Audita morte archiepiscopi, dux Bauariæ filius fratris eius omnem thesaurum & ornatum quem in casulis, & infulis, & cappis habuit copiosum, & ecclesię donare disposuerat Maguntinensi abstulit violenter: quod tamen Deus non reliquit inultum. nam & ipse dux post multum tẽporis interfectus, turpiter interiit: neq; corpori Christi participans, neq; regno, vt existimatur. Equidem iustè satis superq; satis, vt qui beatum Martinum debito sibi decore spoliauerat & ornatu, ipse quoq; cœlesti ornatu & gloria priuaretur. O altitudo & profunditas iudiciorum iusti iudicis Dei, terribilis in consiliis super omnes filios hominum. Imperator abierat, & surgunt duo reges pro imperio litigantes: non est qui à malis imminentibus se absondat. Maguntinensis archiepiscopus non est, & duo pro eo, quis eorum fiat maior, decertant. Ex vtraq; parte amici & fautores promissionibus & muneribus acquiruntur. Et turpe est dicere, ipsi clerici electores simoniæ vitio maculantur, & multiplicantur mala super terram, & scinditur ecclesia Maguntinensium. Qui vni adhærent, cum eo recedunt: alij remanent cum altero. Sufficere poterat ad desolationem terræ vnum schisma: sed funes peccatorum dupliciter circumplexi, difficilius dissoluuntur.

Schisma in Imperio & Pontificatu Mogunt.

Peruertunt cuncta simul hæc duo schismata iuncta
Regum, pontificum, nec nouit amicus amicum.

Vna pars quæ remanserat canonicorum, cum suo electo excommunicatur. Sed ipsi hanc excommunicationem se simulantes ignorare, diuina celebrare non omittũt. Durauit hæc contumacia annis VII I.

Sigifrid. ab Eppenstein Pontificatu Moguntino potitur. Anno 1208.

Contigit post hæc vt rex Philippus, qui fouebat hanc partem interdictam, occideretur in ciuitate Bambergẽsi, & hæc pars debilitata est, atq; fautores alterius episcopi, qui de ciuitate exierant, conualuere. Anno domini millesimo ducentesimo octauo. Principes post mortem Philippi regis in Othonem conueniũt, qui fuerat aduersarius Philippi pro imperio, cuius parti etiam papa fauebat. Iste Otho maturauit ad papam venire pro imperiali consecratione solenniter proficiscitur, consecratur: post annum excommunicatur. Eiq; filius Henrici Imperatoris, rex Siciliæ Fridericus, suscitatur à papa: redeunt mala, surgunt incendia, spolia reuiuiscunt. Fridericus venit de Apulia cõtra Ottonem: post annos aliquot Otho moritur, Fridericus dispositis prout melius potuit rebus, Romam proficiscitur, in Imperatorem cõsecratur: Anno domini 1220, ab Honorio papa. Quo mortuo, Gregorius papa succedit. Hic etiam Fridericum excommunicauit. Lætantur prædones, & exultant lictores capta præda: conuertuntur vomeres in gladios, & falces in lanceas: non est qui in latere non deferat chalybem, & lapidem in præparationem incendij, & in exustionem. Omnia mala confluunt, specialiter super ecclesiam Maguntinensem, & maximè circa partes Rheni de ciuitate Spirensi vsq; Colonienſem.

Otto 4 Imp. Anno 1209

Fridericus 2 Imperator Anno 1220.

Sigefridus 3 ab Eppenstein, archiepiscopus Mogũtinus. Anno 1230.

Post mortem domini Siphridi archiepiscopi Maguntinensis senioris, succedit dominus Siphridus, fratris eiusdẽ filius: hic duobus annis laudabiliter vixit: sed quia elati

cordis

cordis erat & ſuperbiæ magnæ, nimis ſe contra Fridericum Imperatorem erexit: non quidem vt diuinam, ſed papalem gratiam obtineret. Graui etenim infamia nõ ſolùm apud papam, ſed apud omnes homines laborabat. Hic ergo vultum & animum leonis induens, Leo factus eſt, & cœpit orphanos & viduas facere, villas comburere, ciuitates deſtruere, homines deuorare, terram in deſertum deducere, & papę mirificè complacere. Et quia iam inquiſitionis literas cõtra epiſcopum dederat, ex iis factis fratrem venerabilem appellabat. Hic Siphridus epiſcopus malum opus operatus eſt, qui per flammam ignis terrã depauperauit, & theſauros eccleſiæ ablatos, prædonibus diſperſit, dedit raptoribus: iuſticia eius non manet in ſeculum ſeculi. Is itaque Lantgrauium Thuringiæ in regem eligi procurauit: ſed breui viuens tempore, & regnum & animam reſignauit. *Caſ. Henricus Thuringę Lantgrauius.*

Interea Gregorius papa moritur, ſedes vacat annis duobus vel tribus. Huic autem papa ſuccedit Innocentius quartus, qui in concilio Lugdunenſi contra Fridericum Imperatorem depoſitionis ſententiam promulgauit. Mortuo Lantgrauio rege Wilhelmus comes Hollandiæ in regem eligitur, tantùm ab archiepiſcopis Maguntinenſi & Colonienſi. Poſt breue tempus dominus Siphridus archiepiſcopus etiam rebus valedicit humanis, abiens in regionem longinquam, nec tamen ideo ceſſant mala. *Wilhelmus Holandus contra Fridericũ rex deſignatus Anno 1247*

Conuenerunt ergo fratres eccleſiæ Maguntinenſis tractantes de patre futuro, perſuaſi qui poſſet ipſam tot & tam grauibus oppreſſam miſeriis, & tanto tempore iam plorantem, paternis affectibus conſolari: & concorditer in venerabilem virum dominum Conradum Colonienſem archiepiſcopum vota ſua tranſtulerunt: poſtulantes à ſede Apoſtolica, ipſum ſibi præfici in paſtorem: ſed heu heu, hoc non poterat obtineri: non eſt hæc poſtulatio admiſſa, ſed electio capitulo reſtituta. Et ne archiepiſcopus Colonienſis ægrè ferret ſuum deſiderium non completum, ipſi legationis dignitas eſt commiſſa. Conſedere rurſum fratres eccleſiæ Maguntinenſis, eligunt ſuum præpoſitum nomine Chriſtianũ, qui à cunabulis fuerat in ipſa eccleſia enutritus. Eadem die eſt à legato, qui tunc erat præſens, confirmatus, & à rege regalibus inueſtitus, die Petri & Pauli. Omnia hęc acciderunt vno anno, ſcilicet quòd dominus Colonienſis eſt poſtulatus: quòd factus eſt legatus, quòd dominus Chriſtianus factus eſt epiſcopus; & conſecratus; quòd pallium eſt aſſequutus. Omnes religioſi, & qui Deum præ oculis habere credebantur, ſuper huius hominis promotione gaudebant, ſperantes pacem rebus dari maximè, quia idem bellicis rebus non fuerat aſſuetus: etiam qui negocio fuerant inimici, congratulantur ei. Sed non ſtetit diu in epiſcopatu: accuſatur enim apud papam, quòd omnino inutilis eſſet eccleſiæ, & quòd euocatus ad expeditiones regis inuitus veniret: hoc autem verum erat, eò quòd fierent incendia, ſectiones vinearum, deuaſtationes ſegetum. Dicebat etenim, nequaquam decere talia ſacerdotem. Sed quicquid deberet per gladium ſpiritus, quod eſt verbum Dei, omnimodè ſe promptum aſſerebat, & voluntarium ſeruitorem. Quumq; eius prędeceſſorum ſequi veſtigia moneretur, reſpondit: ſcriptũ eſt, *Mitte gladium in vaginam*. Ob hoc in odium Regis & multorum incidit laicorum. Qui omnes eum accuſantes, apud papam obtinuerunt, eũ ab epiſcopatu omni ſubmoueri. Ceſſit ergo Anno domini M.C.C.L.I. Subſtitutus eſt autem ab eodem legato adoleſcẽs ſubdiaconus, Gerhardus nomine, filius comitis Conradi, qui dicebatur Sylueſter Comes. Hunc autem ſubſtituit Cardinalis presbyter & legatus, inductus à quodam Henrico archiepiſcopo *Herburgdunenſis, qui ſocius erat ipſius legati: nec tamen hoc ipſe Henricus archiepiſcopus conſuluit ſine cauſa: acceperat enim occultè C C marchas pecuniæ numeratæ à Gerhardo, quem idem archiepiſcopus inſtitui procurauit. Nihil opertum quod non reueletur.

Christianus 2. archiepiſc. Mogũtinus. Anno 1249.

Digna vox epiſcopo.

Matth. 26.

Pius pontifex exauthoratur. 1251. Gerardus comes ſylueſter emit archiepiſcopatum.

**forte rectius, Ebrodunenſis.*

Præter has autem C C marchas factæ ſunt deſtructiones multæ eccleſiæ Maguntinenſis.

PRIVILEGIVM CIVIBVS MOGVNTINENSIBVS CONCESSVM, ANNO DOMINI M.C.XXXV.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, Amen. Adalbertus Moguntinenſis eccleſiæ archiepiſcopus, & apoſtolicæ ſedis legatus. Quòd huius mundi curſus & gloria mutabilitati aſſiduè ſubiecta ſint, multorum exemplo didicimus. Siue proſpera extollatur, vel aduerſa deiiciatur, cuiuſdã ſapientis conſolatione admonemur, dicentis: quòd viri ſit prudentis priuilegium nil magni ducere tranſitorium. Nouit vbiq; tam præteritorum quàm præſentium conſcientia, quæ vel quanta in me fecerit Dei miſericordia. Cognoſcat etiã quæſo futurorũ per me ſucceſſio, quantos ex alto proſperitatem comitentur caſus & deiectio. In medio etenim proſperitatis meæ curſu, Henricus quintus, vt noſtis, Imperator, poſt multa beneficia, non niſi propter Romanæ eccleſiæ obedientiam, carceris etiam mihi captiuo tenebras intulit & latibula. Ibi profecto longo moratus tempore, primi paſtoris omnium conſolationem, dicentis: Si quid patimini propter iuſtitiam, beati, reduxi memoriæ. Memini etiam in mœrore Iſaiam incarceratum, in ſectionem ſerræ ſeruatum. Danielem innocentem de lacu leonum liberatum. Denique poſt multas tribulationes contritos cor de viſitans ex alto Deus, corda fidelium Moguntinenſis metropolis ad hoc permouit, vt ſuum conarentur liberare captiuum. Tam diu itaque clerus, comites, liberi cum ciuibus & familia, præfato Imperatori Henrico inſiſtentes, elaborauerunt, donec me tandem, datis obſidibus charis filiis & propinquis, corpore ex toto attenuatum, vix ſemiuiuum, ſicut fideles filij patrem in ſua receperunt. Sed quàm cautè, quàm honeſtè, quàm iuſtè obſides haberentur, ſine mœrore nemo loqui poterit. Nam alij membris truncati redierunt, alij fame, alij exilio deputati, alij nuditate & corporis ægritudine præoccupati, perierunt. Hæc & his ſimilia fideles Moguntinenſis ciuitatis ciues, pro iuſtitia paſſi ſunt. Quæ verò in defenſionem ciuitatis ſuiq; honoris pertulerunt, ſatis omni regno patet.

Per Henricum quintũ Imperatorẽ hic accipiendus Henricus quintus Rex.

Mihi igitur cogitanti, quid eorum bonis & tantis recompenſarem meritis, occurrit, vt ſicut ipſi pariter meo communicauerunt labori: ſic omnium aliquid conferrem honori & vtilitati. Communicato ergo primorum conſilio clericorum, dico Comitum, Liberorum, familiæ & ciuium, habitantes infra ambitum muri ciuitatis præfatæ, & manere volentes, hoc iure donaui, vt ad nullius Aduocati placita vel exactiones extra murum expeterentur, ſed infra ſui natiui iuris eſſent, ſine exactoris violentia: quia cui tributum tributum, cui vectigal vectigal gratis, nullo exigente, perſoluerentur?

Vt autem hæc donatio rata & inconuulſa ad poſteros tranſeat, ſigillo noſtro confirmantes, ſubſcriptis teſtibus, ſignari iuſſimus. Huic quidem primæ traditioni interfuerunt, viri venerabiles, Bruno Spirenſis epiſcopus, Boco Wormatienſis, Emrico Herbipolenſis. Anshelmus maioris eccleſiæ præpoſitus, Cezolfus decanus, Richardus cantor, Arnoldus præfectus ciuitatis, Fridericus comes de Arnsburg, Hermannus de Wintzenburg, Sigbret & Fridericus comites de Sarenbrucke, comes Goſwinus de Statloch, comes Bertoldus de Nuringen, comes Giſ. de Vtenſberg, Vdalricus de Hattſtein, Regenbuldus & Gerlacus de Iſenberg, Soltgolt de Nidda, Wiger de Haſelſtein, Waltherus de Huſen. Miniſteriales Embricho & filius eius, Embricho vicedominus, Ruthardus de Waldere, Iutfridus, Orto, Reinhardus, Dudo, Hertwicus, Dudo, Erneſtus villicus, Ruthardus, Walboto.

Secundæ autem confirmationi interfuerunt, Henricus maioris eccleſiæ & S. Victoris præpoſitus, Albertus, Henricus cuſtos, Hartmannus decanus, Gosbertus præpoſitus, Wilhelmus comes de Lutzenburg, dux Fridericus. Item præfectus ciuitatis Arnoldus, Arnoldus comes & frater eius. Rupertus de Lutzelnburg, comes Hermannus de Salmis, & frater eius Gerlacus, comes Gerhardus & frater eius, Henricus de Bercbach, Henricus de Katzenelnbogen, Damnus & Sigebodo de Bucho. Miniſteriales Embrico vicedominus de Geyſenheim, Menigo camerarius ciuitatis, Dudo frater ipſius camerarii, Dudo Scultetus, Obrot de Richelhein, Arnoldus. Item Arnoldus, Hilperich, Hermãnus. Officiales Folpertus, Elo frater eius, Ruthardus, Wernherus, Engelwurt, Dudo. Facta ſunt hæc anno Dominicæ incarnationis 1135, indict. 12, & confirmata regnante domino Lothario Imperatore, eiuſdem nominis tertio, anno regni eius 9, imperii verò 2, feliciter, Amen.

FINIS.

IX.

DE REBVS IN INSVBRIBVS ET EVGANEIS,

HOC EST, LOMBARDIA ET VICINA MARCHIA TARVISINA GESTIS, CIRCA EA TEMPORA, quibus Fridericus ſecundus Romani imperij clauum tenuit, vſque ad annum Chriſti, M. CC. LXX, libri tres;

Auctore

N. SANCTÆ IVSTINÆ PADVANÆ MONACHO.

Typis nunc primùm euulgati.

DE PRÆSENTI SCRIPTORE COMMONEFACTIO.

ETSI mei in primis consilij fuerit, aliquot Germaniæ scriptores, qui iam inde ab Henrici quarti æuo gentis illius res memorabiles à nouercantis vetustatis iniuria vindicarũt, præsenti volumine coagmentatos in doctorum oculos proferre: fuêre tamen rationes nonnullæ, quibus me non vsque adeò præter institutirationem egisse arbitror, quòd hunc exoticum incogniti nominis auctorem, Insubrum potiùs quàm Germanorum res persequêtem, in domesticorum consortium admiserim. Desideranti namque mihi de Friderici secundi, gloriosissimi Imperatoris vita & gestis scriptorem quempiam veterem, qui ad perpetuam Cæsarum historiam concludendam, præcedentibus ritè subiici posset, nec tamen quoquam occurrente, nisi fortè P. de Vineis, aliorum sumptu excusum cum inuidia mihi vendicare voluissem: equidem scriptor hic, à nobili viro Gotfrido à Raming, Germanicæ antiquitatis indagatore diligentissimo, amico optimo, peropportunè mihi communicatus fuit, quem & hocce historicorum choro neutiquam indignum iudicaui. Scilicet, quòd facinora narret, quæ & in Friderici secundi tempora inciderũt, quibus monachus hic æqualis fuit: quæque ab Augustalibus vicariis, Vberto marchione Palauicino in Lombardia, ac comite Ecelino eius nominis tertio, in Marchia Taruisina, pro imperij maiestate tutanda, sunt patrata. Ecelino præsertim comite præpotenti, dicto de Romano, à quodam in Euganeis oppido (cuius nomẽ ea tempestate non solùm ob virtutem & felicitatem bellicam, sed & ob immanitatem vniuersæ togatæ Galliæ formidabile extitit) genus & proauos ad Germanos referente. Tradunt enim Ecelinum quendam, Alberici viri apud Saxones equestris filium, cum Ottonis tertij Imperatoris copiis, equitum magisterio fungentem, in Italiam peruenisse, ibiq; ob permulta spectatæ virtutis specimina, fidaq; summo principi præstita obsequia, castro Onaræ ac comitatu Bassani, in prædicta Marchia sitis, cum multis iurisdictionibus, clientelis & priuilegiis, donatum fuisse, vnde posteritas eius in summam opum ac virium amplitudinem excreuerit. Cæterum quomodo hæc eadem tristissimo fato Ecelini tertij & fratris eius Alberici, opibus ac fortunæ successibus ad summam libidinem & crudelitatem abutentibus, subitò conciderit, præsens historia docet: idemq; Iouius in vita Ecelini, quem Actiolinum tyrannum nominat, eleganter & prolixè narrauit. Proin Onarianæ domus genealogiam, è Petro Gerardo Paduano, qui Ecelini σύγχρονος, illius ortum vitaq; sed lingua vernacula scripsit, depromptam, subnectere visum est, ad præsentis historiæ telam rectiùs percipiendam.

Quoniam verò nomen Auctoris in Ramingiano exemplari (quod in antiquis codicibus non est insolens) nusquam expressum reperiretur: oportuit vtique ex contextu aliquam de ipso coniecturam facere. Arbitror autem, me tum ex aliorum locorum libratione, tum verò ex eo, qui sub anno 1236 habetur, rectè colligere, scriptorem hũc S. Iustinæ Paduanæ monachum extitisse. Sic enim ibi disertè scribit: Abbas Andreas (*intellige S. Iustinæ*) fecit fieri dormitorium NOSTRVM, cum Capitulo, &c. *Verùm id candido lectori diiudicandum relinquo.*

FAMILIA ONARIANA, BASSANI COMITVM.



RERVM IN LONGOBARDIA ET VICINA TARVISINA MARCHIA GESTARVM, Liber primus.

EORVM quæ ab initio mundi facta sunt vsque nunc, notitiam minimè haberemus, nisi proborum virorum diligentia descripsisset: in quibus vitia & scelera malorum hominum arguuntur, virtutes verò bonorum & opera laudabilia commendantur. Historiographorum itaque vestigia pro nostro modulo imitantes, quæda quæ nostris temporibus facta sunt in partibus Marchiæ vel Lombardiæ, seu etiam extra fines Italiæ in præsenti opusculo decreuimus sub compendio literis declarare: vt posteriores hæc legentes præteritorum memoria instruantur, quid circa præsentia vel futura eligere debeant vel vitare. Sed cùm sit omnibus manifestum, quòd concordia paruæ res crescunt, discordia verò maximæ dilabuntur: patet igitur quòd concordia est totis viribus eligenda & discordia modis omnibus euitanda.

1. Qualiter Azzo marchio Estensis in Verona suos aduersarios superauit.

ANno itaque Domini, M. CC. VII, cùm vir illustris Azo marchio Estensis de voluntate partium comitis, videlicet sancti Bonifacij & Monticullorum, ciuitatis Veronę regimen suscepisset, & prudenter in suo regimine se haberet: Monticuli, fauore Ezelini de Romano, qui vitam terminauit in hæretica prauitate, facta coniuratione cõtra eum Azonem marchionem, de Verona ipsum subitò eiecerunt. At ille, vtpote vir magnanimus & astutus, tantum dedecus vindicare intendens, amicis suis vndiq; congregatis, in manu valida iuit Veronam, parte comitis S. Bonifacij præbente sibi auxilium & fauorem. Ezelinus econtra, collecta multitudine bellatorum, in subsidium Monticullorũ perrexit Veronam. Et factum est prælium equestre maximum in brayda Veronensi: in quo pars marchionis & comitis aduersarios strenuè superauit. Mantuani verò conducti pecunia, communiter cum Carotio venerunt in auxiliũ marchionis. Vnde Monticulli cum omnibus adhærentibus sibi nimio terrore perterriti, octauo die intrantis Septembris, noctu ciuitate dimissa fugerunt, saluare personas solummodò cupientes. Hoc fuit initium malorum, non solùm prædictæ ciuitatis, sed & marchiæ Teruisinæ & Lumbardiæ. Ex tunc marchio & comes Bonifacius toto tempore vitæ suæ Veronæ dominium habuerunt. Monticulli verò arcem Gardæ capientes, in ea se fortiter munierunt.

Azzo Estensis marchio ab Ecelino & Monticulis Verona eiicitur.

Pugna inter Ecelinũ monachum & marchionem Estensem.

Qualiter Menticulli fuerunt capti.

ANno Domini M.CC.VIII, Monticulli vitiliter burgum Piscariæ intrauerunt, & per districtum Veronæ frequentissimè discurrentes, incendiis & rapinis omnia deuastabant. Tunc Marchio & Comes cum exercitu magno Piscariam vndiq; obsederunt, & tandem captos Monticullos in compedibus posuerunt.

De Ottone Imperatore coronato, confestim excommunicato à papa Innocentio tertio.

Otto quartus Cæsar.

ANno Domini M.CC.IX, circa hæc tempora Otto dux Saxoniæ in regem Alemanniæ electus, descendit de Alemannia, & venit in Lombardiam cum exercitu copioso. In cuius aduentu terribili, tremuit Italia nimio pauore concussa. De mandato itaq; istius Monticulli sunt à vinculis absoluti. Iste in omnibus vtebatur consilio Ecelini & Saliniguerræ: Marchionem verò & eius amicos habebāt. Perrexit igitur Romam, & apud S. Petrum est à papa Innocentio coronatus. Quo facto, exaltatum est cor eius, & spreuit summi Pontificis admonitionem pariter & mandatum. Papa verò Innocentius statim eum publicè anathematis vinculo innodauit: & ab illa hora eius cœpit inclinari superbia, donec paulatim ad nihilum est redactus: & quantò fuit gradus altior, tantò grauior casus est sequutus.

De promotione domini Arnaldi abbatis.

EOdem anno dominus Stephanus abbas S. Iustinæ, in mense Maio, desiderio arctioris vitæ resignauit Abbatiæ & in Venda vitam heremiticam duxit, ibiq; in pace quieuit. Cui successit abbas Arnaldus, religione laudabilis & discretione compunctus, & in vniuersa morum honestate præclarus.

Qualiter Otto est à rege Franciæ superatus.

ANno Domini M.CC.X. Reuersus est Otto Imperator in Alemaniam, excommunicationis vinculo innodatus: & congregato exercitu maximo perrexit aduersus Philippum regem Francorum, cui associati sunt quidam principes, regis Franciæ proditores. Sed Francigenæ suæ antiquæ memores probitatis, vnanimiter contra inimicos impetum facientes, incredibilem de Imperatoris exercitu victoriam habuerunt. Caussa verò huius prælij dicitur hæc fuisse, quia Imperator dicebat regem Franciæ liberaliter promisisse ciuitatem sibi Parisios se daturum, si Otto vnquam Romanum imperium obtineret. Rex verò considerans, se incautè illam promissionem fecisse, decreuit potiùs tam arduam quæstionem belli esse iudicio terminandam.

De ascensu Fridericiin Alemanniam, & de eius electione in Imperatorem futurum & regem Alemanniæ.

Fridericus 2. Cæsar.

ANno Domini M.CC.XI, istis temporibus Fridericus adolescens, rex Sicilię, filius quondam Henrici Imperatoris & reginæ Constantiæ, quæ fuit filia Rogerij regis Siciliæ, de mandato magnifici papæ Innocentij per Lombardiam cum auxilio Marchionis Estensis ascendit in Alemanniam confidenter. Quem ita gratissimè prælati & principes Alemanniæ susceperunt, quòd pauci remanserunt de principibus cum Ottone. Tandem ipsum in regem Alemanniæ & in futurum Imp. concorditer elegerūt.

De morte Marchionis Estensis Azonis.

ANno Domini M.CC.XII, sicut placuit ei qui aufert spiritum principū, Azo marchio Estensis, & comes S. Bonifacij, de hac vita, in mense Nouembri, & in ciuitate Verona, sub paucorum dierū spacio sunt subtracti. Vnde potuit congruè dici de ipsis: Glorioſi principes terræ, quomodo se in vita sua dulciter dilexerūt, ita & in morte minime sunt separati. Reliquit autē Marchio Estensis duos filios, Aldrenandinum iam adolescentem, & Azonem infantulum cum propria genitrice. Similiter comes S. Bonifacij reliquit duos filios, Ricardum maiorem, & minorem nomine Gulielmum.

Azonis Estensis mors & liberi.

Qualiter Mediolanenses à Cremonensibus sunt deuicti.

ANno Domini M.CC.XIII, Mediolanenses, qui partem Ottonis fouebant, cum exercitu infinito super districtum Cremonensiū irruerunt. Quibus Cremonēses, qui

qui exaltationi principis Friderici ſummo deſiderio affectabant, apud caſtrum Leonis viriliter occurrerunt, incœptoq; bello in die Pentecoſtes Mediolanẽſes terga vertentes, militum & peditum non modicam quantitatem ſimul cum Carrotio amiſerunt. Ex illo itaq; tempore fama Cremonenſium eſt per populos diuulgata: virtus etiam eorum & audacia tanti triumphi eſt præconio plurimùm augmentata.

De obſidione arcis Eſtenſis.

EODEM anno, cùm nobilis Marchio Aldrenandinus nollet communitati Paduæ ſubiacere, Paduani arcem Eſtenſem cum machinis obſederunt. Videns aũt marchio Aldrenandinus ſe non poſſe amicos ſuos, qui obſidebantur, commodè adiuuare, pariterq; ſciens, quòd durum eſt contra ſtimulum calcitrare, coactus iurauit, ſicut ciuis communi Paduæ in omnibus obedire: & ſic exerçitus ad propria remeauit. *Aldrenandinus, Azonis F. marchio Eſtenſis.*

De pace partium Veronæ.

PER idem tempus, cum Monticulli ſex annis & duobus menſibus extra Veronam fuiſſent, poteſtas Paduæ Marinus Zeno & Paduani communiter compoſitionem inter ipſos & partem comitis tractauerunt, & circa feſtum beati Martini introduxerunt eos pacificè.

De repreſſione intempeſtiuæ audaciæ Monticullorum.

ANNO Domini M.CC.XIIII, Monticulli non conſiderantes, quòd in omni negotio temporis eſt opportunitas obſeruanda, intempeſtiuè cœperũt contra partem comitis calcitrare. Pars verò comitis expulſa poteſtate communi, Peccorarium ſuum ciuem in poteſtatem conſtanter elegit: virum vtiq; ſapientem & politica ſcientia decoratum. Monticulli autem impares viribus ſe videntes, tunc temporis ſub aduerſariis humiliter quieuerunt.

De obſidione turris Baybæ.

ANNO Domini M.CC.XV, in menſe Octobri, Paduani turrem Baybæ obſederunt: ſed ſuperueniente inundatione nimia pluuiarum, obſidionẽ dimittere ſunt compulſi, ibiq; iacturam in rebus & perſonis non modicam ſunt perpeſſi. *Inimicitiæ inter Venetos & Patauinos.*

De morte Aldrenandini marchionis Eſtenſis.

EODEM tempore cùm Marchio Aldrenandinus, de comitibus Celanæ, qui partem Ottonis fouebant in Marchia Anconitana, nobiliter triumphaſſet: in ipſo feruore iuuentutis naturæ legibus ſatisfecit. Iſte fuit ita magnanimus, quòd ſubiiſſet omne periculum pro gloria & potentia obtinenda. Tunc remanſit in honorabili domo Eſtenſi Azo frater eius, puer paruulus, multis debitis & anguſtiis oneratus. *Aldrenandinus marchio Anconæ moritur.* *Azo quintus Eſtenſis.*

Eodem etiam tempore in menſe Nouembri factum eſt Romæ concilium generale ſub papa Innocentio tertio, viro magnifico & prudenti, cuius magnanimitas & çonſtantia ſuper alios homines excellebat. *Synodus Romæ.*

De origine fratrum Prædicatorum & Minorum.

CIRCA hæc tempora diuina prouidentia protruſit ad ortum de miſericordiæ ſuæ theſauris duo magna luminaria, ordinem videlicet Prædicatorum & fratrum Minorum, quos Deus in firmamento eccleſiæ ſtabiliuit, & per ipſorum doctrinam lucidam & apertam & honeſtæ conuerſationis ſplendorem, totum mundum errorum tenebris inuolutum mirabiliter illuſtrauit. Horum Ordinum præceptores fuerunt, viri probatiſſimi, & multiplici decore virtutum plurimùm inſigniti, Dominicus ſcilicet & Franciſcus: qui quaſi duæ tubæ Moyſi dormientem mundum in vitiis & peccatis terribili prædicationis clangore, ad pugnam contra hoſtem triplicem excitârunt. In omnem quippe terram exiuit ſonus eorum, & vſque ad fines orbis eorum verenda religio eſt breui tempore dilatata. Vnde tum conſideratione vitæ ſanctiſſimæ, multis miraculis approbatæ, tum intuitu doctrinæ cœleſtis, qua corda hominum rigauerunt, meritò tam ab eçcleſia triumphante, quàm militante ſunt in ſanctorum numero computati. *SS. Dominicus & Franciſcus.*

De obitu Innocentij papæ, & Honorij electione.

Honorius 3 pontifex. ANNO Domini M. CC. XVI, obiit Innocentius papa tertius apud Perusium: cui successit Honorius papa tertius.

De obsidione Damiatæ.

ANNO Domini M.CC.XVII, in istis temporibus trāsiuit mare Christianorum maxima multitudo, in subsidium terræ sanctæ: & habito prudentum consilio, Christiani cum nauibus infinitis in manu valida intrauerūt Ægyptum, & Damiatam munitissimam ciuitatem multo tempore viriliter obsederunt.

De collectione exercitus Saracenorum contra Christianos.

ANNO Domini M.CC.XVIII, cùm vidisset Soldanus Babylonis Christianos Damiatam instantissimè obsidere: protinus reges Saracenorum de Syria & Arabia & aliis prouinciis, in suum auxilium cōuocauit, & exercitus Christianorum cepit vndiq; viriliter impugnare: excepto, quòd iter fluminis eis non poterat prohibere. Regebat autem tunc Christianos Ioannes rex Hierosolymitanus, vir strenuus, & forma præ filiis hominum speciosus, & magister Pelagius S. Romanæ ecclesiæ Cardinalis.

De victoria Damiatæ.

ANNO Domini M. CC. XIX, istis temporibus post longam & laboriosam obsidionem exercitus Christianorum obtinuit Damiatam, quæ est in Ægypto super fluenta Nili, qui à Mose Geon in Genesi appellatur.

De Federico Imperatore coronato.

Friderici augusti alia inauguratio. ANNO Domini M. CC. XX, Federicus secundus rex Siciliæ & Apuliæ, & dux Sueuiæ descendens de Alemannia iuit Romam, & ibi accepit coronam imperij à papa Honorio, in die beatæ Ceciliæ: deinde in regnum Apuliæ intrauit, interfectis & expulsis rebellibus, ipsum sibi feliciter subiugauit. Ipse de montibus Siciliæ per grauia bellorum pericula deposuit Saracenos, & transferens eos in Apuliam, fecit ipsos in ciuitate Nucera communiter habitare.

Qualiter amissa est Damiata.

ANNO Domini M.CC.XXI, cùm exercitus Christianorum ad superiores partes Ægypti expugnandas transisset, inundatione Nili subitò est circumfusus. Cumque Christiani nec procedere possent nec redire valerent, aquis & exercitu Saracenorum vndiq; circumsepti, coacti sunt pro redemptione sua reddere Damiatam: dimissiq; à Saracenis ad propria cum tristitia sunt reuersi. Porrò Ægyptij lætati sunt de profectione eorum, quòd timor eorum incubuerat super eos.

De apparitione cometæ, & obitu Ludouici regis Franciæ.

ANNO Domini M.CC.XXII, apparuit cometa in mēse Septembri. Tempore subsequenti obiit Ludouicus rex Franciæ, qui multum pro ecclesia laborauit contra comitem Tolosanum fautorem hæreticorum & audacissimum defensorem: cui successit in regno eius filius Ludouicus.

De terræmotu magno.

ANNO Domini M. CC. XXIII, in die natalis domini, inter sextā & horam nonam, per totam Italiam factus est maximus terræmotus: sed super omnes vrbes Italiæ ciuitas Brixiensis incredibiliter conquassata maximum damnum sustinuit, in rebus, domibus & personis.

De obsidione Ferrariæ.

Comes S. Bonifacij sub specie pacis comprehenditur. ANNO Domini M.CC.XXIIII, Azo marchio adolescēs & Ricardus comes S. Bonifacij cum Veronensibus & Mantuanis Saliniguerram in Ferraria obsederunt. Sed quum ille esset callidus & astutus, comiti sub compositionis specie intrare Ferrariam persuasit: capiensq; ipsum & omnes qui secum erant ingressi, ab obsidione Ferrariam liberauit. Post modicum verò tempus facta compositione, comes fuit à vinculis absolutus.

Quali-

Qualiter Federicus habuit regnum Ieroſolymitanum.

CIRCA hæc tempora mortua Conſtantia imperatrice, filia regis Arragonum, de qua regem Alemanniæ Henricum habuit Imperator Federicus, ipſe Iſabellam, filiam Ioannis regis Ieroſolymitani, accepit vxorem: de qua genuit Conradum, quem dilexit teneriſſimè ſuper omnes: & ſic regnum Ieroſolymitanum occaſione huius matrimonij eſt adeptus.

De proditoribus Veronæ, qui dicti ſunt quatuor viginti.

ANNO Domini M.CC.XXV, multi viri nobiles & potentes ex parte comitis S. Bonifacij corrupti pecunia Saliniguerræ, Monticulis adhærentem virum clariſſimum, comitem ſcilicet Ricardum cum ſua parte de Verona ſubitò expulerunt: & tũc primò peſſimus Ezelinus adiungens ſe prædictis, incepit habere dominium in Verona. Mantuani verò comitem cum amicis ſuis ſub protectione alarum ſuarum amicabiliter receperunt, ipſumq; in præliis modis omnibus adiuuabant. Tandem poſt multorum malorum perpetrationem facta fuit compoſitio inter comitem & aduerſarios, mediantibus rectoribus Lombardiæ.

Ecelinus tertius Veronæ dominium inuadit.

De primo aduentu Federici in Lombardiam, poſt quam fuit coronatus.

ANNO Domini M.CC.XXVI, cùm Federicus Imperator eſſet magnificatus diuitiis & gloria, & clariſſima copia filiorum ſuper omnes Auguſtos à Carolo citra, qui fuerant inter eum, aſpirare cœpit modis omnibus ad dominium Lombardiæ: & pacificè de Apulia venit in Lombardiam, & tam Cremonæ quàm etiam Rauennæ colloquium habuit cum amicis, volens amicabiliter Lombardorum animos mitigare. Sed Mediolanenſes cum multis aliis ciuitatibus in ſua duricie permanſerunt, eius verba pro nihilo reputantes.

De papa Gregorio & Federico Imperatore diſcordibus inter ſe.

ANNO Domini M.CC.XXVII, obiit Honorius papa tertius: cui ſucceſſit Gregorius nonus epiſcopus Oſtienſis. Iſte ſub pœna excommunicationis Imperatori præcepit, vt pro recuperatione terræ ſanctæ mare tranſiret, ſecundum magnificentiam Imperatoriæ maieſtatis. Imperator autem de hoc negotio intromittere ſe nolebat: verũtamen ne præceptum Apoſtolicum omnino ſpernere videretur, cum exercitu galearum in Syriam nauigauit, & taliter cum Soldano pepigit Babylonis, quòd ipſe Ieroſolymam & quaſdam alias ciuitates reddidit Chriſtianis.

Gregorius 9 Papa.

Cauſſa excommunicationis Frederici Imp.

Audiens itaq; papa Gregorius, quod tam potentiſſimus Imperator ad modum pyratæ mare tranſiſſet, in quo tremendum nomen Romani imperij apud barbaras nationes minui & deprimi videbatur, eum excommunicationis vinculo innodauit: & mox miſit exercitum in Apuliam, vt eam eccleſię ſubiugaret. Quod audiens Imperator, velociter in Apuliam eſt reuerſus. Tandem facta eſt concordia inter eos, & ceſſauit quaſſatio præliorum.

NB.

Eodem anno dominus Bonifacius Vidonis de Vizardo de Bononia poteſtas Paduæ: & eo tempore fuit nix maxima per totum mundum.

De venerabili Arnaldo abbate S. Iuſtinæ.

ANNO Domini M.CC.XXVIII, venerabilis abbas Arnaldus fecit fieri foſſatum, & induxit aquas fluuij, qui eſt S. Iuſtinæ, ibiq; fecit optima molẽdina. Hoc fuit opus egregium, & à fratribus monaſterij diligenter memoriæ commendandum.

Riuus in S. Iuſtinæ cœnob. ductus.

Eodem anno circa feſtum S. Proſdocimi, obiit Iordanus epiſcopus Paduanus: cui ſucceſſit dominus Iacobus archipresbyter eccleſiæ maioris: vacauit autem epiſcopatus aliquot menſibus.

Per idem tempus mortuus eſt Iacobus, filius Daleſmanini: de cuius malitioſa calliditate timebant plurimùm Paduani, ne ſtatum Paduæ perturbaret: ſed eius defectum fratres ipſius & filij ſtudioſiſſimè ſuppleuerunt, cum Ecelino lupo rapaciſſimo Paduam tradiderunt.

De victoriis regum Hiſpaniæ contra Saracenos.

CIRCA hæc tempora, clariſſimi reges Hiſpaniæ per diuerſa bellorum pericula & infinitos labores, Saracenos de Hiſpaniæ finibus expulerunt. Nam fortiſſimus

rex Caſtellæ obtinuit Sybillam nobiliſſimam ciuitatem, quam Iulius Cæſar dicitur cõdidiſſe, & Hiſpalim nominaſſe: & Cordubam, de qua Seneca moralis philoſophus, & inſignis poëta Lucanus originem habuerunt. Inclytus verò rex Arragonum Valentiam & Maioricam iure prælij acquiſiuit. Saraceni autem de antiquis ſedibus effugati, nauigio in Africam tranſierunt. Tunc temporis potentia regis Africæ, qui dicitur Mamolinus, non ſolùm eſt per reges Hiſpaniæ diminuta, ſed etiam per vaſallũ ipſius, regem ſc. Tunicij, qui contra eum viriliter rebellauit. Ciuitas autem Tunicium iuxta vnam paludem, de ruinis famoſiſſimæ Carthaginis circiter decem miliaria longè à Carthagine, quæ mari adiacet, eſt conſtructa.

Hiſpalis. Corduba.

Tunetum Africa.

10

De deſtructione caſtri Gogij.

Godigo caſtrum Ecelini.

ANNO Domini M.CC.XXIX, Paduani in menſe Maio caſtrum Gogij deſtruxerunt, & aliquantulum humiliauerunt ſuperbiam Ecelini.

De captione comitis S. Bonifacij.

Tumultus Veronæ contra S. Bonifacij comitem.

ANNO Domini M.CC.XXX, circa feſtum ſancti Petri, Ricardus comes S. Bonifacij, cum omnibus maioribus ſuæ partis eſt captus à ſuis aduerſariis in Verona. Quod audiens Ecelinus, filius Ecelini hæretici de Romano, concitus perrexit Veronam, vt adderet ignem camino, & inexorabilis diſcordię fomitem miniſtraret. Communiter verò Paduani, miſerunt legatos Veronam, rogando, vt Ecelinum & partem ſuam, vt comitẽ & alios incarceratos à vinculis relaxarent. Sed ipſi hoc facere noluerunt. Vnde Paduani & Azo marchio Eſtenſis, qui ſuper hoc negotio feruentiſſimus exiſtebat, confœderati cum Mantuanis, cum exercitu maximo ſuper Veronẽſes equitauerunt: & in menſe Septembri portum & Elegniacum deſtruxerunt. Tunc Saliniguerra & Ecelinus & comes de Tiraulo cum populo Veronenſi, qui ad defenſionem locorum venerant prędictorum, fugam arripientes Veronam quam citius redierunt.

20

Comes Tyrolis.

De morte B. Antonij confeſſoris, & liberatione comitis S. Bonifacij, & commotione regis Henrici de Lombardia.

ANNO Domini M.CC.XXXI, in menſe Iunio, migrauit B. Antonius, de ordine fratrum Minorum, cuius ſanctitas totam Italiam illuſtrauit.

30

Liberatus S. Bonifacij comes.

Eodem anno, in Septembri, mediantibus rectoribus Lombardiæ, comes cum ſua parte eſt à vinculis & de inimicorum manibus liberatus.

Henricus, Friderici F. in patrem ſedstoſus.

Eodem anno, ad petitionem regis Henrici, filij Federici Imperatoris, Mediolanenſes & alij audientes imperium, legatos in Alemanniam direxerunt, & cum eo contra Imperatorem ſocietatem firmiſſimam ſtatuerũt. Concepit enim rex dolorem, & peperit iniquitatem contra proprium genitorem: ideò, quòd videbatur, quòd Imperator plus eo puerum Conradum diligeret & foueret.

Qualiter Imperator Federicus incarcerauit filium ſuum.

40

ANNO Domini M.CC.XXXII, Federicus Imper. in menſe Martio, dum de Apulia vellet in Hiſtriam nauigare, impulſus vi ventorũ venit Venetias, & inde in forum Iulij tranſmeauit: ibiq; facta compoſitio inter ipſum & Ecelinum, in detrimentũ Marchionis Eſtenſis & comitis S. Bonifacij & totius Marchiæ, & etiam Lombardiæ: ſicut poſtea patuit per effectum. Aſcendit autem in Alemanniam Imperator, & capto filio proprio, rege ſcilicet Hẽrico, miſit eum in Apuliam, ibiq; fecit ipſum vſq; ad diem mortis ſicut proditorem in carcere cuſtodiri, ideò quòd confœderatus fuerat cum Lombardis: conſtituitq; in locum eius Conradum, quem tenerrimè diligebat.

De mirabili exaltatione fratris Ioannis de ordine Prædicatorum.

Ioan. Dominicanus Lõgobardis pacem ſuadet.

50

ANNO Domini M.CC.XXXIII, frater Iohannes de ordine Prædicatorũ in tanta reuerentia eſt habitus ab hominibus, Marchiæ & etiam Lombardiæ, quòd eius iuſſione Paduani, Veronenſes, Brixienſes & Mantuani, cum carociis, & aliarum ciuitatum maxima multitudo in campania Veronenſi in ſimul pacificè conuenerunt. Et ibidem in die ſancti Auguſtini ſententias ſuper quaſdam quęſtiones coram omnibus populis auctoriſabiliter promulgauit, ſed citò eius potentia expirauit: nam quaſi poſt vnum menſem quicquid ordinauerat ad nihilum eſt redactum.

De

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 136:Leibn. Marg. 136, Stück 1, [602] - 586

De hyeme aſperrima.

ANNO Domini M.CC.XXXIIII fuit hyems aſperrima, & vineæ, ac ficus & oliueta præ nimio frigore ſunt extincta.

De regina Vngariæ.

ANNO M.CC.XXXV, Beatrix quondam Aldrenandini Marchionis Eſtenſis filia; Andreæ regi Vngariæ eſt matrimoniali fœdere copulata: quàm Azo Marchio patruus eius condecenti apparatu & honorabili ſocietate ad tanti regis præſentiam deſtinauit. Hoc autẽ matrimonium filijs regis, Belæ ſcilicet & Colomanno, diſplicuit: vehementer timebat enim ne pater ſenex filios de iuuencula generaret. *Andrea Vngariæ regis nuptiæ cum Beatrice Eſtenſi.*

Eodem anno magnanimus Tixo de campo S. Petri obiit, amicus intimus Marchionis & inimicus conſtantiſſimus Ecelini.

De morte epiſcopi Mantuani.

ANNO Domini M.CC.XXXVI, vir nobilis & venerabilis Guidotus epiſcopus Mãtuanus in monaſterio S. Andreæ, in diebus Rogationum, ab aduocatis crudeliter eſt interfectus. Contra quos inſurrexerunt communiter Mantuani, & deſtructis eorum domibus & turribus ipſos de Mantua cum ſuis fautoribus expulerũt. At illi confugêre Veronam ad Ecelinum: qui erat refugium omnium peſſimorum. Comes aũt S. Bonifacij toto tempore guerræ Mantuam viriliter gubernauit contra Imperatorem & contra perfidum Ecelinum, & ſtrenuè ſe geſſit in omnibus & conſtanter. Tunc Federicus Imperator in menſe Auguſto perſuaſione Cremonenſium & Ecelini deſcendit de Alemannia cum exercitu copioſo, venitq; Veronam, & vaſtatis Mantuanis, in Lombardiam pertranſiuit. *Friderieus cum exercitu in Italiã venit.*

Per idem tempus honorabilis abbas Arnaldus fecit fieri dormitorium noſtrũ cum Capitulo, & cameris infrapoſitis & adiacentibus, ſimulq; Cameras palatij cum aula fecit optimè reſtaurari. *NB.*

Qualiter Imperator Federicus cepit Vicentiam.

ANNO Domini M.CC.XXXVI prædicto, cum Marchio & Paduani communiter Riualtam, quæ eſt ſuper Atheſin obſiderent, Ecelinus & Veronenſes miſerũt pro Federico Imp. qui tunc erat in partibus Lombardiæ. Qui ſubitò veniens cum militia Teutonicorum & Ecelinus cum populo Veronenſi, impetuosè Vicentiã inuaſerunt, eamq; capientes in feſto Omnium ſanctorum, crudeliter combuſſerunt. Paduani verò nimio terrore perterriti, ad propria ſunt reuerſi. Adepta itaq; hac victoria, Imperator ſtatim in Alemanniam eſt regreſſus, relictis in Marchia pro negotiis imperij pertractandis comite *Geueardo de Saxonia & comite Simeone Theatino. **alij hunc comitẽ Gebhardum Sueuum aſſunt fuiſſe.*

De fuga illuſtris Beatricis, reginæ Vngariæ.

HIS temporibus mortuo Andrea rege Vngariæ, & regnante Bela filio eius pro eo, Imperator ſuos legatos ad regem Vngariæ deſtinauit. Tunc Beatrix regina, cùm eſſet grauida, timore ſui crudelis priuigni, iũxit ſe in reuerſione ſocietati Imperialium legatorum, induta veſte virili: & ſic deluſo rege, qui eam faciebat cũ ſumma diligentia cuſtoditi, in Alemanniam latenter confugit, peperitq; ibi filium, quem Stephanum appellauit: quo nato, ad paternam domũ protinus eſt reuerſa cũ dulciſſima ſua prole.

Qualiter proditores tradiderunt Paduam Ecelino.

ANNO Domini M.CC.XXXVII, cum ciuitas Paduana pacifico ſtatu gauderet, & copia populi, & militia ſtrenui, diuitiis etiã & gloria eſſet plurimùm decorata: pater proditionum & ſcelerum, humani ſc. generis inimicus, miſit in corda quorundam Magiſtratuum, vt traderent eam nunciis Imperatoris & Ecelino de Romano, quem Paduani ſolebant deteſtari & perſequi veluti lupum. Malum igitur quod corde conceperant, opere perpetrarunt, de lupo paſtorem ouiũ ſubitò facientes, in ſuam & patriæ ſuæ perniciem & grauamen. Nam Ecelinum Paduæ inimicum, in menſe Febr. venire fecerant & ciuitatem & populum in eius manibus crudeliſſimis tradiderunt. *Padua Ecelino tradita Tarui ſimum.*

Taruisini autem videntes, se quasi solos in Marchia remansisse, coacti se ac sua Ecelini dominio subdiderunt. Marchio etiam Estensis, Imperatoris nunciis, amicorum destitutus auxilio, se subiecit. Postquam autem Ecelinus sub occasione imperij obtinuit Paduæ dominatum, statim optimates ciuitatis cum filiis suis in exiliũ destinauit: quos omnes postea tradidit principi Federico: qui mittens eos in Apuliam, fecit eos in duris carceribus & caueis subterraneis custodiri, vbi ex magna parte miserabiliter perierunt. Domnum & Iordanum, quem Paduani quasi patrem Paduę appellabant, perfidus Ecelinus in carcere alligauit.

Eodem etiam tempore tyrannus videns abbatem sanctæ Iustinæ tam nobilitate originis, quàm potentia dignitatis suffultum, scientia & moribus decoratum, Deo & hominibus gratiosum, conatus est de ipsius captione tractare. Quod prænoscens abbas Ferrariam primò fugit, postmodum in montis silice latuit, vsque ad aduentum Augusti. In mense itaq; Septembri Imperator Federicus cum exercitu de Alemannia in Lombardiam descendit: cui occurrit venerabilis abbas apud Veronam, & ab ipso vultu alacri est receptus, & duobus mensibus cum decenti societate castra Cæsaris est sequutus, & ab ipsius præsentiam Federici, omnes barones marchiæ conuenerunt, & de ipsorum consilio cepit Imperator tractare de pace cum Mantuanis, vt ipsis subactis, faciliùs alios aduersarios imperij subiugaret.

Alia Friderici in Italiam expeditio.

Qualiter Imperator de Mediolanensibus triumphauit.

FACTA igitur pace inter Imperatorem & Mantuanos & comitem sancti Bonifacij, qui Mantuam obtinebat: obsidio longo castri sancti Bonifacij est soluta. Tunc Imperator cum exercitu maximo intrauit districtũ Brixiæ, destruendo omnia incendiis & rapinis. Tunc etiam Montemclarum nobilissimum subuertit. Mediolanenses verò amicis vndiq; congregatis cum exercitu infinito in auxilium Brixiensium venientes, castra sua non longè ab exercitu Romani principis posuerunt. Cùm autem Mediolanenses reuerterentur, nihil mali penitus suspicãtes: Imperator cum militia subitò peruenit ad eos, apud Curtem nouam: & facto impetu contra ipsos, multos ex eis cepit, & plures occidit. Carrotium quoq; ipsorum & potestatem, filium Ducis Venetiarum, similiter apprehẽdit. Circa festum igitur beati Andreæ Imperator prædictum triumphum de Mediolanensibus est adepus. Tunc temporis in exercitu habuit elephantem, ad quem videndum confluebant populi Lombardiæ.

Victoria Imperatoris ad Curtem nouam.

De obsidione Brixiæ.

ANNO Domini M.CC.XXXVIII, comes Geuehardus de Saxonia, nuncius Imperatoris, venit Paduam, & pietate commotus super iustis querelis abbatis sanctæ Iustinę, suum monasterium abbati restituit, remouens inde custodes & procuratores, quos ibi posuerat Ecelinus. Cùm & Mediolanenses pacem habere cum Imperatore conditionaliter postularent: Imperator noluit eos recipere, nisi omni conditione remota: & hac de caussa in contumacia permanserunt. Vnde Imperator ad debellandũ eos exercitum validum præparauit: sed primò disposuit amicos eorum aggredi Brixienses. Et ita eodem anno Imperator obsedit Brixiam, à medio Iulio vsq; ad festum S. Michaëlis: sed ciuibus viriliter se defendentibus, confusus inde recessit.

Brixia ab Imp. frustra tentata.

Istis temporibus Ecelinus fugato de marchiæ finibus marchione, obsedit Montagnanam, quam nullo modo potuit obtinere. Paulò pòst marchio reassumptis viribus, recuperauit Estem, & eam fortiter communiuit.

De aduentu Federici Imperatoris ad ciuitatem Paduæ.

ANNO Domini M.CC.XXXIX, circa conuersionem sancti Pauli, venit Paduam Imperator, fecitq; residentiam in monasterio sanctæ Iustinæ, duobus mensibus, à Dominica Quinquagesimæ, vsq; ad quindecim dies post Pascha. Tunc temporis admonitione præmissa, papa Gregorius, in Dominica oliuarum, publicè ipsum Romæ excommunicationis vinculo innodauit. Summus namq; Pontifex per experiẽtiam cognoscebat animum Imperatoris esse procliuem ad opprimẽdam ecclesiam, si posset sibi subiicere Lombardiam. Vnde statim post excommunicationem virum prudentissi-

Pontificis in Imperatorẽ dira.

dentissimum & constantem Gregorium sc. sedis Apostolicæ tũc notarium, Legatum Italiæ ordinauit. Qui veniens Mediolanum populi trepidantia corda refouit, & amicos dissolutos Mediolanensium exhortatione viuifica roborans, ad pugnandum pro libertate viriliter inflammauit. Et ne videretur verbotenus tantum alios ad pericula inuitare, ipse personaliter quousq; vertebat se Imperator ad fideles ecclesiæ impugnãdos, seipsum strenuè opponebat. Interea dum Imperator in prædicto monasterio resideret, & imperatrix filia regis Angliæ noente mansionem haberet: memoratus abbas curialitatis & largitatis amator, Augustum donis gratissimis honorauit. Obtulit namque ei & duo plaustra ita pretiosissimi vini, ac si esset de vineis Engaddi, XXX modios hordei, & viginti quatuor plaustra fœni. Sturiones etiam maximos, duo tapetia pretiosa, & solium cum suo apparatu, & scabello subpedaneo artificiosissimè insignita ei dedit, quæ sibi fecit de partibus Ferrariæ apportari. His & aliis donis & encæniis tam Augustum, quàm curiales frequentissimè honorauit.

Xenia Imperatori oblata.

Qualiter Guecillus de Camino & Albricus de Romano rebellauerunt.

POST hæc cùm Imperator adhuc Paduæ moraretur, in mense Maio, Guecillus de Camino & Albricus de Romano frater Ecelini confœderati, viriliter Taruisium intrauerunt: fugatoq; Iacobo de Mora, qui tunc ibi pro imperio præsidebat, rebelles contra tam metuendum principem extiterunt. Sequebatur namq; Imperator in omnibus consilium Ecelini, Marchioni & aliis principibus bona promittendo, & semper eis mala de consilio nequissimi inferendo. Cuius etiam maligna suggestione obsidis nomine accepit filium vnicum Marchionis, & filiam vnicam Albrici, Marchionis filio matrimoniali vinculo copulata. Procurabat enim modis omnibus perfidus Ecelinus, Marchionem & eius amicos repellere ab Imperatoris seruitio & mandato, vt imperiali fretus auxilio & fauore, posset eos destruere penitus & delere.

Albericus, Ecelini frater, Imperatoris rebellat

His diebus circa pascha obiit dominus Iacobus episcopus Paduanus: vacauitque de facto episcopatus XVII annis.

Eodem anno in principio Ianuarij fuit eclipsis Solis.

Qualiter Marchio & omnes amici eius rebellauerunt.

IN mense prædicto, postquam Marchio & omnes amici sui viderunt animum Augusti inclinatum ad complendum omnia desideria Ecelini, exposuerunt se magno periculo, à mandatis imperialibus penitus recedendo. Imperator autem relicto Tibaldo Francisco potestate Paduæ, & vicario totius Marchiæ, præcipiens ei, vt mandatis Ecelini in omnibus obediret, transiuit in Lombardiam & congregans exercitũ, quædam castra Bononiẽsium deuastauit: & his peractis, in Apuliam protinus properauit. Ipse verò Marchio, arcem Estensem, Baonem, Cerrum.... & per obsidionem obtinuit Callaonem: & sic incœpta est guerra periculosa per Marchiam vniuersam. Imperator de cætero in cunctis ciuitatibus Italiæ omnes amicos Marchionis Estensis & comitis S. Bonifacij cœpit habere exosos pariter & suspectos: partem verò Saliniguerræ & Ecelini vbiq; incœpit diligere & amplecti.

Theobaldus Franciscus Imp. vicarius in Marchia Tarui-siana.

Estenses à fide Imperatoris desciscit.

NB.

De obsidione Ferrariæ & eius captione.

ANNO Domini, M. CC. XL, circa conuersionem S. Pauli, cometa versus Occidentẽ apparuit. In illis diebus ẽt cùm iã vir magnanimus Philippus scilicet episcopus Ferrar. contra sapientissimum Saliniguerram, qui dominabatur Ferrariæ, pro ecclesia rebellasset, & Bragantinum & Bondenũ viriliter occupasset: Veneti cũ exercitu magno, & Bononienses, & Mantuani, & multa militia Mediolanensium, cum domino Gregorio de Montelongo, sedis Apost. legato, venerunt in auxiliũ Marchionis, & obsederunt Ferrariã: quam post menses quatuor sub quadã compositionis specie habuerunt. Nihilominus tamen Saliniguerrã captum dux Iacobus Thepolus Venetias secũ duxit, vbi vsq; ad diem mortis suæ fuit in carcere custoditus. Sequẽti tempore in mẽse Augusto, audiens Imp mortuum esse Paulum Trauersarium dominum Rauennæ, amicum intimum Marchionis, exiuit de Apulia cum exercitu, & venit, & obsedit Rauennam. Qua capta, accessit Fauentiam, & eam obsedit octo mensibus cum instantia

Cometes.

Saliniguerra Ferrariæ tyrannus capitur.

obstinata. Eodem anno Iacobus de Carraira captus est in castro Agnæ, à Tibaldo Francisco: in medio Augusto accepit sententiam capitalem. Insequenti mense aduocatus captus in castro Brentis, similiter est à Tibaldo punitus.

De obsidione Fauentiæ, & obitu Gregorij papæ, & Tartaris.

ANNO Domini, M. CC. XLI, post longam obsidionem cepit Fauentiam Imperator. In eadē æstate, Pisani ceperūt duos cardinales & multos prælatos, q̄ per mare Tyrrhenum in nauibus Ianuensium pergebant Romam ad summum Pontificem.

Non multo tempore post prædicta transacta, obiit papa Gregorius nonus, & vacauit sedes Apostolica multis diebus: sed tandem papa Celestinus, Mediolanensis natione, fuit electus: qui post electionem vix decem & octo vixit diebus.

Celestinus papa.

Circa hæc tempora effera gens Tartarorum, gladio, incendiis & rapinis totam Vngariam subitò deuastauit. Tunc rex Bela vix eorum manibus euasit, fugiēs ad maritima Sclauoniæ festinanter.

De papa Innocentio quarto, & de superbia Federici Imperatoris, qui conabatur ecclesiam subiugare.

ANNO Domini M. CC. XLII, Cardinales post multa consilia elegerunt dominum Sinibaldum Cardinalem de comitibus Leuaniæ, natione Ianuensem: qui appellatus est Innocentius papa quartus. Iste quæsiuit ferè duobus annis habere pacē cum Imperatore, volens finem imponere tantis malis. Sed cùm Imperator ferè totam Italiam possedisset, in superbiam eleuatus, verba quidem blanda dicebat: sed Romanam ecclesiam deprimere modis omnibus satagebat. Superbiæ quippe spiritu inflammatus proponebat ædem eius auferre, iurisdictiones, & possessiones villarum & castrorum, quibus erant ab imperio prædotata: & taliter volebat humiliare superbiam clericorum. Et licet ipse versipellis esset plurimum & astutus: tamen quòd ex abundantia cordis os loquitur, istam sacrilegam voluntatem nō poterat occultare. Vnde contra se odium prælatorum in toto imperio non modicum excitauit.

Innocentius 4. pont.

Hoc anno, in mense Martio, populosa Montagnagna est diuino iudicio concremata. Quod audiens Ecelinus, ipsam festinanter in manu valida occupauit.

De destructione castri sancti Bonifacij, & de prima audacia contra nobiles & potentes.

ANNO Domini M. CC. XLIII, Galuano Danza vicario in Marchia existente, castrum S. Bonifacij à Veronensibus est destructum: sub eodem etiam comes de Panico ciuis Veronensis est Paduæ decollatus, multiq; viri nobiles & præclari accusati de proditione, Veronæ sunt ab Ecelino diuersorum tormentorum generibus interfecti. Et tunc primò tyrannis assumpsit maiorem audaciam, ita nobiles & potentes sicut ignobiles & pauperes puniendi.

Comes de Panigo & alij nobiles ab Ecelino capite multati.

Eodem anno nobilissimum castrū Ostillę à Mantuanis funditus est destructum.

Hostiglia castrum Veronensium.

Qualiter Innocentius papa dimissa Roma Ianuam nauigauit.

ANNO Domini M. CC. XLIIII, circa festum S. Ioannis baptistæ, magnanimus Innocentius papa prouidens se illudi ab Imperatore verbis & promissionibus fraudulentis, sciens q; esse scriptum, quòd ars deluditur arte: finxit se habere colloquium cū Augusto, & tunc latenter & cautè veterem Galliam intrauit, & sic ad Ianuensem vrbē nauigauit. Imperator hoc audiens, timens tanti viri sagacitatē, est non modicum conturbatus. Papa circa festum sancti Lucæ per terras comitis Sabaudiæ in Galliam pertransiuit, figens q; sedem suam apud Lugdunum, statim misit per vniuersum orbem, ad conuocandum prælatos & principes ad Concilium generale.

De concilio Lugdunensi, & de sententia depositionis Federici Imperatoris data ab Innocentio papa.

Pontifex Lugdunum concedit.

ANNO Domini M. C. C. XLV, circa festum sancti Ioannis baptistæ, factum est concilium maximum Lugduni, ad quod citatus Imperator personaliter, ire contempsit.

pſit. Vnde propter contumaciam eius & innumerabilia mala quæ fecerat contra Eccleſiam, Innocentius papa reſidens in concilio de aſſenſu & conſilio Prælatorum & totius concilij protulit contra Federicum depoſitionis ſententiam, iuſtè pariter & cõſtanter. Forma itaq; ſententiæ prolatæ à ſummo Pontifice ita fuit. *Volentes*, inquit Apoſtolicus, *diuinam ſententiam præponere ſententiæ noſtræ, denunciamus, Federicum à Deo excommunicatum & depoſitum ab omni honore Imperij & regni. Addentes verò ſententiam noſtram diuinæ ſententiæ, excommunicamus Federicum, & deponimus ab omni honore Imperij atq; regni.* *Fridericus à Pontifice exauctoratus.*

De Imperiali colloquio Veronæ celebrato, & de Lantgrauio rege Alemanniæ conſtituto contra Federicum.

DVM prædicta fierent apud Lugdunum, Imperator veniens Veronam cum filio ſuo Conrado, & cum quibuſdam ſuis principibus Alemanniæ & baronibus Lombardiæ ſibi fauentibus, ſolenne colloquium celebrauit. Quo facto, ſimulans ſe ſimul cum Conrado filio ſuo velle ad Concilium properare, iuit vſque Taurinum: vbi primò audiuit contra ſe depoſitionis ſententiam promulgatam. Tunc reuerſus eſt Cremonam, ibiq; negocia Imperij ordinauit. Pòſt in Apuliam quàm citiùs eſt reuerſus, & Conradum velociter in Alemanniam deſtinauit.

Sagaciſſimus verò Innocentius papa direxit in Alemanniam nuncios, ad monendum Principes, vt eligerent aliquem ſtrenuum virum ad Imperium gubernandum. Tunc illi conuenientes ad tantum negocium peragendum, elegerunt virum catholicum, ſtrenuum, nobilem, ſapientem, benignum & conſtantem Lantgrauium de Thuringia, Deo & hominibus gratioſum. Ille autem electioni de ſe factæ aſſenſum præbuit, conſtanter paratus, intuitu diuinæ maieſtatis, omne periculum pro eccleſia & Republica ſuſtinere. Et ſic contra Federicum potentiſſimum ſuſcepit alacriter & audacter regni Alemanniæ diadema. *Henricus Thuringiæ Lantgr. Rom. rex.*

De Lantgrauij regis Alemanniæ victoria contra Conradum, Federici filium.

ANNO Domini M. CC. XLVI, Lantgrauius rex Alemanniæ congregauit exercitum copioſum, aduerſus Conradum filium Federici. Cui ille in manu valida occurrit audacter. Inito igitur certamine, Conradus amiſſa multitudine militum, vix cum paucis euaſit, quem niſi ſceleratus dux Vngariæ ſuſcepiſſet, immemor patris ſui, à Federico per Aſaſſinos interfecti, Lantgrauius eum de Alemannia effugaſſet. In prædicto igitur prælio & alijs negocijs eccleſiæ in Teutonia pertractandis, Legatus ſedis apoſtolicæ erat, vir magnanimus Philippus epiſcopus Ferrarienſis: cuius audacia & ſagacitas circumſpecta tam in captione Ferrariæ, quàm in factis Alemanniæ poteſt ore omnium commendari. Iſte namq; pro Romana eccleſia ſubire pericula & labores minime recuſauit. Ipſe dixit patri ſuo & matri, *Neſcio vos*, & fratribus ſuis ſimiliter. Quia patrem & matrem & etiam parentelam contempſit, & capi ab Imperatore ſuſtinuit patienter, eligens in tantis anguſtijs Eccleſiæ, Deo, & ſummo Pontifici potiùs obedire, quàm parentum carnalium amore à tramite recedere veritatis.

Qualiter Ecelinus cepit abbatem S. Iuſtinæ.

EODEM anno factum accidit lacrymoſum, plenum compaſſione pariter & dolore. Nam Ecelinus Satanæ miniſter, diaboli carnifex, potator humani ſanguinis, ſitibundus inimicus eccleſiæ, hæreticorum refugium, malitiæ ſedulus adinuentor, manum miſit ad deſyderabile membrum eccleſiæ, id eſt abbatem ſanctæ Iuſtinæ de Padua, capiendum: virum vtiq; iuſtum, honeſtum, bonis moribus informatum, & clero & populo atteſtante plurimùm reuerendum. In die igitur ſancti Briccij, eum cum fratre carnali capi præcepit, ipſumq; incluſit in carcere tenebroſo, faciens eum velut proditorem Imperij cum diligentia cuſtodiri.

Eodem tempore Albricus & Nicolaus de Lendenaria, viri nobiles & potentes, & ſicut roſæ inter milites Marchiæ refulgentes, accuſati de proditione, multis ab Ecelino afflicti tormentorum generibus, defecerunt.

De morte Henrici de Egna, in ciuitate Veronæ.

Henricus de Igna nepos Ecelini, præfectus Veronensis.

ANNO Domini M. CC. XLVII, in mense Februario, factum magnæ audaciæ accidit in Verona. Nam cùm Henricus de Egna, filius sororis nequissimi Ecelini, gereret prædictæ regimen ciuitatis: quidam miles Veronensis, nomine Ioannes de Scamarolla accusatus de proditione, ante tribunal eius vinctis pedibus assistebat. Cui cùm Henricus diceret: Ioannes, scias esse impossibile quòd euadas: ille gladium de caliga latenter educens, irruit in eum, quem in capite grauiter vulnerauit, ita quòd vix diebus XV superuixit. Tunc satellites Potestatis ipsum protinus occiderunt. O mira stupendaq; audacia, & ore omnium diuulganda? Quis enim non potuit meritò admirari, hominem vinctum, solum, armatis hominibus circumseptum, inuasisse iuuenem bellicosum, fortem, strenuum & terribilem inimicis? Patet itaq; illud prouerbium esse verum, quòd qui vult mori, Regem potest occidere.

De morte Lantgrauij regis.

HOC tempore Lantgrauius rex Alemanniæ diem clausit extremum: de cuius morte ecclesia est turbata. Federicus verò plurimùm est erectus.

Qualiter capta est Parma.

EODEM anno, in mense Maio, venit Federicus de Apulia in Lombardiam cum magno apparatu, pro quibusdam negocijs peragendis & disponendis, perrexit versus Taurinum, vbi dum moram faceret, bellicosus Encius filius naturalis, cum exercitu Cremonensium iuit ad obsidendum quoddam castrum Brixiæ, nomine Quinorianum. Tunc habita opportunitate consanguinei papæ Innocentij & amici eorum, qui fuerunt de Parma expulsi, & Placentiæ residebant, subitò congregati, in manu forti Parmam de assensu populi in medio Iunio intrauerunt, & Potestate occisa, partem Federici inde protinus expulerunt. In quorum auxilium dominus Gregorius de Monte longo legatus sedis apostolicę cum Mediolanensibus & Placentinis, & Comes sancti Bonifacij cum Mantuanis Parmam velocissimè intrauerunt, ipsamq; velociter munientes, ad defensionem fortiter se parauerunt. Quo audito, Federicus cum exercitu infinito, & cum Ecelino, qui perrexerat eius auxilium, festinans cum militia maxima venit, & castrametatus est iuxta Parmam, faciensq; ibi ciuitatem, quam Victoriam appellauit, statuit se firmiter nullo modo discessurum, nisi per mensem caperet ciuitatem. Federico igitur impugnante, & ecclesia cum suis fidelibus Parmam totis viribus defendẽte, tempus sex mensium est elapsum, & asperitate hyemis cogente, militia ciuitatum ex vtraq; parte est reuersa. Federicus verò remansit in Victoria, cum modica quantitate exercitus, expectans futuram æstatem, & animo cupienti, in quo credebat se Parmam sine dubio expugnaturum: Sed

Victoria oppid. proximè Parmã à Friderico conditum.

Fallitur augurio spes bona sæpe suo.

Qualiter Victoria est capta à Parmensibus.

ANNO Domini M. CC. XLVIII, Federico in Victoria residente, in medio Februario, Legatus & Parmenses inito consilio, de ciuitate vnanimiter exiuerunt, irruentesq; in Victoriam, ipsam sine mora ceperunt, captamq; protinus cremauerũt. Federicus verò versus Cremonam fugam arripiens, vix euasit: dimissis ibidem diuitijs infinitis. Parmenses autem multis captis & occisis de ipsius exercitu, Carotium etiam à Cremonensibus habuerunt.

Imperatoris periculum.

De regis Gulielmi electione.

CIRCA hæc tempora Innocentius papa negotia ecclesiæ peragens vigilanter, Legatum in Alemanniam destinauit, citauitque Principes, vt eligerent in Regem virum aliquem idoneum & potentem. Cuius præceptis protinus obsequentes, elegerunt Comitem Guilhelmum de Holandia in regem, & futurum Imperatorem, virum vtiq; probum & exercitatum, militibus decoratum.

Qualiter Ludouicus rex Francorum mare transiuit, & obtinuit Damiatam.

ANNO Domini M. CC. XLVIIIJ, Ludouicus rex Francorũ cruce signatus mare transiuit in subsidiũ terrę sanctæ, & cũ magno exercitu & infinita nauium multitudine intra-

intrauit terram Ægypti. Cuius fortitudine perterriti Ægyptij, Damiatam (quæ in Prophetis Memphis vocatur) protinus reliquerunt: & ex tali modo eam habuit sine gladio & sagitta.

De regis Encij captione.

EODEM anno in principio Iunij, bellicosus rex Encius, filius Federici, captus est, à Bononiensibus cum militia copiosa: quapropter Bononienses sunt vsq; sydera eleuati. Vnde Mutinenses necessitate compulsi, se Bononiensium dominio subdiderunt. *Entius, alias Henricus Friderici F. capitur.*

In istis diebus tres filij Iacobi de Dalesmanino sunt capti ab Ecelino, & varijs tormentis afflicti: tandem iussu ipsius in platea Paduæ sunt crudeliter trucidati.

Eodem anno Federicus castrum Montis salicis, circa festum sancti Ioannis baptistæ tradidit Ecelino. Decimo verò die, exeunte Septembri, Burgus Estensis traditus fuit ei, per quendam sceleratum virum, nomine Vitalianum de Arelda. Arcem autem post mensem obtinuit, eam priùs cum multis machinis impugnando. Tandem propter famem omnia castra obtinuit Marchionis. *Estensis marchio ditione sua ab Ecelino exutus.*

Qualiter rex Franciæ Ludouicus Damiatam reddidit Saracenis.

ANNO Domini M. CC. L, circa pascha Ludouicus rex Francorum, cùm versus Babyloniam properaret, à Saracenis cum suo exercitu est conclusus: & cùm neque procedere neq; redire valeret, Soldano se reddidit Babylonis, amisso priùs in bello Comite Roberto fratre suo, cum maxima militum quantitate. Rex itaque pro redemptione sua Damiatam reddidit Saracenis, dimissusq; ab eis redijt in Syriam, & reædificata Cæsarea Palestinæ, in Franciam est reuersus, cum ignominia suæ gentis totiusq; populi Christiani. Saraceni autem considerantes tam præterita quàm futura, Damiatam funditus diruerunt, vel euerterunt, ne de cætero esset occasio & receptaculum præliorum.

Qualiter Parmenses à Cremonensibus sunt deuicti.

INistis temporibus Cremonenses amicis vndiq; congregatis equitauerunt in manu valida contra Parmam. Quibus Parmenses impares viribus & numero non longè à ciuitate audaciter quidem, sed minùs prouidè occurrerunt. Sed (sicut vulgò solet dici, paucos quidem valet Omnipotens adiuuare, sed frequentius multitudo vincere consueuit) Parmenses non potuêre, à Domino non adiuti, inimicorum impetum sustinere: sed versus Parmam velociter fugientes, amiserunt militum & peditum simul cum Carotio non minimam quantitatem. *Parmensium clades.*

Eodem anno, in festo sancti Bartholomæi, Guilelmus de Campo sancti Petri iussu Ecelini fuit in platea Paduæ crudeliter interfectus.

De morte Federici Imperatoris.

SVB prædicto annorum curriculo, potentissimus Federicus, in die sancti Lucæ, vitam amisit in Apulia: descenditq; ad inferos, nihil secum deferens, nisi seculum peccatorum.

De reuersione Innocentij papæ in Lombardiam.

ANNO Domini M. CC. LI, Innocentius papa post mortem Federici, factis Alemanniæ cum prælatis & principibus ordinationibus, circa pascha exiens de Lugduno, venit ad Ianuensem ciuitatem, vbi omnes magnates Lombardiæ, qui viam ecclesiæ sectabantur, ei in reuerentiam occurrerunt. Deinde venit Mediolanũ, & recuperata Laudensi, transiens per Lombardiam festinanter, Petusium properauit.

Per idem tempus populus Placentinus furore contra suos milites concitatus, auxilium Cremonensium implorauit: & expulsis militibus, Obertum Palauicinum in suam perniciem elegit in Dominum & rectorem.

De rege Conrado.

EODEM anno Conradus, filius Federici, descendens de Alemannia, venit Veronam, & cum auxilio Ecelini, in mense Decembri intrauit in mare, in portu Texanæ, & nauigans in Apuliam, eam cum insula facillimè obtinuit, secundum suæ beneplacitum voluntatis.

De obitu principis Rainaldi, filij Marchionis.

PER idem tempus mortuus est Rainaldus in Apulia, filius Marchionis Estensis, quem pro obside acceperat infelicissimus Federicus. Reliquit autem filium & filias, quas habuit de quibusdam puellis nobilibus de Apulia, dum in carcere satis curialiter teneretur. Marchio autem naturali amore inductus, fecit cautè filij sui dulcissimos fructus sibi de Apuliæ partibus apportari: & faciens ipsos legitimos tam per sedem apostolicam, quàm per regem Alemanniæ Gulielmum: puerum, cui nomen erat Obizo, qui patris imaginem tam in colore quàm in membrorum dispositione manifestissimè exhibebat, omnium suorum bonorum firmiter constituit & declarauit hæredem.

Obizo, Azonis marchionis nepos.

De patriarcha Gregorio, & morte comitis S. Bonifacij.

ANNO Domini M. CC. LII, dominus Gregorius de Monte longo, qui multis annis in Lombardia fungens officio legationis, tam feliciter quàm fideliter & prudenter pro Romana ecclesia laborauit, ordinatus patriarcha Aquileiensis à papa Innocentio, in mense Ianuario Forum Iulij est ingressus.

Sequenti mense, videlicet Februario, Ricardus comes sancti Bonifacij, qui cùm permultum pro ecclesia contra Federicum & Ecelinum perfidum laborauit, cũ esset Brixiæ, viam vniuersæ carnis est ingressus. Reliquit autem vnum filium paruulũ, nomine Ludouicum. Brixienses verò non immemores eius commendabilis probitatis, eum cum honore maximo sepeliri studiosissimè curârunt. Mense verò Maio, filij & nepotes nobilis Gulielmi de Carturio, post multa genera tormentorum, iussu Ecelini sunt Paduæ interfecti.

De sceleribus perfidi Ecelini de Romano.

HOC anno circa finem Augusti, Ecelinus humani generis inimicus, suggestione dæmonum & hominum malignorum, credens firmiter, contra se omnes milites & electos populares Marchiæ coniurasse: extraxit mortiferum gladium irreuocabiliter de vagina, incipiensq; à Carnorolo milite Veronensi, quem coniurationis principem asserebat, tam in Verona quàm in Padua, Vicentia & in tota Marchia inauditam stragem & occisionem hominum perpetrauit: vbiq; luctus erat, vbiq; dolor & tristitia, vbiq; dira mortis imago. Caterùatim milites & maiores natu in foro gladijs necabantur: membra frustatim præcidebantur, & rursum collecta & imposita rogis, igne suppositò cremabantur. Frater fratrem, consobrinus consobrinum, amicus amicum tradebat ad mortem, & proprijs manibus trucidabat. His sceleribus credebat quilibet se obsequium præstare tyranno. Et tamen isti qui hoc faciebant, post paucos dies in similem mortis gladium seu laqueum incidebant. Filij nobilium & aliorũ ciuium oculis priuabantur, & eorum genitalibus amputatis, includebantur in carceribus tenebrosis, vbi moriebantur famis horribili cruciatu. Matronæ nobiles & delicatæ, & virgines speciosæ, fame, peste, iniurijs & afflictionibus inauditis in custodijs tabescebant. Quotidie diuersis generibus tormentorum indifferenter tam maiores quàm minores à carnificibus necabantur. Voces terribiles clamantum in tormentis, die noctuq; audiebantur de altis palatijs: quæ dolorem & horrorem maximum hominibus inducebant: nullusq; publicè audebat plorare super his malis: sed quilibet vitam & victoriam, etsi non corde, saltem verbis affectuosis, Ecelino nequissimo domino affectabat. Illum iustum, illum bonum, illũ sapientem & amatorem status Marchiæ, omnes adulatoriè conclamabant. Nec tamen ista dicentis ferocitatem animi eius poterant mitigare: sed erat ei sicut populus, sic sacerdos: sicut laicus, ita religiosus: sicut senex & imbecillis, ita puer adhuc balbutiendo in verba prorumpens. Nulli ætati, nulli sanctitati, nulli probitati parcebat. Semper eodem vultu, eodem modo, eadẽ instantia nimiæ crudelitatis opera perpetrabat, & quasi semper à capite incipiẽs, quotidie sine labore, sine conscientiæ remorsione magna tormenta & inexcogitata, corporibus hominum infligebat. Non remansit in tota Marchia progenies aliqua, generosa vel etiam popularis, quæ ab ipso vel ex toto, vel ex parte maxima non sit crudeliter lacerata. Milites ferè omnes sunt gladio & alijs supplicijs interfecti: studiosi mercatores, iudices sapientes, prælati reuerendi, clausirales deuoti, canonici honorati, spe-

Ecelini in Imperij defertores crudelitas.

cioſi

cióſi iuuenes & ſtrenui radicitùs ſunt deleti: ſubſtantijs eorum ablatis & diſpoſitis ſecundùm tyrannicam iuſſionem. Serpens inſuper callidus & aſtutus omnes pulchras domos & fortes, & loca iuxta portas & pontes in ciuitatibus conſtituta emere ſtudioſiſſimè procurabat, & poſt paucos dies vitam ſimul & precium venditoribus auferebat. Ipſe bona epiſcopatuum, abbatiarum, canonicatuum, & ferè omnium eccleſiarum, in ſuis ſceleratis operibus conſumebat. In diebus eius ceſſauit prædicatio, obmutuit confeſſio peccatorum, & deuotio fidei eſt extincta. Viſitare etiam ſancta loca publicè homines non audebant: nam accuſatores ab ipſo erant in populo conſtituti, qui vigilanter & ſollicitè obſeruabant, ne quid in dicto vel facto, vel aliquo contra tyrannum peſtiferum tractaretur. Accuſatus autem à talibus inſidiatoribus, etiam deleuiſſima culpa in aculeo leuabatur, totaq; eius familia captiuitate perpetua damnabatur. Defenſor nullus in anguſtijs apparebat, accuſatorum verò erat numerus infinitus. Reſidere ſub Ecelini tyrannide intolerabile: effugere, impoſſibile videbatur: quòd nequiſſimus dæmon foſſatis magnis diſtrictum ſuum circumdederat, & ſuper ipſa fecerat ſpeculas, quas Marchiani *muras* appellabant, in quibus erant die noctuq; ſpeculatores, qui nec intrare nec exire aliquos permittebant. Si quis in fuga deprehenſus fuiſſet, ſine audientia oculis vel pedibus & manibus priuabatur, nec aliqua eum poterat excuſatio liberare. Talis erat ſtatus commorantium in Marchia: tale ſiquidem erat dominium Ecelini. De crudelitate itaq; perfidi Ecelini pauca peſtrinximus: nam exprimere ex toto ipſius malitiam vix poſſet facunda loquacitas Tullij vel Maronis.

De carceribus perfidi Ecelini.

ANno Domini M. CC. LIII, Ecelinus nullas niſi ſanguine fuſo gaudens habere vias, tam in Verona quàm in Marchia vniuerſa vehementer iterum manum ad incarcerandum & occidendum extendit, impleuitq; ciuitates & caſtra multitudine captiuorum, quos fame horribili affligebat. Præ famis autem & ſitis anguſtia, proh dolor, quælibet immunda miſeri comederũt, ac vrinam cum auiditate inopinabili bibere cogebantur. Et non paruum impendere beneficium putabatur, qui vrinæ ſuæ potum dignabatur ſocijs impartiri. Fœtor etiam intolerabilis & aër corruptus, calorq; nimius & tenebræ ita horribiles erant in carceribus Ecelini, quòd captiui vix poterant reſpirare. Multiq; his de cauſis ſpiritum exhalabant. Præterea tanta erat in his hominum miſerabilium multitudo, quòd ita vnus alium comprimebat, quòd nec iacere poterat aliquis nec ſedere. Corporis verò debilitas nullo modo ſuper pedes conſiſtere promittebat. Clamor autem lugentium, & dicentium, *Væ, Væ*, ac percuſſiones manuum ita horridæ perſonabant, quòd non carceres manufacti, ſed ergaſtula infernalia, & penè inflictus à dæmonibus meritò putabantur: quia ibi nulla requies, nulla conſolatio, nulla ſpecies redemptionis à malis illatis & imminentibus habebatur. Mors ibi ſummo deſyderio quærebatur, vt finem imponeret tantis malis. Moriens enim in tali ſtatu, viuente feliciori credebatur. In mortis verò articulo conſtituti, confiteri cum ſacerdotibus, & rerum ſuarum diſponendarum licentiam nullo modo poterant obtinere. Efferebant itaq; quotidie corpora extincta de carceribus tenebroſis, nec permittebant aliquem ſepeliri, niſi priùs euidentiſſimè probaretur, quis eſſet vel vnde, qui beneficium debebat conſequi ſepulturæ. Et ex hoc cuſtodes carceris faciebant fieri publica inſtrumenta, vt indubitanter poſſent tyranno ſollicitè omnia inquirenti oſtendere mortuorum numerum & virorum. Sed quòd longum eſſet ſingula ſcelera tyranni nefandiſſimi enarrare, ſufficiant hæc pauca de plurimis eſſe dicta: ſatisq; ſit, nos & enormibus crudelitatibus non ſubtrahere veritatem, & in multis faſtidium euitare.

FINIS LIBRI PRIMI.

RERVM PER LONGOBARDIAM ET VICINAM TARVISINAM MARCHIAM GESTARVM,

Liber secundus.

De morte regis Conradi, & de introitu papæ Innocentij in Apuliam.

ANno Domini M. CC. LIIII. cùm rex Conradus duobus annis regnum Apuliæ tenuisset, die duodecimo, exeunte Maio, regnum simul & vitam amisit. Post cuius decessum Innocentius papa in manu valida intrauit in Apuliam, & sedem suam fixit apud Neapolim. Ad cuius præsentiam omnes principes Apuliæ conuenerunt, Manfredus etiam princeps Tarenti, filius Federici, eidē subiectionem & deuotionem in omnibus deferentes. Cùm igitur caput magnifici Innocentij nubes excedere videretur, sicut placuit ei, in cuius manibus sunt omnes fines terræ, & qui etiam multitudines montium contemplatur, decimo die intrantis septembris, apud Neapolim naturæ legibus satisfecit: cui successit Alexander quartus, qui prius erat episcopus Hostiensis.

Alexander 4. pontifex.

Dum autem magnificus Innocentius esset in mortis articulo constitutus, iamq; illum versiculum frequenter repeteret: *Domine propter iniquitatem corripuisti hominem*: Manfredus naturalis filius Federici, impatiens contra dominum sedis apostolicæ iam rebellis effectus, magnam stragem militum ecclesiæ apud Fogiam perpetrauit. Audita igitur morte Innocentij & substitutione Alexandri, cum maiore audacia cepit ecclesiam in Apulia expugnare, vires eius quotidie subuertendo. Cuius audacia ac sagacitate mirabili Apuli pauefacti, à deuotione Romanæ ecclesiæ discedentes, principi humiliter adhærebant. Papa itaq; Alexander ordinatus capitaneus, cum militia infinita, qui deberent contumaciam & processum principis cohibere, exiens de Neapoli, ad partes Campaniæ properauit. Manfredus autem opus inceptum consummare intendens, armis, muneribus & ambagibus exercitum ecclesiæ ita debilitare curauit, donec ipsum de regno turpiter & effœminatè coëgit exire: taliter, quòd totius regni paterni obtinuit principatum, in præiudicium ecclesiæ & grauamen.

De transitu venerabilis Arnaldi, abbatis sanctæ Iustinæ.

ANno Domini M. CC. LV, cùm vir deuotissimus abbas Arnaldus honestatis forma religionis monasticę speculum & exemplar, octo annos & tres menses in carcere tenebroso & in vinculis consummasset, circiter septuagesimum vitæ suę annum, die decimo intrantis Februarij, qui tunc fuit primus dies Quadragesimę, apud Astum feliciter migrauit ad Dominum. Imminente verò hora migrationis eius, quæ fuit circa diluculum (sicut fratres Minores viri deuotissimi nobis fideliter retulerūt) multi in castris imminentibus constituti, viderūt manifestè ignea signa ad instar duarum facularum, quæ super carcerem eius tamdiu steterunt, donec illa sancta & Deo dilecta anima carnis vinculo est soluta: significatiua sanè, sicut firmiter arbitrantur, illa duo signa fuerunt duplicis laureolæ, qua vir beatus est à Domino in cœlesti curia inter martyres & virgines coronatus. Corpore siquidem & animo fuit virgo, sicut sacerdotes, quibus confitebatur, liquidò profitentur: nam neq; verbo neq; facto vnquam dehonestauit in vitio lasciuiæ sui animi puritatem. Martyr verò potest dici, quòd patienter & innocenter sustinuit longam carceris passionem. In ipsa autem carceris angustia constitutus, tam custodum quàm se visitantium ita quadam lenitate mansuetudinis attrahebat, vt ab omnibus meritò amaretur. Nam cùm in eodem anno, quo de hac vita erat exiturus, nullum proprium habuerit seruientem, ab omnibus enim fuerat derelictus propter immanem rabiem sæuientis tyranni, qui præceperat, ne aliquis ei ad manducandum aliquid exhiberet, nisi panem atrum & aquam breuem:

uem: nihilominus tamen custodes carceris pietate commoti, omnia ei occultè humanitatis obsequia exhibebant. Ad tanti autem viri venerabiles exequias celebrandas, in die obitus conuenit vtriusq; sexus non minima multitudo hominum, & cum reuerentia & honore corpus eius sanctissimum ad fratrum Minorum ecclesiam deferentes, sepulturę deuotissimè tradiderunt. Multi verò tam viri quàm mulieres pias lacrymas effundebant, reminiscentes viri Dei compassionem & dulcedinem & animi lenitatem: multiq; dicebant, ipsi esse potiùs congaudendum, quòd esset à tantis angustijs liberatus, & paradisi gaudijs frueretur. Post quinquaginta verò dies ab eius obitu, visum fuit fratribus Minoribus, quòd eius corpusculum in sepulchrum paratum decentiùs deberet transferri. Procurauerunt autem noctis silentio homines cõductitios adhibere ad hoc negotium peragendum, extimantes corpus putridũ & penitùs tabefactum odorem intolerabilem exhalare. Aperientes itaq; loculum, quo pia membra tenebãtur inclusa, & nulla putredinis & corruptionis videntes vestigia, præter quandam albedinem ad modum lanuginis circa palpebras oculorum, admirationem maximam habuerunt, & cunctos de domo ad hoc miraculum conuocantes, vnanimiter Deum laudauerunt, qui in sanctis suis est mirabiliter gloriosus. Post hoc in sepulchro condigno parato beati viri corpus reuerendissimè condiderunt.

De Tridentinis, qui rebellauerunt contra Ecelinum.

EODEM anno circa principium Aprilis, Tridentini grauissimum iugum tyrannidis Ecelini à suis ceruicibus excusserunt. Ad quos opprimendos validum exercitum per vallem Suginam festinanter direxit, qui multa castra & villas eorum tam incendijs quàm rapinis crudeliter deuastauit. Eodem tempore Ecelinum de Egna, filium sororis suę, coniecit in vinculis, & Ciramontem fratrem varijs tormentis & fame peremit. Qui ergo fratri & nepotibus non pepercit, non erat mirum, si super extraneis nulla misericordia mouebatur.

De commotione Brixiæ.

ANNO Domini M. CC. LVI, in mense Martio, instigante venenatissimo colubro Ecelino, Brixia est ciuili discordia perturbata. Pars ecclesiæ succubuit: pars verò Ecelini obtinuit dominatum. Tamen in hoc victores fuerunt astuti, quòd tyrannum crudelissimum ciuitatem ingredi minimè permiserunt: ad regimen Brixiæ Gufolinum suum ciuem, patriæ amatorem protinus eligentes. Ecelino verò iam cum exercitu Montem Clarum ingresso, persuaserunt redire Veronam, verbis & promissionibus eius ferocitatem animi, ad internetionem super parati, sagaciter mitigantes.

Ecelinus socerũ in carcere perimit.

Eodem anno Ecelinus, cui proprium erat nunquam parcere nec misereri, Bontrauersum suum socerum cum filijs suis cepit, & in carcere grauissimo famis cruciatu peremit. Si causa quæritur captionis: breuiter respondemus, quòd omnibus quos volebat tyrannus occidere, titulum proditionis generaliter opponebat.

Qualiter legationis officium commissum est venerabili viro Philippo archiepiscopo Rauennati.

CIRCA hæc tempora, cum inæstimabili crudelitate nequissimi Ecelini (vt hyperbolicè loquar) admiraretur cælum, turbaretur terra, horreret infernus, cõmouerentur reges & principes nationum: Alexander papa precibus Marchionis Estensis & aliorum magnatum Marchiæ inclinatus, qui contra tam efficacissimũ inimicum auxilium ecclesiæ implorabant, de consilio Cardinalium officium legationis Lombardiæ & Marchiæ, nec non & Romaniolæ commisit, viro magnifico & prudenti, domino sc. Philippo Rauennati: iniungens ei specialiter in mandatis, vt ad reprimendam contumaciam perfidi Ecelini, qui à bonæ memoriæ papa Innocentio tanquam hæreticus fuerat condemnatus, deberet modis omnibus laborare. At archiepiscopus contra hostem ecclesiæ, inuictum pariter & astutum, onus legationis suscipiens; de clementia diuina confisus, instanter cœpit cum amicis ecclesiæ pertractare, qualiter insuperabilis tyrannidis Ecelini posset impetum cohibere. Sed multis hinc inde propositis in colloquijs ciuitatum, in fine omnibus ferè impossibile videbatur, quòd ali-

quis posset tyranno ita potenti, astuto & ditissimo resistere, nisi diuina gratia suffragante. Archiepiscopus itaque sciens nihil esse impossibile apud Deum, ad misericordiam Dei dirigens oculos intellectus constanter, cepit per se & per alios crucem Domini prædicare, admonens omnes, orationibus & gemitib. Domini clementiam exorare: vt non diutius sustineret, quòd ecclesię suæ perfidus hęreticus insultaret. Tunc multi, quorum corda gratia diuina perfuderat, signum viuificæ crucis deuotissimè susceperunt, & ad deprehensionem tyranni animos attollentes, diuinum auxilium orationibus, obsecrationibus & gemitibus inenarrabilibus quotidie postulabant.

Crux contra Ecelinũ publicata.

Qualiter Ecelinus contra Mantuanos exercitum præparauit.

INTEREA dum hæc agerentur ex parte Legati humiliter & deuotè, ex opposito superbissimus Ecelinus in arma furens, ad delendum Mantuanos cœpit cum summa instantia exercitum præparare. Præsentabantur equi, mensurabantur clypei, loricæ & galeæ producebantur. Magnus fuit numerus militũ: pedites & balistarij sollicitè in campo Martio requisiti sagittas: lanceæ & gladij acuebantur: sunt etiam vexilla victricia renouata. Clamorq; maximus fiebat quotidie dicentium populorum: Mantuam, Mantuam properemus: quòd sola Mantua impedit dominum nostrum totius habere dominium.

Mantua Ecelini armis petita.

De Astrologis Ecelini, & de vastatione Mantuanorum.

CONVOCAVIT insuper ad se cœlestium corporum sollicitus explorator, Astrologos & diuinos: præcipiens eis supputare menses, sydera contemplari, & signa cœli consideratione acutissima perscrutari: vt indubitanter scire posset, quando foret tempus ad mouendum exercitum opportunum. Tunc illi tam metuendi principis imperijs obsequentes, diligenter inuestigauerunt Solis Lunæq; cursum, planetarum motum, & signorum effectus: & artis peritia illustrati, diem & horam & punctũ euidentissimè inuenerunt. In quibus inuictissimus princeps de felici processu securus, aduersus Mantuanos iter arriperet in instanti. At ille dictis eorum incumbens, in hora præfixa mouit exercitum cum magnifico apparatu. In cuius auxilium venit Vbertus Palauicinus, vir callidus & astutus, cum Cremonensibus & Placentinis, & alijs ecclesiæ inimicis. Et in simul congregati, quasi leones rugientes ad prædictæ districtum Mantuæ intrauerunt, & omnia quæ erant in agris succidendo, euellendo & comburendo vsq; ad lacus marginem penitus destruxerunt. In istis angustijs Mantuanorum, solus Marchio Estensis cum Ferrarien sibus & Bononiensibus in eorum auxilium est profectus.

Vbertus Palauicinus Ecelini socius.

Qualiter legatus introiuit in Marchiam per paludes; & de Padua gloriosissimè triumphauit.

DVM igitur Ecelinus circa Mantuanorum districtionem insisteret vehementer, Legatus septiformis Spiritus gratia illustratus, sub pœna excommunicationis omnes Marchianos qui effugerant dominium Ecelini, tam de Verona quàm de Padua, Vincentia & Taruisio: omnesq; cruce signatos in simul congregauit. Cui Venetorum reuerenda communitas balistariorum & peditum, nauium & victualium contulit auxilium opportunum. Ferraria etiam in subsidium Legati quingentos pedites destinauit. Omnibus itaq; apud turrim Baybæ congregatis, Legatus in nomine domini nostri Iesu Christi, prædicatione salubri & dulci alloquutione eos confortans, intrauit nauem, & omnes idem facientes prospero cursu vsque ad Corrigiolam peruenerunt. Quorum aduentum vt audiuit Ansedisius potestas Paduæ, statim præcepit omnes meatus claudi aquarum, vt deficiente aqua in alueo fluminis, naues eorum in sicco penitus remanerent. Et confestim cum militia & populo vndiquaque collecto Plebem Saci intrauit, ibiq; disposuit inimicorum impetum cohibere. At illi castro Conchadalbari expugnato, & combusto burgo Capitis syluæ & etiam Bubulentæ villas & burgos circumstantes cœperunt plurimùm perturbare: omnesq; illorũ fortitudinem metuebant. Tunc Ansedisius admirans illorum audaciam suorumq; auda-

audaciam, dimissa Plebe saci Paduam est reuersus, intendens tantùm ciuitatem sollicitè custodire.

Legatus itaq; vtpote vir in multis expertus, videns Potestatem prę timore nimio territam Plebem saci vilissimè reliquisse: non fuit contentus tantùm strenuè occupasse, sed habito concilio sapientum disposuit vsq; Paduam cum exercitu properare. Summo igitur diluculo, die Lunæ duodecimo exeuntis Ianuarij, clangore tubarũ exercitu excitato, armisq; viriliter ab omnibus apprehensis: Legatus ante se defetre fecit almæ crucis vexillum, quod sequuti sunt omnes: omnes animo confidenti de cœlo auxilium postulantes. Et iter felicissimum accipientes, omni supellectile præter arma in nauibus derelicta, per viam pontis S. Nicolai, circa horam sextam Paduam velocissimè peruenerunt. Cùm autem ad portam pontis curui venissent custodes, de turri & aggeribus burgorum iacula iacientes, illos ingredi fortiter prohibebant. Tunc strenui bellatores mortis periculum contemnentes, descenderunt in aquam fluminis & repentes manibus & pedibus per aggerem superius ascenderunt, & sic de burgis ciuitatis fugientibus aduersarijs, gloriosam victoriam sunt adepti.

Pontificis legatus Ecelino Paduã eripit.

Tunc legatus diuino spiritu inflammatus, aspirare cœpit ad expugnationem tam clarissimæ ciuitatis, fecitq; die illa & nocte sequenti Catum firmissimum præparari, ad supponendum ignem in porta pontis, quæ dicitur Altinatus. Et quum iam Legatus noua haberet, Ecelinum cum exercitu in præcedenti dominica aliquantulum à Mantua separatum, & ad redeundum Veronam paratum, festinanter die Martis, circa horam nonam fecit Catum versus portam impelli, ignem ad comburendũ ipsam citissimè ministrari. Quo facto, diuino suffragante spiritu porta cũ domo imminente à flamma velociter est accensa. Tunc cœpit resonare clangor populorum, cohortantium se ad pugnam, clangorq; tubarum, balistarij quoq; fortes & frequentes dirigebant sagittas contra illos qui de muro iacula demittebant. Interiores itaq; combustione portæ non modicum sunt perterriti, exteriores verò audaciores effecti, scalas muris vndiq; apponentes, circa horam vespertinam super ciuitatis muros viriliter ascenderunt. Tunc Ansedisius videns captam esse ab aduersarijs ciuitatẽ, cum militia fugam arripiens, per portam sancti Ioannis egressus, concitè Vicentiam properauit. Victores autem paucos occidentes, & quasi neminem capientes, spoliare ciuitatem toto conamine sunt aggressi. Tunc aperti sunt carceres tenebrosi: rupta sunt vincula & catenæ: hinc egrediuntur turbæ hominum moribundæ, inde procedunt matronæ nobiles, trepidæq; puellæ, squalore macieq; confectæ. Exeunt postremò nobiles pueri excæcati pariter & castrati, quorum miserandus aspectus ad piarum lacrymarum effusionem oculos intuentium prouocabat. Nullus itaq; viribus hominum attribuat victoriam tam fortissimæ ciuitatis, sed soli Deo, qui est in suis perfectis operibus gloriosus: cuius mediante virtute, famelici saturatos, & inermes armatos viriliter deuicerunt.

Ansedisius Paduæ fugatus.

Præter hæc tantam gratiam contulit virtus diuina Legato, vt infra quatuor dies non solùm castrum Ecelini, quod erat in angulo ciuitatis, sed etiam omnia castra quæ erant in Paduano districtu, in plano quàm in montibus constituta, ei custodes Ecelini protinus reddidere, præter castrum Montis salicis, castrumq; inexpugnabile Calaonis. Fama fuit præclaræ istius victoriæ per vniuersam Italiam diuulgata. Ecclesia ex hoc est virtute roborata: sacerdotes de Legati constantia glorificabant, omnesq; ipsum prędicabant laude dignũ, qui hostem inuictissimum vicit, & insuperabilem superauit. Ipse namq; diuina virtute suffultus, stultam esse sapientiam Saliniguerræ in facto Ferrarię comprobauit. Nunc verò in expugnatione Paduæ, Astrologiam & sortilegia Ecelini esse vanissima, luce clarius demonstrauit.

De summa crudelitate Ecelini, cùm audiuit Paduam esse captam.

INTEREA dum hæc Paduæ feliciter agerentur, superbissimus Ecelinus à Mantuæ vastatione reuertens fluenta Mintij cum exercitu pertransibat. Et ecce occurrit ei velox nuncius veniens à Verona, qui occultè cum timore maximo ei captam esse Paduam ab aduersarijs nunciauit. Tunc ille inæstimabili dolore ac furore commotus, iussit exercitum festinanter fluuium pertransire: currusq; deinde vsq; Veronam sine

intermissione aliqua agitari: sicq; de duabus diætis vnam conficiens, omnibus admirantibus & festinationis causam ignorantibus, velociter Veronam peruenit, vbi sit omnibus manifestum, Paduam ad manus inimicorum penitus deuenisse. Auditis his rumoribus Paduani cœperunt inconsolabiliter lamentari: tum pro vxoribus & filijs, & filiabus, & substantijs, de quorum statu in discrimine tanto erant incerti: tum quòd videbant se in manibus tyranni crudelissimi constitutos. Tunc insatiabilis homicida & draco venenosus addens afflictionem afflictis, præter aliquos sceleratos præcepit capi omnes penitus Paduanos, quorum numerus ad duodecim millia hominum pertingebat, ipsosq; compedibus alligatos includi fecit in carceribus tenebrosis: quos omnes fame & alijs supplicijs miserabiliter interfecit. Iterum præcepit, quòd si aliquis Paduanus in fuga fuisset deprehensus, continuò manibus & pedibus priuaretur. Multi itaq; tali pœna puniti iacebant in agris & vijs prostrati: ad quorum horrendos rugitus validosq; clamores nullus propter timorem tyranni commotus misericordia flectebatur. Tunc etiam Ansedisium sororis suæ filium, grauissimis catenis compedibus alligauit, imponens quòd non bene Paduam custodiuisset. Sed crudelis & impie tyranne, cur Deo non attribuis Paduæ captionem, contra quem nulla potest sapientia & scientia prævalere? Non enim in multitudine bellatorum & fatali constellatione, in quibus confidis, obtinetur victoria præliorum: sed diuinæ voluntatis arbitrio omnia disponuntur. Saltem ad hoc credendum, ô pessime hominum, te inducat, quòd per populum contemptibilem & egenum, quem pro nihilo reputabas, diuino iudicio subitò Paduam munitissimam amisisti: quod per anni spatium posse fieri minimè credidisses. Si tota consurrexisset contra te militia Gallicana, tu credebas inimicos ab ingressu Marchiæ prohibere, fluuios desiccando. Sed Dominus militiam tuam in caput tuum conuertit, eos siccis pedibus ad Paduana mœnia perducendo. Desine itaq; minister Satanæ, desine aduersus mundi opificem insanire: sciens, quòd durum est, contra Omnipotentis stimulum calcitrare.

Ecelini in Paduanos Veronæ inuentos, crudelitas.

Ansedisius ab Ecelino anunculo duriter habitus.

Post mensem autem à captione Paduæ, cùm ciuitas aquarum beneficio plurimùm indigeret, quòd in districtu Vicentino tyrannus fecerat clausura, ne versus Paduam emanarent: Legatus ad destruendum prædicta obstacula cum exercitu properauit. Quod quum audisset Potestas Vicentiæ, occurrit eis audaciter cum militia Vicentina. Et inito certamine, Potestas & multi cum eo nobiles viri in prælio ceciderunt, omnesq; alij turpiter sunt fugati, fractisq; clausturis aquarum, Legatus cum exercitu Paduam est reuersus.

De seditione exercitus Legati.

POST hæc circa introitum Augusti, Legatus cum magno exercitu versus Vicentiã equitauit, peruenitq; ad burgum custodiæ, vbi est antrum mirabile ad videndum: ibiq; sunt exortæ inter principes contentiones & quæstiones diuersæ. Principia fuerunt ista, quòd Bononienses, de quibus erat in exercitu tam militum quàm peditum maxima multitudo, versi in seditionem, dixerunt, Se nolle vltra procedere: imò volebant ad propria remeare. Videns autem Legatus in exercitu esse dissensiones multimodas animorum, quas non poterat mitigare, Paduam protinus est reuersus. Bononienses autem qui cum magno feruore venerant in Marchiam ad Legatum, inuentis friuolis occasionibus ignominiosè ad patriam redierunt.

Tumultus terrorq; in exercitu legati Pontificij.

Qualiter Ecelinus venit cum exercitu circa Paduam.

HIS cognitis Ecelinus audacior effectus, rursum in arma furens, ad recuperandum Paduam vesana mente aspirans, prece & precio de totius Lombardiæ finibus, vbi fautores habebat, militibus & balistarijs congregatis, cum ingenti multitudine bellatorum contra Paduam est profectus. Cuius terribilem aduentum Legatus & Marchio cognoscentes, & pugnandum campestri prælio cum tyranno impares viribus se videntes, fossatum circa burgos Paduæ, à parte occidentali cum summa festinatione fieri præceperunt, ad furentis Ecelini impetum cohibendum. Et concitè

Vene-

Venetias, Ferrariam & Mantuam nuncios dirigentes, collegerunt in vnum militum & peditum non modicam quantitatem. Patriarcha etiam Aquileiensis cum decenti societate in eorum venire auxilium festinauit. Castrametatus est autem Ecelinus cum valido exercitu iuxta fossatum, direxitq; frequēter suas acies copiosas ante mœnia ciuitatis, vt intrinsecos ad prælia prouocaret. Sed ipsi cautè dimiserunt eum ad suum libitum insanire. Nam circa quinque millia hominum in suo exercitu dicitur habuisse. Legatus verò & Marchio cum prælatis & sacerdotibus, & leuitis nunquam ad duo millia peruenerunt. Legatus autem vir constantissimus, vt ad ciuitatis defensionem ciues pauidos animaret, in monasterio sancti Benedicti, iuxta fossatum, die noctuq; suam constituit mansionem, alijs principibus intra muros Paduæ residentibus præ timore. Videns tandem tyrannus furibundus se contra ciuitatem non posse in aliquo prævalere, nec ad montem Silicem sibi patere accessum, vbi castrum fortissimum à suis custodibus tenebatur, Veronam frustratus suo desyderio est reuersus: nec addidit vltra fines Paduę cum exercitu introire: imò Paduani frequenter loca ei subdita viriliter impugnabant.

Padua ab Ecelino obsessa.

Soluitur Paduanæ obsidio.

Tunc temporis, tertio die intrantis Augusti, dominus Ioannes episcopus Paduanus, veniens à Romana curia, vbi pastoralem promeruit dignitatem, à clero & populo Paduano honorabiliter est susceptus, & à porta prati vsq; ad maiorem ecclesiam processionaliter est deductus.

De reconciliatione Brixiæ.

ANNO Domini M. CC. LVII, exhortatione pariter & præcepto legati sedis Apostolicæ, frater Heimerardus de ordine Prædicatorum, vir venerabilis, & tam in Theologia quàm Physica scientia plurimùm eruditus, Grifollinum Brixiæ potestatem & alios optimates ita dulci & facunda eloquentia mitigauit, quòd illi, qui de parte Ecclesiæ in prædicta ciuitate fuerant vinculati, à vinculis absoluti, & suis sunt possessionibus restituti. Quo facto, Legatus exponens se magno periculo, propter insidias malignorum, latenter de Mantua cum paucis Brixiam est profectus, & ibidem aliquot diebus residens, ita suo dulci colloquio Brixiensium animos reconciliauit, quòd ipsi similiter promiserūt more solito in deuotione ecclesiæ permansuros. Quod audiens Ecelinus & Palauicinus ecclesiæ inimici, frustrati spe sua, sunt non modicum conturbati.

Eodem anno Papienses primò, & Placentini secundò iugum Vberti Palauicini à suis ceruicibus viriliter excusserunt. Nam sicut Ecelinus in Marchia, ita ille super partem Federici in ciuitatibus Lombardiæ tyrannidem exercebat.

Papienses & Placentini Cæsarianorum iugum excutiunt.

Per idem tempus castrum montis Silicis, & castrum altissimum Calaonis reddita sunt Marchioni à custodibus Ecelini. Et sic eius potentia de Paduano districtu est penitus extirpata.

NB.

Sub præcedenti annorum curriculo Albricus de Romano, qui multos annos inexorabilem discordiam habuerat cum fratre suo Ecelino, Dei & hominum inimico, inuentis quibusdam occasionibus ab Ecclesiæ deuotione recedens, confœderatus est cum eodem. Ciuitatem autem Taruisium in suam retinuit potestatem.

Albricus de Romano Ecelino fratri reconciliatus.

De discordia in electione.

DVM prædicta tam in Lombardia quàm in Marchia gererentur, interfecto à Frisonibus in bello rege Alemanniæ Guilelmo: conuenerunt Principes ad electionem more solito faciendam. Cùm igitur tractarent de Principe idoneo eligendo, humani generis inimicus seminauit zizania inter eos. Nam quidam comitem Ricardum, fratrem regis Angliæ, regem Alemanniæ elegerunt: alij verò sua vota in regem Castellæ penitus transtulerunt. Comes autem Ricardus ascendit in Alemanniam festinanter, & de assensu quorundam Principum capiti suo regni

Richardus Anglus & Alphonsus Hispanus Rom. reges electi.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 136;Leibn. Marg. 136, Stück 1, [617] - 601

Alemanniæ diadema imponi curauit. Vterque verò electus ſuos legatos ad Romanam curiam deſtinauit, pro confirmatione à ſummo Pontifice impetranda. Sed dominus Papa in partem aliquam declinare, ne fortè pax eccleſiæ turbaretur, de conſilio Cardinalium, ſub ſpecie deliberãdi, diſtulit ſuper quæſtione tantorum principum definitiuam ſententiam promulgare.

Qualiter pars eccleſiæ ſuos aduerſarios in Brixia ſuperauit.

ANNO Domini M. CC. LVIII, cum multi clariſſimi viri de Brixia exaltationem ſanctæ matris eccleſiæ affectantes, tyrannidem aduerſæ partis patienter per biennium toleraſſent: tandem ſicut viri ſtrenui & elati, ſeſe periculo exponere potiùs elegerunt quàm vehementiſſimè continuè cruciari. Timebant enim quotidie, ne à ſuis aduerſarijs in manus perfidi Ecelini Brixia traderetur. Tunc latenter ad Legatum & Marchionem, qui tunc erant Paduæ, pro exercitu ordinando contra peſtiferum Ecelinum nuncios direxerunt: ipſos attentiùs exorantes, vt parati eſſent eis præſtare ſubſidium in die præfixo, in quo ſuos diſpoſuerat inuadere inimicos. At illi eorum precibus libentiſſimè annuentes, in tempore aſſignato magnificè in eorum auxilium perrexerunt. Prædicti verò fideles eccleſiæ vt potentes viri, prouidi, & experti, timentes plurimùm, ne pars aduerſa eorum deprimeret audaciam per aliquam coniecturam, & habita occaſione peſſimum Ecelinum & Palauicinum in ſuum auxilium conuocaret: duobus diebus ante terminum conſtitutum, ſecundo ſcilicet die exeuntis Aprilis, circa Solis occaſum, arma ſubitò rapientes, more leonum audaces, inimicos viriliter inuaſerunt, eoſq; per totam noctem fortiter expugnantes, ante horam tertiam diei ſequentis, pleniſſimam de ipſis victoriam ſunt adepti, & ferè omnes autores ſcelerum. Scrifolinum etiam poteſtatem Brixiæ capientes, eos in vincula cõiecerunt. Comes itaq; ſancti Bonifacij, egregiæ indolis adoleſcens, paternæ probitatis impiger imitator, audiens Brixienſes eſſe ſub armis, cum parte militiæ Mantuanæ in amicorum auxilium continuò eſt profectus. Poſt verò tres dies Legatus & Marchio in manu valida Brixiam intrauerunt, & ibidem tamdiu ſteterunt, donec omnia fuêre diſpoſita, ſecundum beneplacitum amicorum.

Caſarianorum pars Brixiæ opprimitur.

Hæc itaq; audientes Ecelinus & Palauicinus, pariter tremuerunt. Expalluit eorum facies & abijt intellectus, omnesq; eorum fautores per totam Lombardiam capita in terram præ triſtitia deiecerunt. Tota enim ſpes illorum & deſiderium erat Brixiam obtinere, quòd per ipſam vires reſumere & inimicos deprimere, totiusq; aſſequi ſperabant dominium Lombardiæ. Dominus autem, ſecundum propheticum ſermonem, ſigna faciens irrita diuinorum, & vertens hariolos in furorem, idolatriam Ecelini & Palauicini, qui planetas & ſigna cœli pro numine venerabantur, ſuæ potentiæ brachio proſtrauit, pariter & confudit. Non enim Omnipotens planetis contulit deitatem, nec eorum motibus ſuam potentiam alligauit, ſed in ſe retinuit plenitudinem poteſtatis. Reputandi ergo ſunt fatui & inſani, qui totam ſpem ſuam in conſtellationibus poſuerunt, & creatorem omnium contra ſe non timent quotidie ſuis ſceleribus prouocare. Dominus igitur ſit nobis adiutor, & non timebimus quid nobis faciant Mars, Iupiter & Saturnus.

In Pſeudoaſtrologos ſarcaſmus.

De commotione Cremæ.

FACTIS itaq; Brixiæ proſperè ordinatis, Legatus perrexit Mediolanum, vt ſedaret Mediolanenſium diſcordias cauilloſas. Cùm igitur circa hoc plurimùm laboraret, magnum infortunium accidit Mediolanenſibus, eorum exigentibus diſſenſionibus & peccatis. Nam quum per multorum annorum circumuolutiones Cremę dominium habuiſſent, & propter hoc inter ipſos & Cremonenſes inexorabilis diſcordia extitiſſet, ex qua multa millia hominum ex vtraq; parte, in diuerſis bellorum congreſſionibus, perierunt: his tamen temporibus Crema taliter eſt ad manus Cremonenſium deuoluta. Quidam namq; potens de Cremonenſibus, contra quoſdam ſuos aduerſarios ex eodem oppido zelo malitiæ concitati, Cremonenſes & Palauicinum in ſuum auxilium vocauerunt, & expulſa parte aduerſa, ſe ſimul cum patria Cremonenſium dominio ſubdiderunt.

Qui

Qualiter Paduani Teutonicorum militiam superauerunt.

EODEM tempore, tertio scilicet die Iulij exeuntis, Marchio & militia Paduana in campestribus Bassiani, militiam Teutonicorum, soldum recipientium à perfido Ecelino, viriliter prostrauerunt, magnamq; prædam de ipsorum spolijs habuerunt. In istorum quippe impetuosa virtute tyrannus maximè confidebat, quorum fretus auxilio & tutela, nefanda & inaudita scelera toto dominij sui tempore audactissimè perpetrauit. Et quid mali non operatur auri fames penitus execranda? Isti enim probatissimi Teutonici, animarum suarum & corporum stolidissimi venditores, ita erāt Ecelini pecunia excœcati, quòd nec sententia excommunicationis, nec terrore non parcentium gladiorum auelli ab Ecelini horribili obsequio potuerunt. Vnde à victoribus velut oues occisionis sunt meritò reputati.

Paduanorū victoria contra Ecelinum.

Qualiter Ianuenses à Venetis sunt superati.

HIs temporibus cùm Ianuenses Venetorum animos grauiter offendissent in ciuitate Acconitana, quæ antiquitus Ptolemaida dicebatur, vbi communiter negociatores dictarum vrbium habitabant: Veneti vlcisci suas iniurias cupientes, & pro nihilo maris pericula & expensarum magnitudinem reputantes, dummodo valerent se de aduersarijs vindicare, classem in manu valida in Syriam direxerunt: & tam nauali prælio quàm campestri Ianuenses viriliter expugnantes, captis multis nauibus bellicis, & reliquis in fugam conuersis, euersa simul turre munitissima, & in vastitate hostili, cunctis eorum domibus desolatis, ipsos de ciuitate Acconitana penitus expulerunt.

Qualiter Ecelinus habuit Brixiam, & de captione Legati.

PROPTER innumerabilium inundationem malorum, absorbentium intellectum, horreret animus temporum nostrorum calamitates & ruinas persequi seriatim. Viginti enim anni sunt vel circa, quòd occasione sedis apostolicæ ac Imperialis, sanguis Italicus effunditur velut aqua, & contra Romanam ecclesiam tyrannorum perfidia debacchatur. Et nunc cùm putabamus pernicioſorum hominum potentiam aliquantulum diminutam, rursum prosperitate inopinabili confortati, ad sydera extolluntur. Denique cùm Legatus cum exercitu Brixiensium & militia Mantuana Palauicino & Cremonensibus occurrisset, qui suggestione perfidi Ecelini duo castra Brixiæ inuaserant, iuxta flumen Olei constitura: tunc Ecelinus, qui vsq; in senectam & senium à malitia non cessauit, vndiq; militia congregata, subitò de oppido Piscarię, in noctis crepusculo iter arripuit, in summo diluculo, die Veneris, secundo exeuntis Augusti, transiens Oleum, exercitui Cremonensium se adiunxit.

Ecelinus cū Palauicino exercitum iungit.

Audiens autem Legatus vires hostium augmentatas, sed incrementi nesciens quantitatem: habito consilio sapientum, voluit in castrum Gambaræ cum exercitu introire, & sic in tuto loco amicorum auxilium expectare. Sed vicit hoc salubre consilium temeritas multitudiñis, obstinatè dicentis: Potiùs esse dimicandum cum hostibus, quàm ad latibula diuertendum. Ignorabant enim tam Legatus quàm alij, vtpote malè custodientes vias, per quas transire poterant inimici, Ecelinum cum vniuersa militia Marchiana, in nocte præcedente personaliter aduenisse. Dum igitur diuersi diuersa sentirent (nam fortissimos quoq; milites subita bella conturbant) Ecelinus & Palauicinus flumen Olei velociter transeuntes, contra fideles ecclesiæ acies cōtinuò direxerunt. Et tunc incœperunt acies Ecelini prius absconditę, dilatari, & eius vexilla mortifera recognosci. Cernentes igitur persequutores ecclesiæ Legatū & Brixienses comparatione sui habere militum paucitatem, sine dilatione ipsorum exercitum terribiliter inuaserunt. Tunc Brixienses inopinabilem inimicorum multitudinem intuentes, perterriti vehementer, in fugam protinus sunt conuersi, captaque est ex eorum populo maxima multitudo, & (quod non sine dolore dicimus vehementi) captus est Legatus, & cum eo episcopus Veronensis, nec non Potestas Mantuæ, ac multi alij probi viri. Brixienses qui remanserant ad custodiam ciuitatis, & qui de

Legatus papæ in Ecelini potestatē deuenit.

castris ad vrbem confugerant, timore subitaneo excœcati, sine ictu gladij & sagittæ, sæuissimo omnium tyrannorum Ecelino scilicet & Palauicino, Brixiam protinus tradiderunt. Multi verò nobiles & etiam populares, & Episcopus cum clero ciuitate relicta fugerunt à facie inimici, saluare personas in tanto discrimine solummodo cupientes.

Brixia Ecelino resistere nequit.

Porro de tam subita Brixiæ amissione & de captione Legati, viri constantissimi & fidei feruore accensi, qui assiduè pro ecclesiæ libertate contra tyrannorum rabiem, ab adolescentia vsque ad senectutem exponendo se diuersis periculis, laborauit. Nonnulli plurimùm conturbati cœperunt & conqueri vehementer & mirari, quòd diuina prouidentia tanto tempore permittit ecclesiam sic affligi, & impios validè prosperari. Sed absque dubio istas querelas paruitas fidei introducit. Cùm enim sciamus sanctissimum Iosiam occisum à sagittarijs Pharaonis, Petrum Paulumque Neronis imperio interemptos, & (vt de hominibus taceamus) cùm Dei filium cognoscamus crucis ignominiam pertulisse, paruæ fidei à nobis sunt meritò existimandi, qui felices putant tyrannos & vrbium subuersores, quia prosperitate istius seculi & delitijs perfruuntur: cùm continuus successus temporalium æternæ damnationis indicium esse comprobetur. Sed & in præsenti legimus maximos tyrannorum miserabilem exitum habuisse. Nam Cyrus, post dominium Orientis à regina Scytharum legitur decollatus: veneno Babylonico magnus perijt Alexander, & Cæsar Senatorum gladijs est confossus. Et nunc non est manus Domini abbreuiata, vt saluare nequeat seruos suos: sed peccatis hominum exigentibus permittit aliquanto tempore insanire, & ecclesiam suam in tribulationum turbine fluctuare. Dimissis itaque dubitationibus de regimine Creatoris, iactemus nostrum in Dominum cogitatum, qui post tempestatem tranquillum facit, & post lacrymationem exultationem infundit.

Qualiter inter Cremonenses & Ecelinum discordia est exorta.

Anno Domini M. CC. LIX, Postquam Brixia miserabiliter ab hostibus est subacta: Ecelinus impatiens consortis, nullum volens habere parem, Marchionem Palauicinũ & Cremonenses, quos habuerat socios & in belli discrimine & in tam excellenti victoria, à dominio captæ vrbis paulatim exclusit, & sic ipse solus Brixiam & eius districtum obtinuit, præter castrum Vrceorum, quod fideles ecclesiæ viriliter defendebant. Tandem Cremonenses multis iniurijs ab eo sæpius stimulati, se cernentes delusos, & nullam vtilitatem, vt sperabant, de tanta victoria cõsequutos, contra tyrannidem nequissimi Principis vehementissimè sunt commoti: & persuadentes Bosoni de Doaria, ciui Cremonensi nobili & potenti, qui exosam habebat malitiam Ecelini, Marchio Palauicinus & Cremonenses vehemens odium, quod quotidie conceperant contra hominem sceleratum, verbis & factis euidentissimè ostendere incœperunt. Statimq; deliberato consilio ad Marchionem Estensem & Mantuanos nuncios dirigentes, pacem & societatem inter se firmissimam statuerunt, quòd vnanimiter contra tyrannum crudelissimum dimicarent, sibi inuicem ardenti animo promittentes. Mediante autem insuper industria Bosonis de Douaria, qui vigilanti studio cogitabat, qualiter posset Leonem indomitum & ferocissimum edomare, antiquissima illa & inexorabilis discordia Mediolanensium & Cremonensium est sedata: factaq; fuit cum summo gaudio vtriusque ciuitatis pax firmissima inter eos. Namq; prudentissimus Boso modis omnibus procurabat, omnem viam contrahendi amicitiam & augmentandi vires, præcludere Ecelino. Sicq; factum est Domino cooperante, qui nouit inuestigabili modo electos deprimere, & de luto fecis erigere, de salute propria desperantes, quòd pars maxima Lombardiæ corde voluntario aduersus inimicum Dei & hominum coniurauit. Et meritò hoc à Domino est prouisum, vt essent manus omnium contra eum, cuius manus impiè genus hominum afflixerunt. Ipse namque turbauit terram, concussit regna, interfecit populos, & ciuitates plurimas desolauit. Nam quasi hortus voluptatis erat Marchia Taruisina, priusquam eius tyrannidi subderetur. Sed postquam fuit ab eo afflicta, comparationem

Simultas inter Palauicinum & Ecelinum.

In Ecelinũ conspiratio.

ne prioris status, videtur esse quasi heremi solitudo. Testantur hoc ruinæ ciuitatum, villarum pariter & castrorum. Nec ei sufficere videbatur regionē sibi subditam dissipare, sed Legatos mittebat ad exteras nationes, vt contra Romanam ecclesiam & eius fideles Reges orbis & principes concitaret. Nuntij namq; ipsius solliciti & veloces per diuersas prouincias discurrebant: nunc ibant ad curiam maximi Federici: nunc ad principes Alemanniæ, ad seditionem & discordiam excitandam: nunc ad regem Vngariæ, pro amicitia obtinenda: nec non ad fortissimum regem Castellæ pergebant, cui regnum Italicum seminator discordiæ promittebat: vt si fieri posset totum mundum aduersus ecclesiam prouocaret. Cor siquidem impijssimi Ecelini, erat continuè quasi mare feruens, quod quiescere nunquam potest. Nil enim mali putabat esse actum, cùm quid superesset agendum. Vnde modis omnibus assiduè cogitabat, cum instantia vehementi addere malum malo, & iniquitatem super iniquitatem apponere, quam timens ne tempus sibi deficeret, ad suas machinationes & dolositates inopinabiles opere adimplendas. His ita breuiter exaratis, ad describendum tyrannidis eius exitum accedamus.

Ecelini turbulentum ingenium.

Qualiter captus fuit perfidus Ecelinus.

ANNO itaq; reuoluto postquam Brixiam obtinuerat, Ecelinus circa principium Septembris, ipse congregauit exercitum copiosum, processitq; de Brixia in manu valida, & castrametatus est in campestribus Vrceorum, & omnia quæ circa prædictum castrum in agris fuerant, deuastauit. Quo audito, Cremonenses amicis vndique conuocatis, exiuerunt vnanimiter contra eum, & iuxta Sucinum castrum suum tentoria posuerunt. In quorum auxilium Mantuani & Ferrarienses cum Marchione Estensi magnificè sunt profecti. Mediolanenses etiam contra lupum rapacissimum venire communiter promiserunt. Cùm ergo essent in simul congregati, cœperunt præparare se ad pontes super flumen Olei fabricandos, vt possent venientibus Mediolanensibus transire ad tyrannum perfidum inuadendum. Interea dum hoc facere molirentur: Ecelinus, cui mille artes inerant milleq; modi nocendi, suis machinationibus & persuasionibus fraudulentis quosdam magnates Mediolani corruperat, suum populum odientes, qui firmiter promiserunt ei suam tradere ciuitatem, & pro huius rei securitate proprios etiam filios ipsi obsides tradiderunt. Quorum promissionibus incumbens tyrannus cupidus dominandi, cor suum in superbiam eleuauit, quod erat ruinæ præsagium imminentis. Et de nocte consurgens, de campestribus Vrceorum iussit populum redire Brixiam festinanter. Ipse verò cum octo millibus hominum equestrium, in quibus erant tria millia electorum militum, velociter quasi aquilæ volantes ad escam, per pontem Palla Zoli, flumen Olei pertransiuit: veniensque ad Aduam fluuium, ipsum similiter incessu principali transuadauit. Ibique occurrunt patriæ proditores: quibus assumptis versus Mediolanum ire cum summo gaudio minister diaboli festinabat, à quo, peccatis exigentibus, sicut bos ad victimam ducebatur. Ipso itaque Mediolanum pergente, econtra Martinus de Laturo, vir sapiens & astutus, totius populi Mediolanensis capitaneus & defensor, de Mediolano cum exercitu erat egressus, & in Cremonensium auxilium veniebat. Præcurrens igitur nuncius, quem Bergomenses quidam amici ecclesiæ direxerunt, nuntiauit Martino tremendum aduentum fortissimi Ecelini. Qui quum audisset, quòd crudelissimus prædo ad obtinendum Mediolanum cum exercitu adueniret, obstupuit vehementer, reuertensque velocissimè, versus Mediolanum (Domino faciente, sine quo frustra vigilant qui custodiunt ciuitatem) peruenit, ante pessimum Ecelinum. De Martini verò strenuissimi viri subitaneo aduentu exterriti sunt patriæ proditores. Alij verò ciues tanti viri præsentia roborati, ad resistendum tyranno se viriliter parauerunt. Et sic dissipatum est consilium malignorum.

Castrum Orci in territorio Brixiensi.

Ecelinus Mediolanū petit, proditoriè eā occupaturus.

Mediolanensis proditio extinguitur.

Videns itaque perditionis filius suas insidias denudatas, & aliter sibi quàm

exiſtimauerat accidiſſe: ad inuadendum nobiliſſimum Burgum Modoitiæ ſe conuertit. Sed Burgenſes armis aſſumptis ipſum intrare minimè permiſerunt. Caſtrum etiam Tritij voluit occupare: ſed & inde penitus eſt repulſus. Burgum tamen dicti loci obtinuit, ipſumq; crudeliter concremauit. Tandem neceſſitate compulſus Vicum-mercati intrauit, ibiq; ſequiſſimus prędo terrarum ſuam infelicem conſtituit manſionem.

Cognoſcentes igitur Cremonenſes & Mantuani & eorum ſocij notiſſimum volatum temerarij Ecelini, vnanimiter mouentes caſtra, vſque ad flumen Aduam eius veſtigia ſunt ſequuti: figentesq; tentoria iuxta locum per quem tranſiuit inſatiabilis homicida, fecerunt cum ſumma diligentia pontes & vada fluminis cuſtodiri, ne aliquo modo ſerpens tortuoſus poſſet absque periculo ad propria remeare. Mediolanenſes etiam ex alia parte validum exercitum congregantes, in prælium procedere diſponebant. Sed hoc eorum animos ad bellandum promptiſſimos referebat, quòd capitaneos & vauaſſores de crimine proditionis ſuſpectos habebant. Quorum impetum Ecelinus plurimùm expaueſcens, maximè cùm videret ſe à proditoribus quotidie derelinqui: à Burgo, in quo erat concluſus, non permittebat ſuos milites longiùs euagari. Sed nec ibidem diutius poterat reſidere: ne omnino deficientibus victualibus, famis anguſtia exercitus premeretur.

His ita ſe habentibus conturbati ſunt nobiles Brixiæ: robuſtos Veronæ obtinuit tremor: obriguerunt omnes milites Ecelini, tam animoſi Teutonici quàm Latini. Tunc etiam terrefactus eſt corde draco venenoſus, cernens ſe ab inimicis vndique coarctatum: nimioq; timore territus non erat auſus cum Mediolanenſibus dimicare, ipſorum multitudinem pertimeſcens: ſed verſus ad Aduam vnde venerat, deliberato conſilio direxit ſubitò iter ſuum. Sperabat namque vnum de duobus, licet inimici ſtarent ex aduerſo, aut viam ſibi gladijs aperire, aut fortè per medias acies bellatorum fugæ remedium inuenire. Cùm igitur ad pontem Aduæ peruenisſet, inuenit ipſum ab aduerſarijs occupatum: & dum ad expugnandum pontem ſuos fortiter hortaretur: quidam ſagittam dirigens in incertum, eum in pede grauiter vulnerauit. Qua percuſſione plurimùm eſt turbatus, tum quòd inueteratus erat dierum malorum: tum quòd in tanto periculo conſtitutus, præ dolore vulneris non poterat limpidè cogitare, quid eſſet expediens, quid nociuum. Impugnatione itaque pontis dimiſſa, tremebundus homicida, magis cogitans de fugæ præſidio, quàm de acie ordinanda, feſtinanter ad vadum fluminis properauit, ipſumq; velociter nullo impediente exercitu pertranſiuit.

Pugna inter Ecelinũ & Mediolanenſes.

Tunc Marchio Palauicinus, & nobilis Boſo de Douaria cum Cremonenſibus, ſimiliter illuſtris Marchio Eſtenſis cum Mantuanis & Ferrarienſibus ipſum viriliter inuaſerunt, eiusque aciem fortiſſimam irrumpentes, terribilem leonem cum magno impetu rapuerunt. Electi autem milites eius multitudini aduerſariorum reſiſtere non valentes, in fugam protinus ſunt conuerſi, & ſic manus hoſtium euaſerunt. Auctores verò fugæ Brixienſes dicuntur principaliter extitiſſe. Multi autem capti ſunt de ipſius exercitu, pauci verò gladio perierunt. Tunc reuera exultauerunt victores capta præda, quando electorum armorum & equorum, & prædoſæ ſupellectilis ſpolia diuidebant. Supremum verò & inæſtimabile gaudium erat cunctis, quòd carnifex diaboli erat captus, qui nec viris grandæuis, nec mulieribus & prægnantibus, nec infantibus & balbutientibus vnquam voluit miſereri.

Ecelinus ſauciatus in prælio capitur.

Poſtquam autem rumor inſonuit per exercitum, quòd captus erat perfidus Ecelinus: à vocibus clamantium populorum, à ſtrepitu concurrentium equorum & clangore tubarum, terra tremere videbatur. Omnes quippe certatim currebant, ad diaboli monſtrum & Satanæ ſpectaculum intuendum. Iſta itaque victoria triumphalis, à cunctis populis recolenda, die ſabbato, quarto exeuntis Septembris, in quo feſtum Coſmæ & Damiani martyrum celebratur, prope fluuium Aduam eſt patrata.

patrata. Ibi perierunt arma bellica Ecelini: ibi bellorum ſæua tempeſtas, iubente Domino, conquieuit. Tunc Omnipotens aures ſuæ ineffabilis miſericordiæ inclinauit, vt audiret gemitus compeditorum, & filios interemptorum ab ergaſtulis liberaret. Piè ſiquidem iſtam memorialem, in qua verè cælorum catarractæ apertæ, & viſcera miſericordiæ Dei noſtri largiter affluxerunt, debet omnis Italia, imò vniuerſi qui Chriſtiana profeſſione cenſentur, meritò celebrare, in qua Dominus operatus eſt ſalutem in medio Lombardiæ caput malorum cum ſuis ſatellitibus mirabiliter proſternendo. Tunc verè percuſſit Dominus deteſtabilem Philiſtęum, & abſtulit opprobrium grãdiſſimum de populo Chriſtiano. Et licet Dauid propheta prohibuerit, ne Saulis & Ionathæ occiſio annunciaretur in Geth, & in compitis Aſcalonis: cauſam tamen rationabilem aſſignauit, ne ſc. Philiſtinorum filiæ lætarentur, & augeretur cultus abominabilis idolorum. Stragem tamen Ecelini ſecurè audiat omnis terra & plenitudo eius, inſulæ & habitatores earum, vt diuinæ maieſtatis potentia vbique ore omnium prædicetur: cui victoria iſta eſt totaliter adſcribenda, non viribus hominum aut effectibus planetarum. Quia non ſaluauerunt de tanto periculo Ecelinum augures cœli, caſtra eius ſequentes: qui contemplabantur ſydera & ſupputabant menſes, vt ei ventura certiſſimè nunciarent. Sed reuera parcendum eſt eis, quòd tam grauiſſimo prælio imminente, adæquare planetas, accipere Aſtrolabium, & ſtudere in tabulis Aſtronomiæ minimè potuerunt: vel fortè in tam graui diſcrimine pugnæ plus in equorum velocitate, quàm in planetarum auxilio confidebant. Et ne aliquis ignarus iſtius negocij valeat dicere in futuro, magiſtrum ſcelerum de talibus non curaſſe: tota Marchia in teſtimonium deducatur, quæ vidit in eius curia plures Aſtronomos magnificè honoratos: magiſtrum ſcilicet Salionem canonicum Paduanum, & Riprandinum Veronenſem. Guidonem de Bonato Aſtronomum Foroliuienſem, Paulum etiam Saracenum cum barba prolixa, qui de Baldach venit, à remotis videlicet finibus Orientis: qui tam origine quam aſpectu & actu eſſe alter Balaam à nobis meritò videbatur.

Saracenus.

Ecelini Aſtrologi.

De morte perfidi Ecelini.

CVM Ecelinus (vt prædictum eſt) in manus hoſtium incidiſſet, & eſſet in prælio grauiter vulneratus, Succinum à Cremonenſibus eſt deductus: ibiq; poſt paucos dies, cùm ferè ſeptuaginta eſſet annorum, nullamq; prolem haberet, deficiens mortuus eſt in peſſima ſenectute. Et hac animaduerſione adeò eſt dignè punitus, vt in morte obliuiſceretur ſui, ſacramenta eccleſiaſtica deteſtando, qui dum viueret immemor fuit Dei. In prædicto verò caſtro corpus eius eſt traditum ſepulturæ. Eius autem animam infelicem, onuſtam pondere peccatorum, dæmones absq; dubio rapuêre, & eam in profundum inferni, vbi eſt tumultus tormentorum & nulla redemptio, proiecere. Iſtæ fuit finis vitæ ac tyrannidis Ecelini. Iſtæ verò fuerunt ciuitates ſuper quas exercuit tyrannidem inauditam: Verona, Vicentia, Padua, Taruiſium, Faltrum, Tridentum & Brixia. Omnia enim caſtra epiſcopatus* Cenetenſis ſuæ ſubdidit poteſtati. Padua verò & Tridentum ante mortem ipſius ab eius iniquis manibus euaſerunt. Per triginta quatuor ferè annorum curriculum, excluſo Comite S. Bonifacij cum ſuis amicis Veronam obtinuit violenter: & tandem ciuitatis potentia exaltatus, excellentis principis Federici amicitiam acquiſiuit: cuius fretus virtute, cunctam ſibi Marchiam ſubiugauit. Ipſius quippe maligna inſtigatione Imperator potentiſſimus Federicus, cui præbuit iſte tyrannus introitum in Italiam per Veronam, violenter concuſſis viribus totius Imperij Lombardiam voluit obtinere: cuius rei cauſâ inter Romanam eccleſiam & imperium inexorabilis diſcordia eſt exorta, propter quam multa millia hominum in diuerſis mundi partibus perierunt: horum malorum caput, medium & finis extitit perfidus Ecelinus.

Ecelini potentia in marchia Taruiſina.

**fortè Comenſis.*

Qualiter poſt ruinam perfidi Ecelini facta eſt pax in Marchia vniuerſa.

FAMA igitur prædictæ victoriæ per vrbes Italiæ decurrente, omnes populi de ruina tyranni mirabiliter exultabant, diuinæ virtutis potentiam collaudantes. Non fuit ita generalis lætitia & commune tripudium à multis retro temporibus in ciuitatibus Lombardiæ. Tunc Vicentini his rumoribus excitati, confestim suos ciues, qui fugerant à facie terribilis Ecelini, & Paduæ residebant, vt redirent Vicentiam rogauerunt: & sic omnes ad propria sunt versi. Similiter Feltrensis episcopus & fideles ecclesiæ cum eo ad suam ciuitatem pacificè redierunt. Gens autem potentissima Venetorum, quam diuina clementia fecit sæpissimè de suis hostibus triumphare, audiens tyrannum horribilem corruisse, gauisa est vehementer: statimq; assumptis Tarusinis, qui effugerant rabiem tyrannorum, Ecelini scilicet & nequissimi Albrici, ad inuadendum Taruisium exercitum destinauit. Ecelinus namq; toto tempore suæ tyrannidis, tumore superbiæ nimium excæcatus, frequenter Venetos multis iniurijs lacessiuit. Sed ipsi viri astuti, & donis sapientiæ ac prudentiæ præ cunctis populis Italiæ prædotati, tacitè dissimulando tempus congruum expectabant, in quo possent tyranno pro meritis respondere: & ipsorum expectatio non est suo desyderio defraudata. Ipsorum namq; virtutis potentia & consilio Padua est deuicta, & postmodum ab impetu Ecelini viriliter est defensa.

Veneti post Ecelini mortem Vrdiciam iniuriarum eius molliuntur.

Albricus itaque de Romano, fraternæ impietatis impiger imitator, impar quidem fratri ratione dominij, sed eidem in malitia coæqualis, audiens Ecelinum in suis malitijs comprehensum, obstupuit vehementer, & cum suis (multorum malorum quæ fecerat Taruisinis memor, quos crudeliter eijciendo de ciuitate bonis omnibus spoliauit, quosdam ipsorum ignominiosè suspendit, varijsque modis occidit, alios autem cæsos gladio iacere fecit insepultos in medio platearum) non fuit ausus inimicorum expectare aduentum: sed cum vxore & filijs noctu Taruisium dereliquit, & ad castrum sancti Zenonis confugiens, ibi munitione loci confisus, suam arctissimam constituit mansionem. Hoc audito, Taruisini simul cum exercitu Venetorum ad ciuitatem protinus accesserunt, & à ciuibus suis gratanter & pacificè sunt recepti. Omnia verò castra Marchiæ, tam in planicie quàm in montibus constituta, suis ciuitatibus in breui tempore reddita sunt à custodibus Ecelini. Ad ista namque omnia feliciter peragenda strenuè se gerebat tam populus quàm militia Paduana: pariterq; præsentia & persuasio sanctissimi patris Gregorij patriarchæ Aquileiensis, qui tunc erat Paduæ, maximũ auxilium conferebat: cuius magnanimitatem & prudentiã circumspectam in arduis negotijs, summis periculis, tota Italia est experta. Veronenses autem cum longo tempore fuissent crebris bellorum tempestatibus conquassati, habere pacem cum parte Comitis plurimùm affectabant: Vnde audientes casum nefandissimi Ecelini, gauisi sunt vehementer, quòd erepti erant de tam grauissima & longissima seruitute. Accidit namq; Veronensibus quod dicit Iob: quòd dum nimis timuerunt pruinam, irruit super eos nix, imò grando & glacies infernalis: & dum quærerent equi fortitudinem declinare, in dentes leonis sæuissimi incurrerunt. Horribilis enim tyrannus, quem ipsi exaltauerant supra modum, ita crudeliter afflixit illam nobilissimam ciuitatem, quòd vix in ea vllum nobilem militem dereliquit: populum etiam eius potentissimum, gladio, fame, igni, diuersisque supplicijs vehementer attriuit. Nam in vno die ferè ducentos Veronenses fecit simul cum ipso carcere igne circumposito concremari. Post continua itaq; supplicia atq; dolores, tandem Veronenses cœlitus recepta desideratissima libertate, omni dilatione postposita, custodes tyranni de munitionibus expulerunt, & apertis carceribus tenebrosis, cunctos captiuos vtriusque sexus protinus dimiserunt. Statimq; ad Comitem S. Bonifacij Mantuæ commorantem, & ad reliquos ciues nuncios dirigentes, vt ad sua redirent, eos amicabiliter hortabantur. At illi post longum exilium natalis dulcedine soli perfrui cupientes, ad dilectam ciuitatem lætanter & pacificè redierunt. Sublata namque de medio discordiæ materia, in tota Marchia pax tranquilla & dulcis concordia subitò est effecta. Sicq; patuit per effectum, quod solus filius perditionis pacem & salutem omnium excludebat. Nam vt suum Dominum augmentaret pariter & fir-

Taruisium, in Venetorũ ditionem concedit.

Ecelini custodes Verona eijciuntur.

& firmaret, vbicunque poterat ſtudiosè venenum odij & diſſenſionis inter populos effundebat. Suſpecta quippe tyranno erat dilatio charitatis: putabat enim non diu ſuum dominium permanſurum, ſi ciues inuicem ſe amarent.

De qualitatibus terribilis Ecelini.

CONGRVVM duximus in hoc opuſculo nefarij Ecelini breuiter exprimere qualitates, vt ex hiſtoriæ monumento etiam poſteris ad cauendum doloſam aſtutiam tyrannorum, munimen & ſubſidium præbeatur. Nam talium verſutia & callidi-
10 tas deteſtanda ſub prætextu magnanimitatis & probitatis in exordio ſuæ tyrannidis frequenter apud miſeros populos occultantur: ſed cùm potentiæ culmen fuerint aſſequuti, elati poteſtate malitiam ſibi inſitam affligendo ſubditos, manifeſtant. Iſtum quippe modum ad decipiendum miſeros homines, tenuit magiſter ſcelerum Ecelinus. Dum enim ſicut ciuis in ſtatu degeret militari, acer quidem erat in hoſtes: erga tamen amicos lenis & tractabilis videbatur. In promiſſis quoque ſatis erat fidelis, in propoſito ſtabilis, in verbis maturus, in conſilio prouidus, & in omnibus factis ſuis miles egregius apparebat. Sed poſtquam Marchiæ dominium eſt adeptus, ſtatura corporis (quæ mediocris fuit) eadem permanente, repente in virum alterum eſt mutatus. Nam in facie auſterus eſt effectus. Talis namque apparebat in vultu,
20 qualis erat in actu. In modo loquendi terribilis, in inceſſu ſuperbus: ſolo intuitu homines deterrebat. Ab amore ſatis abſtinuit mulierum: ſed viros ab vxoribus ſeparabat, & eos cum alijs de facto contrahere compellebat. Latrones odio habuit & prædones, ſed illorum ſupplebat officium, omnes indifferenter ſpoliando pariter & mactando. Valde ſuſpicioſus fuit: ſemper namque in deteriorem partem facta & verba indifferentia exponebat. Omninò fuit immiſericors: crudelitate namque ſuperauit ſæuitiem omnium tyrannorum. Inimicus erat pacis & bellorum ciuilium ſedulus excitator. Callidiſſimus exactor erat in pecunia congreganda: largus autem nummorum effuſor, pro militibus congregandis & potentia dilatanda. Spoliator fuit eccleſiarum: clericorum verò & religioſorum crudeliſſimus interfector. Præ-
30 latis præbendas eccleſiarum ad libitum ſuum, quibuſcunque volebat, ac ſi eſſet ſummus Pontifex, conferebat. A fide namque catholica fuit penitus alienus. Ob hoc ſicut perfidus hæreticus ab eccleſia eſt damnatus. Quinquaginta quinq; millia hominum ferè eius occaſione ac iuſſu, gladio, fame, & tormentis crudeliſſimè perierunt. Quandam enim ſitim & famem ſe pati putabat, niſi carnes ciuium laniari, & ſanguinem humanum videret profundi. Inter cætera verò ſua nefanda facinora, quæ tot & tanta fuerunt, quòd ad hoc homines ea pro fabulis reputabant: quòd hominis modum excedere videbantur. Hoc etiam voluit non deeſſe. Nam ipſe ſicut hoſtis naturæ humani generis propagationem voluit prohibere, caſtrando viros vxoratos & infantes, proh pudor etiam mulieres. Multis etiam fœminis naſum cum ſuperiori-
40 bus labijs & vbera fecit crudeliter amputari: nihilominus natos eorum lactantes priuauit lumine oculorum. Et ne quis dicat, ipſum contra inimicos tantummodo talia perpetraſſe: ſciat quilibet, quòd nunquam benignus, nunquam fuit finaliter alicui manſuetus: ſed cogitatio eius ſemper circa intentionem hominum verſabatur, & qualiter eos affligeret quotidie diſponebat. Ad amaritudinem namque animos hominum perducebat diuerſimodè, die noctuque vanis & inutilibus eos laboribus & inauditis ſupplicijs affligendo. Nam palatia pulcherrima & ampliſſima ſibi fieri cum ſumma inſtantia faciebat, quaſi ſemper eſſet victurus; in quibus tamen nunquam voluit habitare: nec non caſtra & turres in ſummis montibus & ciuitatibus conſtruebat, ac ſi crederet ſe ab inimicis quotidie obſideri. Hæc autem omnia ad
50 oſtentationem ſuæ potentiæ, & ad terrorem & admirationem hominum faciebat, & vt famam ſui nominis ita imprimeret in mentes ſingulorum, vt eam nunquam valeret vnquam obliuio abolere.

Ingenium & mores Ecelini tyranni.

Qualiter Palauicinus obtinuit Brixiam, & de euasione Legati.

CVM post ruinam perfidi Ecelini cunctæ ciuitates, quæ fuerant eius subditæ dominationi ad concordiam & pacem redijssent: soli Brixienses in sua duritia remanserunt, partem extrinsecam redire ad propria minime permittentes. Tunc Marchio Palauicinus cupidus dominandi, sperans propter discordiam partium se posse Brixiam obtinere, quasi amicabilis mediator vtrique parti dolosis promissionibus, quòd eas ad concordiam reduceret, repromisit. Igitur post multas etiam ambages dominium Brixiæ, peccatis Brixiensium exigentibus, assequutus: statim cœpit Ecelini vestigia imitari, partem eius fouendo, & fideles ecclesiæ intrare ciuitatem nullatenus permittendo. Legatum etiam Romanæ ecclesiæ, venerabilem virum archiepiscopum Rauennatem ab Ecelino in Brixia in vinculis derelictum, quasi hæres malitiæ Ecelini præcepit cum summa diligentia custodiri. Pro cuius liberatione dominus Papa sollicitus vehementer, tam Palauicino quàm Brixiensibus literas destinauit. Sed ipsi apostolica mandata repudiantes, Legatum dimittere noluerunt. Legatus autem videns eorum animos obstinatos, habito suorum consilio seruientium, quodam sero custodibus credentibus ipsum cum seruiente in conclaui more solito fabulari: alligauit funem firmiter ad columnam, & emittens ipsum per fenestram alti palatij, in quo tenebatur inclusus, fune manibus apprehenso, illęsus ad terram descendit. Et cùm extra ciuitatem latenter exisset, super equum præparatum ascendens, vno tantùm contentus comite versus Mantuam fugam arripuit festinanter. Taliter vir magnanimus, Domino auxiliante, manus euasit hominum perfidorum.

FINIS LIBRI SECVNDI.

RERVM

RERVM IN LONGOBARDIA ET VICINA TARVISINA MARCHIA GESTARVM,

Liber tertius.

De obsidione & interfectione infelicissimi Albrici.

ANNO Domini M. CC. LX, Cùm Albricus de Romano, vt prædictum est, morte perterritus Ecelini Taruisium dimisisset, & in fortissimum castrum sancti Zenonis cum militibus Teutonicis & alijs suis fidelibus consedisset: Taruisini, Paduani & Vicentini simul instantissimè obsederunt, introitum & exitum ei penitus prohibentes. Et quatuor mensium obsidione peracta, obsessi milites & alij populares gratiam inuenire inimicorum in tanto periculo cupientes, primò castrum, deinde partem castri munitissimam & ipsum facinorosum cum vxore, & filijs, & filiabus in manus hostium tradiderunt. At illi non immemores eius malitiæ detestandæ, absque mora eum cum vxore, ac sex filijs & duabus filiabus, vt eius facinora exigebant, morte crudelissima perierunt. Iste quippe tyrannus crudelitate ac malitia ita fuit Ecelino per omnia coęqualis, vt determinatè nequeat definiri, cui de duobus potissimùm crudelitatis & impietatis palma valeat assignari. Et sanè Albricus præire fratrem in flagitijs videbatur, quod eius insatiabilem libidinem matronarum & virginum multitudo non potuit satiare. Quandocunque enim videbat matronas nobiles & virgines speciosas, in earum concupiscentia exardescens, quàm citiùs poterat eas ad suam deduci libidinem faciebat. Tantus verò metus tyranni nequissimi milites plebemque oppresserat Taruisinam, vt nec etiam quòd timerent auderent ostendere manifestè: sed gemitibus & suspirijs ferebant grauissimam seruitutem, & timore mortis prohibebantur pro libertate aliquid cogitare. Cor quippe Albrici durum non minis cedebat, nec precibus mouebatur: inuerecundum erat ad turpia, inhumanum ad humana: in exigenda vindicta crudelitatem habens tigridis & leonis. Nulla super afflictos misericordia mouebatur, nec mulierum lamentis, nec fletibus paruulorum poterat emolliri. Et vt eius maxima crudelitas breuiter declaretur, per quod valeat eius summa nequitia recognosci: dum quadam die suspendi quosdam milites præcepisset, antequam eorum guttura laqueis stringerentur, vxores eorum adesse præcepit, ad tam horribile spectaculum intuendum: quarum capillos, cernentibus viris, fecit præcidi, vestesq; iussit à mammillis inferiùs amputari, & in continenti ante oculos miserabilium mulierum mandauit maritos earum in patibulo eleuari. Quo facto, statim expulit miseras de Taruisio sic turpiter denudatas, Venetiasque nullo præcedente ductore, coëgit quantocyus properare.

Albrici miserabilis interitus.

Eius libido & crudelitas.

O infelix humana conditio, & nescia futurorum? quid in crastinum gloriaris, nesciens quid superuentura pariat dies tibi, & ad quem finem rota fatorum volubilis te deuoluat? Ecce in spacio vndecim mensium duorum fratrum sydera tangentium, quibus cæteris circumspectis in magna parte orbis de facili non possent simi-

NB.

les inueniri, vita simul est & potentia terminata. Vbi nunc est Ecelini superbia efrænata? vbi acies militum ordinatæ? vbi armatorum ei astantium multitudo? Vbi obscœna voluptas delicatissimi Albrici: quæ dum esset ab ipso expleta, non satietatem sed famem ei parere videbatur. Meritò inquam illud corpus lubricum, igne luxuriæ inflammatum, postquam gladijs est in frusta concisum, à populo Tarusino in platea ciuitatis est voraci flamma consumptum, & sic caruit sepultura. Quid prædictis tyrannis profuit superbia? & diuitiarum iactantia quid contulit eis boni? Transierunt verò ista omnia tanquam vmbra. Tota namque ipsorum progenies à victoribus radicitus est deleta: & lactanti paruulo, flauisque puellis ardens ira hostium non pepercit: & possessiones eorum amplissimæ sunt ad extraneos deuolutæ. Pereat itaque cum sonitu tyrannorum memoria: & Dominus vindicans sanguinem seruorum suorum, quem crudeliter effuderunt, & aspiciens lacrymas viduarum, compatiensque gemitibus oppressorum, permanet in æternum. Legitur sanè quòd Magi Pharaonis in signo tertio defecerunt: sic domus nobilissima & potentissima *de Romano*, arte diabolica nimiùm exaltata, in tertio gradu suæ altitudinis cecidit & defecit, nec adijciet vt resurgat. Magna quippe fuit in auo istorum, maior in patre, maxima extitit in duobus prædictis fratribus & famosa. Sed quod negatum est summis, diutius permanere, in illis cecidit, qui tumore inflati superbię, nunquam se casuros à culmine potentiæ cogitabant. Nullùs igitur de sui status securitate præsumat.

Familia de Romano deleta.

De mirabili modo pœnitentiæ, qui habuit initium in Italia, & postea est diffusus per diuersas prouincias Europæ.

SVB præcedenti annorum curriculo, cum tota Italia multis esset flagitijs & sceleribus inquinata, quædam subitanea compositio & à seculo inaudita, inuasit primitùs Perusinos, Romanos postmodum, deinde ferè Italiæ populos vniuersos. In tantum itaque timor Christi irruit super eos, quòd nobiles pariter & ignobiles, senes & iuuenes, infantes etiam quinque annorum, nudi per plateas ciuitatum, opertis tantundem pudendis, deposita verecundia, bini & bini processionaliter incedebant: singuli flagellum in manibus de corrigijs continentes, & cum gemitu & ploratu se acriter super scapulis vsque ad effusionem sanguinis verberantes, & effusis fontibus lacrymarum, ac si corporalibus oculis ipsam Saluatoris cernerent passionem, misericordiam Dei & genitricis eius auxilium implorabant: suppliciter deprecantes, vt qui in innumeris pœnitentibus est placatus, & ipsis, iniquitates proprias cognoscentibus, parcere dignaretur. Non solùm itaque in die, verum etiam in nocte cum cereis accensis, in hyeme asperrima, centeni, milleni, decem millia quoque per ciuitates & ecclesias currebant, & se ante altaria humiliter prosternebant, præcedentibus eos sacerdotibus cum crucibus & vexillis. Similiter in villis & oppidis faciebant: ita quòd à vocibus clamantium ad Dominum, resonare videbantur simul campestria & montana.

Flagellantium ritus & superstitio.

Siluerunt tunc temporis omnia Musica instrumenta & amatoriæ cantilenæ. Sola cantio pœnitentium lugubris audiebatur vbique, tam in ciuitatibus quàm in villis: ad cuius flebilem modulationem corda saxea mouebantur, & obstinatorum oculi se à lacrymis non poterant continere. Mulieres quoque tantæ deuotionis fuerunt minime expertes, sed in cubiculis suis non tantùm populares, sed etiam matronæ nobiles & virgines delicatæ cum omni honestate hęc eadem faciebant. Tunc ferè omnes discordes ad concordiam redierunt: vsurarij & raptores malè ablata restituere festinabant, cæterique diuersis criminibus inuoluti, peccata sua humiliter confitentes, se à suis vanitatibus corrigebant. Aperiebantur carceres, dimittebantur captiui, & exules redire ad propria sunt permissi. Tanta enim opera sanctitatis & misericordiæ tam viri quàm fœminæ ostendebant, ac si timerent quòd diuina potentia ipsos vellet igne cœlesti consu-

consumere, vel iactura terræ subitò absorbere aut concutere vehementissimo terræmotu seu alijs plagis, quibus diuina iustitia se vlcisci de peccatoribus consueuit. Super ista verò pœnitentia repentina, quæ vltra etiam fines Italiæ per diuersas prouincias est diffusa, non solùm viri mediocres, sed & sapientes non irrationabiliter mirabantur: cogitantes, vnde tantus feruoris impetus perueniret: maximè cùm iste modus pœnitentiæ inauditus non fuisset à summo Pontifice institutus, qui tunc Anagniæ residebat: nec ab alicuius prædicatoris vel auctorizabilis personæ industria vel facundia persuasus, sed à simplicibus sumpsit initium: quorum vestigia docti pariter & indocti subitò sunt sequuti. Sed reuera Spiritus sancti gratia, quæ nescit tarda rerum molimina, imò repente vbi vult spirat, cor vnius hominis sui amoris igne succenso, exemplo illius cæteros inflammauit.

Quòd princeps Manfredus & Palauicinus prohibuêre suos subiectos solenniter pœnitere.

PRINCEPS Manfredus naturalis filius Federici, qui regnum Siciliæ & Apuliæ vsurpauit, & auctoritate propria capiti suo imposuit diadema, tam in præiudicium Romanæ ecclesiæ, quàm grauamen & oppressionem Conradini Ducis Sueuiæ, filij regis Conradi, inhibuit potenter per omnes partes opulentissimi sui regni, ne aliquis tali stemmate pœnitentiæ vteretur, crudelem mortem transgressoribus comminando. Timebant enim ne sub forma huius nouitatis processus posset suæ tyrannidis impediri. Promulgauit itaq; hoc crudelitatis edictum non solùm in Apulia, sed etiam in Marchia Anconitana, & in magna parte Thusciæ, quam sibi iure prælij acquisiuit. Extulerat siquidem cornu superbiæ prædicti Principis tam aduersus Deum, quàm aduersus homines, victoria triumphalis, quæ de parte ecclesiæ, quæ Florentiam obtinebat, incredibiliter est adeptus. Florentini namque qui frequenter de suis triumphauerant inimicis, coram militia Principis, quam in auxilium Senensium destinauerat, cùm essent vltra LXX millia bellatorum, eorum peccatis exigentibus miserabiliter corruerant. Illi autem qui de bello euadere potuerunt nimium perterriti Florentiam deserentes: ad quam occupandam inimicorum exercitus properabat, ad Lucanam vrbem quantocyus contulerunt. Taliter Princeps cum sua parte illam potentissimam obtinuit ciuitatem, & cum ipsa pariter ferè sibi totam Tusciam subiugauit.

Edictum contra filiã gellantes.

Marchio etiam Palauicinus non segnis dicti Principis imitator, tam Cremonæ quàm Brixiæ vel Mediolani, & vbicunque potuit suæ tyrannidis officium exercere, prohibuit terribiliter fieri sollennis pœnitentiæ laudabilem nouitatem. Suspecta sunt quippe tyrannidi opera pietatis, & malè agentibus omnino sunt lucis opera odiosa. Formidabat enim tyrannus astutus ne ipse suum amitteret principatum, si ciues diuina gratia inspirati redirent ad concordiæ vnitatem, & partem extrinsecam ad propria reuocarent. Gaudium siquidem & securitas tyrannorum est discordia ciuitatum. Non solùm autem duo prædicti Principes, iniquitatis filij & magistri renuerunt accipere disciplinam: sed etiam quidam alij, qui fideles ecclesiæ videbantur, non cum tanta deuotionis efficacia, vt debebant, donum cœlestis gratiæ perceperunt. Multi quippe videntur habere vocem Iacob humilem & suauem: sed manus eorum hispidæ & nociuæ manibus Esau esse similes comprobantur.

De bello quòd Vngariæ rex & rex Bohemiæ pro ducatu Austriæ & Styriæ habuerunt.

CVM prædicta in partibus Italiæ gererentur, Bela rex Vngariæ viribus totius potẽtiæ suę concussus, ad inimicandum contra regem Bohemiæ consanguineũ suum se magnificè pręparauit. Exorta namq; fuerat contẽtio inter eos, propter ducatũ Austriæ & Styriæ, quem rex Bohemiæ dicebat ad se totaliter pertinere, quòd neptem Ducis Austriæ duxerat in vxorem, ad quam erat paterna hæreditas deuoluta. Rex

verò Vngariæ econtra rationẽ aliam proponebat. Deniq; cum ſola vexatio Tartarorũ dare intellectum illi plenariè debuiſſet, quorum nimis expertus fuerat rabiem metuendam: ipſe tamen poſtpoſita ſollicitudine ſe ab imminenti eorum impetu defendendi, aduerſùs dictum Regem arma infeliciter arripuit triumphi gloriam habitura. Congregansq; exercitum de diuerſis nationibus copioſum, in quo fuerant centum millia equitum armatorum, caſtrametatus eſt iuxta quendam fluuium in extremis finibus regni ſui. Tunc rex Bohemiæ, tam propria fretus virtute, quàm principum Alemanniæ, qui magnum ei auxilium præbuerant, proceſſit illi obuiam, cum ingenti multitudine militum electorum, & ex oppoſito fixit caſtra ſuper fluuium memoratum: multum tamen minoris numeri erat militia Bohemorum & Teutonicorum comparatione partis aduerſæ: ſed non inferioris audaciæ & virtutis. Cùm igitur ambo reges in caſtris aliquot dierum ſpatium permanſiſſent, & mediante fluuio congrediendi copiam non haberent: tandem quidam milites animoſi ex vtroque exercitu quietis impatientes prælium commiſerunt. Et in primo quidem congreſſu multi nobiles ex parte regis Bohemiæ ceciderunt, quorum ruina miſerabilis valde accendit regis animum ad vindictam de aduerſarijs faciendam. Cùm igitur vtraq; pars fortiter dimicaret, multitudo Cumanorum, qui venerant in auxilium regis Vngariæ, quorum erat confidentia in arcubus & ſagittis more Occidentalium nationum, non valens Teutonicorum & Bohemorum præcipitem impetum ſuſtinere, in fugam protinus eſt conuerſa. Ex barbaris itaq; & Vngaris multi gladio ſunt occiſi, plurimi verò in fluuio ſunt ſubmerſi. Rex igitur Vngariæ videns ſuas acies diſſipatas, armis proiectis cum ſuo exercitu fugam accipit feſtinanter. Victores autem non deſtiterunt perſequi fugientes, donec eorum caſtra, referta omnibus neceſſarijs intrauerunt: ibiq́ue vltra modum ſpolijs hoſtium ſunt ditati. Poſt damna itaque rerum & immenſam ſtragem exercitus, rex Vngariæ per experientiam recognoſcens ita reges & populares vanitati & diuerſis caſibus ſubiacere: legatos continuò ad hoſtes direxit, quæ pacis erant humiliter poſtulando. Cuius petitioni rex Bohemiæ nec non principes Alemanniæ, interpoſitis quibuſdam conditionibus, aſſenſum viriliter præbuerunt. Et ſic inter illuſtres Reges poſt alterna vulnera præliorum, ſunt pacis fœdera copulata.

Prælium inter Vngaros & Bohemos.

De obitu papæ Alexandri, & de electione Vrbani.

ANNO Domini M. CC. LXI, cùm ſummus Pontifex Alexander ſex annis & dimidio Romanam eccleſiam gubernaſſet, die ſeptimo exeunte Maio, vitæ ſuæ curſum in ciuitate Viterbio pacificè terminauit. Iſte toto tempore ſui regiminis nullum conſtituit Cardinalem. Nam cùm quidam de Cardinalibus ædificare Sion in ſanguinibus affectaret, quidam verò vellẽt viros idoneos promouere: ipſe licet haberet plenitudinem poteſtatis, timore ſcandali neutram partem voluit exaudire. Poſt cuius obitum Cardinales numero octo, de ſummo Pontifice eligendo magnam inter ſe diſcordiam tribus menſibus habuerunt. Tandem ſeptiformis Spiritus gratia illuſtrati, die tertio, exeuntis Auguſti, reuerendiſſimum virum patriarcham Ieroſolymitanum, natione Gallicum, qui tunc temporis erat in Curia pro negocijs terræ Sanctæ, concorditer eligerunt, qui Vrbanus quartus nomine eſt vocatus. Iſte quarto menſe ſui Pontificatus numerum Cardinalium ampliauit, præclaros viros vita & ſcientia inſignitos ad tam ſanctum collegium promouendo. De quorum numero diuina prouidentia faciente, extitit vir benigniſſimus, Simeon de Monte ſilice, canonicus Paduanus, quem tam forma corporis quàm nobilitate generis, & gratioſis moribus & multiplici ſcientia, diuina gratia decorauit.

Vrbanus 4. Papa.

Qualiter Veneti Conſtantinopolim amiſerunt.

CIRCA hæc tempora quidam Græcus nomine Palæologus (quod interpretatum Larina lingua, dicitur vetus ſermo) poſt mortẽ Vatacij & filij eius, per tyrannidẽ ferè totius Græciæ obtinuit principatum. Iſte in primo potentiæ ſuæ progreſſu Gulielmum

mum Francigenam, principem Bithyniæ & Achaiæ, sibi cum exercitu infeliciter occurrentem, graui prælio superauit, ipsumq; viuum capiens, in carcere tenebroso reclusit: sperans per ipsum totius terrę principatum leuiter obtinere. Hac igitur eleuatus victoria Palæologus, aspirare cœpit ad imperium Romaniæ, & diligentissimè cogitabat, qualiter vrbem Constantinopolim posset inuadere, quam gens catholica Venetorum sola cum infinitis expensis, periculo & labore maximo defendebat. Credebat namq; firmiter Palęologus, Constantinopoli acquisita, omnes maris insulas & ciuitates in terra firma constitutas, à Latinis & Venetis maximè iure belli possessas, se breuiter habiturum. Igitur cùm vehementer laboraret, vt propositum suum effectui manciparet, sciens vir callidus & astutus, quòd labor improbus omnia vincit, pariter & cognoscens, quòd pecuniæ obediunt omnia, maximè quòd homines necessariis indigentes per idoneas personas, mediante pecunia & promissionibus fraudulentis, corrupit quosdam impios homines in vrbe Constantinopoli habitantes: qui firmiter promiserunt ei tempore opportuno tradere ciuitatem. Cùm igitur hæc omnia inter Palæologum & proditores erant secretissimè ordinata, potestas Venetorum de Imperatoris consensu, cum multitudine bellatorum bellicas naues ascendit, & ad damnificandum hostes, versus mare Ponticum nauigauit. Tunc patriæ crudelissimi proditores videntes vrbem defensoribus spoliatam, habita opportunitate, circa mediam noctem, die septimo Iulij exeuntis, vnius portæ occisis custodibus, militibus Palæologi gloriosè vrbis aditum præbuerunt: expletis quinquaginta octo annis, q; eam viriliter inuaserant Francorum principes & gens inclyta Venetorum. Tum itaq; Græci Constantinopolim sunt ingressi, sicut patres eorum famosissimam Troiam, ita ipsi vrbem regiam protinus succenderunt. Tunc Imperator Balduinus, cui capta vrbe remanserat tantùm magni nominis vmbra, milites & populus ciuitatis tantæ multitudini resistere non valentes, cum paruulis & mulieribus naues protinus ascendere, & prospero cursu ad insulam Nigripontis dante Domino, peruenerunt: veruntamen propter nimiam hominum multitudinem & victualium paucitatem, multi vtriusque sexus oppressi diræ famis angustia, in nauibus, antequam portum attingerent, perierunt.

Constantinopolis à Latinis amissa

Cùm audissent autem Ianuenses, æmuli Venetorum, quòd Palæologus Cõstantinopolim inuasisset, alacres sunt effecti: statimq; pacis fœdere violato, quod de mandato summi Pontificis inter ipsos & Venetos erat factum, societatem cum Palęologo contra Venetos statuerunt. Exinde gens Venetorum, vt possent resistere tam efficacissimis inimicis, magnis laboribus & expensis cœpit vehementer affligi. Oportebat namq; ipsos classem cum multitudine bellatorum, ad defensionẽ insularum quas tenebant, singulis annis in Græciam destinare. Licet autem excelsum verticem exultationis, de acquisitione regiæ vrbis, Greci extulissent: tamen tanta erat in mari potentia Venetorum, quòd nisi Ianuenses Græcis auxilium præbuissent, non sine magno tremore in mari Ionio, vel Ægæo Venetorum exercitui tota Græcia occurrisset. Longè quippe sunt Græci ab illo florido statu, in quo decennali bello Troiana mœnia, in vltionem raptæ Helenæ, subuerterunt: nec non à strenuitate, quæ sub Alexandro inuictissimo rege Macedonum, regibus Asię subiugatis, totius obtinuerunt imperium Orientis. A Philosophiæ insuper disciplinis sunt nimiùm elongati, in quibus ita studiosi antiquitùs extiterunt, quòd in artium liberalium scientia cunctos populos excellebãt. Sanè postquam ab obedientia Romanæ ecclesiæ recesserunt, multis sunt aduersitatibus conquassati, multisq; etiam existunt erroribus & falsis opinionibus inuoluti. Vnde cùm sint tam morum probitate quàm scientia, nec non disciplina sanctę matris ecclesiæ, quę est caput & magistra fidelium omnium, denudati: meritò vilissimi & abiecti à cunctis fermè gentibus reputantur. Nam qui solebant Orientalium regionum imperium obtinere, facti sunt præda omnium circumstantium nationum: quasi enim quælibet gens eorum spolia obtinuit & imperium lacerauit. Nónne Saraceni & Turci, & aliæ barbaræ nationes omnem regionem à flumine Eufrate, citra, Syriam videlicet & Ciliciam, Arabiam & Ægyptum eorum imperio abstulerunt? Nouissimè autem temporibus nostris, eorum peccatis exigentibus, Francorum principes, Veneti & Lombardi capta Constantinopoli, & multis aliis eorum ciuitatibus & insulis expugnatis, de ipsorum spoliis plurimùm sunt ditati. Vnde Græci ærumnarum suarum

Recentiũ Græcia vtre felicitas.

æ ongeriem intuentes, gemendo possunt dicere: quid nisi præda sumus omnium populorum.

De principis liberatione.

TEMPORIBVS istis Palæologus Gulielmum principē Bithyniæ & Achaiæ, quem in bello ceperat, abire permisit, castro Maluasiæ, & quibusdam aliis locis munitissimis ab eo receptis. Princeps autem confœderatus cum Venetis, terra marique Palæologum totis viribus impugnabat.

Qualiter filius regis Vngariæ factus est ciuis Rauennatis.

ANNO Domini, M.CC.LXII, in hoc tempore illustris iuuenis Stephanus, magnifici Andreæ regis Vngariæ, & nobis reginæ Beatricis generosa propago, cùm diutius expectasset in curia Marchionis Estensis manendo, quòd frater suus Bela rex Vngariæ ad misericordiam flecteretur, vt ei saltem aliquam particulam regni latissimi assignaret, videns quòd nihil proficeret, memorato rege in sua duricie permanente, duxit vxorem Trauersariam, filiam Gulielmi, filij Pauli Trauersarij, ciuis Rauennatis nobilissimi, ad quam erat paterna hæreditas deuoluta. Fratris itaq; perfidia impellente, nolentis habere in regno consortem, compulsus est tanti regis filius fœminā longè se minorem, licet ditissimam, ducere in vxorem. Excusare autem regem Belam tunc quidam conabantur, dicentes: quòd rex benignè fratrem tractasset, nisi vxor eius *Astari Græcorum principis filia impedisset, quæ regem à clementia modis quibus poterat assiduè retrahebat. Dicebat namq; regi prædata regina, Latini generis inimica: Nequaquam filius Lombardæ simul cum filiis meis regnum Vngariæ possidebit. Et sic rex nimis credulus huiuscemodi verbis vxoris, permansit in odio fraterno finaliter obstinatus. Sed tali excusatione minime regia maiestas ab iniquitatis infamia liberatur: imò verissimè potest dici, quòd rex tam ditissimus in hac parte pernicioſum crudelitatis exemplum in toto orbe terrarum, cum periculo suæ animę, & regni discrimine, regibus, & principibus, & cunctis hominibus dereliquit, fratri suo vnico, innocenti, victum & vestitum crudeliter denegando, & comitatus & dignitates alias suis militibus & cubicularijs largiendo. Vnde sicut pro peccato Adæ, qui voci suæ obediuit vxoris, plus quàm diuino præcepto terra fuit in eius opere maledicta: ita forsitan ob hāc prædicti regis perfidiam, diuina iustitia faciente, quæ nullum relinquit piaculum impunitum, aduersus præfatum regem duplex tribulatio consurrexit, Tartarorum videlicet & Bohemorum, qui regnum eius gladijs, incendijs & rapinis plurimum vastauerunt. Nam qui iniustè alium deprædatur, iusto Dei iudicio tandem incidit in manus alterius deprædatoris.

*forte rectoris, Lascaris.

Qua de caussa Obizo à Marchione ardentissimè amabatur.

Obizonis Estensis nuptiæ.

ANNO Domini M.CC.LXIII, cùm Azo illustris Marchio Estensis dolorem amarissimum, qui ex morte sui vnigeniti filij acciderat, temperasset, tenēs pro illo dulcissimum nepotem, diuino munere sibi collatū, virginem nobilissimam, natione Ianuensem, de progenie scilicet magnifici papæ Innocentij; prædicto suo nepoti tradidit in vxorem, cuius nuptias cū magna claritate Ferrariæ celebrauit. Mirabantur plurimi tunc temporis, quòd Marchio postposito illustri Stephano filio suæ neptis, sc. reginæ Beatricis, & filiis naturalibus quamplurimis, feruentissimè amorem sui pectoris abundantiùs effuderit in nepotem. Sed reuera hoc animum Marchionis ad nimium amorem pueri specialiter inclinauit, quòd puer Obizo Rainaldum quærētibus exhibebat. Tam. n. in moribus q̄ in facie relucebat in ipso sui nobilissimi genitoris imago.

Sic oculos, sic ille manus, sic ora ferebat.

Vnde benignissimo principi, quasi adhuc suus charissimus filius viuere videbatur, cū eius expressam cerneret imaginem in nepote. Oculi quippe Marchionis grato spectaculo dilectæ imaginis pascebantur: ita vt amore præsentis, absentis filij desiderium temperaret. Riuulus namq; amoris præcipui, qui corde Marchionis in Rainaldum dum viueret, defluebat, ad irrigādum paternis beneficiis eius clarissimam prolem totaliter inundauit. Obizo autem egregiæ indolis puer non ingratus auo benignissimo existebat, à quo sciebat se cum summo studio, quasi de paterno puluere susciatum. Sed speculum

eulum ſuæ gratiſſimæ faciei Marchionis vultu ſæpiſſimè repræſentans, eius curas & ſollicitudines minuebat. Iſtius namq; pendebat in collo, oculis, amplexibus & colloquiis mellifluis dulcedinem amoris de ipſius pectore hauriebat. Et ſic inter piiſſimum auum & dulcem nepotem erat ſuauiſſimum & frequens certamen amoris.

De beneficiis quæ Deus miſericorditer contulit Marchioni.

CVM diuinæ pietatis opera minime ſint celanda, quòd eius operatio noſtra eſt inſtructio: decreuimus breuiter perſequi beneficia, quæ Dominus miſericordiæ contulit Marchioni, non ſolùm eum periculis liberando, quibus velut mole inundantium aquarum fuit vndiq; circumfuſus, ſed etiam ipſum triumphare de hoſtibus euidentiſſimè faciendo, nec non inopinabile donum gratiſſimæ ſobolis de fructu ſui incarcerati filij ipſi benigniſſimè largiẽdo. Iſte ſiquidem amabilis princeps qui poſt deceſſum vnigeniti filij, priuatus filiorum munere putabatur, pro vno extincto filio duplicis prolis præmio eſt dotatus. Et vt diuina erga ipſum clementia mirifica videretur, de terra hoſtili, ſcilicet de Apulia, gaudium inſperatum gratiæ ſobolis emanauit, vnde amara mors dilecti filij ſibi extitit nunciata. Noluit namq; Dei clemẽtia, quòd vir catholicus, & multiplicis virtutis gratia decoratus, maſculinæ prolis munere priuaretur: ſed eius immenſum deſiderium adimpleuit reparando mirabiliter in nepote, quod in filio miſerabiliter corruiſſet. Ille ſiquidem qui de puluere Phœnicis extincti aliũ Phœnicem mirabiliter reparat ſecundum ſpeciem formamq; prioris, effecit vt de nobili Rainaldo in carcere cuſtodito, & ſecundum communem exiſtimationem pro mortuo reputato, procederet inclyta proles, quæ verè poſſet dicere Marchioni: Reſpice in faciem nepotis tui, & vide vtrum ſit in nepote non filij expreſſa imago.

Non ſolùm itaq; diuina bonitas hoc acceptabile donum contulit Marchioni, ſed etiam illum multoties de maximis periculis liberauit, tam de manibus videlicet magnifici Federici, qui totam ferè Marchiam Teutonicis, Saracenis & Appulis adimpleuit, vt ipſum velut capitalem inimicum imperij expugnaret: quàm de continuis inſidiis Ecelini & ſimultatibus Albrici, & aſtutiis callidi Saliniguerræ. Iſti namq; vnanimiter quaſi leones rugientes ad prædam ipſum modis omnibus deglutire ac penitus conterere conabantur. Quorum grauiſſimos impetus vir ſtrenuus, Domino adiuuante, compeſcuit, calliditatis eorum euitauit inſidias & conſilia nequiſſima diſſipauit: in his omnibus ſeruando animi conſtantiam, & à veritatis tramite nullatenus declinando. Licet enim vnicum eius filium iniquus Imperator in carcere detineret, & tam ipſius dimiſſionem quàm alia excellentia beneficia ipſi promitteret, vt ſic illuſtrem virum à deuotione Romanæ eccleſiæ remoueret: conſtantiſſimus princeps, velut columna immobilis, & murus impenetrabilis nec metu periculorum territus, nec imperialium promiſſionum dulcedine delectatus, ſed Deo ſe totum committens, obſequiis eccleſiæ auelli non potuit: ſed ſtabilis & fidelis adiutor eccleſiæ, in tribulationibus & anguſtiis vſque ad finem permanſit. Et ideò miſericors Dominus meritò eum ab aduerſariis cuſtodiuit, & ipſum de intumeſcentis maris fluctibus ad portum ſalutis dirigens, de inimicis ſuis fortiſſimis fecit eum videre mirabilem vltionem. Vidit namq; excellentiſſimum Federicum imperiali honore priuatum, aſtutum Saliniguerram incarceratum, tumidum Ecelinum facta claua mactatum, & lubricum Albricum in conſpectu ſuo horribiliter trucidatum. Iſti ſiquidem iniquitatis principes, quaſi quatuor venti peſtiferi, furentes in catholicam domum Eſtenſem totis viribus irruerunt, vt eam funditus diſſiparent: ſed eorum impulſione non cecidit, quòd ſanctæ matri eccleſiæ adhærebat, quæ ſuper petram ſolidiſſimam eſt fundata. His itaque ſpirare deſinentibus ſtatim eſt tranquillitas ſubſequuta, & ſic requiem habuit Marchio à ſuis efficaciſſimis inimicis. Nullus igitur fidelis homo eleuetur proſperis, nec frangatur aduerſis. Nouit enim Dominus quando vult ſuperbos deprimere & humiles exaltare.

De venerabili virgine Beatrice, ſorore Marchionis Eſtenſis, quæ in monte Gemulæ requieſcit.

ACCIDIT ad laudem nobiliſſimę domus Eſtenſis, quòd non ſolùm eſt illuſtrium virorũ præclaris operibus decorata, ſed etiam ex ipſa proceſſit generoſa propago

insignium fœminarum, quę carnis concupiscentiam simul cum mundo vincentes, & de mundi principe viriliter triumphantes, ad regna syderea, sicut piè creditur, feliciter peruenerunt. Prima quarum extitit nobilissima virgo re ac nomine Beatrix, soror prędicti Marchionis, quæ cùm esset mira pulchritudine corporis & virtute multipliciter decorata, mundum cum sua pompa contempsit: mortalem sponsum accipere recusauit: ad castos amplexus æterni sponsi, forma præ filiis hominum speciosi, cupiens peruenire. Hoc itaq; sanctissimum propositum virginis deuotissimæ illustris frater eius & amicorum turba, & multitudo nobilium matronarum, amore præsentium, immemores futurorum, nitebantur modis omnibus impedire: nunc mundi gloriam, nunc nobilis sponsi connubiũ, & dulcissimæ prolis felicitatẽ castæ virgini proponentes: pariterq; suæ domus ruinam, amicorum tristitiam, & inimicorum gaudium ex tali mutatione cõsequi asserebant. His & huiusmodi verbis ad decipiendũ compositis, gloriosè virginis animũ conabantur à bono proposito reuocare. Sed virgo prudentissima septiformis spiritus gratia illustrata, quæ linguas infantium disertas efficit, eorũ verba, quandam habentia speciem veritatis, sed existentia minime, pro nihilo reputabat, & quòd soli Deo seruiendum esset, quòd quicquid aliud agatur in hac vita, amittatur, argumentis efficacissimis ostendebat. Propositũ itaq;, quod virgo sapiens corde conceperat, fructuosis affectãs operibus adimplere, ad montẽ qui Iemula nũcupatur, vbi est oratoriũ ad honorẽ B. Io. Baptistæ constructũ, cum quibusdã aliis honestis virginibus, eandem cũ ea intentionem habentibus, protinus conuolauit: ibiq; in sancta conuersatione indesinenter permanens, totam Italiam suæ sanctitatis cãdore illustrauit. Fama igitur longè lateq; de conuersatione pretiosæ virginis discurrente, cœperunt multæ clarissimæ virgines ex longinquis etiam partibus, quasi columbæ accipitrẽ fugientes, ad prædictum locum accedere, cupientes tantæ virginis instrui disciplinis, & eius sanctæ conuersationis exemplis & colloquiis deuotissimis informari. De quarum siquidem aduẽtu illustris virgo diuinæ maiestati gratias referebat, lacrymosis precibus deprecans creatorem, vt qui de diuersis regionibus huiusmodi virgines congregauerat, ad gloriam sui nominis & honorem eas custodire in sanctæ religionis obseruantia dignaretur. De salubri itaq; consilio prudentissimæ virginis Beatricis, omnes prædictæ virgines quandam Desideratã sororem in abbatissam elegerũt concorditer, quæ tam sanctissimo collegio deberet viriliter prouidere. Sub cuius regimine cum quanta humilitatis obedientia, patientia & charitate duxerit angelicam vitam virgo deuota in terris, nimium prolixum esset singula enarrare. Sed prout nobis sanctæ virgines retulerunt, quæ huius piissimæ virginis meruerunt habere consortium, breuiter dicimus, quòd tam verba quàm facta virginis gloriosæ erant discretione cõdita, honestate plena, bonitate conspicua, & Deo & hominibus gratiosa: ita quòd per mores honestos & gestus corporis ordinatos, ac propter eius vtiliter & piè prolata, ab omnibus credebatur, quòd Deus veraciter in eius cordis thalamo habitaret. Cumq; multo tẽpore his prædictis & aliis virtutibus refulgens virgo clarissima in diuinis obsequiis & disciplinis regularibus permansisset: rex cœlestis, qui eius speciem concupiuit, eius sanctissimam animã de vitæ præsentis ergastulo misericorditer liberauit, vt ornaret cœlestem curiam eius beato consortio. Cuius radianti exemplo præsens ecclesia extitit mirificè illustrata. Sanctissimum autem corpus eius in prædicto cœnobio reuerẽdo est in arca lapidea est honorificè cum aromatibus collocatum, vbi in magna veneratione vsque ad præsens tempus habetur.

Beatrix, Azonis marchionis soror, moniales deuota.

Cœnobium monum ad montem Gemula.

De illustri Beatrice filia Marchionis.

POST decessum venerabilis virginis Beatricis plurimis elapsis annorum curriculis, altera Beatrix, præfati filia Marchionis, virgo pulcherrima, omnium oculis gratiosa, diuini amoris igne succensa, amitæ suæ vestigia cupiens pro viribus imitari, ornamentis depositis pretiosis, religionis habitum intrepida mente suscepit. Quam cùm nobilissimus pater eius attentasset à bono proposito reuocare, virgo constantissima doni cœlestis gratia illustrata, verba patris & aliorum, & omnem mundi gloriam pariuipendens, religionem laudabiliter incœptam de virtute in virtutem quotidie procedendo, glorioſissimè decorauit, & in monasterio beati Martini, quod ipsius causſa iuxta Ferrariam est constructum, cœlibem vitam ducendo, cum multis honestis virginibus,

Beatrix, Azonis filia monialis pia.

Cœnobium S. Martini prope Ferrariam.

ginibus,illius exemplo ibidem ad gloriam Dei congregatis,de humani generis inimico viriliter triumphauit, vitæq; cursum feliciter consummãdo,beatissimam animam suo reddidit creatori. Istæ namq; virgines gloriosæ, quasi duæ oliuæ fructuosæ pietatis opera producẽtes,& quasi duo candelabra virtutum exemplis radiantia circumquaque,non minus domum gloriosam & laudabilem suis meritis reddiderũt,quàm eius strenui Marchiones,pro fama & potentia dilatanda se variis periculis bellorum exponentes.Illorum enim corruptibiles triumphi velut vmbra velociter transierunt: istarum verò beatitudo,honor & gloria triumphalis nullo vnquam termino finiũtur.

De obscuratione Solis.

SVB præcedenti cursu annorum,die quinto intrantis Augusti,cum esset Luna vigesima septima,fuit eclipsis Solis ante horam aliquantulum vespertinam.

De obitu nobilis Azonis Marchionis Estensis.

ANNO Domini M.CC.LXIIII, cùm illustris Azo marchio Estensis de suis & ecclesiæ inimicis feliciter triũphasset,& Ferrariæ satis pacificè moraretur, sicut placuit omnium creatori, qui vitæ & morti singulariter dominatur, inuasit eum multiplex infirmitas corporalis. Cumq; viribus corporis destitutus diem vltimum sibi cerneret imminere,prouidens vir expertus,quòd status regionum solet in morte principum permutari,amicos fideles fecit vndiq; conuocari, & chatissimũ nepotem suum, quem in testamento hæredem instituerat,eis affectuosissimè cõmendauit. Deinde sermonem dirigens ad nepotem, prudẽter eum monuit per viam incedere æquitatis: sapientum obedire consiliis, amicos rectè diligere: in omnibus strenuè se habere:& à sanctæ matris ecclesiæ deuotione nullatenus declinare. Hæc,inquit, monita mea salutifera, dilectissime fili Obizo, obseruando, attestatione operum comprobabis,te verè processisse de genere nobili Estensium Marchionum. Hunc siquidem modum egregium,ad quem custodiendum mea persuasio te inducit, tenuit magnificus pater meus,cuius probitatem & potentiam circumspectam non solùm Italia,sed ẽt latitudo Rom. imperij est experta: à cuius vestigiis frater meus Aldrenandinus magnanimus deuiauit:sed in tantum se ac sua exposuit pro domus nostræ gloria dilatanda, quòd ẽt meipsum adhuc infantulum de brachiis rapuit genitricis, eius pias lacrymas paruipẽdens,& me simul cum toto patrimonio Florentinis fœneratoribus obligauit. A quibusdam accepit ad exercitum conducẽdum pecuniam, vt rebelles ecclesiæ Romanæ in Marchia Anconitana &in Apulia expugnaret,de quibus diuina gratia fauente strenuè triumphauit.Ego autem patris mei ac fratris vestigia imitatione digna,pro virib. subsequutus,pro defensione domus meæ ac omnium amicorũ,& pro S.ecclesiæ Romanę honore,quam conabatur iniquus Imp.in miserabilem redigere seruitutem,me audacter exposui,magnis laboribus & periculis infinitis. Nec amor filij mei vnigeniti me à proposito reuocauit:sed communem vtilitatem præferens speciali,expedire potiùs iudicaui ipsum solùm periclitari,quàm oppressionem totius ecclesiæ & omnium amicorum mortem & exterminium tolerare. Dominus autem in quo fuit spes mea à iuuentute mea,& in quem iactaui semper meum cum fiducia cogitatum, me à periculis maximis liberauit,& mei cordis tristitiam misericorditer subleuando, mihi pro dilecto filio contra spem omnium,nepos dilectissime,te donauit. Viriliter itaq; age fili mi,& cor tuum in Deo principaliter confortetur,consequenter etiam in auxilio fidelium amicorum:& sic eris in cunctis prosperè agẽs,& piissimus dominus in te supplebit per gratiam quod in tenera ætate nequiueris adimplere. Hæc itaq; verba,quę dum sospes eram solebam tibi fili Obizo,prolixiùs enarrare,nunc breuiter comprehẽdi, vt ista mea vltima commonitio menti tuæ altiùs imprimatur: vt cognoscas quid post meum discessum vitare debeas,quid amplecti.

Exhortatio Azonis moribunda, ad nepotem hæredem.

Igitur cum his & aliis huiusmodi dictis catholicus Marchio, firmissima columna ecclesiæ, ac turris fortitudinis contra faciem tyrannorũ,tutumq; refugiũ & dulce vmbraculum amicorum,domestica negocia præcauens in futurum prouidè ordinasset, susceptis deuotissimè ecclesiasticis sacramentis, die XIII exeuntis Februarij, ætatis suæ quinquagesimo octauo anno,in ciuitate Ferrariæ, nocte dominicæ dici,via

Azonis Estensis obitus.

est vniuersæ carnis ingressus: cuius corpus cum fletu & planctu maximo in prædicta ciuitate est traditum sepulturæ, nihilq; pertinens ad honorem tam magnifici principis fuit in pompa funeris prætermissum.

De apparitione cometæ, & obitu Vrbani papæ, & electione Clementis papæ.

INSEQVENTI æstate post prædicta, stella terribilis, quæ dicitur Cometa, cum magno fulgore apparuit, & in confinio Aquilonis & Orientis habens principium sui ortus, versus occidentem suos minaces radios dirigebat. Cuius apparitio incœpit in Iulio, durauitq; vsq; ad principium mensis Octobris. Cursu itaq; predicti syderis consummato, Vrbanus papa quartus, cum tribus annis & vno mense, & tribus diebus B. Petri nauiculã in fluctibus huius procellosi seculi gubernasset, apud Parisios de medio est sublatus. Post cuius obitum quatuor mensibus & quinq; diebus elapsis, Cardinales papam Clementem quartum concorditer elegerunt.

Clemens 4. papa.

De rege Angliæ à principibus suis capto.

TEMPORIBVS istis nefandum præsumptionis scelus est in regno Angliæ perpetratum. Principes namq; Britanniæ facta conspiratione in regem suum manus impias iniecerunt, & ipsum simul cũ filiis & fratre suo comite Ricardo, in custodiam posuerunt. Fama itaq; tanti facinoris cùm ad aures summi pontificis peruenisset: Legatum protinus à latere suo in Angliam destinauit. Sed & Ludouicus rex Frãcorum tam naturali pietate quàm precibus vxoris, quæ soror erat reginæ Anglorum, super calamitate regis Angliæ ad misericordiam inclinatus, pro compositione inter prædictum regem & Principes faciendam, magnificè laborauit. Qualiter autem inter prædictos reges affinitas est contracta, breuiter duximus declarandum.

Raimundi Prouincia comitis liberi.

Raimundus nobilis comes Prouinciæ masculum post se filium non reliquit, sed quatuor filias habuit generosas, quas elegantia formæ ac morũ grata suauitas ita reddidit gratiosas, quòd ad legitimos illustrium regum amplexus accedere meruerunt. Quarum duæ regi Franciæ & eius fratri Carolo sunt matrimoniali fœdere copulatę: dictusq; Carolus pro dote vxoris obtinuit Prouinciæ comitatum. Aliæ verò duæ regi Angliæ ac eius fratri, comiti sc. Ricardo coniugali vinculo sunt astrictę. Et sic occasione istius affinitatis inter duo prædicta regna quædam amicitia est exorta, quæ inter se antiquitus discordiam habuerunt.

De Saracenis, qui ex Africa in Hispaniam transiuerunt.

EODEM anno, de consilio pessimi Saraceni, regis videlicet Granatæ, tributarij regis Castellę, maximus exercitus Saracenorum ex Africa in Hispaniã subitò transfretauit, multisq; Christianis peremptis, loca plurima in finibus Hispaniæ occupauit. Ad quorum impetum reprimendum, magnificus rex Castellæ cum exercitu valido perrexit Sibiliam festinanter, commissoq; frequenti prælio magnam de Saracenis multitudinem interfecit: & (quòd varius est euentus bellorum) de Hispanis etiam plurimi ceciderunt.

De aduentu regis Caroli in Italiam.

ANNO Domini M.C.C.LXV, cùm per decennium princeps Manfredus supra memoratus Romanam ecclesiam & eius fideles per se ac suos sequaces fermè in tota Italia grauiter afflixisset: summus Pontifex de consilio Cardinalium, catholicum principem Carolum comitem Prouinciæ, fratrem videlicet Christianissimi Ludouici regis Franciæ, & Alphonsi illustrissimi comitis Tholosani, ad suscipiendam coronam regni, exoratoriis literis inuitauit. At ille, vtpote vir strenuus & magnanimus cupiens ecclesiæ in tantis angustiis subuenire, & opulentissimi regni dominium obtinere: assensum præbuit apostolicæ voluntati: & ad aggrediendum tam arduum negotium incœpit se magnificè præparare. Eo etiam tempore Romani multis dissensionibus & bellis ciuilibus conquassati, sperantes per tam potentem virum in viam pacis & semitis dirigi æquitatis, ipsum elegerunt in suum perpetuum Senatorem. Quod officium

Apulia regnum Carolo Prouincia comitis à pontifice traditur.

cium gratanter excepit, & ad regimen vrbis Romanæ vicarium suum cum cohorte militum protinus destinauit. Tunc temporis Mediolanenses cum amicis ecclesiæ ad recipiendum illustrem comitē Carolum, se viriliter pręparauerunt. Econtra Cremonenses cum amicis suis, Manfredi rupti pecunia, iter comitis ad vrbem Romanā impedire modis omnibus conabantur. Comes autem perficiendi velociter opus incœptum desiderio inflammatus, sciens, quòd mora trahit ad se periculum, & quod varietas temporum mutationem inducit aliquando animorum: cum electa manu militum de partibus Gallię per mare Tyrrhenum ad Romanum portum peruenit: primo scilicet anno pontificatus beati papæ Clementis. Ad cuius aduentum Romani mirabiliter sunt gauisi, eiq; obuiam vnanimiter procedentes, ipsum in vrbem cum triumphali gloria, honore regio deduxerunt. *Carolus Apuliam occupaturus Romam venit.*

His auditis, Manfredus obstupuit vehementer, videns nouum regem gradatim ad profectum venire, & res ei prospere ad vota succedere: pariterq; considerans magnum sibi periculum imminere, si robur exercitus venientis in eius auxilium expectaret: cœpit modis omnibus nobilissimo principi insidias præparare, sollicitè procurando tam per Asassinos, quàm per alios sceleratos, quibus dona præcipua promittebat, vt gladio vel veneno auferret de medio ecclesiæ defensorem. Sed quum videret frustra se insidiarū retia relaxare, deuotum principem Domino protegente: immensas acies militum in fines cœpit infundere Romanorum, vt importunitate ostētationis suæ potentiæ, illustre prælium prouocaret. At princeps circumspectus insidias tyranni prudenter videbat, & eius insultus armis quādoq; strenuè cohibebat: siquidem secum in vrbe Romana non magnā fidelium militum quantitatem habebat. Non enim perfectè confidebat de militia Romanorum: quòd plures illorū munera tyranni accipere cōsueti: & ideò prudenter differebat in aperto campo cum paucis militibus occurrere infinitis, ne incautè se bellorum discrimini exponendo, sibi perniciem acquireret, & causam præberet hostibus triumphandi. Expectabat autem animo scienti exercitum sibi de Frācia & aliis Galliarum partibus repromissum. Quatuor itaq; mensibus elapsis ab eius ingressu in Italiam, sua nobilissima vxor cum multis ad Romanum portum applicuit, & inde in Vrbem, cum ingenti gloria est deducta. Posthęc in eodem anno exercitus magnus Francorum, habens introitum per Sabaudiam, in media hyeme transiuit per mediam Lombardiam, fidelibus ecclesiæ victualia exercitui exhibentibus copiosè: inimicis verò non audentibus comparere: & circa festum natiuitatis Domini ad vrbem Romanam peruenit, vbi eos rex Carolus cum summo desiderio expectabat. *Francorum exercitus in Italiam.*

De pace Brixiensium inter se.

His temporibus Brixienses pacem inter se fecerunt, & à dominio Marchionis Palauicini & Cremonensium recedentes, Mediolanensibus & Bergomensibus & Mantuanis ecclesiæ fidelibus adhæserunt. Tunc Cremonenses munitissima castra Brixiensium iuxta flumen Olei constituta, scilicet Caneum, Pontem vicum, Quintianum & Vrceos, quę in suam redegerant potestatem, suos in eis ponendo custodes, funditùs subuerterunt.

Qualiter rex Carolus regnum Siciliæ obtinuit, & Manfredum occidit.

Anno Domini M.CC.LXVI, postquam rex Carolus vidit se Francorū principum presentia & Gallicana militia roboratū, mouit exercitum suum ab vrbe Roma, & in manu forti arripuit iter ad regnum Siciliæ obtinendum. Trāsiuit itaq; flumen Ceperani, & in primo impetu ciuitatem S. Germani obtinuit, deuictis militib. & fugatis.

Eodem tempore quidam magnates Apuliæ à principe recedentes, regi Carolo adhæserunt. Princeps aūt Manfredus accepto gustu audaciæ militię Gallicanæ, suorū quoq; magnatū inopinata inconstantia, doluit vehemēter: statimq; per vniuersas partes regni nuncios destinauit, præcipiendo, vt oēs milites & viri bellatores, qui erant in locis opportunis ad custodiā constituti, ptinus ad eū apud Capuā conuenirent. Existimabat n. se ibidē posse regis impetū cohibere, maximè propter pfunditatē fluuij secus Capuā cōmeantis. Rex aūt mouit, peinctū versus Capuā festināter: sed cū percepisset, q; iuxta Capuā fluuius erat innumerabilis: lōgè superius à Capua dictū fluuiū ptrāsiuit.

Princeps autem cùm de regis transitu cognouisset, videns se viribus imparē, nondum suo exercitu congregato, versus Beneuentum, dimissa Cāpua, properauit. Habebat autem secum præter milites Teutonicos, Catalaunos, Lōbardos, Tuscos, & innumerabiles Saracenos. Nā quòd manu larga thesauros auri & argenti militibus ad se confluentibus effundebat, viri bellicosi ad eum tanquam ad magnificum principem vndiq; concurrebant, interdictum & excōmunicationem ecclesię penitus contemnentes. Et quòd rectoris ad exemplum subditi componuntur, omnes qui eius parebant imperio, ita erant ipsius impiis operibus conformati, quòd licet Christiani nomine dicerentur, voluntate tamen & opere censeri poterant Saraceni. Vnde iusto Dei iudicio ipse tyrannus & omnes impietati eius fauentes, in vno campo simul sunt collecti, vt pariter punirentur, quos idem facinus & intentio pestifera inquinabat.

Pugna inter Manfredum & Carolum Andrensium.

Rex itaq; Carolus, cùm audisset principem de Cāpua recessisse, existimans eum fugere, insequutus est eius vestigia, inuenitq; ipsum cum exercitu magno in planitie Beneuenti ad præliandum magnificè præparatum. Cùm igitur mutuis aspectibus vterq; exercitus cominus se vidisset, milites principis cognoscentes regis exercitum labore itineris fatigatum, cum clamore valido incœperunt Francigenas ad prælium prouocare. Rex itaq; confestim suos principes ad consilium prouocauit, & cūctorum est iudicio definitum, bellum esse minime differēdum, quod cum tanta clamoris importunitate aduersarij postulabant. Ex belli namq; dilatione duplex regi videbatur accidere nocumentum, quòd inde sc. hostes audaciam assumebant, & quòd exercitus eorum quotidie augebatur. Tunc rex prouidus diligenter suas acies præparauit: in cuius exercitu præter Francigenas erant multi milites Italici, Campanici & Romani. Similiter & princeps duxit suas acies ex aduerso, ponens ex latere multitudinem Sarracenorum, quòd sagittis aduersarios stimularent. Cumq; primæ acies ex vtraq; parte ad prælium processissent & viriliter dimicarent, & hinc & inde multi caderent vulnerati. Rex de sublimi equo prospiciens, vidit milites suos ferè ab hostium multitudine superari. Tunc omnipotentis auxilio inuocato, cum sua terribili acie irruit super hostes, quasi impetus tempestatis: Domino verò auxiliante, cui facile est in manibus paucorum concludere infinitas acies principis, terga verterunt, & tanta multitudo de ipsius exercitu est prostrata, quòd campum celabant oculis corpora occisorum, multi etiam principes & milites sunt capti: reliqui verò sunt in fugam cōuersi, amissa omni fiducia resistendi. Ibidem etiam ipse princeps Manfredus occubuit, hostium gladiis interfectus: cuius corpus in capite pontis Beneuenti rex Carolus fecit honorificè sepeliri. Vxor autem eius, quæ filia erat Cumani principis Græcorum, capta fuit, dum anxiè disponeret, audita morte mariti, cum suis filiis in Græciam transfretare. Et cùm fuisset hoc regi Carolo nuntiatum, fecit eam simul cum filiis in quodam castro recludi, & ibidem cum diligentia custoditi.

Manfredus Apulię princeps occubit.

Post diuulgationem itaq; istius victoriæ triumphalis, Cremonenses ad obedientiam Romanæ ecclesię reuertentes, legatos apostolici humiliter susceperunt, & durissimū Vberti Palauicini iugum à suis ceruicibus excutientes, eum exire de finibus suis coëgerunt: & sic pars extrinseca Cremonensium ad propria est reuersa. Tunc prædictus tyrannus, qui habuerat dominium Cremonæ, Mediolani, Brixiæ, Placentiæ, Papiæ & Dertonæ nec non Alexandriæ, secessit ad quædam castra in montibus constituta, ibiq; suam constituit mansionem.

Qualiter rex Carolus rebelles in Tuscia expugnauit.

Anno Domini m. cc. lxvii, rex Carolus regno subacto Siciliæ venit Viterbiū, ad reuocandum Papam Clementem, & ibidem est ab eo vicarius imperij constitutus. Cuius mandata cæteræ ciuitates Tusciæ humiliter receperūt: Pisani verò & Senenses, burgenses quoq; Podij Bonici, præcepta summi pōtificis & regis penitus contempserunt. Tunc contra prædictos rebelles rex catholicus mouit procinctū: Senensium districtum vastauit. Castrum aūt Podij bonici, in quo de tota Tuscia inclusa erat militum rebellium multitudo, lōga obsidione deuicit. Posthæc Pisanos in sua duritia persistentes, in manu valida est aggressus, eorum portum succendit, turres euertit & in mare proiecit, omnesq; fines Pisanorum circumiens, villas, castra & omnia eorum bona penitus dissipauit.

De

De aduentu Conradini ex Alemannia.

CVM prædicta in partibus Tuſcię agerentur, Conradinus filius regis Conradi, Romanorum, Piſanorum, Senenſium, Papienſium & Veronenſium literis & nũciis excitatus, ad recuperandum paternum regnum cœpit cordis deſiderium ardẽtiſſimè applicare. Tunc principes Alemannię, de quorum amicitia cõfidebat, ad colloquium inuitauit: & poſt multa hinc & inde propoſita, eſt tandem maiorũ conſilio definitum, quòd ipſe ſine mora deberet in Italiam proficiſci. Protinus egregius adoleſcens cum auxilio amicorum exercitum congregauit, deſcendensq; de Alemannia venit Veronam, comitantibus eum duce Bauariæ auunculo ſuo, comite de Tiraulo, qui matrem ipſius duxerat in vxorem. Manſit itaq; Veronæ tribus menſibus, nihil viriliter agens, quòd nec commodum amicis tulit, nec damnum intulit inimicis. In prædicto igitur ſpacio temporis, præ defectu pecuniæ venditis equis & armis, magna pars exercitus ad propria remeauit. Similiter dux Bauariæ ac comes de Tiraulo ipſo relicto ad ſedes proprias ſunt reuerſi. *Conradini Sueui in Italiam expeditio.*

Fama itaq; de aduentu Conradini in Apuliam diſcurrente, Saraceni habitantes in Nuceria rumore huiuſmodi confortati, quòd grauiter Francorum dominium tolerabant: cœperunt contra Francigenas rebellare, regionem circa ſe poſitam crudeliter deprædantes. Accidit etiam Carolo tunc temporis alia peſtis bellica improuiſa. Nam Fridericus iuuenis animoſus, frater regis Caſtellę & illuſtris Henrici ſenatoris Romanorum, cum nauali exercitu Siciliam introiuit, & quædam loca munita per tyrannidem occupauit. Eo verò tempore rex in Tuſcia rebelles fortiter impugnabat: & tempore illo vxor regis apud Neapolim diem clauſit extremum.

Qualiter Conradinus de Verona perrexit Papiam.

ANNO Domini, M.CC.LXVIII, illuſtris Conradinus exiens de Verona cum electa manu militum, fluuium Mintianum & Oleum tranſuadauit, & per diſtrictũ Cremonæ Papiam perrexit, nullo audente ipſius tranſitum impedire, licet tota Lombardia, præter Veronam & Papiam, fauere regi Carolo videretur. Cumq; in ciuitate Papiæ moram aliquot menſibus traxiſſet, tandem cum auxilio Papienſiũ ad terras Marchionis Careti trãſiuit, ibiq; in mari Tyrrheno Piſanorum nauibus præparatis, nauem conſcendit, & ad Piſanum portum proſpero curſu peruenit. De iſto itaq; lubrico curſu Conradini homines mirabantur. Multi quoq; eius egreſſum & progreſſum in reprehenſionẽ regis Caroli, mitis laudibus extollebant. Sed Deus omnipotens, qui vſq; in tertiam & quartam generationem viſitat iniquitatem patrum in filiis imitantibus malos patres, aliter quàm putabant homines, de adoleſcentulo diſponebat.

Qualiter rex Carolus Conradinum & Romanos graui periculo ſuperauit.

CVM igitur famæ teſtimonio Conradinum veniſſe Piſas, fuiſſet per Italiam declaratum, de Lombardia, Tuſcia & aliis regionibus confluxit ad eum militum maxima multitudo, qui potentiam regis Caroli deprimere, & Conradinũ ſublimare pro viribus affectabant. In illis diebus circa Paſcha rex dimiſſo Marſchalco cum militia in Tuſcia, in Apuliam eſt reuerſus, & Saracenorum diſcurſum, ædificatis circa Nuceriam munitionibus, coarctauit.

Poſt regis itaq; diſceſſum inſurrexit Conradinus contra Lucanos, eorumq; diſtrictum vaſtauit, & Mareſchalcum ſibi cum regis militia occurrentẽ, ſtrenuè ſuperauit.

Eodem tẽpore illuſtris Henricus, frater regis Caſtellæ, fungebatur in vrbe honore Senatoriæ dignitatis. Iſte tanto ſuperbiæ ſpiritu erat plenus, quòd etiam dominium fratris ſui regis Caſtellæ, nullo modo poterat ſuſtinere. Vnde relicta Hiſpania, vagabundus per diuerſas prouincias diſcurrebat. Deniq; cum in præcedenti tempore Romanam curiam pro ſuis negotiis viſitaſſet, Romani tunc eum in Senatorem elegerũt. Licet igitur iſte conſanguineus regis Caroli eſſet, quòd pater ſuus frater fuerat matris regis: ex certis tamen ſimultatibus inter eos, modis omnibus exaltationem Conradini, & regis interitum procurabat. Conſilio itaq; iſtius acquiſierat partem maximã Romanorum, odientium regem: hac de cauſſa, quòd theſauros argenti & auri manu largiflua eis minime tribuebat. Quid plura? Senator prædictus & Romani Conradinum *Henricus, Caſtellæ regis frater, Carolo infeſtus.*

cum ſuo exercitu conuocantes, ipſum in Vrbem contra mandatum ſummi Pontificis induxerunt. Firmata itaque coniuratione inter eos, vnanimiter contra regem Carolum præliaturi egreſſi ſunt ex vrbe, Conradinus cum ſuo exercitu, & Senator cum eo cum multitudine militum & peditum Romanorum, & verſus Apuliam properãtes, caſtra non longè à ciuitate Aquila poſuerũt. Rex autem in eorum occurſum cum exercitu valido properauit, & nona die exeuntis Auguſti in campo Palẽtino direxit triplicem aciem contra eos. Similiter aduerſarij de ſua multitudine confidentes, contra regem ſuas acies direxerunt: commiſſumq; eſt bellum lachrymabile & horrẽdum, in quo proh dolor multus ex vtraq; parte ſanguis hominũ eſt effuſus. In primò namq; belli congreſſu duæ regis acies terribili hoſtium impetu ſunt proſtratæ pariter & fugatæ, occiſo crudeliter Mareſcalco, quem propter ſtrenuitatem perſonæ ac ornatum armorum eſſe regem Carolum exiſtimabant. Iamq; milites Conradini, quaſi ſecuri de victoria ad inuadendum ſaumarios & detinenda occiſorum ſpolia inſiſtebant.

Prælium inter Conradinum & Carolum Andouinũ.

Rex autem catholicus imminente tanto diſcrimine pugnæ, audire deuotè Miſſæ officium non omiſit. Quo completo, videns militum ſuorum ruinam, ex intimo cordis affectu inuocauit Dominum prodigia facientem, & B. Virginem, de cuius auxilio (ſicut ipſe poſtmodum eſt teſtatus) plurimùm confidebat, exclamans voce viuifica, hortatus eſt militiam ſuam, dicens: O nobilis militia Franciæ, cui ab antiquis temporibus diuina potentia contulit gratiam ſpecialem triumphandi de inimicis eccleſiæ ac nominis Chriſtiani: nunc incumbit vobis maxima cauſſa, contra inimicos eccleſiæ præliandi, vt noſtrorum nobilium prædeceſſorum veſtigia imitantes, qui pro defenſione Chriſtianitatis pericula grauia pertulerunt, genti noſtræ laudem & gloriam acquiramus. Et ſi fortè à diuina proceſſerit volũtate, quòd in iſto prælio moriamur, non contriſtemur ſicut illi, qui ſpem non habent: quòd cœlorum regnũ obtinebimus pro mercede. Si verò ſicut ſtrenui bellatores non deficiamus à noſtrorum maiorum virtute, victoriam fuerimus conſequuti, ex hoc ſubſequentur nos bellorũ maxima merces, gloria ſcilicet triumphalis, & fama probitatis, longo tempore duratura.

Caroli Galli victoria.

Poſtquam his & huiuſcemodi verbis multum animos inflammauit, cum regali acie terribiliter ordinata, more Leonis ad nullius pauentis occurſum, cum impetu irruit ſuper hoſtes, & ex eorum multitudine multa millia virorum mira virtute proſtrauit, victricem manum ſuam Domino apponente: vniuerſos verò in præcipitẽ fugam conuertit. Capta eſt aũt magna multitudo: inter quos ſimul cum Senatore capti ſunt plurimi principes, & viri nobiles, & potẽtes. Proditores etiam quamplures capti ſunt, qui regem deſeruerant, & adhæſerant Conradino. Hos omnes transfugas regia ſeueritas fecit ſubire ſententiam capitalem. Conradinus verò fugiens: de bello quidem euaſit: ſed dum de loco ad locum tremebundus tranſiret: deficiente ſibi conſilio euadendi, tandem incidit in manus quorundam ciuium Romanorum, qui pro immenſa pecuniæ quantitate ipſum regi potentiſſimo tradiderunt. Rex autem excepit illũ gaudens, ipſumq; fecit cum ſumma diligentia cuſtodiri. Paucis itaq; diebus poſt bellum tranſactum, ingreſſus eſt Romã magnificus triumphator, & acclamante populo Romano ſuſcepit lætanter Senatoriam dignitatem. Conſtituto itaq; pro ſe in Vrbe vicario, & rebus proſperè ordinatis, in Apuliam eſt reuerſus, & poſt aliquot dies nobilem & pulcherrimum Conradinum, & coætaneum eius ducem ſcilicet Auſtriæ, qui venerat cum eo de Alemannia, iuſſit apud Neapolim publicè decollari.

Ducis Conradini factum.

Iſtis temporibus filia ducis Burgundiæ præfato regi eſt matrimoniali fœdere copulata.

Eodem etiam tempore venerabilis papa Clemens, cum tribus annis & nouem menſibus, & viginti quatuor diebus Romanam eccleſiam feliciter gubernaſſet, apud Viterbium migrauit ad Dominum, die tertio exeuntis Nouembris.

Eodem temporis curriculo, quarto ſc. die intrantis Nouembris, circa mediam noctem fuit maximus terræmotus.

Qualiter Saraceni cum Tartaris pugnauerunt, & qualiter Bethogar ſuum dominum interfecit.

CVm prædicta fierent inter Chriſtianos in partibus Occidentis, ferociſſima gens Tartarorum poſt victoriam Orientis, irruit ſuper Saracenos, vaſtauitq; Arabiam,

biam, Syriam, ac Palæstinam, nulli ætati parcentes vsque ad fines Ægypti: occisis Soldanis Damasci, Alapij, & Camellæ. Tantus autem terror istas nationes inuasit, quod potentissimus Soldanus Iconij, & rex Armeniæ minoris, & princeps Antiochiæ multitudini eorum resistere non audentes, ipsorum se dominio subdiderunt, magnum tributum reddere promittentes. Solus igitur Soldanus Babylonis ad resistendū Tartaris se magnificè præparauit. Exiuit itaq; de Ægypto in manu valida, secum habens ferè ccc millia equitum, & per desertum venit Gazaram, quæ est in finibus Palæstinæ: commisitq; prælium cum Tartaris qui remanserant in Syria, & eos viriliter superauit: nec destitit persequi fugientes, donec eos de Syria coëgit exire, & trans flumen Euphratem, vnde venerāt, remeare. Tunc Saraceni, qui à facie Tartarorum fugerant ad deserta, ad sedes proprias sunt reuersi.

Soldanus Ægyptius Scythas Syriæ pellit.

Post fugam itaq; Tartarorum cùm Soldanus reuerteretur in Ægyptum cum exercitu, relictis militibus in munitionibus opportunis, & distaret diebus quatuor à Babylone, perrexit quadam die venatum. Et dum milites eius caussa venationis discurrerent huc & illuc, & illustris quidam princeps Soldani, nomine Bethogar, qui aspirabat ad regiam dignitatem, videns Soldanum cum paucis militibus remansisse, eum protinus cum suis satellitibus aggrediens, interfecit: statimq; cum sua militia properās Babylonem & ad Cairum, Babylonis regnum obtinuit violenter, sibi resistentibus interfectis: habuitq; sub sua potestate præter regnum Ægypti, Arabiam & Syriam vsque ad flumen Euphratem, in quibus prouinciis ante aduentum Tartarorum plures Soldani solebant regna ditissima possidere. His itaq; parratis, non fuit perfidus Bethogar contentus prædictarum dominio regionum: sed ad expugnandos Christianos totius potentiæ suæ vires conuertit: congregansq; exercitum copiosum, expugnauit ciuitates Christianorum, & castra fortissima Templatiorum & Hospitaliorū. Insuper gloriosam ciuitatem Antiochiam instanter bellando abstulit Christianis: tantamq; stragem fecit de Christianis, quāta non fuit perpetrata à tempore maximi Soldani. Vltra verò flumen Euphratem super Orientalia regna Parthorum, Assyriorum, Chaldæorum, Persarum & Medorum, & aliarum prouinciarum Tartari imperabant, interfectis regibus & principibus & subuersis vrbibus, quæ sibi resistere conabantur. Nam & ciuitatem Baldach inclytam & maximā inuaserunt, quę super Tigrim constituta est, de ruinis antiquissimæ Babylonis. In hac Calippus regnabat, quem reuerebantur Saraceni, vt Romanum pontificem Christiani. Hunc Tartari morte turpissima occiderunt, & cum eo Saracenorum multitudinem infinitam.

Sultanus dolosè interficitur.

Bethogar regnū Ægyptij inuasor, Christianos Syria eiecit.

Baldach ciuitas.

Qualiter rex Carolus obtinuit Nuceriam.

ANno Domini m. cc. lxix, post longam obsidionem rex Carolus obtinuit Nuceriam rebellantem. Nam deficientibus victualibus Saraceni attenuati fame, ciuitatem & seipsos regis dominio tradiderunt. Rex autem euertit mœnia ciuitatis & Christianos rebelles, qui transfugerant ad Saracenos, & persuasione sua eos firmauerant in pertinacia rebellandi, gladio interfecit: Illam verò multitudinem infidelium regalis prouidentia ita diuidere procurauit, quòd audaciam resistendi penitus amiserūt. Quidā autem ex eis errore infidelitatis relicto, baptismi gratiam humiliter receperūt.

His etiam temporibus Pisani & Senenses frequenti hostium insultatione afflicti, se ac sua iugo regalis potentiæ subdiderunt.

Quòd principes Occidentis in Africam transierunt.

ANno Domini m. cc. lxx, post lacrymosam cladem Christianorum, in partibus trāsmarinis à Soldano Babylonis crudeliter perpetratam, cum Romana esset ecclesia, propter discordiam Cardinaliū, tunc pastoris regimine destituta: tandē cōmati reges & principes Occidentis, sc. Frāciæ catholicus Ludouicus, Carolus rex Nauarrę & filius regis Angliæ inclytus Odoardus pparauerunt se magnificè, ad transfretandū in subsidiū terrę sanctæ. Cōi itaq; consilio primò aggrediendi regem Tunicij ditissimū disponētes, cū exercitu valido & multitudine nauiū copiosa in Africā trāsiuerūt. Cūq; rex Fran. primitus applicuisset ad munitū portū fortissimę Carthaginis, quæ est portus Africæ, & Saracenorum præsidiū singulare, viriliter Carthaginē expugnauit, occisis

Christianorum in Syriam expeditio.

Saracenis pariter & fugatis. Post victoriam itaq; Carthaginis, lues repentina ex corruptione aëris & aquarum exercitum Francorum inuasit: multiq; principes, & milites, & populares morbo dysenteriæ perierunt. Vnus etiam de filiis regis tunc temporis letali valetudine oppressus, de medio est sublatus. Post mortem itaq; dilecti filij, protinus rex deuotissimus dysenteriæ morbo correptus, videns diem sibi vltimum imminere, negotiis regni & exercitus congruè ordinatis, & effusis precibus lachrymosis coram populo ibidem congregato, sanctificatus viam est vniuersæ carnis ingressus.

Ludouici Galliæ regis mors.

Post obitum benignissimi regis, filius eius Philippus, qui erat in castris cum patre, regni Franciæ obtinuit diadema: rex autem Cardus, post regis obitum, capitaneus exercitus constitutus est. Rex nouus illustris Philippus & rex Nauarræ mouentes à Carthagine, audaciter exercitum ante muros Tunicij perduxerunt: Saracenis, qui de totius Africæ partibus conuenerant in auxilium ciuitatis, terga vertentibus, tentoriis & tuguriis in campo cum omni supellectile derelictis. Adhuc nondum cum exercitu suo aduenerat clarissimus Odoardus. Rex autem Tunicensis considerans multitudinem Africanorum nullo modo posse sustinere impetum populi Christiani, nimio timore territus, compositionem pacis à regibus postulabat. Reges autem tum propter difficultatem vrbem munitissimam capiendi, tum propter pestilentiam mortalitatis, quę vehementer exercitum affligebat, tale pactum cũ rege Tunicij pepigerunt: quòd ipse persolueret regibus omnes transfretationis expensas, & tributum redderet regi Carolo & filiis suis, quod ipse solebat persoluere magno principi Federico. Super hoc additum est in pacto, quòd quandiu erit bellum contra Saracenos in partibus transmarinis, dare stipendia tribus millibus militum teneatur. Rex itaq; ditissimus hæc & alia, quæ reges Christiani petierunt, facere compromisit, & apertis thesauris suis, protinus opere adimpleuit.

Tunetum à Christianis obsessum.

Dum hæc agerentur applicuit ad portum Carthaginis in classe maxima probissimus Odoardus. Postquam verò fuerunt pacis fœdera celebrata, exercitus in Siciliam remeauit: sed vento vehementi contrario existente, in portu Trapani naues plurimæ sunt confractæ, in quibus magna militum multitudo est submersa.

FINIS.

RERVM

RERVM ET VERBORVM,

QVÆ IN HOC PRIMO GERMANIÆ HISTORICORVM TOMO MEMORABILIA AVT ALIOquin notatu digna occurrunt, INDEX.

A

Aaron rex Persarum 301,48
Abbas S. Iustinæ de Padua ab Ecelino capitur, inque carcere tenebroso includitur 591,51,52
Abbas S. Petri à Guibertinis Romæ captus 370,40
Abdua fluuius Mediolanensium & Cremonensium fines medius dirimit 495,2
Abortiui an resurrecturi 174,45
Abram multarum gentiũ futurus patriarcha 12,50. Eius de terra Chaldæorum exitus 12,50
Abrahami natiuitas 12,50. cũ Loth cõsobrino suo in terra Chanaan habitatio 13,46. signum circumcisionis accipit 14,11. centũ septuaginta quinque annorum moritur 14,32
Accaron vnicum & speciale Christianorum refugium 212,13. obsidetur 216,10. capitur ibid.28
Accaronica militia 215,49
Acconitana ciuitas, antiquitus Ptolemaida dicta 603,16
Aceruus, ex ossibus mortuorum compactus 136,23
Achatades secundum Eusebium Ascades rex Assyriorum 23,46
Achon ciuitas, quæ & Ptolemaida 442,34
Acta & decreta synodalia 356,13
Adalbertus Comes de Nellenburg 377,1
Adalbertus Bremensis archiepiscopus obiit 345,5
Adalbero Witceburgensis episcopus moritur 304,4
Adalheida Taurinensis comitissa moritur 366,39
Adalbertus comes in Kalwe moritur 372,31.
Adam qualiter de paradiso eiectus 9,20
Adam Eboracensis abbas, vir religiosus Saxones sacram militiam profiteri persuadet 429,49. 430,12
Adam de paruo ponte Parisiensis ecclesiæ canonicus, testis aduersum Portetanum adducitur 436,42
Adelgisius Beneuentorum rex 120,39
Adolescentes quodam sodalitatis glutino inter se vincti sunt 387,43
Adrianus Ælius 66,39. pater patriæ appellatur ibidem, 40. eius res gestæ 44,45
Adriani papæ legati ad Fridericum imperat. 408,30. iterum occasiones quærit aduersus Imperat. Fridericũ 516,36. Adriani papæ legati Cæsarem exacerbatum blandis verbis mitigant 490,10. reconciliatur cum Cæsare 491,10. expostulatoria ob non vindicatam contumeliam pontificis legatis illatam 481,53. ad Imperatorẽ responsiua 517,33. apud Anagniam moritur 531,51
Aer Romanus sub Sirio pestilens 465,23
Ægialeus primus Sicyoniorum rex 234,13
Ægyptus Syluius Latinorum rex septimus ante Vrbem conditam 160,47
Ælius Pertinax 69,23. a Iuliano iurisperito occisus 253,49
Æneas Latini regis filiam in vxorem ducit 19,45. graue ob hoc præliũ inter eum & Turnum ibidem,49. quo tempore regnauerit 21,5. vnde Syluius dictus 23
Æmilianus Moguntiç necatur 73,18
Æmulatio Christianorum pernicioſa 221,12
Æstatis siccitas Friderici rebus commoda 504,37
Ætas prima nascentis mundi 231,41
Ætas secunda mundi pubescentis 233,6
Ætas mundi tertia 234,20
Ætas mundi quarta 236,45
Ætas mundi quinta 239,31
Ætas mundi sexta 245,13
Africa tertia mundi pars 9,10. Africanum bellum, quo nunquam Romani maius perpessi sunt 40,5
Agaunum opidum super Rhodanum situm 75,18
Agesilaus pede claudus, sed manu fortis a Lacedæmoniis dux creatur 33,53
Aggæi prophetæ locus explicatus 31,8
Agnes Augusta 381,9. obitus 348,53
Agrigentum vrbs Siciliæ 40,24
Agrippa rex Albanorum 22,39
Agrippa Syluius Latinorum rex ante Vrbem conditam 160,51
Aimo Colonienſis episcopus moritur 346,16
Aistulfus Longobardorum rex 112,4
Alanus Parisiensis magister 219,48
Alaricus Gothorum rex, Romam cum suo exercitu inuadit 92,46. mors ibid. 48
Alba Syluius Latinorum rex sextus ante Vrbem conditam 160,46
Alba ciuitas a Syluio Æneæ condita 22,27. 512,32
Albertus Bambergensis comes fraude Hattonis capite plectitur 125,30,38
Albertus Moguntinus archiepiscopus 413,31
Albertus comes Tirolis 499,23. eius probitas ibid.31
Albertus Frisingensis episcopus Ottonem succedit 515,53
Alboinus rex Longobardorum, per insidias coniugis suæ apud Veronam ab armigero suo occiditur 280,40
Albricus de Romano frater Ecelini Taruisium relinquit, & ad castrum Zenonis cum vxore filiisque noctu confugit 608,25. imperatori rebellat 589,17. morte Ecelini perterritus ad fortissimum castrum S. Zenonis confugit 612,2. a Paduanis, Taruisinis & Vicentinis obsidetur, ibidem 3,4. eius miserabilis interitus ibid. 9. libido & crudelitas, ibidem 12,20,26. Ecelino fratri reconciliatur 605,41
Albricus de Lendenaria de proditione accusatur 591,53
Aldrenandinus Marchionis Estensis filius 582,50. mors 583,34
Alemanniæ nomen 412,46. in Alemannia multi ignes per aerem simul ferri visi 368,28. Alemanniæ episcoporum ad Adriani papæ epistolam responsio 486,43
Alestra Amazonum regina 36,19
Alexander Magnus totum Orientem armis aggreditur 35,31. traditoribus Darii regis quid promiserit 36,15. toxico petit ibid. 42. 604,19
Alexandri magni socii quo modo orbem diuiserint 37,5
Alexandri papæ electio 536,6. consecratio ibid. 52. in Viterbio ciuitate moritur 614,35
Alexander quartus pontifex Innocentio succedit 596,11
Alexandria conditur Alexandri Papæ nomine 208,17. obsidione cingitur ibid. 23. liberatur obsidione 40. Alexandriæ pecuniæ quantæ 55,47
Alexius Imperator perfidissimus cum Turcis fœdus init, ipsisq; Niceam, Christianorũ sanguine acquisitam, tradit 145,12
Alfonsus Hispaniæ rex Cluniacensium Mæcenas 370,3
Alienatio feudi prohibita 509,45
Allia fl. 33,32
Almaria ciuitas Hispaniæ sericorum pannorum opificio nobilissima 454,53
Altadas Assyriorum rex 23,40
Altmannus Patauiensis episcopus moritur 305,30
Alterationis transitus in S. scriptura diuersis modis dicitur 172,10
Altinatus, pons 599,18
Amanti nullus labor grauis 422,55
Amazones Ephesum condiderunt 18,30. Dianæ deæ templum fabricãt ibidem. Amazones cur dictæ 18,35. Asiæ & Europæ imperarunt ibid.23
ἀμνησία, malorum obliuio 211,20
Amulius Syluius Latinorum rex ante Vrbem conditam 160,55
Amynthas rex Athenienſis 18,43
Anachoritarum secessus 160,20
Anacletus Romanus pontifex 161,12
Anastasius imperator 101,52
Anastasius secundus imperator 109,47

Anastasius II.II Papa Eugenio papæ succedit 451,25
Anastasius papa moritur, cui Adrianus succedit, in ordine centesimus sexagesimus 198,41
Anatolius Constantinopolitanus episcopus 94,40
Ancona vrbs Italiæ obsidione cingitur 205,25
Ancus Martius Auentinum montem & Ianiculum Vrbi addidit 27,12. Romanorum rex 160,46
Andreæ Vngariæ regis nuptiæ cum Beatrice Marchionis Estensis filia 587,8
Andronicus Ephesæ ciuitatis conditor 236,81
Anglica perfidia 216,42
Angliæ rex Αὐτρῳ persoluto cuadit 217,55
Angliæ princeps a suis capitur,& custoditur 620,16
Anhaldini ducatu Saxonico potiuntur 209,54
Anicius Manlius Boëtius 101,32. eiusque scripta 35
Anima iusti sedes sapientiæ 177,32
Annius Tacitus imperator in Ponto necatur 74,9
Annulorum tres modii a Romanorum interfectorum nobilium manibus detracti 42,26
Annuum vectigal fisci regii auctum 509,12
Ansedilius ab Ecelino auunculo duriter, Padua capta, tractatur 600, 14. Padua fugatus, Vicetiam properat 599,18
Anselmus Lucensis ecclesiæ episcopus moritur 358,14
Anselmus Rauennæ metropolitanus ante Mediolanum defunctus est 516,14
Anselmus Mediolanẽsis episcopus moritur 370,10
Anselmus Rauennatensis archiepiscopus 460,46
Anselmus Hamelburgensis comes legatus ad Græciæ imperat. 451,49
Antenor Patauii conditor 19,21
Antheros Rom.pontifex 161,29
Anthemius hæreticus 103,47
Antichristus diuino iustinctu inualescet 169,31
Antichristi etymon 168, 31. doctrina & vita 170,8
Antiochia Syriæ metropolis a Christianis expugnata 141,14. Christianis eripitur 625,25. olim Reblata vocata 55,1
Anticlaudianus 219,51
Antimiacum 521,29
Antipapæ ad litis cognitionem a Friderico euocati 540,23
Antoninus Caracalla Roman. imperat. 261,24. dictus Caracalla propter genus vestis quod Romæ erogabat 254,26
Antoninus cognomento Pius 67,33
Antonius monachus clarus habetur 260,43. mors 261,42
Antonius Octauia Cæsaris sorore repudiata in Ægyptum se transfert, ibiq; Cleopatram Ægypti reginam ducit 54,26. Eius exercitus cæsus ibid.32. Cæsarem dum cerneret apropinquare, Alexandriæ gladio se interficit ibid.37
Apenninus mons, nunc mons Bardonis dictus 452,55
Apis Ægyptiorum idolum 15,39. Vide Serapis.
Apollo citharæ medicinæque inuentor 18,51
Apostolorum in omnes gentes diuisio 61,40,41,42
Apostolicus qui omnes in periculum impulerat, omnes in periculo deserit 383,28
Appius Claudus cæcus Romæ clarus habetur, qui aquam Claudiam induxit & viam Appiam strauit 242, 38
Apulia in fidem ab imperat. Friderico accipitur 466,27
Apuliæ exules terram suam recipiũt 466,28
Apuliæ regnum Carolo Prouinciæ comiti a pontifice traditur 620,48
Apuli apud Græcos arma circumferunt 426,30. Manfredo, a deuotione Romanæ ecclesiæ discedentes humiliter adhærent 596,18
Aquila ciuitas 624,5
Aquileia Venetiarum metropolis, in Adriatico sinu posita obsidione ab Atila Gothorum rege cingitur 95, 36
Aquileiẽsis patriarchæ ad Cremenses exhortatio de pace componenda 543,39
Aralius Assyriorum rex 23,35
Arbogastes Eugenium tyrannum imperat. constituit 264,26
Arcadius, Theodosii filius Imperator efficitur 263,45
Arcus Romanus turris in ciuitate Mediolanensi 499,54
Argentum castellum 376,49
Argus filius Apis regis, vnde Argiui dicti 15, 51. eo regnante Iacob patriarcha, annorum CXLVII mori tur ibid.53
Argiuorum regnum 14,37. ad Micenas translatum 18,47
Argiui cur Danai vocitati 17,12
Arelatum ciuitas 471,44. sedes regni Burgundiæ 483,27
Arelatense regnum 207,45
Aretha rex Arabiæ 59,19
Aremulus Syluius Latinorum rex ante Vrbem conditam 160,52
Arnaldus de Salẽhofen, submoto Henrico sedem Mogunt. occupat 570, 10. a seditiosis ciuibus mactatus 571,43
Arnaldus Moguntinensis archiepiscopus 469,36.470,40
Arnaldus abbas sanctæ Iustinæ 585, 45
Arnaldi abbatis S. Iustinæ mors 596, 31. signa mortem præcedentia ibid.31. quinquaginta dies ab eius obitu fratribus Minoribus fuit visus 597,9
Arnaldus Colonienſis archiepiscopus, ad omnia ecclesiastica & secularia negotia inutilis, moritur 445,44
Aricia ciuitas ab Henrico V solo æquatur 146,28
Aries nummo venditus 141,11
Arnispere, villa 222,51
Arius Assyriorum rex 23,34
Armamitres Assyriorum rex 23,37
Armeniorum ad pontificem legatio 157,7
Armis qui vigent his obedit victoria 501,25
Arnoldus Brixianus 422,28
Arnolfus Imperat. Otingæ sepelitur 124,53
Arnolphus Noricorum dux moritur 313. 13
Arrius hæreticus 82,37. eius interitus horrendus 83,26
Arrianorum improbitas 83,49
Arnulfus Brixiensis ἑτεροδιδάσκαλος 460, 53. Petro Abailardo præceptore vsus 461,4. Romæ igne crematur ibid.58
Ars fericaria in Italia 426,38
Artaxerxes idem qui Assuerus 33,27
Ascanius Æneæ filius Albam condit 236,30
Asdrubal Hannibalis frater a Pœnis in auxilium ei missus, Romanorum insidiis præuenitur 43,13. Eius caput fratri ante castra proiicitur ibidem 18
Asinum ad lyram vocare 387,36
Assur Noe nepos 12,30
Asta ciuitas in Subalpinis, crematur 435,53
Astasi Græcorum principis filia 616, 20
ἄσφαγον & ferreum filii pectus 389,35
Astrologia Eccleni vanissima comprobatur 529,47
Athaulphus Gothorum rex, sororem Honorii Placidiam, capta Roma, in matrimonium ducit 92,43
Attalus in Gallia tyrannidem exercet 266, 18. rex Hunnorum 94,47. eius clades 95,12. per Italiam furor 38. mors 96,30
Atlas Promethei frater 16,9
Atlantis ciuitas in insulam redacta 33,23
Athenæ a Cecrope rege conditæ 16, 25
Athenarum destructio 32,34
Athenienses quod honestum non esset id ne vtile quidem putant 32,46
Auctoritates quibus mortuorum resurrectio probatur 173,40
Auentinus Syluius Latinorum rex ante Vrbem conditam 160,53
Auentinus mons 22,31. vnde dictus 33,40
Auerona 488,41
Augusta Vindelicorũ 353,31. a Claudio Druso ædificata 56,18
Augustæ Vindelicorum generalis conuentus habetur 227,35
Augustus nunquam se dominum passus est vocari 56,45. Tiberium & Agrippã in filios adoptauit 247,7
Augusti nomen solis regibus Romanis debetur 56,1
Augustodunum 84,31
Augustini mors 94,10
Augustenses episcopum quem Henricus illis dedit expellunt 368,51
Aurea sæcula in Italia 1938
Aurelia Galliæ vrbs ab Aureliano condita 73,55
Aurelianus Romani imperii terminos instaurat 73,49. Eius res gestæ ibid. 50,51,52,53.
Aurelius Alexander Cæsar XXI 71,4
Auri sacra fames quid non mortalia cogis Pectora, 220,42.383,25.489, 47.603,8

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 136:Leibn. Marg. 136, Stück 1, [644] - -

Austria ducatus titulo decoratur 198, 53
Austrii prope Posoniũ cæsi 426,13
Azo marchio pater ducis Welphonis Bauariæ moritur 376,19. ab Ecelino & Monticulis Verona eiicitur 581,34. mors 582,48. liberi 50 Azonis Marchionis Estensis moribundi ad nepotem here dem exhortatio 619,28. eiusdem mors ibidem 55
Azo quintus Estensis 583,37

B

Babenbergensis ecclesia ex bonis Alberti comitis locupletata 125,43
Babenbergẽsis episcopi de electione Victoris papæ epistola 553,43
Babel turris 11,10
Babylonici regni ad Medos translatio 22,50,55
Babylonis ex Orosio descriptio 28, 48,49,50 & deinceps
Babylonia a Cyro destructa 25,5
Babylon noua 141,37
Baldalch vrbs ad Tigrim 141,25
Baldach, ciuitas supra Tigrim sita inuaditur a Sultano 625,30
Baldewinus rex Hierosolymorũ moritur 211,34
Balduinus Imperator capta vrbe Constantinopoli cum paruulis & mulieribus naues ascendit 615,23
Baleo rex Assyriorum 15,12
Baltha, Gothorum lingua quid significet 92,21
Bambergæ conuentus imperii habetur 152,18
Barra vrbs a Christianis capta 242, 9
Barum castrum 413,43
Basilea ab Vngaris destruitur 311,52
Basilides Alexandrinus hæreticus 67, 4. sectatores suos ad morem Pythagoricum, quinquennio silere, fidemque Christi persecutionis tempore negandam asseruit ibid. 6
Bauarus Friderico Sueuorum duci bellum mouet 416,30
Bauari prope Posonium fusi 427, 11
Bauaria Henrico Saxoniæ duci adiudicatur 452,6
Bausanum 468,39
Bausia vxor Constantii ab ipso interficitur 260,23
Baybæ turris 598, 36. obsidio 583, 29
Beatitudo sanctorum 191,51
Beatitudo sanctorum, visio conditoris sui 192,4
B. Antonii, de ordine fratrũ Minorum mors 386,30
Beatrix imperatrix moritur, Spiræque regalibus obsequiis sepelitur 210, 50. 529,32
Beatrix Aldrenandini Marchionis Estensis filia, Andreæ regi Vngariæ copulatur 587, 9. eius fuga 587,42
Beatrix, soror Friderici Marchionis, & vxor quondam Bertoldi moritur 367,55
Beatrix, Azonis marchionis soror, monialis deuota 618,5
Beatrix Azonis filia monialis pia 618, 4. moritur 619,2
B. Martini cœnobiũ prope Ferrariam 618,54
Bedæ obitus 110,50,
Beggelenheim castellum capitur 325 49
Belus Nini filius 10, 7. 12,10. Orientem totum pene imperio suo subiecit, ibidem. primus bella extulit ibidem.
Belus primus rex Assyriorum 23,28
Bela rex vngariæ 560, 24. bellum contra regem Boemiæ consanguineum suum de Austriç & Styriæ ducatu gerit 613, 53. eius exercitus 614,5
Belgica prouincia iuris imperii 127, 50
Bellepares Assyriorum rex 23,29
Bellochus Assyriorum rex 23,28
Belli sacri initium 140, 32. eius duces 40
Bellum Burgundicum 133, 44,50
Bellum Romanorum contra Tarentinos & Pyrrhum 38,50
Bellum inter Cretenses & Athenienses 18,2
Bella Romanorum cum Samnitibus 38,20
Belli sacri sub Vrbano papa successus 427,15
Belli Punici exordium 40,20
Belli Punici primi finis 41,44
Belli Punici secundi finis 43,47
Bella ciuilia per Italiam 155,30
Bella subita fortissimos quoque milites perturbant 603,45
Benedictus sextus papa 136, 14. post primum annum a Crescentio relegatus & strangulatus est 317,5
Benna, crux quędam ecclesiæ Moguntinensis 569,6
Beneficium vnde dictum 49,34
Beneuentum 622,2
Beneuenti concilium colligitur 364,28
Benignus Polycarpi discipulus martyrio coronatur 68,40
Beorgor rex Alanorum a Ricimere patricio victus interiit 271,3
Bernardus Italiæ rex 116,28
Bernhardus abbas Clareuallensis moritur 198,39
Bernardus Augiæ abbas moritur 329, 54
Berengarius Turoni in concilio generali damnatur 342, 14. palinodiam canit 349, 34. obitus 352, 47
Berengarius de Sultzbach moritur 559,32
Berengarius imperator Longobardorum 163,49
Bertoldus de Cunigsberch in Apulia moritur 218,9
Bertoldus Zeringensis dux oblatam imperialem electionem respuit 223, 3. Sueuiæ ducatum abdicare coactus 412,35. eius fortitudo ibid. 50
Bertoldi primi Zeringensis ducis obitus 349,25
Bertholdi secundi Zeringensis mors 363,40
Bertholdi de Vesinberg epistola 223, 44
Bertoldus comes de Nuringen 576, 37
Bertoldus comes S. Petri fidelissimus miles moritur 359,30
Bertolfi de Arrah virtus 543,3.
Bertha ducissa Polonorum 513,18
Bertolphus Baioariorum dux moritur 313,43
Berza rex Vngariæ, Beli regis filius 424,17
Bethogar regni Ægyptii inuasor Christianos Syria eiicit 625,25
Bias Prieneus vnus ex septem Græciæ sapientibus 27,28
Bingen oppidum Rheni 145, 5. 397, 12
Biblingen cœnobium comitũ Kirchbergensium opus 369,29
Bisuntium 200, 2. 480, 16
Blasphemiæ obscuri cuiusdam concionatoris *Per eum* 439, 16
Bobardia villa regalis 445,48
Boemi cum Conrado Morauiensi comite conspirant 154,7
Boemia regni titulo decorata 484, 52
Boemiæ rex & Vngariæ de ducatu Styriæ & Austriæ bellum gerunt 613,53. pacem ineunt 614,28
Bolezlaus dux Poloniæ quomodo ad deditionem venerit 478,34. Cæsari reconciliatus ibid. 50
Bonifacius quartus Romanus pontifex 162,36
Bonifacius tertius papa a Phoca imperatore impetrat vt Romana ecclesia caput omnium reliquarum dicatur 106,20
Bonifacius nonus Romanus pontifex 163,3
Bonifacius comes rex Constantinopoleos creatur 225,54
Bontrauersus socer Ecelini ab eo cum filiis capitur, & in carcere grauissimo famis cruciatu perimitur 597, 58
Bonus nemo nisi solus Deus 443,40
Bonum in naturalibus aut simpliciter fit, aut secundum accidens 443, 42. 444,23
Boritius Colomannus regis Vngariæ quondam filius 424,21. a Scytha sagitta transfixus necatur 473,21
Bosan castrum regis Vngariæ quod & Bresburg 424,14
Boson de Doaria, ciuis Cremonensis Ecelinum e medio tollere cogitat 604, 36. primogenitus Satanæ 546,16
Bos sicio apud Rutenos tempore Belli sacri venditus 141,11
Botfeld locus in Saxonia 136,29
Botzen 468,39
Bragantium obsessum 589,47
Brenno Senonensis exercitum contra Romam mouet 33,28
Brezisburg vel Bresburg castrum ab Andrea rege Vngarorum obsidetur 333,37. 424.14.
Bridius rex Pictis regnare cœpit 279,3
Brisacum conditur 166,26
Britonum in Francia latrocinia 119, 12
Brixia in deditionem pactionis recepta 492,4. ciuili discordia perturbata 597,30. incredibiliter terræmotu quassata 584,47. ab Imperat. frustra tentata 588, 41. E-

celino restituitur 604,3
Brixienses comitatum Cremonensium deprædationis & latrocinandi causa ingrediũtur 528,11 Mediolanẽsibus amicitia & societate iuncti, ibid. 32. eorum clades 14. inter se pacem faciunt 621,33. a dominio Palauicini & Cremonensiũ recedunt ibid.34
Brixinora ciuitas Baioariæ, in ipso Pyrenæo, haud procul a valle Tridentina sita 407,19
Bruechildis Burgũdionum regina 105, 30. scelerum suorum pœnas luit 105,45
Brutus primus consul Romanorũ 28, 20. populum Romanum pro filiis adoptasse dicitur ibid.24
Bruno de Egisheim, pontifex Romanus 135,54
Brunswich ciuitas obsidetur 210,2
Buchaugiense cœnobium incendio flagrat 321,50
Bufones cum piscibus e cælo cadunt 366,30
Burchardus Herbipolensis episcopus 111,43
Burchardus Halberstatensis episcopus Leuticorum gentem viriliter deuastauit 344,11. in Saxonia occiditur 361,1
Burdinus Hispanus episc. Romanæ sedi ab Henrico V violenter imponitur 147,53
Burgundia qua occasione Zeringensibus concessa 471,31
Burgundiæ regnum ad Imperium 133,6. amplitudo 471,40
Burgundiæ principes homagiũ Cæsari præstant 483,30
Burgus Elstensis Ecelino traditur 395, 12
Busca, marchia 456,22
Busyris imanitas 17,23
Byzantiũ vrbs Græciæ a Philippo Macedone obsidione cingitur 34,46

C

Cadmus Græcarum literarum inuentor 18,45
Cælum & terra transibunt quomodo intelligendum 171,20.172,17
Cæsar a ciuibus Dictator & consul vocatur 50,51. monarcha Romæ fit ibid. 47. Augustus salutatur 55, 54. mors 52,5
Cæsaris quinta in Italiam expeditio 208,20
Cæsar. Cãtabris & Asturibus fortissimis Hispaniæ gentibus deuictis secundò Ianum clausit 56,13
Cæsaris aliquot turmarum temeraria excursio 495,44
Cæsar a Brixiensium acie in fugam agitur 209,19. in Germaniam redit ibid.40
Cæsarianorum pars Brixiæ opprimitur 602,17
Cæsar Senatorum gladiis confossus 604,20
Cæsarianorũ clades ingens in Francónia 358,40
Cæsarum Italiam ingredientium iura 454,22
Cæsarianorum assultus in portam Mediolanensium 498,13
Cæsarea Palæstina reædificatur 593, 22
Caira a Friderico rege crematur 455, 51
C. Iulius Cæsar a senatu Gallias domiturus mittitur 49,26. *Vide* Cæsar.
C. Caligula vir sceleratissimus 60,28
Rom. imperator 161,5
Calauni in Manfredi exercitu 622,3
Calaonis castrum inexpugnabile 599, 42
Calcitrare contra stimulum Omnipotentis durum 600,26
Caleph ciuitas 562,16
Calones, meretrices, lixæ ab exercitu Friderici regis amoti 504,48
Calices & patenæ ecclesiæ Moguntinensis 569,9
Calippus a Sarracenis cultus vt pontifex Romanus a Christianis 625,31. a Tartaris interficitur ibid.32
Caliph summus sacerdos 141,28
Calixtus I pontifex Romanus 161,25
Calixtus II pontifex Romanus 164, 40
Caloiannes Constantinopolitanus Imperator sagittis toxicatis diem obit 155,13
Calumniatores nunquam desunt, si est cui persuadeatur 484,21
Cambium inter Papam & Imperatorem 341,12
Cambyses Cyri regis filius nouam Babyloniam instaurauit 30, 49. secũdus Nabuchodonosor dictus 30, 29.240,49
Camerinus ducatus 130,37
Candelabra ecclesiæ Moguntinæ 568, 33
Caniculæ exortus 465,21
Canisclinus, vnus de seruis palatij principi suo Manueli Constantinopolitano imperatori insidias molitur 505,19. effossis oculis, lingua perforato gutturi transmissa moritur ibid.27
Canis portati pœna pacis turbatoribus inflicta 470,45
Ceperani flumen 621,39
Capetus Syluius, Latinorum rex ante Vrbem conditam 169,4
Capis Albanorum rex 22,28
Capita familiarum ab Adam vsque ad Noe 10,40
Capitis siluæ burgum 598,53
Capitolium a duce Herbonio viro Sabino incenditur 32,15.253,40
Captiuitas decem tribuum Israel 34,31
Capuani Nortmannos Capua expellũt 364,24
Caput Asdrubalis fratri Hãnibali ante castra proiicitur 43,18
Capys Syluius Latinorum rex ante Vrbem conditam 160,48
Caracalla Cæsar 70, 36. *Vide* Antoninus Caracalla.
Carausius ab Alecto socio suo fraudulenter occiditur 74,52
Carcanum, opidum 558,23
Carcerum perfidi Ecelini descriptio 595,28,30
Cardinales Romanę ecclesiæ indignãtur ipsis inconsultis factam in fidei negotio determinationem 441, 20. eorum contra papam Eugeniũ oratio ibid. 23. conciliantur ibid. 45. inter se de pontificatu certant 614,38. tumultus causa apud Moguntinenses 571, 3. a Wilhelmo Siculo corrupti 538,2
Cardinalium super electione noui pontificis conuentio 538,30
Cardus rex, capitaneus exercitus constituitur 726,9
Carmentis nympha Latinas literas reperit 18,53
Carnotolus miles Veronensis 594,28
Caro cum sanguine pluit 366,30
Catolingorum auspicia 122,15
Carolus Caluus imperator 121,37
Carolus Pipini filius 111, 12. eius filii tres, Carlomannus, Pipinus & Grifo, ibid.
Carolomannus fit monachus 111,28
Carolus magnus orbis occidui imperator 115, 20. obitus & prosapia 46, res gestæ, ibid. amplitudo imperii 116,1
Caroli maioris Franciæ domus res gestæ 110,2
Carolus Crassus Imperat. 122,30
Carolus Prouinciæ comes, perpetuus Senator a Romanis eligitur 621, 54. Apuliam occupaturus Romam venit ibidem 8. Pisanos manu valida aggreditur 622,53. qualiter regnum Siciliæ obtinuit 621,42. eius victoria 624,28
Carolus rex Nauatræ in Syriam proficiscitur 625,50
Carpocrates hæreticus 67,7
Cartidonius Mantuanus episcopus 527,49
Carthago totius Africæ caput 39,48. septuaginta duos annos ante Romã ab Elissa condita ibid. qualiter in regnis glorioſa, opulentissimaque labi cœperit ibid.50.40,1,2,5. portus Africæ, & Sarracenorum præsidium singulare 625,55. a Christianis expugnatur ibid. Carthaginis situs 46,34
Carausius quidam ignobilis genere, manu vero ac consilio non ignobilis dum Maximino suspectus haberetur Britanniam inuadens, purpuram assumit 47,42. ab Alecto socio suo fraudulenter occiditur ibidem 52
Carus Narbonensis Cæsar 74, 27. victor de Parthis super Tigridem, fulmine interit 235,46
Cassius Iudæa capta templum spoliat 244,46
Cassii forum 352,9
Castellæ rex Sarracenorum imperum restimere properat 620,37
Castellæ rex cum Sarracenis prælium committit 620,39
Castor chronographus 21,9
Castra metandi ratio 506,30
Castrum Calaonis a custodibus Ecelini Marchioni redditur 601,38
Castrum sancti Bonifacii destruitur 590,35
Castrum Tusculanum demolitum 214,16
Castrum Montis salicis Ecelino traditur 593,11
Castrum Orci in territorio Brixiensi 605,12
Castrum montis Silicis a custodib. Ecelini Marchioni redditur 601,36
Castrum Maluasiæ Palæologo a Guilielmo principe Bithyniæ & Achaię redditur 616,5

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 136:Leibn. Marg. 136, Stück 1, [646] - -

Castrum Podii Bonici 622,50
Catalogus principū in conuentu Roncaliæ 506,51,56.507,1
Cato Vticæ se occidit 50,44
Causa belli inter Cremonam & Cremam 530,19
Celestinus papa Mediolanensis natione 590,10
Centauri 18, 7. eorum bellum cum Lapithis 235,53
Cerdonis hæretici dogma 67,35
Cerinthus hæreticus 66, 16. terrenum Christi regnum asseuerabat ibid. primogenitus Satanæ a Polycarpo nominatus 66,17
Cethim insula quæ nunc Cyprus 11, 10
Cethius ibid.
Chadelo Parmensis episcopus 342,53
Chalcedonensis synodus 94,40
Chaldæi a quo originem duxerint 233,14
Chaldaici & Romani regni comparatio 57,16
Charatasii aduersus Phoroneum Argiuorum regem bellum gerunt 14,50
Chasma ante pestem 32,11
Chelmuntz castrum 204,46
Chereuach oppidum 432,17
Cherinthus vide Cerinthus.
Chiliarchi 496,36
Christus cur sexta mundi ætate nasci voluerit 53,8
Christi cum Antichristo comparatio 170,4
Christiani Syria eijciuntur 625,25
Christianorum æmulatio regnum Hierosolymitanum pessundat 211, 43
Christiani confugientes ad Sarracenos a Carolo rege interficiuntur 625.40
Christianorū ptima persecutio sub Nerone 62,50. secunda sub Domitiano Titi fratre 65,27. tertia sub Traiano 66,6. quarta sub M. Antonino Vero 68,32. quinta sub Seuero, natione Afro 69,36. sexta sub Maximino Cæsare 71, 22. septima sub Decio 72,3. octaua sub Valeriano & Galieno Cæsare 73, 4. nona sub Aureliano 74,1 decima sub Deocletiano 74,53
Christianorū in terram sanctam generalis expeditio 375, 25. in Syriam expeditio 431, 44. 625, 51.
Christianus comes de Buche, archiepiscopus Moguntinus 573,12
Christianus II archiepiscopus Moguntinus 575,27
Christianus Moguntinensis episcopus Colonienſi liberando se accingit 203,33
Christophorus I Romanus pontifex 163,44
Chronicorum Victoris finis 1049
Cicero Arpini nascitur, matre Heluia 244,1
Cidnus amnis Tarso contiguus 215, 29
Cincius quidam Romanus ciuis Gregorium papam missam celebrantem comprehendit 346,25
Circe socios Vlyssis mutauit in bestias 20,18
Cisterna, castrum 539,8
Cisterna Neronis 547,5
Ciuitas noua e cælo descendens quæ sit 184,4
Ciuitates super quas Ecclinus tyrannidem exercuit 607,40
Clades Romanorum ad Cannas 42, 24. Parmensium 593,30
Clades & fuga e seditione Rufachana 389,41
Clarauallensis abbas Iudæos ob scelerum suorum excessus non esse occidendos ostendit 429,10
Claromontana generalis synodus 374, 40.375,7
Claudianus poeta claret 264,26
Claudius Nero consul 43,12
Claudius Cæsar apud Syrmium obit 73,36
Claustrum Eberbach ordinis Cisterciensis 571,18
Clauam de manu Herculis eripere 463,17
Clemens papa a Carolo rege reuocatur 622,48
Clemens III crucem contra Sarracenos prædicari curat 212,33
Clemens IIII papa post Vrbanū quartum eligitur 620, 12. Viterbii moritur 624,47
Cleobulus Lydius ex septem Græciæ sapientibus vnus 27,28
Cleopatra Alexandriæ, appositis ad mamillas serpentibus, moritur 54, 37,38
Cœlia virgo Tyberim transnatat 28,30
Cleri Terdonensis miserabilis supplicatio 458,30,459,2
Cletus Romanus pontifex 161,10
Codrus rex Athenienſium 21,33
Cœlibatus sacerdotum approbatur 346,8
Cœnobium S. Petri in Nigra silua a Bertoldo duce a fundamentis extruitur 369,16
Cœnobium nouū ad montem Gemulæ 618,29
Cœnobiorum nouorū plantationes 364,36
Cœnobium S. Martini prope Ferrariam 618,54
Cœnobitica vita 158,14
Colomannus Vngarorum rex fratrem Almum persequitur 146,20
Coloniæ vrbis descriptio 145.38
Colonia opere munitur 391, 4. obsidetur ab Henrico filio ibid. 11
Coloniēſes maximis studiis & sumptibus ciuitatem suam muniunt 213,9
Colonienſis ecclesiæ schisma propter electionem Friderici & Gerardi 473,16
Colossus erectus habēs altitudinis pedes CVII 249,28
Colloquiū pōtificiorum prope Wirtzburg 558,23
Comes de Panico ciuis Veronensis Paduæ decollatur 590,35
Commendatoria Friderici Imperatoris pro electo præsule Rauennensi 517,3
Comitatus de Horningen 207,41
Comitatus tractus sunt vni iurisdictioni subiecti 453.43
Commodus Colossi capite sublato, suę imaginis caput iussit imponi 253, 41. cunctis incommodus in domo Vestiliani strangulatur 253,48
Commodianæ thermiæ Romæ iactæ 253,35
Cōmoda cuiusq; rei eum sequi quem sequuntur incommoda secundum naturam est 508,29
Conditiones pacis cum Cremensibus 544,4
Concertatio de Colonienſi pontificatu 473,14
Conciliū Papiæ pro sedando schisma te inter Papatum habetur 202,26
Concordia inter Papam & Siculum 423,25
Concordia res paruæ crescunt, discordia maximæ dilabuntur 581,29
Conculcatio principum ruina regni est 391,40
Confessio episcoporum Galliæ, de mysterio adorandæ Triadis 440,52, 441,1
Confirmatio Rauennatensis episcopi a pontifice Adriano reculatur 517, 40
Confluentia 396, 47. Galliæ oppidum 418,24
Cohina arx super Mosellā sita 445, 53
Coniugium inter Ottonem Cæsarem & Philippi filiam 216,51
Cona Francorum dux moritur 134, 24.25
Conon Persarum instructus copiis Lacedæmoniorum agros populatur 34,1
Conquestio Friderici imperatoris ad Imperii ordines de pontificis arrogantia 482,33
Conquestio Adriani papę de iniuria legatis illata 486,6
Conradus I imperat. cognomēto Saliquus 131,2
Conradus Imperator tertius 132, 43. mors 134,30
Conradus tertius Romanorum rex 151,54
Conradus rex belli sacri tesseram accipit 429,27. Hierosolymam venit 442,44. ad propria reuersus 443,20
Conradi regis & pontificis colloquiū 374,23
Conradi regis in Syriā expeditio 197, 32. mors 198,14
Conradus Croatię atq; Dalmatię dux, natione Noricus de castro Dachowa oriūdus, apud Pergamum moritur 516,19
Conradi regis mors 596,2
Conradus Eistetensis episcopus 506, 52. Imperatoris in Corsicā & Sardiniam legatus 512,8
Conradinus, Conradi regis filius, in Italiam suscipit expeditionē 623,9. Neapoli publice decollatur 624,44
Conradus Saltzburgensis archiepiscopus 573,20
Conradus Cæsar Babenbergæ moritur 446,38
Cōradus Sueuus rex renunciatur 418, 26. Eius ad Græcorum Imperat. epistola 419, 7. Græcorum imperatori, fauorem, auxilium & συμμαχίαν pollicetur 419,16
Conradus Henrici Imperatoris filius contra patrem rex Roman. creatur 369,7. filiam ducis Rogerii de Si-

cilia in matrimonium ducit 374, 38
Conradus Palatinus de Witelspach archiepiſcopus Moguntinus 572,51
Conradi electi Treuirenſis fatum 343, 44
Conradus filius Friderici ab Henrico Thuringiæ Lantgrauio fugatur 591,33. ab Vngariæ rege ſuſcipitur ibid.
Conradus Palatinus comes de Rheno 497,30
Conradus a Dachou comes capitur 421,50
Conſolatoria Eugenii Papæ epiſcopi ad Conradum Romanorum regem ob infauſtum belli ſacri euentum 444,44
Conſpiratio in Ecelinum 604,40
Conſpiratio factioſorũ in Mogunt. epiſcopum 571,10
Conſtantinus imperator 104,51
Conſtantinus Leonis filius imperator 111,5. impietas 6,7,8
Conſtantinus Leonis IIII filius Cæſar 114,26. oculis a matre Irene priuatur ibid.46
Cõſtantinus imperator religioſus 79, 5. Eius conuerſio ibid. 7. Gallias occupans, Conſtantem filiũ ex monacho Cæſarem facit 92,44. bellum fratri Conſtantio inferens, iuxta Aquileiã occiditur 161,1. non longe ab Aquileia iuxta Alſam fluuium occiditur 83,41
Conſtantia, Conſtantini ſoror, vxor Licinii moriens, Arianum quẽdam preſbyterum fratri commendans moritur 260,40
Cõſtantiæ conuẽtus celebratur 210,53
Conſtantienſis cõuentus ordinum Alemanniæ 371,1
Conſtans, Conſtantini filius Cæſar efficitur 260,40. haud longe ab Hiſpania interficitur 261,20
Conſtantius Alemannis bellum indicit 75,36. Bauſſam vxorem ſuam interficit 260,23. Ariana hæreſi per Arianum preſbyterum & Euſebium Nicomedienſem polluitur, & Chriſtianos perſequitur 260,50. in Parthos bellum parat 261,51. contra Iulianum arma ſumens moritur 262,3
Conſtantius epiſcopus Rauennæ moritur 276,11
Conſtantinopolis totius Orientis caput 34,48. Neoroma vocata 82, 28. a Latinis occupatur 225,30. ſpoliatur ibid. a Latinis amittitur 615,20.
Conſtantinopolitanus nouę Romæ Imperator 557,48
Conſtitutio Friderici de pace tenenda & firmanda 510,39
Conſules Romani qui 28,20
Conſuetudo mala nunquam aut vix tollitur 387,16
Cõtentio de epiſcopatu Conſtantienſi 368,4
Contra audaces non eſt audacia tuta 495,9
Controuerſia de ſolennitate paſchatis 69,48
Controuerſia in Magdeburgenſi eccleſia orta, quomodo compoſita 449,16. inter duos vaſallos quomodo terminanda 510,29
Conuentus Moguntiæ celeberrimus 210,20
Corduba Lucani poetæ patria 586,2
Cornelia virgo Veſtalis ob ſtuprum viua defoditur 250,5
Corrigiola 598,48
Corinthus omnium opificum officina deletur 46,8
Corinthia vaſa vnde nomen ſumſerint ibid.21
Corona Moguntinæ eccleſiæ aurea 568,36
Corpus omne ex corporibus conſtat 410,46
Corpora a reſurrectione ſpiritualia 186,46
Coſdroas Perſarum rex 106,27
Cotewich cœnobium 371,49
Craſſi graſſationes & mors 50,3,4
Crema obſidione clauſa 530,35. Eius deſcriptio ibid. 41. arctius obſeſſa 532,14. per machinas expugnata 542,3
Cremæ generalis aſperrimaque oppugnatio 542,35
Cremenſes Imperii hoſtes iudicati 520,25. quorũ conſilio de pace tractauerint 543,30. ad pacem inuitati ibid. 42
Cremenſium extrema contumacia 533,31
Cremenſiũ ad exhortationem Aquileienſis patriarchæ reſponſio 544,1
Cremonenſes Italiæ hoſtes iudicantur 149, 53. cum Palauicino in Ecelinum conſpirant 604, 37. comiti Carolo iter ad Vrbem impediunt 621, 2. ad obedientiam Romanæ eccleſiæ reuertuntur 622,39. munitiſſima caſtra Brixienſum iuxta flumen Olei conſtituta ſc. Caneum, Pontem Vicum, Quintianum & Vrecos funditus ſubuertunt 621, 39
Cremonenſium contra exercitum Friderici callliditas 542,2. crudelitas 543,7. contra Mediolanenſes crudelitas 500,20
Cremenſium & Placentinorum in ſe controuerſia 511,31. virtus plurimum aucta 583,4.
Creſcens Cynicus philoſophus Iuſtino philoſopho perſecutionẽ commouet, in qua ille pro Chriſto occubuit 252,8
Creſcenti turris 364,16
Cretenſes cum Athenienſibus belligerantur 18,2
Crux eccleſiæ Moguntinenſis quæ habet ſexcentas auri libras 569,3
Crudelitas Ecelini cum audiuit Paduam eſſe captam 599,55. 600,6,7, 10. omnium tyrãnorum ſæuitiem ſuperat 609,30
Crux contra Ecelinum publicata 598,3
Cuma 523,45
Cumani ſagittis & arcubus confidunt 614,17
Cumo comes de Wulfelingen moritur 367,41
Cunradus dux Sueuiæ 217,23
Cunradi epiſcopi Herbipolenſis clades 220,53
Curia apud Roncalias celebrata 505,9
Cyri regis clades ad flumen Araxim 30,2. a regina Scytharum decollatus 624,18
Cyprianus Carthaginenſis epiſcopus 72,20. martyrio coronatur 73,4
Cyprius terræmotus 65,7
Cyrſilus lapidibus ab Athenienſibus obrutus 32,38
Cythis inſula Cypri 11,10

D

Dagobertus rex magnus, filius Lotharii moritur 288,20
Dæmones naturam mutare non poſſunt, ſed occupatis illis corporis partibus per quas ratio operari ſoler, mentem hominis obfuſcãt, cernentiumque oculos vt hæc putent, occultis machinamẽtis ac abditis naturæ ſeminibus faſcinant 20, 37. antiquitate temporis & experientia rerum permiſſum ſcire ac poſſe dicuntur 20,42,43
Damiata ciuitas munitiſſima a Chriſtianis obſidetur 584,6. capitur ibid. amittitur 36. ciuitas Ægypti, quæ apud prophetas Memphis dicitur, a Ludouico rege Frãcorum capitur 592,54. 593,2 quibus cõditionibus a Ludouico rege Franciæ Sarracenis reddita ſit 593,17
Dalmatius Cæſare efficitur 260,46. occiditur ibid.53
Danaus rex ad Argos fugit, & a Stenelao rege ipſorum humane ſuſcipitur 17,15
Danaũm inſidiæ 489,35
Dania Imperii faſces agnoſcit 149,41
Danię ducatus in regnum commutatur 211,28
Daniæ regnũ Imperii feudum 491, 20. de Danorum regno inter duos conſanguineos controuerſia 448, 47
Danielis prophetæ locus quomodo intelligendus, *Lapidem exciſum de monte ſine manibus, ſtatuã in pedibus, qui ex parte ferreus ex parte fictiles erant* 137,53,54,55. 138,5
Daniel Pragenſis epiſcopus 506,52. 540,25. moritur 559,29
Dares Phrygius 19,53
Darius cognomento Nothus 32,4
Darius rex Medorum Cyri auunculus 25,6. Babylonios iugum dominationis Perſarum excutere volentes reprimit 31,19. regi Scytharum Antyro bellum indicit ibid. 20. contra Athenienſes procinctum mouet ibid. 23. mors 33,1. eius filii Cyrus & Artaxerxis ibid.14
Darius Macedo armis victus 35,34
Dauid primus Iſraelitarum rex 21, 49
Decius imperii ſui anno tertio cum filio ſuo inter Barbaros interficitur 72,13
Dedo Marchio Saxonicus regi Henrico rebellat 344,23
Defectiones ex anathemate 382,35
Delbora prophetiſſa in Iſrael 18,50
Dementus cum de ſacrificio Arcadum guſtaſſet, in lupum mutatur, decimo tandem anno in propriam figuram reuerſus eſt 20,21, 22
Derciles Aſſyriorum rex 25,40
Dertona ciuitas 96,49
Deſcriptio diuerſorum ordinum religioſorum 159,1,20,30
Deucalionis diluuium 16,1

Deus

Deus cur ecclesiam suam in hoc mundo tam miserabiliter affligi sinat 169,38 vltionū dominus 225,48 quamobrem gentibus viam salutis non patefeceerit 52,30
Deus dedit episcopus Rom. 162,38
Deus dedit archiepiscopus moritur 289,13
Dianæ templum ab Amazonibus conditum 18,32
Diapolita Ægyptiorum rex 15,18
Diffinitio omnis alterius est, & alteri conuenit 409,34. 438,8
post Diluuium quomodo genus humarum a filiis Noe multiplicari, quibusque in tertis primo dispergi cœperit 10,40
Dimo Saltzburgensis episc. 367,27
Diocletianus Cæsar 74,36 eius gesta 38 se vt Deum adorari iussit 258,7
Diomedis socij in aues mutati 20,30
Diomedea insula 20,14
Dionysius Siculus 33,2
Dionysius Areopagita 60,5
Disceptatio Cremonensiū & Placentinorum 511,31
Discordia inter Christianos 216,16,33
Domitianus se deum & dominum coli voluit 65,26
Durum est latroni principem tributa persoluere 467,36

E

Eberhardus Babenbergensis episcopus 466,40 eius auctoritas 542,31
Eberbach clausterū ordinis Cistertiensis 571,18
Eberhardi Saltzburgensis episc. mors 558,38
Ebion hæreticus, Christum solum hominem esse asseuerabat 66,18
Eberti marchionis obitus 385,9
Ecclesia a regibus ditata 139,39
Ecclesiæ duo gladij 393,53
Ecclesiæ militantis conditio 167,16. violantur 349,23
Ecclesiastici thesauri per Angliam exhauriuntur ad regem captiuū liberandum 218,4
Ecclesiasticæ exactiones damnatæ 511,18
Ecclesiæ Moguntinensis ornatus & opes 567,32.40,50
Ecelinus cum Palauicino exercitū iungit 603,34 lupus rapacissimus 585,51 a Paduanis fugatur 586,24 in Marchia Taruisina potētia 607, 41 cum exercitu contra Paduam proficiscitur 600,50 contra Mantuanos exercitum præparat 598,12 tyranni ingenium & mores 609,20
Ecelinus de Egna, F. sororis Ecel. in carcere coniicitur 597,25 turbulentū ingenium 605,5 in Paduanos Veronæ inuentos, crudelitas 600,6 in Imperij defertores crudelitas 594,28,30,40,50 refugiū omniū pessimorum 587,20 fratrem suū Ciramontem variis tormentis & fame perimit 597,25
Ecelini carcerum descriptio 595,28, 30,36
Ecelinus Brixiā ciuili discordia perturbat 597,30 socerum in carcere peremit ibid. 38
Ecelini carceres capta Padua aperiuntur 599,31
Ecelinus ad opprimendos Tarētinos exercitum validum ducit 597,21
Ecelini custodes omnia castra legato tradunt 599,42 Verona eiiciuntur 608,47
Ecelinus tertius Veronæ dominium inuadit 585,11
Ecelini astrologi 598,21
Ecelinus Mediolanum petit proditorie eam occupaturus 605,40 sauciusin prælio capitur 608,46 cum esset septuaginta annorum moritur 607,31
Eclipsis solis 369,40
Edessa vbs Syriæ, quæ nunc Rohas dicitur capitur 155,53. 427,37
Edictum de pace castrensi 456,2
Edictum Manfredi & Palauicini cōtra flagellantes 613,21
Edilfridus rex cum Edilberto rege Anglis imperat 282,12
Eduinus rex Anglo a Ceadualda & Pēda victus pugna occiditur 286,11
Eckhardus comes a Nellenburg 345, 34
Egebertus comes de Butingon 201,11
Eggehardus abbas Augiensis 361,44
Egesippus historicus 67,12
Egestas facile sine damno habetur 494,41
Egfridus rex cum Pictos incaute peteret ab ipsis peremtus interiit 291,5
Ekebertus comes de Butene, vir nobilitate, diuitiis & virtute animi insignis 495, 44 in prælio cæsus 496,4
Eleutherius Rom. pontifex 161,21
Elissa Carthaginis conditor 38,46
Embrico Herbipolensis episcopus 418, 49 a Græcorum Imperatore multis xeniis honoratur, ibid. 55 Aquileiæ moritur, ibid. Romam ablegatur 419,41
Emicho comes lethali sauciatus vulnere occumbit 414,54
Encius, rex bellicosus, filius Federici, capitur a Bononiensibus 539,5
Encratitarum hæreses 69,3
Enoch filius Seth 9,20
Ephesus ab Amazonibus condita 18, 30,32
Epiphanius Cypri episcopus 91,9.442, 19 Eius sanctitas 101,22
Epiphonema de facinoris indignitate apud Moguntinos perpetrata 572,5
Episcoporum inuestituræ Papæ concessæ 148,16
Epistola canonicorum sancti Petri, pro parte Victotis 545,40
Epistola Imperatoris de victa Crema 544,41
Erato Sicyoniorum rex 15,51
Eremitarum vita 158,8
Erichthonius Sicyoniorum rex 18,43
Eridanus fluuius celebris 453,2
Ernfridus Augiæ Abbas, & Constantię episcopus ordinatur 296,13
Eslingæ conuentus Imperij habetur 347,53
Estensis marchio ditione sua ab Ecelino exuitur 593,12 arx a Paduis obsessa 583,9 *vide* Azo Estensis.
Euaristus Rom. pontifex 161,13
Eugenius pontifex de sacra expeditione consulitur 427,6
Eupales Assyriorum rex 23,41
Exactiones ecclesiasticæ damnatæ 511,18
Exclamatio in liberorum impietatem 386,10
Exercitus Friderici imperatoris tabernaculorum dispositio 506,30
Exhortatio abbatis Clarauallensis ad capessendam sacram militiā 430, 20
Exhortatio Azonis moribūdi ad nepotem heredem 619,28
Expeditio contra Mediolanenses susceptā 472,24
Expeditio in terram sanctam anno M.C.XCVI. 574,6
Expostulatoria ob non vindicatā contumeliam pontificiis legatis illatam 481,1
Exterminatio seculi per ignem 171,30

F

Fabius Maximus Samniticum bellum finiuit 38,21
Fabrilia tractent fabri 459,48
Factiosi in regno Siciliæ grauissimis suppliciis afficiuntur 218,40
Falones gens beluina, carnibus equinis & catinis vescens 123,44
Fama malum, omnibus motabilibus velocius 439,36
Fames in Ægypto sub quorum principum tempore fuerit 15,18
Fames ingens in vrbe Roma 58,28
Fames, pestis & aquarum inundationes in Italia 357,23
Fames in Christianorum exercitu tempore belli sacri 142,3. 214,37 durum telum 500,44 cuncta expugnat 387,53
Familia de Romano deleta 619,16
Fauentia obsidetur 589,55 capitur 590,7
Fauianis oppidum, nunc Vienna dicta 246,27
Federicus Imperator in Apulia moritur 539,40 *vide* Fredericus.
Felix qui potuit rerū cognoscere causas 408,48
Feltrensis episcopus 608,6
Fenestella historiographus & poeta moritur 247,36
Ferraria 489,36 obsidetur 584,50
Ferrarienses obsides Friderico dare coguntur 504,42
Feudorum iura 509,31
Feudi alienatio prohibita 509,45
Feudū amittit qui requisitus seruitium non præstat 510,8
Finis vtriusque ciuitatis 194,1
Flagellantiū ritus & superstitio 619,31
Flaminibus gentilium episcopi succedere 55,17,18
Flebile principium melior fortuna sequetur 418,12
Florentini cum Lucensibus & Senensibus belligerantur 155,28 cæsi 613,27
Florianus apud Tharsum vita priuatur 74,9
Fluctuationes variæ per totum terrarum orbem 158,30
Fodrum regale 454,24
Folco Hierosolymorum rex 155,14
Fons humanis vsibus inutilis reddicur 457,42
Formula sacramenti fidelium imperij 488,25
Fornicatio spiritualis 18,32
Fortuna nulla longa 385,55
Fortunæ vis 501,16 cunctas res pro libitu magis, quam pro vero celebrat obscuratque 504,17

Fortunæ inconstantis exempla 153,2
Forum Iulij 491,42,555,29
Francus Romanis ingenuitatem eripuit 462,47
Francorum ortus 19,11,15,17
Franci Merouingi dicti a filio Clodij Merouco 98,44 Christo nomē dant 98,50
Francorum regnum in duo scissum 117,15
Francorum regni & Germanorum comparatio 130,26 gens instabilis & leuissima 121,28
Francorum exercitus in Italiam 621,27
Franci a Reinoldo Burgundiæ comite fugantur 419,55
Francorum rex ab obsidione Accaronia discedit 216,11
Francia ciuili discordia laborat 344,33
Franckinfurt curia habetur 216,26
Francofurtum, quasi vadum Francorum, eo quod Carolus ad debellandos Saxones, cum Francis proficiscens vadum ibi reperisse dicitur 431,27
Friderici iuniotis Sueuiæ ducis cōitnx & liberi 435,25
Fridericus Sueuorum dux moritur 215,40
Fridericus dux Sueuorum ad imperiū eligitur 447,26 electionis causa ibid. 34 quomodo insidias Henrici ducis Bauariæ euaserit 416,50, 417,1
Friderici Sueuiæ ducis liberi 413,9 res gestæ 414,19 Alberto Moguntinensi archiepiscopo bellum indicit 413,33 Limburg castrum ab obsidione liberat 415,11
Fridericus II, rex Siciliæ & Apuliæ Romę ab Honorio papa coronam Imperij accipit 584,27
Fridericus III, Sueuiæ dux, moritur, & in monasterio S. Walpurgis in terminis Alsatiæ sito, sepelitur 429,41
Fridericus dux de Rotinburg Welfonem insequitur 204,55 moritur 206,51
Friderici in Italiam secunda expeditio 491,40 quarta in Italiam profectio 205,20 periculum 207,9 filiis terras suas distribuit 207,53 patruū suum hortatur ad transigendum cum duce Saxoniæ 469,13 sexta Friderici in Italiam expeditio 211,11 de Mediolanensibus fœdifragis conquestio 521,30
Fridericus comes Taurinensis 367,11
Fridericus nuptias cum Beatrice Reinaldi comitis filia celebrat 471,19
Fridericus Imperat. vxorem repudiat 200,40 aliam superinducit, ibid. 43 liberi 45
Friderici imperatoris responsum ad pontificis postulata 525,48 graue periculum 528,40 corporis forma 556,45 virtus 557,3 pietas, ibid. 7 dexteritas 557,12 temperantia & comitas, ibid. 16
Fridericus I Barbarossa rex Romanorum 166,3 expeditionem contra Longobardos mouet 166,15 Sueuorum dux 197,25 rex creatur 298,37 eius inauguratio 199,21 mors 573,40
Fridericus barbarossa Bertholdum Zaringensem bello persequitur 422,5
Friderici Barbarossæ tyrocinia 421, 40
Friderici in Cremenses indignatio 533,3
Fridericus Conradi Cæs. F. gladio accingitur 479,23
Fridericus ab Innocentio papa exauctoratus 591,5
Fridericus Colonienſis archiepiscopus, tertio pōtificatus sui anno moritur 516,8
Friderici imperatoris iustitia & æquitas collaudata 508,4
Fridericus a Dassile archiepiscopus Colonienſis 474,5
Fridericus Imperator legationem Adriani papæ grauiter fert 481,51
Friderici Imperat. aduersus Græcos legatos indignatio 479,16
Fridericus Cæsar in Italiam mouens nonnulla sacra loca ob penuriam violat 452,19
Fridericus II Cæsar ascendit in Alemanniam 582,41
Friderici imper. concio per interpretē in curia Roncaliæ habita 507,16
Fridericus & Gibellinorum & Guelforum sanguinis consors 447,45 Aquisgrani inauguratur 448,4
Friderici ad Imperij ordines de pontificis arrogantia conquestio 482,33
Fridericus Imperat. iura Imperij in Italia renouat 202,50
Fridericus rex quibus occasionibus in Mediolanenses arma conuerterit 455,7 filium suum in Apulia incarcerat 586,47 cum exercitu in Italiam venit 587,25 expeditionem contra Mediolanenses suscipit 472, 24 Papiæ coronatur 460,38
Friderici apud Curtem nouam victoria 588,28
Fridericus Imperator qualiter ratihabitione cōfirmauit electionem Victoris, eumque intronizauit 550,12
Fridericus iura fisci regij vindicans 509,3 noui iuris condendi potestas ei tributa 508,26 singulis diœcesanis singulos iudices præponit 508, 49 in Lombardiam aduentus 585, 20 pacis inter ipsum & Ecclesiam compositio 586, 42 ad Romanorum postulata extemporaneum responsum 462,38,463,1,2,&c. Romæ consecratur 464,20
Fridericus ab Hohenstauffen Sueuiæ dux 412,14
Fridericus in militiam sacram profiscitur 213,25 submergitur 215,25
Fridericus Imperator quo ordine & quot legionibus contra Mediolanū transierit 496,37
Fridericus comes de Sarburg 418,15
Fridericus de Hunlitra moritur 561,18
Frisingensis montis Topographia 112, 40 ciuitatis conflagratio 515,26
Fronto orator insignis 252,36
Fructuariense monasterium 367,26
Fuldense cœnobium in saltu Buchonia a sancto Bonifacio archiepiscopo fundatum est 296,48
Fundibularij 456,53

G

Gaizæ regis Vngariæ legati ad conuentum Imperij missi 484,8
Gailarda castrum Mediolanensium crematur 435,35
Galatæ olim Gomoritæ dicti 11,10
Galerius & Constantius Cæsares imperium diuidunt 76,11
Galienus Cæsar 73,2
Gallica synodus 372,21
Galliæ diuisio 133,10
Galliæ episcoporum de mysterio Triadis confessio 440,52
Gallicanæ militiæ audacia 621,49
Galli quę mala Romanis intulerint 33,28
Gambare castrum 603,39
Ganges fl. vnus de quatuor paradisi fluminibus 28,41
Ganymedes Troiæ regis filius a Tantalo Phrygiorum rege sub nomine dei sui Iouis rapitur 17,26
Garnherus Marchio, Anconæ occiditur 530,59
Garda Hunnorum rex 103,12
Garda castrum regale 504,19
Garzabanus eques, legatus ad Imperat. mittitur 470,5
Gattæ, machinæ 542,49
Gazara, ciuitas in finibus Palæstinæ 625,7
Gebehardus Sebathusiensis quondam abbas, fit custos Domini sepulcri 378,34
Gebhardus de Zeringen episcopus Constantiensis 355,29
Geberhardus Iuuanensis archiepiscopus 356,6
Gebhardus Constantiensis episcopus pontificis in Germania legatus 362,13
Gebehardus de Saxonia, nuncius Imperat. 588,35
Geisericus Wandalorum rex Arrianus 94,15
Gelasius secundus Roman. pontifex 164,39
Generatio large accepta quid significet 408,5
Genuinū quid dicatur 408,55.409,7
Genuenses Imperatori male fidi 512,8
Gereon Coloniæ Agrippinæ interficitur 75,20
Geruasius episcopus de Castro ferreo 484,27
in Germania quatuor tantum episcopi catholici 362,35 ciuile bellum 223,7
Germania pacata 477,2
Germaniæ principum colloquium de extinguendo publico regni incendio 359,52
Germaniæ copiæ laudibus & muneribus ornatæ dimittuntur 556,23
Germaniæ proceres in Italiam reuocati 523,16
Germanorum in Syriam tertia expeditio 220,30
Germanici regni ad Rhenum vis maxima 413,18
Germanorum in terram sanctam expeditio 343,31 castra graui tempestate iactata 432,33
Germani Paduanis oues occisionis reputati 603,12
Germanis Constantinopoli exercendę religionis locus conceditur 419,54
Gisela imperatrix 132,7
Gisilberti Pictauēsis scripta reprobantur 198,18

INDEX.

Gisulphus dux Longobardorum Beneuenti, Campaniam vastat 293,2
Glogouia castrum Poloniæ fortissimũ 478,23 crematur ibid.
Gloriæ comes inuidia 513,27
Godigo castrum Ecelini a Paduanis destruitur 586,12
Goizo rex Vngariæ moritur 558,32
Gordianus Cæsar Parthis bellum indicit 71,39. 161,30
Goslarienses fodinæ 131,2
Gotfridi ad regem Babylonicum legatio 141,50. 142,10 mors 143,3
Gothi Arrianissimum amplexantur 88, 22 Alarico rege mortuo Athaulfum creant 92,53 rege Athaulpho Gallias intrant 92,23. 206,15 Romam inuadunt 92,40 sororem Honorij inter aliam prædam capiunt, quam postea Athaulfus eorum rex in matrimoniũ ducit, ib. 41,42 Gothorum regni finis 103,27
Gozzilo dux Lothar. moritur 324,48
Granatæ rex Castellæ regis tributarius 620,36
Græcarum literarum inuentor Cadmus 18,45
Græcam astutiã Rom. potentiaGermanicaq; fortitudo vincit 213,52
Græcia sub quibus regibus & iudicibus ptimum legib. informata fuerit 14,39 primũ informatur iudiciis & legib. quam abundet panibus 15,1
Græciæ recẽtis infelicitas 615,42,45
Græcorum monarchia ab Alexandro magno cœpit, desiitque 23,26 legati munera Friderico imperatori deferunt 446,16
Græci Italiã armis doloq; inuadunt 472,4 Græcorũ infidiæ in Marchia Anconitana 488,50 legati grauiter increpati domũ mittuntur 489,20
Græcus Imperator a Latino auxiliũ contra fratrem petit 221,36
Gregorius septimus ab Vrbe pellitur, Gibertusq; Rauennatensis episc. in locũ eius substituitur 138,16. 407,39
Gregorij pontificis mors 357,33
Gregotianæ diræ in Henricum repetitæ 407,43
Gregorius Teutonicus v Rom. pontifex 164,13
Gregorius nonus papa Fridericũ Imper. excommunicat 585,27. 588,53
Gregorius de Montelongo sedis Apostolicæ legatus 589,49. 592,25 patriarcha Aquileiensis 594,12
Gregorij Patriarchæ Aquileiensis magnanimitas 608,32
Grifollinus Brixiæ potestas 601,25 capitur, & in vincula cõiicitur 602,23
Guecillus de Camino Ecelini confœderatus 589,17
Guelforũ de Altdorfio familia in Germania nobilissima 447,37
Guelpho Sardiniæ princeps 529,51
Guibaldus Corbeiensis legatus in Græciam 466,19. 471,51
Guibertus Rauennas episcopus antipapa 350,19 antipapa in sedem locatur 351,40 Roma discedere cogitur 357,48 Roma recipitur 364,23
Guibertina factio Romæ extincta 377,35
Guiemannus Cicensis episc. 450,34 in episcopatu confirmatur 451,32
Guido comes Blanderatensis, vir prudens, dicendi peritus, & ad persuadendum idoneus 500,53 eius ad Mediolanenses vt sese dedant Imperatori suasoria 501,3
Guidotus Mantuanus episc. ab aduocatis crudeliter interficitur 587,19
Gufolinus ciuis Brixiensis ad patriæ regimen eligitur 597,32
Gulielmus comes de Hollandia Roman. Imperator eligitur 592,50 a Frisonibus interfectus 601,49
Gulielmus de Campo S. Petri iussu Ecelini in platea Paduæ crudeliter interficitur 593,36
Gulielmus Francigena princeps Bithyniæ & Achaiæ graui prælio superatur & capitur 615,1 liberatur 616,4
Gulielmi Hirsaugiensis abbatis mors & præclare facta 364,31
Gulielmi de Carturio, nepotes & filij iussu Ecelini Paduæ interfecti 594,21
Guilhelmus Nortmanniæ Comes Angliam expugnat 137,32
Guilhelmus Marchio de Monte-Ferrato 431,55
Guilhelmus Campellensis Catalauni episcopus 433,44
Guilhelmus Rauennatensis, cognomento Maltrauersar 489,4
Guiscardus, quasi oberrator vel gyrator 408,10
Guntrannus filius Lotharij, Burgundiæ rex pius, obiit annos regnãs XXXIII 283,51
Gunzinlech, concio legũ locus 222,8
Gurfol fortissimum Græciæ castrum 426,31

H

Habitus & vestimenta Monachorum 159,19
Hæresis Nicolaitica 66,19
Hagenoiæ conuentus Imperij habitus 216,40
Hamilcar dux Carthaginensium, Hannibalis pater 42,12 ab Hispanis occiditur 42,10
Hannibalis res gestæ 42,13,14,15,16, 17,18,19. 43,30 oculum ex nimio frigore perdidit 42,23 Eius in Italiam reditus 43,31 veneno sumto moritur 44,24
Hartliebus Traiectẽsis episcopus moritur 445,36
Hartmannus de Sibeneich 207,11
Hartmannus Brixinorensis episcopus Cæsaris confessor 485,27
Hartuicus episc. Ratisponensis multatus 469,47
Hartwici Bremensis bona abiudicata 452,42
Hartungus Magideburgẽsis archiepiscopus 356,7
Hartzburg castrum 408,28
Hazilimus Babembergensis episcopus moritur 341,30
Hebiones hæretici Christum solum hominem esse asserunt 66,10 *Vide* Ebion.
Hecatontarchi 496,36
Heimerardus frater de ordine prædicatorum 601,24
Helenæ raptus 19,6
Helena Constantini mater S. Crucem Hierosolymis inuenit 81,47
Hellespontiacum mare 432,26
Heluia mater Ciceronis 244,1
Henricus Auceps Imperat. 126,53
Henricus I I Imperat. qui & sanctus 131,38 mors 46
Henricus III Imper. Giselæ filius 134, 41 eius res gestæ 44 Guilhelmi Galliarum nobilissimi principis filiam ducit in vxorem 135,2
Henricus IIII Imper. 139, 40 Bertam Ottonis Italici Marchionis filiam ducit 137,33
Henricus IIII Imperat. primus inter Cæsares a Rom. Pontifice excommunicatus 137,38
Henrico 4 Cæsari F. rebellis 143,46
Hericus 4 Cæsar in regia villa Northusen conuentum episcoporũ habet 143,51 a filio imperiali dignitate priuatur 145,26 exul, a Coloniẽsib. regio apparatu susceipitur 145,47 mors 146,8 cum Romanis conflictio 147,8 eius a pontifice coronatio, ibid. 28 Reginaldum comitem bello petit, ibid. 35 Henrici regis Anglorũ F. Mathildam in matrimonium Moguntiæ ducit 40 captiuitas 307,25 denuo excommunicatur 348,47 Sueuiam depopulatur 344,21 puer a matre abstractus, omnia ad aliorum præscriptum agit 381,16 corrumpitur nimia captatorũ indulgentia, ibid. 20 adolescentiæ peccata corrigit, ibid. 24 vocatur in odium 382,5 Saxones arma contra eum capiunt, ibid. exercitum in Vngariam mouet 343,16 Pontifici reconciliatur 347,12 Italiam cum exercitu ingreditur 350,45 imperiali diademate Romæ insignitur 354,3 a duce Calabriæ profligatur, ibid. 35 ab æmulorum occasu iterum papæ accusatur 385,38 clades & fuga è Thuringia 361,48 in Saxonia bella 383,34 milites moriuntur 352,2 a Conrado filio deseritur 368,45 iterum in Italiam proficiscitur 351,10 in Germaniam reuersus Sueuos adoritur 354,50 Rãtisponam reuertitur 355,3
Henrici Imper. fideles excommunicantur 357,4
Henrico pacis formula offertur 363,24
Henricus Imp. in Italia arma circũfert 363,55 Italia pellitur 376,26 accusatur Gregorio VII papæ 382, 30 eius ad papam profectio & expiatio 382,43 Imper. & patritius renunciatur 385,34 frustra insidiis petitur, ibid. 42 rebus compositis in Germaniam regreditur, ibid. 53
Henrici patris ob suorum defectiones fugæ 388,19 benignitas in hoste, ibid. 24 ex Imper. captiuus 389,8 spoliatur insignibus & fortunis, ib. 13 abdicat se imperio, ibid. 21 Henrici patris ad filiũ legatio 390, imperium iubetur repetere 391, 49 eius prudentia & modestia, ibid. 53 Henrici patris prudens consilium 392,20 mors, ibid. 40
Henricus IIII cogitur se abdicare imperio 397,45 exagitatur a legato papæ, ibid. 49 exuitur patrimonio & fortunis 398,8 præmonitus insidiarũ, pfugit, ib. 12 cõtra Saxones exercitum ducit 358,10 obitus 413,28
Henricus Fridericĩ F. rex creatur 214,13 Siculam ducit vxorem 211,6 impietas 390,41 perfidia & in patrem impietas 398,28

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 136:Leibn. Marg. 136, Stück 1, [651] - -

Henricus Cæſar regnum non per iuſticiam ſed per violentiam obtinere cogitat 347,47
Henrici F. ſimulatum obſequium 388,39
Henrici Cæſar. vox inſolens 408,34
Henrici F. fuga & defectio 387,40
Henricus Sax. & Bauariæ dux proſcribitur 152,26 mors 153,6
Henricus 5 Henrici 4 filius cedere cõpellitur 146,6 Coloniam obſidione cingit patre mortuo, ibidem 13 pontificem Romanum capit, Vlricoque Aquileienſium patriarchę cuſtodiendum commiſit 146,48 in Italiam expeditio 146,30 anathemate pōtificio ictus 147,50 ad ordines Imperij querimonia 391,23
Henricus a Rudolpho in fugam agitur 350,10 a pontifice anathematizatur, ibid. 18
Henricus v alter Abſalon 396,39 Cæſar 413,33 obitus 415,35
Henricus v i Friderici F. 166,21
Henrici vi ſecunda in Italiam expeditio 218,16 Siciliæ regnum occupat 218,26 factioſos Siciliæ ſupplicĩis afficit, ibid. 41 tertia in Italiam expeditio 221,30 mors 222, 18 Cæſar Panormi ſuſcipitur 219, 3 moritur 574,10
Henricus Cæſar Thuringiæ Lantgrauius 575,10
Henricus dux filiam ſuam regi Vngariæ coniugio copulat 559,5
Henricus alter Henrici filius 386,26
Henricus Saxoniæ & Bauariæ dux a Cæſare exauctoratur 209,50
Henricus Bauarus Cęſari auxilium denegat 209,10
Henrici & Rudolfi bellum ciuile 383,18
Henricus dux Auſtriæ cum Friderico imperatore in Italiam proficiſcitur 491,40
Henricus Bauariæ & Saxoniæ dux 529,36
Henricus Thuringiæ Landtgrauius Rom. rex eligitur 591,22 Contradum Friderici Imper. filium prælio vincit, ibid. 34 moritur 592,16
Henricus cognomento Felix Moguntinus præſul 569,40
Henricorum de Gueibelinga familia nobiliſſima 447,37
Henricus de Landsberg moritur 205,1
Henricus ab epiſcopatu amouetur 570,7
Henricus dapifex de Walpurg vulneratur 216,15
Henricus abbas Cluniacenſis 398,48
Henricus Traiecti Friſiæ moritur, corpuſque Spiram deportatur 148,35
Henricus comes de Wolfrateshuſen 422,42
Henricus Contadi F. rex Romanorum creatur 431,31
Henricus de Egna nepos Ecelini præfectus Veronenſis capite grauiter a milite vincto vulneratur 592,7
Henricus Moguntinæ ſedis archiepiſcopus exautoratur 451,9
Henricus Caſtellæ regis frater Carolo infeſtus 623,48
Henrici comitis Palatini mors 375,4
Henrici regis Angliæ legati, & eorum munera ad Fridericum imperat. 479,34 eiuſdem ad Imper. epiſtola ibid. 43
Herbipolis ciuitas 479,33
Herbipoli conuentus regalis connubij cauſſa habetur 217,5
Herebertus Colonienſis archiepiſcopus obiit 320,6
Heremannus comes Palatinus moritur 358,11
Hermanni Contracti matris epitaphiũ 333,15 vita 230,10 calculator egregius 369, 43 moritur in Alſchauſa 342,2
Hermannus rex contra Henricum electus 551,9
Hermannus Rheni Palatinus comes 469,36. 470,40 canes per Teutonicum miliare portare cogitur, ibid. 50
Hermannus Lucelburgenſis contra Henricum rex creatus 350,50
Hermannus Verdenſis epiſc. 517,15
Hermannus Rudolfo ſurrogatus 383, 44 eiuſdem miſerabilis interitus ibid. 54
Hermes Ter maximus philoſophus 16,10
Hermannus Zeringenſis Bertoldi i filius, moritur 345,48
Hermannus Metenſis epiſcopus moritur 363,40
Herodis dira immanitas 57,54 eius mors horrenda 58,4,10,20
Hierarchiarum cæleſtium nomina & ordo 188,46
Hieruſalem a Tito Veſpaſiano deſtructa 55,16. 64,43 a Chriſtianis capta 142,13 a Sarracenis occupatur 212,16
Hieroſolymorum rex de Sarracenis triumphat 559,55
Hila mater S. Viti 75,30
Hilarius Pictauienſis epiſcopus 84,16
Hildegardis ſatidica 571,20
Hildebrandus ſe Gregorĩ ſeptimum vocari vult 135,20. *Vide* Gregorius vii.
Hildebrandi pontificis ad Cæſarem legatio 345,40 tyrannis in ordinem eccleſiaſticum 395,41
Hildebrandica inſania 394,5
Hiltebrandus qua occaſione ab Imperatore abiectus, & Guibettus in locum eius ſubrogatus ſit 407,10
Hildebertus rex Francorum moritur, & Pariſiis in baſilica S. Vincentij ſepelitur 279,25
Hildericus rex Vandalorum epiſcopos ab exilio iubet reuerti 275,17
Hilinus Treuerenſis epiſcopus 448,38
Hindratshuſin caſtrum 204,47
Hirena imperatrix Conſtantinopolitana 479,24
Hiſpaniæ regum de Sarracenis victoria 585,54
Hiſpanorum regis nuncij a Conrado rege Confluentiæ dimiſſi 446,24
Hiſpalis, ciuitas 586,2
Hiſtoria ſcholaſtica Petri Lombardi 201,51
Hiſtoria ab *ἱστορῶν* dicta 468,47
Hiſtoriæ Tripartitæ 93,46
Hiſtrus ciuitas in Ponto cõdita 238,50
Hocheim, villa 574,3
Homines ſub Nini tempore agreſtes 12,10
Honorius ſolus imperat 92,28
Honorius iii pontifex Innocentio mortuo ſuccedit 584,2
Hoſtiglia, caſtrum Veronenſium deſtruitur 590,49
Hoſpitalariorum caſtra fortiſſima a Sultano expugnantur 625,25
Hugo Palatinus de Turingen 204,36
Hugo de campo florido teſtis aduerſus Porretanum productus 436,43
Hugo comes de Egensheim Alſatiam inuadit 360,52
Hugo comes in Egensheim iugulatur 362,38
Hugo Tubingenſis a Cæſare in vincula coniicitur 205,10
Hugo Oſtienſis, & Velletrenſis epiſcopus 216,52
Hugo Waidemontenſis comes 431,55
Humilitas virtutum cuſtos 563,20
Huni fiunt Chriſtiani 306,17
Hypoſtaſis a ſubſtando dicta 438,15

I

Iacob quando mortuus 15,53
Iacobus Thepolus dux Saliniguerram capit 589,51
Iacobus frater Domini martyrizatur 63,13
Iacobus de Carraira capitur in caſtro Agnæ a Tibaldo Franciſco 590,1
Iacobus de Mora Taruiſio ab Ecelini confœderatis fugatur 589,18
Iacobi epiſcopi Paduani mors 589,27
Iacobi de Daleſmanino tres filij capiuntur ab Ecelino, variiſque tormentis afliguntur 593,10 in platea Paduæ trucidantur ibid.
Ianua ciuitas in naualibus prælĩis exercitata 453,19
Ianuenſes ſubacti 512,19 a Venetis ſuperantur 603,20 Venetorum æmuli, fœdus quod cum Venetis pepigerant, rumpunt, ſocietatemque cum Palæologo contra Venetos ineunt 615,31,32 *Vide* Genua.
Iani portæ ſecundo a Numa clauſæ 41,48 duodecim annis ab Auguſto clauſæ aperiuntur 247,23
Ianus rex Latinorum ante vrbem conditam 160,44
Iconium caput Ciciliæ 213,26 Soldani archiſolium 214,48 capitur, ibid. Coloniæ magnitudine æquatur 562,6
Ieſus quorum principum tempore mortuus ſit 18,42
Ilaris fluuius 369,28
Imola 466,45
Imbrico Auguſtenſis epiſc. Henrico regi adhæret 348,23 mors, ibid. 27
Immanitatis exempla 532,42
Imperatores Græci 161,49. 162,1,10, 20 Franci 163,20
Imperator Orientis Latinorum auxilium contra Sarracenos implorat 373,31
Imperator a ſolo Deo iudicari debet 395,5
Imperatoris officium oborto de pontificatu diſſidio 541,33
Imperatoriæ contra Pontificem ſtomachationis cauſſæ 482,3
Imperatoris ad querelas pontificias reſponſum 487,6
Imperiales legati ad Græcos deſtinati 421,25
Imperatoris auctoritas in concilio cogendo 545,5
Imperium Occid. ſciſſum & confuſum vſque ad Ottonem 123,28
Improbo

INDEX.

Improborum est eos per quos profeceris deprimere 139,46
Incendiarij a Mediolanensibus subornati 529,4
Incubus 930
Indi & Iberi efficiuntur Christiani 260,38
Indiuiduum & singulare nõ sunt ad se conuertentia 438,2 aliud personale, aliud non 438,6
Indulgentiæ & immunitates militibus belli sacri ab Eugenio papa conceduntur 428,5
Infantia vnde appellata 231,11
Ingelheim 397,42
Ingenia hominum ad fabricandas hæreses schismatumque perturbationes prona 461,7 nouarum rerum cupida 387,49
Ingenium & mores perfidi Ecelini 609,20,21,22,23,30
Iniuria in legatos Henrici regis 394,12 Iniuriam pati infelicitatis, reddere criminis 384,50
Innocentius papa tertius apud Perusiũ moritur 584,1
Innocentius papa quartus 590,20 Innocentij papæ in Apuliã introitus 596,3 mors, ibid. 10
Insula Diomedea non procul a monte Gargano sita 20,15
Interrogatio spirituum 189,49
Inuectiua contra Mediolanenses 522, 24
Ioannes Baptista 59,10 ab Herode tetrarcha decollatur 247,47
Ioannis Chrysostomi feueritas 90,36, 40,44
Ioannes Chrysostomus in exilium ejcitur 91,30
Ioannes Cassianus monachus & Eremita 9333
Ioannes Mercurius 11 Romanus pontifex 162,26
Ioannes de Romano 549,35
Ioannes Domicanus Longobardis pacem suadet 586,50
Ioannes rex Hierosolymitanus 584,16
Ioannis de Scamarolla mira stupendaque audacia 592,7 a satellitibus Potestatis occiditur, ibid.
Ioannes episcopus Paduanus a suis honorabiliter suscipitur 601,19
Io Inachi filia, post Isis dicta ab Ægyptiis pro Dea culta 14,40
Ioëlis locus *In valle Iosaphat desudabo eos* quomodo intelligendus 178,12
Ionij a filio Iaphet Iano orti 10,11
Iordani episcopi Paduani mors 585,46 Chronicorum finis 103,30
Iordanus ab Ecelino incarceratur 588,7
Iordanes patricius Romanus 156,24 mors ibid.
Iosaphat, Latine iudicium 178,18
Ioseph centum & decem habens annos in Ægypto moritur 16,3 Ioseph de Christo testimonium 59,33
Iosias a sagittariis Pharaonis occisus 604,12
Iosua post mortem Moysis rector populi Israelitici constituitur 17,39
Iouinianus natione Pannonius, vir Christianiss. 85,55
Iouis mons 146,30 ab Ioue principium 462,23
Irene imperatrix Constantinopolitana 114,45 in monasterium trudi-tur 115,39
Irenæus episcopus, discipulus Polycarpi 68,35
Isaac facta est repromissio 14,36 quo tempore mortuus 15,10
Isara fluuius 471,40
Isauri, occiso Lilinge duce eorum ab Anastasio victi trucidantur 272,52
Isidori historiæ finis 106,41
Isis filia Inachi 14, 40 literas Ægyptias inuenit 43
Israelitici iudices in populo Dei post patriarchas 21,40
Ita Marchionissa de Monte ferrato 513,18
Italia a Germanis subacta 128,11
Italicæ vrbes quo iure Imperio subsint 202,45 Italiæ termini 452,51 feracitas 453,4 Italiæ diuitio, ibid. 5
Italorum erga Cæsares contumacia 453,51
Italus rex Latinorum ante Vrbem cõditam 160,43
Iudaicum & Samaraticum bellũ motum 254,3
Iudæi vim patiuntur 375,45 iniusto zelo necati 429,1 Iudæorum post tempora Machabæorum status 48,40
Iudices Israelitici post patriarchas qui 21,40 Iudices falsi puniti 570,42 Iudicium vltimum & terror seu forma iudicantis 176,20 Iudicium sedit quomodo intelligẽdum 177,15 vbi fiet 178,11
Iudinta vxor ducis Welphonis Baioariæ moritur 370,27
Iulianus ad bellum Parthicum profectus & Christianorũ sanguinem diis suis vouens, Dei iudicio a quodam hoste occiditur 262,10
Iulianus Græcus Imperat. 161,49
Iulianus Apostata 395,8
Iulij Cæsaris cruenta mors 61,1 *Vide* Cæsar.
Iura mons 413,15
Iura feudorum 509,32
Iuramentum quale Friderico imperatori facere promiserint episcopi atque aliæ ciuitates Italiæ 488,26
Iurisconsulti imperiales quatuor 508,41 Ius Imperatoris oborta de episcopatu concertatione 449,16 Ius creandi magistratus vrbium 509,20
Iustinianus Barbati filius Cæsar 108,45
Iustinianus imperator Christianiss. 103,3 trigesimo nono imperij anno mortem obit 104,9
Iustinus philosophus pro Christianis Apologeticon Antonino scripsit 251,53
Iuuania ciuitas, nunc Saltzeburga dicta, Baioariæ metropolitana sedes 443,28. 471,53 propter Alexandrum ab Imperatore proscripta, crematur 559,10

K

Kadolus iuuenis ex Baioaria necatur 457,13
Kelhaim, Ottonis comitis palatini castrum a Conrado rege obsidetur 446,28

L

Labezlaus dux Boemiæ 469,10
Labezlaus dux Boemorum, ex duce rex ab Imper. creatur 484,55,485,1
Lacedæmonij homines & Græci ac cupidissimi 33,48 a Q. Flaminio vincuntur 44,8
Lacus Comensis insula ad officium redacta 524,2 Lacus Cumanus 491,45
Lampares, vel Lamptides Assyriorum rex 23,32
Laosthenes Assyriorum rex 23, 42
Lapithæ cum Thessalis bellum gerunt 18,6. 235,53
Lascaris Græcorũ principis filia 616,20
Latinæ literæ a Carmente nympha inuentæ 18.55
Latinus filius Fauni 19,34
Latinus Syluius, Latinorum rex ante Vrbem conditam 160,44
Latinorum reges ante Vrbem conditam qui & quot 160,41
Latini Constantinop. occupant 225,30
Lauda noua inter Mediolanum & Placentiam ab Imper. Friderico a fundamentis ædificatur 203.34.505,3 Laudenses hostibus Imperij confœderati rebellant 559,26
Laurentius martyr 72,35
Laurentum regnum 18,48
Leges Salicæ 98,30 Leges Iustinianeæ 103,8 Leges castrenses a Friderico imperatore cõstitutæ 492,13.493,1,2,3,&c. de Legibus non iudicandum, sed secundum eas 507,39
Legib. ante quã armis decertandum 522,53
Legati papæ male in aula imperiali tractantur 200,12
Legati qualiter se erga nuncios Romani pontificis habuerint 489,44
Legat. papæ ab Ecelino capitur 603,53
Legatus papæ, a Palauicino in carcere coniectus, per fenestram, func manibus apprehẽso, ad terram descendit 610,20
Lemannus fl. 412,36
Lemniadum flagitia 17,26
Leo natione Syrus imperator 110,36 mors 55
Leo papa a Rom. male tractatur 114,54
Leonidæ ad milites suos dictũ memorabile 31,42 mors 46
Leodium Belgiæ vrbs 149,18. 390,6 Leodiensis & Henrici Limburg fides 390, 42
Leonina vrbs crematur 559,24 Leoninum castrum 464,2
Leopaldo Austriaco ducatus Bauariæ confertur 152,47 moritur 153,54
Leopoldus dux Baioariæ 513,17
Leuigildus Gothorum rex Arrianus, Hirmingildum filium, ob fidem catholicam securi iussit occidi 281,8
Lex Iulia maiestatis 489,20 Lex iusticiæ vnicuique quod suum est restituit 563,1
Liber pater 16,23 libidinibus polluit Indiam 16,23
Liber vitæ quid 177,8
Liber Sententiarũ P. Lombardi 201,45
Libertas res inæstimabilis 483,23, 501,21
Libertas religionis sancita 73,19
Liberius Romanus episc. exulat 84,10
Libri ecclesiæ Moguntinæ 568,27

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 136;Leibn. Marg. 136, Stück 1, [653] - -

Licentia excusandi accusato in Vngaria nulla datur 425,20
Licus fl. 354,53
Limpurg castrum in territorio Spirensi situm 415,11
Lindaugia concremata est 313,54
Linguæ tres principales 21,73
Linguarum confusio 11,20
Locusta senas habens alas 121,10
Locus in Daniele quomodo intelligēdus, *Lapidem excisum de monte sine manibus, statuam in pedibus*, &c. 137,50. 138,1. 10,20
Longobardi a Francis sub iugum acti 114,8 Imperatores 163,45
Longobardia cur ita dicta 453,37
Longobardi Græcorum spoliis ditati 615,55
Losanna 471,37
Lothatingia a Lothario rege dicta 117,12
Lotharius repudiata legitima coniuge concubinam vxorem ducit 119,40 a pontifice communione priuatur 120,7 Placentiæ diem obit 36
Lotharius dux Saxonum nudis pedibus sago indutus Henrico 5 regi se tradit 147,41 cæsar creatur 148,44 in Italiam mouet 149,26 Italiam domat ibid. 50 rex Roman. 415,47 fratrem Henricum & Conradum persequitur, ibid. 55
Lotharij Imperator in Boemiam expeditio 417,40 ibique fusus ibid. 47
Lotharij Cæsaris gesta quanta 150,9 obitus, ibid. 43
Linus Romanus pontifex 161,2
Lis de Bauariæ ducatu sublata 198,50
Lis de inuestituris episcoporum 146,55
Lis de pontificatu ab ecclesiasticis diiudicanda 545,11
Lites quomodo disceptandæ 510,18
Litahe fl. Vngariæ 425,39
Luitolfus comes de Achalm, siue de Wulflingen moritur 377,55
Lucana vrbs 613,31
Lucas castellum capitur 111,24
Lucani a Conradino superātur 623,45
L. Aurelius Commodus Roman. Imp. 161,20
Lucius Fuluius Insubres, Boios & Cenomānos grauissimo bello superat 44,17
Lucius papa a ciuibus suis opprimitur 156,15 moritur, eique Vrbanus III succedit 210,48
Lucretia a filio Tarquinij Superbi cōpressa manus sibi iniicit 28,7
Ludouicus Francorū rex Tyrū venit 442,55 Damiatā Sarracenis reddit 593,17 Angliæ regem & principes inter se vt pacem ineant adhortatur 620,20 moritur 584,44
Ludouicus Franciæ rex catholicus expeditionem in Syriam suscipit 625,50 Eius mors 626,3
Ludouicus de Helffenstein 561,39
Lugdunense concilium 590,55
Luitolfus comes de Wulfelingen 367,43
Lundonensis episcopus in Burgundia capitur 199,51
Luna duæ simul ortæ 43,55
Lunellum oppidum imperiale 459,38 a Mediolanensibus rædificatur 473,5
Luperci Romanorum vnde nomē duxerint 20,24
Luter monasterium in Saxonia 150, 48. 153,36
Lutra 485,20
Lutre, monasterium 418,23
Lutrense palatium 557,33
Lutherus rex Canthuariorum moritur 291,9
Lycaonia insula 131,18
Lycæus Arcadum deus 20,23

M

Machabæi & Scipiones contemporanei 46,2
Macharius eremita 24.34
Macrinus 70,41
Macrinus Rom. Imperat. 161,25
Magi Cambysis regnum inuadunt 31,1
Magi tres Coloniam ex Mediolano ciuitate Italiæ, deportantur 204,10
M. Iohelinus Suessionēsium episcopus 436,55
Magaentius 84,30 res gestæ 32 mors 36
Mala omnia a bonis orta esse 519,19
Mamolinus rex Africæ 586,6
Mammilus, secundum Eusebium Mamytas Assyriorum rex 23,45
Mamitus Assyriorum rex 23,41
Manchaleus Assyriorum rex 23,42
Mandra fluuius 560,42
Manes hæreticus, vnde Manichæi 73,30
Manegoldus abbas S. Georgij interficitur 378,23
Manfredus princeps Tarenti, filius Federici Innocentio papæ subiectionem in omnibus defert 596,6 magnam stragem militum ecclesiæ apud Fogiam perpetrat 596,13
Manfredi vxor cum liberis in castro recluditur 622,36
Manfredus Carolo comiti insidias struit 621,12 Romanam ecclesiā eiusque fideles in tota Italia grauiter afflixit 620,46 Apuliq; princeps occumbit 622,32
Manga, tormentum bellicum 533,31
Maniceta, castrum 560,32
Manichæus hæreticus in synodo Constantinopolitana damnatus 435,21
Mantua Ecclini armis petita 598,13 vastata, ibid. 33
Mantuanorum res afflictæ 203,29
Mantuani Hērico se dedunt 364,19
Manuel Comnenus Imperator Orientis 155,13
Manuel Constantinopolitanus Imperator quomodo insidias suorum euaserit 418,51. 505,17
Marbach cœnobium in Alsatia superiore 371,40
Marca & Leita fl. Vngariæ & Austriæ limitanei 425,42. 426,18
Marcellus papa Caij successor 75,9
Marchia Wernheri 201,28
Marchia Austriæ ducatus titulo insignitur 473,47
Marchia Anconitana 605,23
Marchia Ecelino mortuo, pace fruitur 608,51
Marchia Tarusina hortus voluptatis 604,53
Marchio de Anedehse 216,11 proscribitur, ibid. 30
Marchio Estensis Ecelino se tradit amicorum auxilio destituus 588,3 cum Ferrariensibus & Bononiensibus Mantuanis auxiliū fert 598,35 a fide Imperat. descisit 589,39
Marchioni Estensi quæ beneficia Deus contulerit 617,10,20,30,40
Marchio Opitius, cognomento Malaspina 456,44 ex captiuitate eripitur 460,33
Mare Ponticum 615,17
M. Antoninus Verus Roman. Imperat. 161,12
M. Aurelius Cæsar 70,49
M. Antonius Commodus 68,54 eius obscenitas, ibid. mors 69,21
M. Curtius miles 34,15
M. Liuius Salinator 43,12
M. Regulus vigilando necatur 41,19
M. Varro a Beli regis tempore Romanam historiam orditi cœpit 12,20
Maratho Sicyoniorum rex 16,43
Marathonij campi 33,15
Marga tormenti bellici genus 457,16
Margarita archipirata in Sicilia oculis priuatur 218,38
Mariæ Magdalenæ ossa Vezelaci reconduntur 428,37
Marnica villa regia 523,6
Marquardus dapifer de Annewil 218,7
Marra vrbs a Christianis capta 142,9
Martinopolis Saxoniæ ciuitas 448,49
Martinus abbas, ordinis Cistertiensis in Peris Alsatiæ 225,40
Martinus de Laturo populi Mediolanensis capitaneus 605,42
Martinus III papa Rom. 164,2
Mathildis Italiæ comitissa Welphoni 4 Bauariæ duci nubit 362,55
Mauricius martyr 75,9
Mauritius Cappadocus Cæsar 105,26
Maximinus Cæsar 71,19 mors 25
Maximini edictū pro Christianis 80,3
Maximianus Cæsar 74,46
Mecenatiana turris 62,39
Medicina sero paratur, cum mala pet longas conualuere moras 434,49
Medi a filio Iaphet Madeo orti 11,10 Medorum reges qui 25,16,17
Mediolanum obsidetur 201,9 Friderico Imper. sese dat, ibid. 30 a fide Frid. Imperat. descisit 203,5 Mediolanensiū clades, ibid. 16 secundo obsidetur 203,47 solo æquatur 204,4 inter Padum & Pyrenæum sita 454,8 vnde dicta, ib. 9,10
Mediolanensium superbia 454,18 obsidetur 496,55 nouo tumultu ab imperio deficit 520,46
Mediolanenses iterū Cæsari resistūt 209,3 Lunellum rædificant 473,5 ad dicendam causam citati 494,17 hostes iudicati 494,31 ingenij turbulenti 497,14 dextras petunt, & vt sibi parcatur orant 500, 13 variis modis attriti suadente Guidone comite, tractant de pace 500,50 quomodo in gratiam sint recepti 501,47
Mediolanensibus pacis conditiones dictæ 502,3,20,30,40,50. 503,1, 2,3,4
Mediolanenses supplices veniā petunt 503,41 vbi ad conspectum principis admissi sint, & qualiter, ibid. 28 pace confirmata in gratiam recipiuntur, ibid. 52 quomodo de

do de opido Manerbe fugati sunt 534,12. citati Friderici iram magis acuunt 523,6. eorum insipida responsio ibid. 12. læsæ maiestatis rei 524,50. Tertium castrum expugnant 526,48. funditus destruunt 527,15. infesto exercitu a Friderico Imperat. petiti. ibid. 23. eorum clades 528, 3. stratagemate clade a Friderico affecti 531,30. contra vitã principis cum quodam consilium ineunt 528, 23. nouam Laudam per quosdam incendere conãtur 529,3. a Cremonensibus vincuntur 583, 4. cum amicis ecclesiæ ad recipiẽdum illustrem Comitem Carolum se præparãt 621,2
Mediolanensium cum Ecelino pugna 608,37
Mediolanẽsis archiepiscopi ad Friderici imperatoris orationem responsio 507,55. 508, 1, 2, 10, 20. militis temeritas 499,16. proditio extinguitur 605,49
Mediolanẽsium obsides suspenduntur 207,5. ferocia 472,53. eruptio 497,34. eruptio contra Henricum ducem Austriæ 498,45. perfidia grauissime incusata 521,33
Mediolanensib. primitiæ belli contra Fridericũ imper. infaustę 495,16
Meliades Rom. pontifex 161,45
Melich magni Soldani filius 561,31
Melius ad summum est quam in summo 408,42
Memphis in Ægypto ab Api Argiuorum rege condita 234,45
Menander hæreticus 66,15
Merciorum gens Christiana efficitur 288,19
Merseburgicus conuentus 448,49
Methodus a genere ad destruendum, a specie valet ad construendũ 444,2
Miles iusto bello sanguinem fundens 455,18
Militum incõsulta temeritas a Cæsare reprehensa 496,19
Militis cuiusdã spectata virtus 458,10
Minerbium opidum 534,12
Minerua cur Tritonia dicta 15,8
Mineruæ cur dicatæ Athenæ 16 32
Minorum fratrum origo 583,43
Minotaurus 18,3
Mintianus fluuius 623,26
Miracula in Rom. ecclesia facta 157,22
Miracula Volconis sacerdotis 223, 30,40,50. 224,10,20,30,40,50.
Mitheus, vel Mitreus Assyriorum rex ibid. 35
Mithridates Ponti Armeniæq; rex 73, 37. Eius res gestæ 40,41,42,50
Modœtia opidum restitutum 504,15
Modœtia regni Italici sedes imperio vindicata 512,53
Moguntia a Druso fundata perhibetur 56,19
Moguntiæ conuentus imperii 388, 30. descriptio 414,43. Moguntiæ seditio oritur 347,27
Moguntinæ synodus Henricianorũ 357,10
Moguntinensium clades 413,24. ornatus & opes 567, 32. sacrarum vestium pretium ibid. 40
Moguntinæ ecclesiæ vnde tantæ opes 599,32
Moguntinensium ciuium funestus tumultus 570,31
Moguntini omnibus iuribus, & libertatibus ac ptiuilegiis ob Arnoldi cædẽ perpetuo sunt priuati 572,46
Moguntinus archiepiscopus a seditiosis ciuibus mactatus 571,25
Mogũtia iterũ pastore orbata 573,5
Moguntini summi templi conflagratio 573,49
Monachorum cœlibatus 159,24. sedilia a fulmine dissipata 371,37
Monasterium S. Blasii 353,8
Monasterium canonicorum regulariũ prope Tullũ constituitur 374,44
Monasteria S. Galli, & S. Bonifacii cremantur 313,11
Monitoria ad quosdam Germaniæ episcopos de negotio litis Magdeburgensis 450,33
Monitoria ad sopiendas gliscentis incendii scintillas 520,4
Mons Gaudii 464,16
Mons Iouis 413,15. 471,37
Mons Bardonis 453,1
Mons Iemulæ 618,18
Mons clarus subuerritur 588,24
Mons S. Ioannis, castrum 528,2
Mons Romaricus 105,38. eius in somnis visio 49, cædes miserabilis 106,8
Mons Biliardi 471,19
Mons quidam se in Danubium præcipitat 367,34
Monstra quadrupedia de nocte visa 515,45
Montagnana ab Ecelino obsidetur 588,44 diuino iudicio concremata 590,28
Monstrosi an resurrecturi 174,50
Monticulli capiuntur 582,4 intempestiua audacia 583,24
Moriannæ vallis 466,42
Morimundense cœnobium 513,30
Morimundensis abbas 217,16
Mors libertatẽ animis præstat 533,44
Mortui qua ætate, sexu vel forma sint resurrecturi 174,8
Mosa fluuius 146,6. 390,51
Mosburk castrum 122,23
Mos priscus Cæsare apud Roncalias castrametante 452,32
Mos ferẽdi crucẽ apud Italos 508,46
Moyses quando natus 16,5 quorum principum tempore filios Israel de Ægypto eduxerit 16,43 quot annos populi Dei ductor fuerit 17,39
Mumma castrum Mediolanensium cremator 455,35
Mulierum Moguntinensium in archiepiscopum mortuũ sęuitia 571,55
Mundus malorum illecebris repletus 180,25
Mundi tres partes 9,10
Mulnhausen oppidum 222,55
Munzun arx Burgundiæ 413,45
Musæ morientes perdunt suauitatem vnguenti 41,27
Musipulæ & occultæ foueæ oppugnantibus Cremam structæ 542,3
Mutinum 489,30
Mutinenses, necessitate cõpulsi Bononiensium dominio se tradũt 593,7
Mysterium iniquitatis 168,55

N

Naba fl. in Danubium illabitur 469,33
Nar fluuius 465,31
Narratio de periculis atque laboribus expeditionis Asiaticæ Frid. Imperatoris 560,23
Narses patritius Totilam Gothorum regem victum occidit 280,5
Narseus Persarum rex Orientem deuastat 74,46
Natiuum non potest esse non compositum 408,54
Natura non idem est quod naturæ res 440,37
in Naturis nullum simplex Individuum esse potest 438,4
Neapolis obsidione cingitur 217,10
Necessitas præliandi ex prærupto periculorum militem reddit promtum 457,2
Neimerius filius Petri Polani ducis Veneti legatus 556,8
Nemesis diuina in falsos iudices 570,42
Nero Cæsar vir omnium nequissimus 62,33 eius luxuria 6 magistrũ suum Senecam occidit, ibid. 42
Nero vt similitudinẽ Carthaginis ardentis videret magnã partem Romæ incendit 249,7
Neronis domus aurea fulmine concrematur 66,8
Neronis cisterna 550,40
Nerua moritur 66,1
Nestorius Constantinopolitanus episc. hæresin condit, sanctamq; Mariam θεοτόκον negat 276,46
Neuhausen 570
Nicasius episcopus Remis martyrio coronatur 96,38
Nicephorus Orientis Imper. a Bulgaris necatur 115,39
Nicolaus hæreticus, sine vlla reuerentia & pudore promiscuos & illicitos concubitus licere affirmat 66,20
Nicolaus de Lendenaria de proditione apud Ecelinum accusatur 591,53
Nigripontis insula 615,27
Nilus a Moyse in Genesi *Geon* vocatus 589,21
Nina, seu Niniue ciuitas a Nino rege condita 12,38
Ninus rex Assyriorũ Zoroastrem magicæ artis repertorem, interfecit 12, 40 quinquagesimo regni anno in oppugnatione vrbis cuiusdam interiit 13,10
Niuissa ciuitas, idẽ quod Niniue 12,30
Nizo Frisingensis episcopus 333,33 Kauennæ moritur, ibid. 35
Noe bibens vinum inebriatur 11,10
eius filij tres ibid.
Noemiticius rex Britonum 119,23 eius in somnis visio ibid. 25
Nomina regum Assyriorum a Belo vsq; ad Sardanapalum 23,28,30,40
Nomina eorum qui in electione Victoris consenserint 553,10,20,30
Noriberga a Lothario duce Saxonum obsidetur 415,55 obsidione liberatur 416,11
Norinberch castellũ obsidetur 387,50
Non iusta iniuste petenti, cuncta iuste negantur 463,46
Nortmannorum grassationes 118,36 per Galliã rabies 122,34 Apuliam Roberto Guiscardo duce inuadunt 136,19 in Calabria grassantur 341,19
Nortmannici Imperij in Apulia ortus 408,5
Nouaria Liguriæ ciuitas ab Henrico 5 rege capta & cremata 146,41
Nouaria ciuitas Italiæ, eiusq; comes Guido Blanderatensis 455,37
Nouiomagum 557,31

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 136;Leibn. Marg. 136, Stück 1, [655] - -

Nuceria à rege Catolo capta 625,37
Nuinburg castrum 205,17
Numa Capitolium a fundamentis ædificauit 27,7
Numantinorum interitus 46,20
O
Obertus Palauicinus in rectorem Placentini populi eligitur 593,49
Obitus illustrium virorum 151,2
Obizo, Azonis marchionis nepos 593,8
Obizonis Estensis nuptiæ 616,46
Octauianus Augustus Rom. Imp. 161,2
Octauianus tit. S. Ceciliæ presbyter cardinalis 525,2
Octo animæ in arca Noe seruatæ 10,10
Odera fluuius 477,13. 478,11
Odij inter Saxones & Boemos initium 428,9
Odo Comes Imperatori in Gallia rebellat 134,8
Odoacer Phœbam regem Rugorum vincit & capit 272,53
Odoacer Stirensis Marchio 466,41
Odoardus Angliæ regis filius 625,51 ad portum Carthaginis appropinquat 626,25
Offtaticus, vel secundum Eusebium Orphateus Assyriorum rex 23,44
Ogygij diluuium 15,8
Oleum flumen 603,34,623
Olybrius Imperator 271,49
Olympia mater Alexandri Magni cũ filio Hercule a Cassandro & Antigono interimitur 37,15,16
Omne esse ex forma est 410,4
Omni composito aliud est esse, aliud ipsum est 410,53
Omnium rerum vicissitudo 501,20
Onariana familia, Bassani comitum 580,38
Onstrut flumen 346,14
Opera Trinitatis inseparabilia 440,42
Ophiusa insula, quæ & Rhodus 14,52
Ophratanes Assyriorum rex 23,45
Oppenheimij colloquiũ habetur 354, 33 conuentus Imperij 346,52
Opportunitas obseruãda in omni negotio 583,23
ex Oppositis fiũt generationes 409,6
Oratio superuacua est de vtilibus, quãdo omnium habitatorum conspirat ad deteriora consensus 543,41
Oratio Imperat. ad milites 493,41
Orcades insulæ 62,17
Orci castrũ in territorio Brixiẽsi 605,22
Ordinationi diuinæ restitit qui potestati restitit 501,25
Ordines quatuor iudicantium & iudicandorum 177,35
Ordo agminũ militarium 496,37
Orthopolis Sicyoniorum rex, sub quo Moyses natus 16,6
Ortlibus Basilienſis episcopus Hierosolymam venit 442,42
Ostillę castrum a Mantuanis funditus destructum 590,40
Ostrogothi Thraciam inhabitant 94,1
Oswaldus rex Anglorum pro patria pugnans, a Penda rege Merciorum occiditur 287,3
Otto Frisingensis episcopus, & Henricus dux Austriæ inter se dissidentes, in pristinam pacem & concordiam ab Imperatore reuocantur 485,4 mors 512,49. 513,5. 514,18 eius genus & cognati, ibid. 13 vitæ religiosæ institutum, ibid. 30
Otto imper. iuxta ciuitatẽ Goslariam in Saxonia argenti & æris venas primus inuenit 131,2 eius in Italiam expeditio 129,20
Otto Cæsar in Italiam mouet 217,35 eiusdẽ cõsecratio & coronatio, ib. 53
Otto I qui & Magnus 127,40. 314,4
Otto II Magni Ottonis filius 131,12 *Pallida mors Sarracenorũ* dictus 31
Otto III Imperator ob ferociam & animositatem *Mirabilia mundi* dictus 31,32
Otto IIII Cæsar ab Innocentio papa coronatur 582,12 ab eodem vinculo anathematis innodatus, ibid. 15 a Franciæ rege superatus, ibid. 30
Otto Saxo a quibusdam rex eligitur 223,10 in regem Roman. vngitur, ibid. 27
Otto Nouariensis episcopus 336,40
Otto dux Baioariæ ab Henrico rege ducatu priuatur 344,35 regi Henrico fit supplex, ibid. 37
Otto Strasburgensis schismaticus, moritur 378,37
Otto Morauiæ comes Boemiam affectat 417,35
Ottonis Witelspachij encomiũ 488,3 magnanimitas 489,4
Ottonis palatij comitis de Baioaria virtus 543,14
Ouidij poeta in exilio moritur 247,32
οὐσία, essentia 483,12
οὐσιοῦν, subsistentia, ibid.
P
Padi fluminis exundatio 357,21
Padua ab Ecelino de Romano obsessa 600,55 tradita 587,54 a legato pontificis capta Ecelini carceres aperiuntur 599,31 Paduani Baybæ turrem obsident 583,28 arcem comitis Estensis obsidione cingunt 583,9 Paduanorum victoria contra Ecelinum 603,5
Palatium Templariorum 442,49
Palla Zoli pons 605,37
Palauicinus dominiũ Brixiæ assecutus, Ecelini vestigia imitatur 610,10
Palæologus nobilissimus Græcorum 466,13
Palæologus ad imperium Romaniæ aspirat 615,4 totius Græciæ principatum obtinet 614,55 corruptis custodibus auro Constantinopolin capit 615,20 eius mors 472,5
Palentinus campus 624,6
Palermum ciuitas Siciliæ 218,50 Sicilię metropolis, in qua opifices qui sericos pannos texere solent a Rogerio collocantur, suosq; artem illam edocere præcepit 426,39
Pamasus mons 16,19
Pamiras, secundum Eusebium Pannias Assyriorum rex 23,33
Papienses Cæsarianorum iugũ excutiunt 601,34 Papiensium contra Mediolanenses crudelitas 500,20
Paradisus in terra Eden creata 9,20
παραίνεσις paterna ad filium 396,49
Parcere prostratis & debellare superbos 478,41
Paris, mons in Armenia 10,20
Parma Parthenopei picta 177,22
Parma ciuitas qualiter capta 592,23 cremata est 134,15 Parmenses a Cremonensibus vincuntur 593,28 Victoriam opidum a Friderico Imper. conditũ, capiunt, comburuntq; 592,41
Patthenopeus pictus 177,22
Paschalis post Vrbanum pontifex eligitur 378,8
Pastoris boni est tondere pecus, nõ deglubere 58,47
Patauium in Eugeniis conditum 19,30
Patriarcha Ierosolymitanus in papam electus, Vrbanusque 4 nominatus 614, 41
Pauli locus 1 i Thessalonic. 11 explicatus 168,37. 169,9.18
Paulinus Treuirorum episcopus in exilio obiit 261,46
Paulus eremita 82,41
Paulus Trauersarius, dominus Rauennæ, moritur 589,53
Pax inter Persas & Romanos rumpitur 104,20 Pax Christianorum cum Sarracenis 219,43 Pax a Conradi morte edicto sanctitur 386,43
Peccoratius, vir sapiens & politica scientia decoratus 583,23
Pecenati gens immanis, equinis & canis carnibus vescitur 123,44
Pecuniæ obediunt omnia 615,11 Pecunia regia a Placentinis intercepta 524,12
Pelues Moguntinæ ecclesiæ 568,30 πενταπόλις 13,55
Per eum hæreticus damnatur 439,28
Peregrinus Aquileiensis patriarcha 466,39
Perlesch, id. est collis ex mortuorum ossibus compactus 56,28
Peremtorium edictum 494,20
Periander Corinthius vnus e septem Græciæ sapientibus 27,28
Perillus faber ærarius taurum æneum fecit, quo nocentes intromissi, ignibus appositis torquerentur 26,44
Persarum Monarchiæ finis 35, 53 a Perseo rege dicti 17,21
Persecutio Christianorum prima 62, 54 *Vide* Christianorum persecutio.
Persecutio ecclesiæ quadrifaria 168,26
Per se vnum quid sit 438,27
Perseus a quo Persæ vocati 17,20
Persona Boetio quid 437,40
Pessimum est, præsente Imperatore sine rectore pugnare 496,20
Pestis sæuissima 372,7
Pestis nulla efficacior ad nocendum, quam familiaris inimicus 534,37
Petri apostoli locus de exterminatione sæculi explicatus 171,44
Petri & Pauli apostolorum martyrium 63,29
Petrus Abelardus Britann* 433,35 eius error de Trinitate damnatur 434,1
Petrus Baiulardus hæresin Arrianam resuscitare molitur 197,40
Petrus Damiani præsul Ostiensis 344,1 moritur 345,1
Petrus Polanus dux Venetus inter Græcos & Latinos pacis arbiter constitutus 420,23
Petri Lombardi mors 201,45
Petrus cantor Parisiensis 219,48
Phaethontis fabula 17,7
Phalaris Siculus tyrannus 26,43
Phaleia castrum 133,39,50
Pharsalicum bellum 50,20
Phegius frater Phoronei a Græcis vt Deus adoratus est 14,40
Philippus Macedo Amyntę filius 34,39
Philippus I Cæsar Christianus 71,46
Philippopolis ciuitas opima, expugnatur 213, 48

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 136:Leibn. Marg. 136, Stück 1, [656] - -

INDEX.

Philippi regis cædes 216,13
Philippi Cęsaris percussores proscribuntur 216,30
Philippus Galliarum rex excommunicatur 372,26
Philippus dux Alemanniæ 222,4 cum periculo Italiam euadit 222,26 in Imperij tutorem eligitur,ibid. 50
Philippus rex Galliæ in piorum communionem recipitur 375,53 cum Carolo rege Nauarræ Tunetũ obsidet 626,11
Philippus episcopus Ferrarienſis sedis apostolicæ legatus 591,36 eius audacia & sagacitas,ibid. 38
Philippo Rauennati archiepiſ,qualiter officiũ legationis cõmiſſum 597,45
Philo Iudæus 60,31
Phocas imperator 106,16 mors 28
Phoroneus Inachi filius, Argiuorũ rex 14,38
Phullendorf comitatus 207,36
Picus Saturni filius 18,48
Pilatus suo se gladio interficit 60,44
Piligrinus Agrippinenſis archiepiſcopus moritur 322,30
Pipinus Longobardos domat 113,19
Piſani cum Lucenſibus bellum gerunt 155,27 Piſana sedes archiepiſcopali dignitate aucta 372,44 Piſani præcepta Pontificis & regis Caroli contemnunt 622,49 Piianus portus 623,32
Piſcaria 603,35 obsidetur 582,3
Pittacus Mitylineus vnus e septem Græciæ sapientibus 27,27
Placentia solo æquata 203,30 Placentina synodus 373,9 eius acta & statuta,ibid. 18 Placentini hostes declarati 534,35 Placentinorum & Cremonenſium disceptatio 512,31 Placentini Cremonenſium auxiliũ implorant 593,49 mulctati 512,46 Cæſarianorum iugum excutiunt 601,34
Placidia soror Honorij capitur 92,42. moritur 269,51
Πλάτων φιλεανίζ,ἢ φίλων πλατωνίζ, prouerb. 60,40
Plato mundũ abditis naturæ rationibus,aqua prius,post igne purgandum asserit 171,36
Plebeculæ vilis ingenium bellica tempeſtate ingruente 494,40
Pœnæ æternæ an peccantibus temporaliter iure irrogentur 181,50 Pœna in Moguntinos perduelles constituta 572,44
Pœnitentia duplex 182,43
Pœnus Hannibal 385,6
Pola,Hiſtriæ ciuitas 443,26
Poloniæ descriptio 477,11 Imperij fasces agnoscit 149,41 impetio tributaria 132, 20. 199,5 Polonici belli cauſſa 477,30 Poloniam a Friderico Imper. vastata 478,20 Poloni adeo desperatione correpti ꝓpriam patriam suis manibus incendio vastant 478,22 famis tempore se deuorant 477,18 piraticam exercent,ibid. 19
Polycarpus Smyrneorum episc. 48,13
Pompeius Magnus in Asiam cum exercitu ablegatur, totumq; Orientẽ pene Romanorum imperio breui subiecit 48,13 mors 50,26
Pons Tremulus, oppidum natura loci munitum ab Henrico V rege expugnatur 146,37
Pontifex Moguntinus apud papam inſidioſe accuſatus 569,52 Pontificum trium inter se diſſenſio 135,13
Pontificis in Henricum anathema in Germania diuulgatum 355,23 ad Germanię episcopos epiſtola 485,53 legati cum indignatione dimiſſi 482,24 grauiſſima postulata ab imperatore 525,21 legatus Ecelino Paduam eripit 599,18
Popilia virgo Veſtalis ob ſtuprũ viua defoſſa 31,34
Popio Aquileienſium patriarcha 135, 51. 324,7
Poppo Treuirorũ archiepiſcopus moritur 324,30
Portetanus Pictauienſis episcopus ad dogmatis sui discuſſionem vocatur 430,51. 431,1 eius dogmata 436,26
Portus S. Simeonis 442,34
Porus rex Indiæ miræ magnitudinis & fortitudinis vir 36, 24 domum aueam, vineam quoq; argenteam & auream, racemiſque ex gemmis pretioſis habuit 29
Poſonium caſtrum Vngariæ 146,23
Potentioribus cedendum 501,25
Praga Boemiæ metropolis 154,10
Prædicatorum fratrum origo 583,44
Prælium inter Theſciſces, Charathaſos,Phoroneum, & Pharphaſios 14, 49 Prælium ad Thermopylas 31, 39 Prælia diuerſa per expeditionẽ Hieroſolymitanam ſopita 423,46 Prælij inter Vngaros & Boemos deſcriptio 614, 15 Prælium inter Conradinum & Carolum Andiouinum 624,5
Præſidij Romani internecio,indeque noui motus 386,1
Praxedis Imperatricis ad Welphonem ducem Italiæ fuga 370,23
Presbyter Ioannes rex 157,50 Chriſtianus ſed Neſtorianus,ibid. Perſas in fugam vertit,ibid. 54
Primitiæ belli Mediol. infauſtæ 495,16
Principes in Mediolanenſes vindictam decernunt 522,23 Principes quidam gentiũ tanquam dij culti 234,4 Principum quorundã fœdus contra Henricum Imperat. 370,43
Principiũ vnũ,& vnũ æternum 490,12
Principalia feuda ſunt indiuidua 510,13
Procas rex Albanorum 22,42
Procas Syluius, Latinorum rex ante Vrbem conditam 160,54
Prodigia in Vngaria 367,33 Prodigia quæ Friſingenſis vrbis conflagrationem præceſſerint 515,40
Prognes & Philomelæ parricidiũ 17,24
Prometheus quo tempore vixerit 16,8
Proponticum mare 432,23 cur ita dictum,ibid. 27
πρόσωπον 437,37
Ptolemæus Lagi filius 48,27
Pugnæ acris deſcriptio 532,29 Pugna inter Manfredum & Carolum Andiouinum 622,16,20,30,31,32,35 inter Ecelinum monachum & Marchionem Eſtenſem 581,49 inter Ecelinum & Mediolanenſes 608,37
Punici belli exordium 40,20. 45,28
Purgatorium an ſit 183,28
Puto diaconus Palatij in Iudaiſmũ lapſus 304,12
Pyrrhus hæreticus exulat 107,43
Pyrrhus Epirotarum rex 38,41 eius geſta 39,10,20 vincitur a Romanis 39,20 xx millia de exercitu cadunt,ibid. ab Italia fugere compellitur,ibid. 23 Pyrrhi de captiuis præclara ſententia 39,25 mors 40
Pyritiades,vel Triciades Aſſyriorũ rex 23,43
Pythagoras ex malleorum ictibus diuerſe concrepantibus Muſicæ ſeptẽ diſcrimina vocum inuenit 27,37.

Q.

Quadi Pannonias armata manu ingrediuntur 72,12
Quæſtio,num eccleſiaſticis temporaliter dominari liceat 77,26,27,28, 30,40
Quanto quis maior eſt,tanto ſummiſſius ſegerat 408,41
Quendelburgenſis ſynodus contra Henricum a põtificiis indicta 356,4
Querela de huius temporis moribus 144,18,30
Quicquid eſt, genuinum eſt, vel natiuum 408,51
Quicquid componitur ab alio componi neceſſarium eſt 409,15
Quingentiani Africã impugnãt 74,46
Quinorianũ caſtrum obſidetur 592,21
Quintianum caſtrum Mediolanenſes funditus euertunt 621,36
Quintius Cincinnatus ab aratro ad faſces adſumtus 32,20
Quintilij Vari clades 56,23
Q. Flaminius conſul Philippo Macedoni pacem dat 44,6 Lacedæmonios vincit 44,9
Qui tacet ſatis laudat 382,15
Quod ab alio componitur, ab alio eſſe neceſſe eſt 409,15
Quod reuerentia dignum eſt in fame negligitur 500,44

R.

Raba fluuius 325,10
Radulphus monachus multa hominũ millia ad accipiendam crucem accendit 428,50
Raimũdi Prouincię cõitis liberi 620,23
Rainaldus filius Marchionis Eſtenſis in Apulia moritur 594,3
Rapoto Palatinus comes de Baioaria moritur 377,39
Ratio interpretandi hypoſtaſin perſonam 438,17
Ratiſpona Baioariæ metropolis muris ampliata 114,3 Ratiſponæ peſtis graſſata 371,29 Baioariorũ quondam regum,modo ducũ ſedes 469, 35 Ratiſponæ etymon 469,35 cõuẽtus Imperij habetur 469,30,484,7
Recapitulatio de ſchiſmate Romanæ eccleſiæ,& quando vnus cõſecratus ſit,& de hoc epiſtola eius 534,51
Regalium tradendorum ritus 488,53
Reges Perſarum qui 36,1,2,3
Reges non per ſanguinis propaginem deſcendunt, ſed per principum electionem creantur 447,28
Reginaldus Munzunenſis comes 431,53
Reginaldus Cumanus episcopus moritur 353,29
Regino fluuius 388,13
Regis officium 507,25
Regna quatuor quæ Daniel in expoſitione ſomnij Nabuchodonoſor vidit 29,33 Regna Gothorum duo, Wiſigothorũ & Oſtrogothorũ 88, 33 Regnum Aſiæ ad Rom. 47,25

Regnum Græcorum omni sapientia & discretione hactenus floruit 420,43
Regnum accipere facile, difficile tueri 382,7
Regni Germanorum & Francorum comparatio 130,28
Regnus fl. in Danubium influit 469,33
Reguli Romani consulis virtus 40,41
Reinaldus Antiochēsis princeps a Sarracenis Damasci decollatur 212,10
Reinaldus Burgundiæ comes 471,19
Reinaldi comitis a Dassele imperialis cancellarij encomium 488,3
Reinoldus Burgundiæ comes capitur 413,44
Reginoldi episc. Colon. mors 206,44
Remaclus Traiectensium episcopus moritur 108,50
Remus & Romulus vrbis Romæ conditores 25,30
Responsiua Adriani papæ ad Imperatorem 517,33
Responsio principum ad conquestionem Frid. Imper. de Mediolanensibus fœdifragis 521,14
Resurrectio mortuorū quibus auctoritatibus probetur 173,39 bifaria, animæ & corporis 174,53
Res Græciæ descriptæ 36,7. 37,10
Res mundanæ cum sint transitoriæ spernendæ 180,53
Rex vbi non est gubernator non potest a populo pax haberi 574,12
Rex Castellæ in Roman. regem eligitur 601,53 legatos ad pontificem ablegat 602,2
Rhemense concilium 439,16
Rhenus nobilissimus fl. ex trium Europæ nominatissimorum fluuiorū vnus 470,35
Rhodus insula olim Ophiusa dicta 14,52
Ricardus comes S. Bonifacij sub specie pacis comprehenditur 584,51 in Verona capitur 586,16 liberatur cum suis, ibid. 33 mors 594,16
Richardus regis Angliæ frater Rom. rex eligitur 601,52 capitur 620,16
Richardus de Scerre comes patibulo suspenditur 218,18
Richardus rex Anglorum a Leopaldo Austriæ duce capitur 217,40
Richaredus rex Hirmingildis frater. cū tota gente Gothorū ad Catholicam fidem conuertitur 281,15
Richinza imperatrix 152,20
Rinecca arx in Rheni litus posita, a Conrado rege expugnatur 445,53
Riualta ciuitas super Athesim 587,31
Riuola arx 488,17
Riuus in S. Iustinæ cœnobio ductus 585,44
Robertus Guiscardus quomodo cum Romanis Campaniam & Apuliam occupauerit 408,6
Robertus comes, frater Ludouici regis Franciæ ab Eccelino capitur 593,21
Rogerius Apuliā recuperat 152,33 eius in Reginaldū ducem & Brunonem episcopū mortuos, fœuitia, ibid. 38 triremes in Græciā destinat, captis atq; expugnatis quibusdam ciuitatibus ac arcibus, captiuos abducit 426,28,30
Rohais, siue Edessa ciuitas Syriæ 427,37
Rolandus quādo cōsecratus sit 535,44
Roma a Remo & Romulo fratribus condita 22,33 quo tempore cōdita 25,49 post Alexandrū tanquam amisso pædagogo crescere cœpit 37, 27 Dei cōsilio orbis domina 53,37 a Gothis capta 92,29 Babyloni similis 40 ab Odoacro inuasa 97,29 Babyloni similis imperio 50 vi capitur 206,26 cupiditatis ancilla 385,1 ab Henrico Imper. obsidetur 385,7 expugnatur, ib. 23 cur modo Tuscia vocetur 453,9 pro Arabico auro Teutonicum accipit forum 464,48
Romæ pestis adeo desæuit, vt diceb atur, quod mulieres maritis viduatæ, ab exteris ciuitatibus expetere connubia cogerentur 559,36 generalis synodus habita 377,43 sub papa Innocentio 583,38 Romanæ ecclesiæ ius in regna Occidētis 80,49
Romana virtus indomita cuncta perdomuit 462,13 Romani sedem mutare coacti 33,38 a Samnitibus victi 37,40 Samnitibus fidem datā non seruant 39,48 bellumq; Papyrio Cos. instaurant, ibid. Carthaginem funditus delent 45,19 Christum recipere nolunt 60,13 pontificis habenas exeutiunt 156,45 pōtifici reconciliantur 158,16 aduersus suum pontificem concitantur, & senatoriam dignitatem instaurare molliūtur 422,21 Imperatores qui & quot 161,1. 162, 1, 10, 20, 30, 40, 50. 164, 165 pontifices 161,1. 162 reges 27,10 Romanorum bellum contra Tarentinos & Pyrrhū Epirotarum regem 38,54 ingens clades 40,32 regnum Babylonico simile 129,40 exercitus a Moguntino episcopo funditur 206,5 Romanorum x v millia occisa, ibid. 22 absurda & insolentia a Cæsare postulata 461,53 contra Imper. Frid. insurgentiū clades 464,37 Romanū imperiū totius orbis asylum 484,17
Romādiola olim Æmilia dicta 453,29
Romanenses indignantur ipsis inconsultis factam in fidei negocio determinationem 441,20 eorum contra papam Eugenium oratio, ibid. 23 conciliantur, ibid. 45
Roncaliæ quibusdam episcopis bona abiudicantur 452,40
Roncaliense placitum 506,15
Rosatum oppidum 455,20 crematur ibid. 23
Rotardus Mogunt. episc. multa Rom. ecclesiæ contraria condemnat 143, 54 sedi suæ restituitur 144,54
Rubea turris a Tarquinio Superbo olim facta 456,36 *Vide* Tarquinij turris.
Rudolfus comes de Phullēdorf 207,54
Rudolfus Rinfeldēsis Rom. rex 347,23
Rudolfus Sueuorū dux aduersus Henricum Cæsar renunciatus 411,54 necatur, & in ecclesia Merseburg sepelitur 412,4
Rudolfi & Henrici bellū ciuile 349,11. 383,18 mors 350,25
Rudolfus periurus dexteram & vitam amittit 383,37
Rudolfus Zeringius a ciuibus Moguntinensibus occiso Arnoldo archiepiscopo, successor datur 572,16 a pontifice repudiatur, ibid. 30 brachium a cruce illa quę *Benna* vocabatur ad vsus necessarios amputauit, ibid. mors, ibid. 58
Rufach villa 389,41
Ruodbertus Wiscardus dux Calabriæ & Apuliæ 353,48 Romam armata manu inuadit eamq; spoliat 354,37 mors 358,18

S

Sabinæ raptæ in Salibus ludis 25,50. 238,36
Sacrarum vestium Moguntinensis ecclesiæ pretium 567,40
Sacerdotib. coniugiū interdictū 343,6
Saladinus, *Vide* Soldanus.
Saladini regis Sarracenorum victoria & successus in Palæstina 212,3
Salicæ leges 98,30
Saliniguerra in Ferraria obsidet 584,52 a Paduanis fugatur 586,24 Ferrariæ tyrannus capitur, Venetiisque in carcere custoditur 589,52
Salomon Dauidis filius 21,53
Salomonis templum 442,49
Saltzburgēsis episcopi vita 553,30. 48
Samia Sibylla 27,9
Sanbassan, castrum 532,27
Sancti qualia corpora post resurrectionem habeant 186,22
S. Benedictus 104,3
S. Blasius insigne monasterium ordinis Benedictini 196,36 371,43
S. Bonifacius martyrio coronatur 113,28
S. Bonifacij castrū destruitur 590,36
S. Corbiniani miracula 112,54. 113,1,2
SS. Dominicus & Franciscus fratrum Prædicatorum & Minorum auctores 583,48
S. Germani ciuitas a Carolo deuicta & fugatis militibus, obtinetur 621,40
S. Georgij cœnobium 369,33
Sanctus Gregorius papa Columbanus 105,29
S. Iacobi cœnobium 571,25
S. Iustinæ cœnobium 581,44
S. Maternus 62,6
S. Pirminius 110,49
S. Zenonis castrum 608,26
Sanguinus Halapensis Syriæ ac Mesopotamiæ princeps 155,51
Sanguis de panibus prope Danubium ad aquam duplicem effluere visus 366,31
Sapor rex Persarum Mesopotamiam vastat & Christianos persequitur 260,54
Sarcasmus in pseudoastrologos 602,37
Sardanapalus regni Babylonici rex vltimus & corruptissimus 22,50,51 inter scortorum greges colum habitu muliebri tractat 23,53
Sarraceni in Imperio grassātur 107,19
Sarracenorum ad Godefridū ducem legatio 141,22 ingens clades 142, 34 religio 143,26
Sarraceni Auinionē vrbem capiunt, & circumquaq; regiones deuastant 296,1 Damiatam funditus diruūt 593,25 contra Francigenas rebellant 623,18
Sarracenorum contra Christianos exercitus collectio 584,13 ex Africa in Italiā transeunt 620,35 cum Tartaris bellum gerunt 624,54
Sarepta oppidum Sidoniorum 442,35
Saturni aurea secula 459,51
Saturninus hæreticus 67,4
Satyri ante conflagrationem ecclesiæ Frisingensis auditi 515,51

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 136:Leibn. Marg. 136, Stück 1, [658] - -

INDEX.

Saxonia ciuili laborat discordia 344,9. regi Henrico rebellat 345,30.408, 27. cum Henrico duce Bauariæ bellum gerunt 559,6. Saxonum acies ab Henrico IIII Imp. victa, non obstinatio 382,12. eorum infelix deditio ibid. 18. in Saxonia magna fames 367,9
Scanzia insula 453,24
Schafhusianum monasterium 353,9
Schisma pontificum 149,14.202,10. 531,51. Schismaticorum sacramenta num sint efficacia 305,10. Schisma in Imperio & pontificatu Moguntinensi 574,26
Schiren monasterium 516,21
Scipio Africanus 42,54. ei pax conceditur 43,44. cur Africanus dictus 43,45. procōsul factus qualiter Pœnos deuicerit 42,55. apud Linternum oppidum, Vrbe a ciuibus ingratis pulsus, vitam finit 44,31
Scirensis Comes perfidiæ suæ pœnas luit 128,32
Scuta duo sanguinem sudarunt 43,55
Scytharum regnum quando exortum 234,7. ad Vesorem regem Ægypti ridiculosum responsum 18,12
Sedes patriarchales quæ 55,9,11,12
Sedes sedent in iudicio quomodo intelligendum 177,17
Semina quando ptrius in Græciam delata 15,54
Semina noui dissidii sparsa inter Adrianum papam & Fridericum imperatorem 516,35
Semiramis vxor Nini, mulier viro immanior, Æthiopiam & Indiam ferro domitas subiecit 13,20. Babyloniam instauravit ibid. 21. a filio Nino interficitur ibid. 41
Senatorius ordo Romæ instauratur 154,36
Senenses præcepta pontificis & Caroli regis contemnunt 622,49
Sennaar campus, in quo turris Babylonica condita 11,10
Senogallia 466,44
Septimus mons Rhetiæ, ex quo Rhenus & Ænus fluuii oriuntur 148,55
Sepulcrum filii Henrici violatur 382,9
Septuaginta Bibliorum interpretes a Ptolemæo Philadelpho instituti 48,32
Serapis Ægyptiorum idolum 15,35. cur non Apis sed Serapis dictum ibid. 38
Serapidis templum Alexandriæ incensum 253,26
Sergius III episcop. Romanus 163,47
Sermo illotus vitam flagitiosam comitatur 523,14
Serpens miræ magnitudinis, cuius corium centum viginti pedum fuit 40,43
Serra longa castellum 523,38
Seth filius Adæ 9,20. eius etymon ibidem.
Seuerus Pertinax 69,34. Eius res gestæ ibid. 36
Sex mundi ætates 231,10. *Vide* Ætas.
Sibilia vxor Tancredi, filiaq; in cœnobio Hohenburg custodiæ mancipantur 220,18
Sibylla Erythræa 26,9. Sibyllæ auctoritas de turre Babylonica 11,20
Sicambri 19,13. Franci dicti 98,19
Sicilia gigantum & tyrannorum nutrix 33,3. 217,8. terræ motu concussa ibi. 20. Siculi in gentē Teutonicam cut inuidia efferati 222,36
Sicyoniorum regnum in Europa quadragesimo quinto anno Beli cœpit 12,20. Sicyonii regni finis 21,9
Sigefridus Moguntinensis episcopus moritur 353,33
Sigefridus III ab Eppenstein, archiepiscopus Moguntinus 574,54. pontificatu Moguntino potitur 574,38
Sigehardus Aquileiensis patriarcha in amentiam rapitur 348,30
Signum in cœlo factum mirabile 377, 29. Signa aduentum Domini præcedentia 171,1
Silla C. Marium effossis oculis, membrisq; truncatis vita priuauit 47,28
Simeon de Montefilice, canonicus Paduan' in Cardinalē eligitur 614,46
Simonis Magi improbitas 61,47
Simultas inter pontificem Adrianum & Imperat. 568,15
Sindoaldus Brendonum rex suspendio perimitur 104,30
Smaragdus ingens 568,15
Socius in pœna qui fuit socius in malefactis 459,3
Socrates veneno se necasse cur perhibeatur 32,53. eius dictum memorabile ibid. 54
Sodoma peccatorum ciuitas 15,50. eius subuersio ibid.
Sol minor parmæ visus 43,54
Soldanus rex Iconii Friderici imperatoris filiam in vxorem petit 210,11. Christianos Accaron obsidētes obsidet 216,19
Solidarii, mercenarii milites 488,51
Solis eclipsis 619,10
Sophares, Eusebio Sosares Assyriorum rex 23,31
Soracte mons 465,10
Sorapis idolum 15,40. *Vide* Serapis.
Sosar vel Sophar, Eusebio Sasarmus 23,34.
Sortilegia Ecelini vanissima 599,47
Sowa fl. Vngariæ 424,48
Spartetus Assyriorum rex 23,43
Species est forma indiuiduorum & vltima similitudo 437,45. non descendit in omnia 443,55
Sparta a Sparto filio Phoronei regis Argiuorum condita 234,44
Spherus, secundū Euseb. Iphereus 23,43
Spirensis ecclesiæ exustio 516,3
Spoletani excidii causæ 485,43
Staingaden cœnobiū ord. Præmonst. diœcesis August. 206,50
Statius poeta clarus habetur 248,50
Statius nobilis quidam e Mediolanensibus in prælio cadit 499,7
Status imperii post mortē Henrici III Cæs. 381,4. Status regionum morte principis permutantur 619,19
Stephanus V Rom. pontifex 163,35
Stephanus nonus papa 342,27
Stephanus Viennensis archiep. 483,29
Stephanus abbas S. Iustinæ moritur, eiq; succedit Arnaldus abbas 582,2
Stephanus filius regis Vngarię ducit in vxorem Trauersariam, filiam Guilelmi, filii Pauli Trauersarii, ciuis Rauennatis 616,15
Sterces, qui & Picus Saturni filius 18, 49
Stilico patricius socer Honorii 92,26
σοφὸν paterna 387,53
Subditi ad rectoris exemplum se componunt 622,7
Sucinum castrum 605,24
Sugina vallis 597,22
Summis negatum stare din 619,18
Sultanus Iconii Cæsari sese dat 215,18. *Vide* Soldanus.
Sultanus Ægyptius Scythas Syria pellit 625,9. dolose interficitur ibid. 19
Superfluum est voluntario debito, & debitæ voluntati sacramentum apponere 463,30
Supputatio diuersa a Noe vsq; ad confusionem linguarum 11,20. a confusione linguarū vsq; ad Ninū & Abraham, & annalium inchoatio 11, 40, 50
Susa ciuitas sita in ingressu Alpiū 207, 9. funditus euersa ibid. 18
Susopolis 560,49
Sybilla, ciuitas nobilissima a Iulio Cæsare cōdita, Hispalis nominata 586,2
Synodus in Apulia a Papa Vrbano congregatur 369,4. Ephesina 93,35. Romana 346,1. super negotio regni 352,13
in Syria regū conuentus habetur 443,2

T

Tanaus primus Scythарum rex 234,7
Tancredus Siculus Henricum Cæs. regnum inire prohibet 217,8. Tancredi F. in castro Amiso carceri mancipatur 220,10. vxor & filius a Cęsare capiuntur 219,33
Tanera, amnis 456,25
Tarenti vrbis destructio 43, 55. Tarentini ex Lacedæmoniis geniti 38, 54. Carthaginensium auxilium flagitant 39,41. classem Romanorū capiunt 38,50. ex Lacedæmoniis geniti ibid. 54
Tarquinius Priscus Romanorum rex 160,47
Tarquinius Superbus Circum ędificauit, numerumque senatorum auxit 27,19. Hetruscorum regis Porsenæ auxilio Romam per triennium obsidet 28,25
Tartari Vngariam vastant 590,12
Taruisium, ciuitas 601,43. in Venetorum ditionem concedit 608,28. Taruisini se ac sua Ecelini dominio tradunt 588,2
Taurinum vrbs Italiæ a Lothario Imperat. in prouinciā redigitur 150,4
Tautanes Assyriorum rex 23,37
Teloniū in Vngaria excepto rege nemo habet 425,17
Templa sub Reu, filio Phalech primū constructa, hominesq; pro diis adorati dicuntur 11,40. 234,3
Templariorum castra fortissima a Sultano expugnantur 625,24
Tempus Antichristi tyrannidis 170,45
Terdonæ ciuitatis situs 456,34
Terdona obsessa 456,45. igne delet 460,30. Terdonenses a Friderico proscripti 456,20. Terdonenses cleri miserabilis supplicatio 458, 30. 459,2. Terdonenses aquatione prohibiti 457,24. ex desperatione audaciam sumunt 457,1. multis malis attriti de pace cogitāt 460,10
Terræmotus Asiaticus 63,27. ingens 148,1. multas vrbes obtruit 261,3. ingēs in Vngaria 367,33. circa Schafhusiam 368,10. in Italia 584,44.

terræmotus maximus 624,50
Testes aduersus Pottetanum producti 436,41
Testimonia ex parte Victoris 547, 40,50.547,1,2,3,&c.
Teutonici Imperat. 164,1. Teutonici militis fortitudo 212,20. animarum suarum & corporum stolidissimi venditores 603,9
Texanæ portus 593,13
Thales Milesius vnus e septem Græciæ sapientibus 26,36
φιλαγγρα corruptelæ 387,23
Thelxion, Sicyoniorum numen 14,13
Theobaldus Blesensis comes 151,19
Theobaldus de Reggetatt 218,19
Theobaldus Franciscus Imp. vicarius in Marchia Tarusina 589,34
Theodemirus Walamiri regis filius 97,1
Theodericus Gothorum rex, Clodonei Francorum regis filiam in vxorem accipit 102,42
Themur castrum 213,44
Theodoricus II Imperator 110,25
Theodosius Iunior 93,28
Theodosia virgo patitur 110,39
Theophana Græca, Imperatrix mater Ottonis regis, anno nono viduitatis obiit 317,17
θεοσέβεια, verus Dei cultus 177,49
Thermæ Commodianæ Romæ factæ 253,38. vide Commodus. Thermæ Seuerianæ Antiochiæ factæ 254,8. Thermæ Neronianæ Alexandrinæ vocatæ 254,53
Thesaurus ecclesiæ Mogũtinæ 568,10. eius dissipatio 572,38
Theuteus, vel Tauteus Assyriorum rex 23,38
Thiemo præsul exquisitis suppliciis afficitur 143,20
Thineus, vel Oneus Assyriorum rex 23,39
Thiza lia fl. per triduum sanguineus fluxit 367,37
Thomas Cantuariensis archiepisc. occisus 209,31
Thonosconcolerus Assyriorum rex vltimus qui & Sardanapalus 23,47. 238,12
Thrasamundus rex Vandalorum, catholicas ecclesias clausit, & centum vigiuti episcopos exilio in Sardiniã misit, quos Symmachus papa inibi aluit 273,17
Thuribula & Acerræ ecclesiæ Moguntinæ 568,20
Thuringia Hẽrico regi rebellat 345,30
Tiberis fl. alueum suum egressus, multa Romæ subuertit ædificia 294,48
Ticinus fluuius 455,28
Tigurum 412,37
Titus Quintius barbaros in patriam redire compulit 54,18
T. Vespasianus Imperat. Deliciæ hominum vocatus 65,11. amphitheatrũ Romæ ædificauit 14. mors 15
Tixo de cãpo S. Petri moritur 597,12
Tolosæ vbi sedes regni Gothorum erat, in medio ciuitatis sanguis e terra prorumpens tota die profluxit 271,17. Tolosanum concilium 363,50
Tomyris regina Cyrum cum toto suo exercitu deleuit 30,5
Tonitru maximum in Vngaria a seculis inauditum 367,39
Toroltscastrum 220,41
Touba amnis 480,19
Traiectenses a Cæsare ad papam prouocantes, maiestatis rei 446,13. mulctantur 448,38
de Traiectensi episcopatu controuersiæ 445, 40. componuntur 446,30
Transmarina expeditio quomodo auctoritate sedis apostolicæ persuasa sit 426,56,427,1
Transire quot modis dicatur 172,8
Trapani portus 626,27
Trasimundus Genserici filius, Wandalorũ rex, ob catholicam fidẽ CCXX episcopos ad Sardiniam insulam in exilium misit 102,11
Trebeta priuignus Semiramidis a quo Treuiris, vrbs condita 13,23
Tres angelorum hierarchiæ 188,9
Trevium castrum Mediolanensiũ oppugnatur 495,29. expugnatur ibid. 30. a Mediolanensibus expugnatur 526,48. funditus destruitur 527,15
Treuiris vrbs florentissima opibus que confertissima 13,24. eius exordium ibid.
Trica castrum Mediolanensium expugnatur, et crematurq; 455,35
Tridentini contra Ecelinum rebellant 597,20
Trinitatis opera inseparabilia sunt 440,42
Tritonis lacus, in quo Minerua virginali ætate apparuit 15,9
Triuels ærarium publicum augetur 219,29
Troiæ decennalis obsidio 19,17
Tropus nullius est proprietatis 410,24
Tuba nouissima quid sit 175,43,176,8
Tullus Hostilius primus ex Romanis purpura & fascibus vsus est 27,10
Tumultus terrorque in exercitu legati Pontificii 600,38
Tunetum Africæ 586,7. a Christianis obsessum 626,11. Tunicensis rex cum Christianis pacẽ init 626,14. Eius pacis conditiones ibid.19
Turbo prodigiosus 573,55.574,1
Turegum nobilissimum Sueuiæ oppidum 412,36
Turisindus ciuis Veronensis 504,29
Turneimentum 416,19.511,36
Turres oppugnatoriæ 542,19
Turris Tarquinii, quę & Rubea 457,31
Turonensis synodus 375,21
Tursoch, ciuitas famosissima 562,23
Tusculanense castrum 205,27. demolitur 214,16
Tyberis a Tyberino rege dicta 22,28
Tyberii Cæsaris de augendis tributis ad præsides dictum 58,46
Tyberinus Syluius Latinorum rex ante Vrbem conditam 160,50
Tyburtum opidum 465,12,32. Tyburtini ab Innocentio Papa ad deditionem coguntur 154,31
Tyrrhenum mare 432,29

V

Vacrazenes, secundum Eusebium Acracapes, Assyriorum rex 23,46
Valens Augustus hæresi Arrianæ pollutur 87,46, monachos ad militiam cogit 88,4. quis post se regnaturus nectomantica arte perscrutatur ibid.6. crematur ibi. 43.
legem dedit vt monachi militarẽ nolentes, fustibus iussit interfici 263,3
Valerianus Cæsar 73,2
Vallis Moriannæ 466,42
Vangiones misere ob Henrico V rege tractantur 148,28
Varietas temporum mutationem inducit animorum 621,4
Vasalli filius dominum offendens 510, 18. Vasallorum duorum inter se controuersia quomodo decidenda ibid.20
Vaticinia in Babylonem de impiis esse accipienda 179,50
Vauassores milites 408,5
Vbertus Palauicinus vir astutus & callidus, Ecelini socius 598,30. vide Palauicinus.
Vdalrici Augustensis episcopi mors 131,5.315,48
Vdalricus comes de Lẽzeburg 483,41
Vdalricus Goscezehim 351,3
Vdalricus de Hattstein 576,38
Vdo Kiburgensis, abbas Sanctoblasianus 359,9
Vdo, Conrado mortuo, præsul Treuerensis constituitur 343,53
Vectigal annuum fisci regii auctum 509,12
Veneficus Imperatoris vitæ insidias struens 529,15
Veneti cum Rauennatẽsibus belligerantur 155,25. Venetorum in mare potentia 615,36. inter Venetos & Patauinos inimicitia 583,39. Græcorum spoliis ditati 615,55. Ianuenses nauali prælio superant 603,20. post Ecelini mortem vindictam iniuriarum eius moliuntur 608,11
Vera lana pluuię mixta de nubibus fluxit 262,30
Vermis eorum non morietur, quomodo intelligendum 181,24
Veronæ tumultus contra S. Bonifacii comitem 586,16. imperiale colloquium celebratur 591,12. Veronenses rebellant 558,35. Verona Cæsari reconciliata 470,31. Veronensium purgatio 470,7. dolus ad pontem super Athesim 467,8. insidiæ in claustris Imperatori structæ ibid.20. Veronenses & Vincentini cum Paduanis & Tarusiensibus bellum gerunt 155,26. de Paduanis victoria 154. 49. quidam hostes a Friderico iudicantur 504,32. insidiatorum latibulũ expugnatum 468,6
Verruca, castellum 523,37
Verzelacum Galliæ oppidum, vbi B. Mariæ Magdalenæ ossa recondita sunt 428,37
Vesontium Burgundiæ 480,16
Vesores rex Ægypti Scythis bellũ indicit 18,11
Via Iulii Cæsaris 491,44
Vicentia ciuitas a Friderico & Ecelino comburitur 587,33
Victorinus Rhetor Romæ clarus habetur 84,14
Victor I Rom. pontifex 161,22
Victor secundus papa 341,39
Victor tertius papa 359, 44. mors 360,30
Victoria opidum prope Parmam a Friderico conditũ 592,31. a Cremonensibus capitur crematurq; ib. 40

INDEX.

Victoria non in multitudine bellatorum & fatali conſtellatione, ſed diuinæ voluntatis arbitrio diſponitur 600,18
Vicini in Mediolanenſes ſuam odii acerbitatem effundunt 500,20
Vincere ſine præcepto ducis infamiæ datur 496,20
Vindicta violatæ pacis 510,46
Vienna, olim a Romanis inhabitata, Fauianis dicta 426,27
Vigeuenum opidum 473,1
Virgilius Cremonæ ſtudiis eruditur 244,30
Virnelt & Lerueli fl. Vngariæ 225,40
Viſcha fl. Vngariæ 425,54
Vita corporis anima, vita animę Deus 172,55
Vita & doctrina Antichriſti 170,8
Vitalianus de Arelda Burgum Eſtēſem Eccelino tradit 593,12
Vitæ rerumq; cōmunio in regno Teutonico non ſolum inter clericos ſed & inter laicos 305,50
Viterbium 460,49
Vlmæ pontificiorum conuentus habetur 369,46
Vlricus comes Brigantiæ moritur 376,39
Vlricus de Lentzburg comes Bernardum abbatem Romā proficiſcentem capit 367,50
Vlricus de Horningen 415, 15 eius cum caſtrū Limpurg obſidione teneretur dictum ibid.16
Vlrici Halberſtatenſis bona abiudicata 452,42
Vlyſſis pericula 19,54
Vlyſſibona vrbs Hiſpaniæ ab Vlyſſe condita 20,10.455,52
Vngaria de iure regni decertat 151,30. in Vngaria multa prodigia facta 307,32. Vngariæ ſitus 424,41. Vngari barbari 425, 2. eorum corporis habitus ibid. 4. nullam rem magnam ſine crebra & longa conſultatione aggrediuntur ibid.8. terræ cultus ibid. politia ibid. 13. militandi mos ibid. 25. in Pannoniam ex Scythia veniunt 123,41. regem ſuum Petrum oculis priuant 327, 6. Vngariæ regni æmulus Henrici Cæſ. ſororius 353, 40. rex bellum mouet Græcorum imperatori 559, 16. Vngariæ regis frater ad Imperat. profugus 484,16. eius & Henrici ducis pugna 425,40.426,1. Vngari ab Henrico duce fugātur 426, 11. Vngarorum prope Auguſtam clades 128,29. Vngari fiunt Chriſtiani 131,45
Vnſtruot fl. 411,43
Volco ſacerdos in Francia, eiusq; miracula 223,30,31,32,38.224,10,20, 30,40
Voluntas principis in Vngaria apud omnes pro ratione habetur 425,22
Voſagus 470,38
Vrbanus eiecto Giberto ſedē propriā recipit 142, 50. Pariſiis moritur 620,9
Vrbis Friſingenſis conflagratio 514,25
Vreeorum caſtrum 604,32
Vtinus mons iuxta Aquileiam 95,49
Vtrum qui viui reperiantur in illo ſtatu obuiam Chriſto rapientur, vel moriētur, vt denuo reſurgāt 175,10
Vulgi inconſtantia 520,45
Vulpes & lepores officinas canonicorum ingreſſi 515,45
Waifarius dux Aquitaniæ 111,36
Wal fl. 122,34. Rheni brachium 446,9
Wandali Romam capiunt 96,9. capta Roma Neapolim & Nolam expugnant 96,20
Welfo dux ſenior moritur 220,22
Weliga magni Godefridi ducis filia 369,36
Welph Carinthiotū dux moritur 336, 51.342,10
Werenza fl. 416,33
Wernherus Merſeburgenſis eccleſiæ epiſcopus moritur 368,24
Wetti Augienſis monachus in ſpiritu raptus, admirabilem vidit viſionem 303,18
Wickmannus Magdeburgenſis archiepiſcopus 553,16
Wiborada ab Vngaris martyrizata 312,19
Wido comes Blanderatenſis 203,1
Wido comes Aſcalonis 211,40
Wigoldus Auguſtēſis epiſcopus 301,13
Wilbaldus abbas Stupulenſis 521,11
Wilhelmus Hollandus contra Fridericum deſignatus 575, 15. *Vide* Gulielmus.
Williſius Moguntinēſis archiepiſcopus moritur 319,14
Winſberg caſtrum obſidetur 153,44
Wirzeburgum a Pōtificiis capitur 358. 54. ab hoſte recuperatur 383, 33. Wirtziburgenſe prælium 383, 20
Wiſigothi Gallias inhabitant 93, 54. Hiſpanias occupant 94,4
Wolfhere filius Pendani rex Merciorum creatur 288, 21. mors 290, 16
Wormatia ab Henrico V imper. obſidione cingitur 148,27

X

Xanthus fl. Troiæ 19,20
Xanthis ciuitas a Sarracenis deſtructa 19, 20. a Chriſtianis reædificata ibid.
Xenia Friderico imperatori a regina Angliæ miſſa 589,8,9,10,11
Xerxes bellum parat Athenienſibus 31,34. eius exercitus ibi. 37. bis victus nauali prælio ibi. 47. ab Artabano præfecto ſuo occiditur 32,3
ὑπόσασις 437,39

Z

Zacharias Rom. pontifex 111,29
Zameis, qui & Ninias filius Nini & Semiramidis rex Aſſyriorum 23,31
Zeno genere Iſaurus imper. 97,19
Zephyrinus papa XIIII, ſedit annis XVIII. 254,7
Zeringenſibus vnde Ducum nomen 413, 13. *Vide* Rudolphus Zeringius.
Zoroaſtres magicæ artis inuentor vicies centum verſuum millia condidit 12,40
Zuendebaldus dux Boemorum 411,41
Zuifalten monaſtetium 417,1
Zwifalten cœnobium Sueuię 167,42.

FINIS.

CORRIGENDA.

Pagina 14, v. 8, lege *principum*. P. 15, v. 17, diſtingue *Baleo, Api*. P. 37, v. 20, *defenſando*. P. 38, v. 3, poſt *conſtruauerunt*, pone diſtinctionem periodicam. ibidem 53, lege *ferroq;*. P. 41, v. 17, *patria*. ibid. v. 20, *periurus*. P. 46, v. 44, *Iugurthinum*. P. 55, v. 51, *potitus*. P. 58, v. 29. *dicitur*. P. 61, v. 43, *Hierapolim*. P. 70, v. 7, *fratres*. P. 85, v. 2, *intentat*. ibid. v. 15, *Nazianzenus*. P. 88, v. 30, *quodam*. ibid. v. 36, *regeneraturus*. P. 94, v. 48, *Oſtrogothorum*. ibid. 51, *fortitudinis*. P. 97, v. 49, *inuenitur*. P. 101, v. 16, poſt *certamine*, pone diſtinctionē cōmaticam. P. 108, v. 6, lege *iter*. P. 112, v. 39, ſcribe *Benedicti, B* maiuſcula. ibid. in margine *Topographia*. P. 115, v. 55, *Francorum*. P. 123, v. 37, in margine *creant*. P. 145, v. 29, in margine *plectitur*. P. 128, v. 55, lege *Vir* pro vix. P. 129, v. 20, *regnum*. P. 133, v. 30, *Comata*. P. 135, v. 14, *Benedictus, B* maiuſcula. P. 140, v. 1, *opere*. P. 142, v. 46, *iter*. P. 146, in margine 31, pro 8 lege 5. ibid. v. 51, *autem*. P. 149, v. 2, *conſummarunt*. ibid. v. 2, *regni*. P. 150, v. 47, *Auguſtam, A* maiuſcula. P. 152, v. 9, *ſurreptionem*. P. 181, v. 1, dele hæc verba, *& quaſi* &c. vſque ad *fluctuantes*. ibid. v. 18, dele ½. P. 203, v. 3, lege *talium*. P. 221, v. 12, *induſtriam*. ibid. dele *in*. ibid. v. 16, lege *quarentes, regionem maritimam quæ fertiliſſima eſt, propter rerum ubertatem tantum obtinere delectantur. Ieruſalem ſepulcrumq; Domini parui pendentes: ideoq; tanto tempore tantū exercitibus, Ieruſ.* &c. P. 348, v. 30, *armata*. P. 349, v. 14, *ſtringi*. P. 382, v. 8, *vix*. P. 436, v. 55, *epiſcopus*. P. 528, v. 20, *inierint*. P. 562, v. 11, *mouentes*. P. 607, v. 39, *iſte*.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 136;Leibn. Marg. 136, Stück 1, [662] - -

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 136;Leibn. Marg. 136, Stück 1, [663] - -

PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 136;Leibn. Marg. 136, Stück 1, [664] - -

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 136;Leibn. Marg. 136, Stück 1, [665] - -


GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 136;Leibn. Marg. 136, Stück 1, [666] - -

GWLB Hannover 35
036 828 904

Niedersächsische Landesbibliothek Hannover

XIII, 389
2°

Z 389

H. Germ. II. 8. 1

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 136;Leibn. Marg. 136, Stück 1, [667] - -



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 136;Leibn. Marg. 136, Stück 1, [668] - -

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 136;Leibn. Marg. 136, Stück 1, [669] - -